
268



268

AMATI LVSITANI SVMMI DOCTORIS MEDICI CVRATIONVM MEDICINALIVM CENTVRIÆ SEPTEM

AB OMNI SORDIVM SVSPICIONE EXPVRGATAE,

QVIBVS PRÆLVCET OMNIVM CVRATIONVM PER locos affectos in sua capita digestarum, unà cum appendicibus eorum, quæ auctor, vel inter curandum, vel in Scholijs accuratè disserit, proprijs capitibus subiunctis

ILLVSTRIS ET CERTVS INDEX

In Bibliotheca Iohannis Francisci Rosselli Catalani Bartinouensis Repertus.

16335

Anno 1628.

CVM LICENCIA.

BARCINONÆ: Sumptibus SEBASTIANI & IACOBI Mathevats.

268

APPROBATIO.

AMATI Lusitani nobilissimi, atq; optimi medici septem medicinalium curationum Centurias antea decreto Sanctissimi Domini Clementis Octavi felicis recordationis Romani Pontificis, donec expurgarentur, interdictas, iam nunc juxta præscriptum indicis ultimi librorũ expurgandorum iussu, & auctoritate generalis Inquisitoris in Regnis potentissimi, & invictissimi Hispaniarum, & Indiarum Regis Catholici ditioni suppositis de cõsilio supremi senatus sanctæ Inquisitionis editi, quam diligenter expurgatas & adhuc expurgatiores, resectis non paucis, quæ ad rem ipsam non pertinebant, & in transcursu solum irrepserant, ex commissione perillustris, & Admodum Reverendi Petri Pla Canonici, & Sacristæ maioris Cathedralis Ecclesiæ Barcinonensis, & in eiusdem Diœcesis Vicarij Generalis & Officialis quãta potui diligẽtia perlustravi. Et quia in eisdem nihil contra fidem Catholicam, aut bonos mores inveni; Sed variam, & præclaram eruditionem, quæ tam medicis ipsis, quam ægris: imo & recte valentibus, & sic toti Reipublicæ magnas sunt utilitates allaturæ, dignissimas censeo, quæ iterum, atque iterum typis committantur, & edantur. In quorum omnium, & singulorum fidem, & testimonium, præsentes literas propria manu subscripsi. Barcinonæ, quarto Iduum Aprilis anno ab ortu Christi sexcentesimo vigesimo octavo supra millesimum.

Franciscus Broquetes Doctor Theologus, & pro S. Inquisitionis Officio sententiarum censor.

P. Pla Vic. Gen. & Offi.

D. Michael Sala R.

ADOLESCENTIBVS ARTIS MEDICÆ PRAXI INITIATIS SEBASTIANVS ET IACOB. MATHEVATS. S.

VVM prælo mandaremus cõmentarios doctissimi Iohannis Francisci Rosselli ad libros Gal. de differentijs, & causis morborũ, & symptomatum, adolescentes optimi, dieb. omnib. qui religione colebantur, relaxandi animi causa, eius mirificam bibliothecã recognoscebamus: fortè verò in pluteo, ubi libri minutuli reponuntur, ad latus Centuriarum Amati Lusitani, omnium curationum, & cõmemorabilium in illis contentorum, amplissimũ & certissimum indicem manuscriptum reperimus, quẽ peritissimus vir ipsius privatis usib. multis ab hinc annis coagmentaverat. Hunc ipsum Centurijs subiunctũ, utrum utilitatis publicæ provehendę gratia in vulgus ederemus, an, quod optimus vir habebat rariùs, vel, ut dicitur, secretiùs sibi potiùs servandum esset, diu multumq. nobiscũ dubitavimus. Veruntamen Stoicorum non omninò improba sententia impulsi, qua homines hominũ causa genitos asseruerunt, existimavimus nefas esse ocultare atq. supprimere, quod multis usui, et utilitati foret, in memoriam revocantes illud Ennij poetæ dictũ, quod is, qui de suo lumine, lumen alteri accendit, facit, ut nihilominus ipsi luceat. Quare cũ nihil sit tam propriũ humanitatis, atq. amoris, quã cõmunicatio, bona cum benigni autoris venia, unà cũ septẽ Centurijs ab integerrimis & iustissimis nostrę religionis prætorib. & contra hæreticam pravitatẽ Inquisitoribus rite correctis, atq. in locũ earum, quæ omninò prohibitæ fuerunt, alijs substitutis curationib. elenchũ istum, cuius ope sæpius illi magnopere adiuvari & delectari possunt, quos Amati allectat Lectio, typis nostris cudendũ, & cunctis cõmunẽ faciendũ putavimus, quo intelligant omnes quã utilitatis publicę simus cupidi. Cæterũ, studiosi adolescẽtes, quod vobis potiùs, quã alijs, hoc opus dicaverimus, summus erga vos, perpetua cum observantia, coniunctus amor fecit, rati nullũ vobis offerri potuisse munus, quod esset gratius, & iucundius. Quamobrem illud a vobis unicè petimus, & rogamus, ut totum, hoc opus in fidem, tutelãq. vestrã recipiatis, ita facilè, & omnium odiũ vitare poterit, & invidiã sustinere. Valete & nos, quod hactenus fecistis, amare pergite. Barcinonæ Kalendis mensis Aprilis 1628.

INDEX.

Septingentarum curationum Amati Lusitani, secundum locos affectos in capita digestarum.

CVRATIONVM LEMMATA.

Quorum prior numerus Columnam; Caput verò indicat alter.



CAP. I. De Medici officio.

Cap. 2. De capillorum affectibus.

Appendix.

Cap. 3. De morbis cutaneis.

Appendix.

Cap. 4. De Elephantiasi.

Appendix.

Cap. 5. De morbo Gallico.

De

Appendix.

Cap. 6. De dolore capitis.

Appendix.

Cap. 7. De Phrenitide.

De

Cap. 8. De Soporosis affectibus.

Appendix.

Cap. 9. De Vertigine.

Appendix.

Cap. 10. De morbo comitiali.

Appendix.

Cap. 11. De Mania.

Cap. 12. De Melancholia.

Appendix.

Cap. 13. De Apoplexia.

Appendix.

Cap. 14. De paralysi.

Appendix.

Cap. 15. de Convulsione.

Appendix.

Cap. 16. De oculorum affectibus.

Appendix.

Cap. 17. De affectibus aurium, & partium subjacentium.

Cap. 18. De sanguinis é naribus profluvio.

Appendix.

Cap. 19. De affectibus dentium, oris, & faucium.

Appendix.

Cap. 20. De Sternutamento.

Appendix.

Cap. 21. De Destillatione, raucedine, & tussi.

De

Appendix.

Cap.22. De Asthmate.

Cap.23. De Pleuritide.

Appendix.

Cap.24.De Peripneumonia.

Appendix.

Cap.25.De sanguinis sputo.

Appendix.

Cap. 26. De Empyemate.

Appendix.

Cap. 27. De Palpitatione cordis, & Syncope.

Appendix.

Cap. 28. De affectibus mamillarum.

Appendix.

Cap. 29. De dolore ventriculi.

Appendix.

Cap. 30. De Inflammatione ventriculi.

Appendix.

Appendix.

Cap.40. De tenesmo.

Appendix.

Cap. 41. De cholico, & ileo dolore.

Appendix.

Cap. 42. De tumore, inflammatione, & dolore hepatis.

Appendix.

Cap. 43. De obstructione hepatis.

Cap. 44. De ictero.

Appendix.

Cap. 45. De Hydrope.

Appendix.

Cap. 46. De Obstructione lienis.

Appendix.

Cap. 47. De Nephritide.

Cap. 48. De suppressione, & difficultate urinæ.

Appendix.

Cap. 49. De renum calculo & vesicæ.

Cap. 50. De ardore urinæ.

Appendix.

Cap. 51. De mictu sanguinis.

Cap. 52. De diabete.

De

Appendix.

Cap. 53. De lumbricis.

Appendix.

Cap. 54. De hæmorrhoidibus, Cristis, & Ragadijs.

Appendix

Cap. 55. De procidentia ani.

Cap. 56. De procidentia uteri.

Appendix.

Cap. 57. De immodicis mensibus.

Cap. 58. De fluore muliebri.

Appendix.

Cap. 59. De suppressione menstruorum.

Appendix.

Cap. 60. De Priapismo.

Cap. 61. De uteri affectibus.

Appendix.

Cap. 62. De mola uteri.

Appendix.

Cap. 63. De partu laborioso.

Cap. 74. De febre diaria.

Appendix.

Cap. 75. De febri Synocho.

Appendix.

Cap. 76. De febri ardente.

Appendix.

In

Cap. 81. De febribus compositis.

Appendix.

Cap. 82. De febribus Erraticis.

Cap. 83. De febri hectica.

Appendix.

Cap. 84. De peste, & pestilenti febre.

Appendix.

Cap. 85. De exanthematibus.

Appendix.

Cap. 86. De morbis venenosis.

Appendix.

Cap. 87. De tumoribus præter naturam.

De

Appendix.

Cap. 88. De Vlceribus.

Appendix.

Cap. 89. De Vulneribus.

Appendix.

Cap. 90. De Luxatione.

Cap. 91. De Casu ab alto.

De

Cap. 98. De Diebus decretorijs.

Cap. 99. De pulsibus.

Cap. 100. De Vrinis.

Caput 101. De sanguinis missione.

Cap. 102. De medicamentis.

Cap. 103. De Syrupis.

Cap. 104. De Purgatione.

De

FINIS.

INTROITVS MEDICI AD AEGROTANTEM, SIMVLQ. DIGRESSIO DE CRISI, ET DIEBVS DECRETORIIS: IIS, QVI ARTEM Medicam exercent, & pro salute ægrotantium in collegium descendunt, maximè utilis.

AMATO LVSITANO MEDICO AVCTORE.

TRIA in universum sunt in A Arte medica, in quibus & per quæ curatio conficitur, nempe Medicus, æger, & ipse morbus. Primo, Medicus doctus sit oportet, diligens, hilaris, & gravis: cuius introitus, sermones, figura, vestitus, tonsura, ungues, odores, ęgro grata sint decet, ut mandat Hippoc. lib. 6. Epidemiorũ. Cæterùm huius officium est tutò & celeriter curare: tuto ut juvet & non noceat, ut jubet Hippo. primo citati voluminis libro: celeriter medicamẽta morbo adaptata tribuendo, nam, ut inquit Hipp. in epistola ad Crateuã herbarium, sive radisecam, ab omni quidẽ arte aliena res est dilatio, verùm maximè medicina, in qua dilatio est vitæ periculum: quod Mesue in exordio suæ practices medicum exhortans dixit. Auxiliari ne differas, quia semel pereunti nulla postea suffragia prosunt. Crudelis proculdubio medici est, eos morbos, qui possunt paucis diebus, vel horis repelli, in lõgum protrahere tempus, & ægros tãquam in reditu habere, ut Plinius Valerianus memoriæ commendavit. Vt verò medicus officium hoc perfectè exequatur, decem in mente prompta habeat necesse est, quæ ex Galeni pręceptis sunt desumpta, & ea iis carminibus complexi sumus, quæ ita habent.

Sunt bis quinq. tibi humores, ut noveris omnes,
Et valeas ægro removere, è corpore morbos,
Nẽpe color, casusq. vocant symptomata Græci,
Et regio, & tempus, morbusq. his additur ætas,
Natura, & victus, mutatio temporis, arsq,

Quæ omnia quum medenti nota & invẽtu facillima sint, maiori enarratione non indigebũt. Curabit tamen bonus practicus ægrotantẽ interrogare, num aliàs ægrotaverit, & quònam morbo, acuto interpollato, longo vel brevi laboraverit, non minus quæ ille medicamẽta ebiberit, liquida vel solida, aut potius in bolo: cum quibus bene egessit vel nó, & an alvũ sua natura citam, & obedientẽ habeat, vel potius durã & rebellẽ, quum qui solutu facilem habere dixerit, levioribus & paucioribus medicamẽtis opus habet: si verò difficilẽ, fortioribus indiget. Turpis enim est calamitas (ut tradit B Hippo. libello de Medicamentis purgantibus) medicamẽto purgãte dato, hominem occidere. Non minus quoque de sanguine extrahendo inquirere medicus debet, an in aliis morbis illi sanguis missus fuerit, & rectè toleraverit, vel potius in lipothymiam inciderit ut postea, fluente sanguine, manũ arteriarũ pulsationibns admotam habeat. Æger quoque, ut tradidimus, obediens medico sit oportet, quod Hippo. in proœmio Apho. præcipit: inquiẽs. Nec solũ seipsum medicus rectè curare volens, præstare opor C tet opportuna faciẽtem, & nihil, quod ægro possit conducere prætermittentem, sed & ipse eger parère medico, tanquam servus domino, debet, in nullo propriæ indulgendo voluptati. Vnde iis, qui præceptis non obsequũtur, medicinale consiliũ dandum non est, ut Galen. lib. de Venæ sectione, & sexto de Tuẽda sanitate, & primo de Criticis diebus suadet. Languentis igitur unà cũ

medico reluctari morbo erit, quũ medicus & morbus mutuò sese oppugnant,&(ut ita dicam)inter sese depugnant,ac dimicant. Nam morbum medicus cum natura evertere studet:illi contrà,ut ne sit inferior, propositum est.Tunc æger,qui medico est audiens,& eius facit imperata,illi socius efficitur,& morbo hostis:qui verò à medicis imperatis desciverit,& quæ morbus dictat exequitur,morbum adauget,quia ipsum fovet, & medico injuriam facit,& demum multis nominibus peccatum inducit, quia quum morbus antè unus erat, inter quem & medicum ægrotumque duellum paratum erat, in quo vincendi medico & ægro spes haud incerta erat,quum duo necesse est uno præstent, morbus auxilio ægri adjutus, veluti transfugæ, duo factus,non solùm medicum vincit, sed naturam & ipsum ægrum supprimit & perimit.Omnibus igitur iis perspectis ac consideratis, & in ordinem dispositis,medicus curationem aggrediatur, prout exposcit morbus. Si tamen non noverit morbum, extenuet,regimen,ut monet Auicenna : quia omnino morbus deoccultabitur:aut (ut præcipit Hippoc.libro de Locis in homine) tunc medicus medicamentum ægrotanti non forte ac potens præbeat,dicens.Morbum si quis non cognoscat, medicamentum bibendum præbeat non forte. Si inde itaque levior fiat, demonstrata via est, quòd gracilitatem inducendo curandus est:si verò non levior reddatur, sed peius habeat : contraria facienda sunt. Si non profuerit gracilem facere,tumidum facere conducet,& frequenter permutare, ita ut hoc cõsilio utaris.Si quis in morbis quid permutaturus est,forti quidem ægroto, debili autem morbo, tunc quidem fortiore quàm morbus est medicamento est utendum. Nam etiam si quid de sano adducat unà cum debili ac ægroto,nullum detrimẽtum est:Si verò morbum fortiorem, ægrotum autem,debilẽ acceperis, debilibus pharmacis curabis,quæ ipsum morbum superẽt & abducant: verum ægrotum nihilo debiliorem reddãt.Hæc illa aurea Hipp. verba, à quo Avicen. citata accepit.Habita igitur cognitione morborum ,ut eos medicus rectè propellat, ac ægrotantibus, ut expedit

E victus rationem ordinet, futuramq. crisim eorum prædicere valeat,attentè animadvertat necesse est,ipsorum tum universalia tẽpora quatuor,tum particularia paroxysmorum.Vnde Hipp.hæc nos docẽs lib.Aphor. inquit : Cùm morbus consistit suo vigore, tunc tenuissimo victu uti necesse est: per hæc indicans verba, ut ibidem Oribasius testatur, quòd omnis morbus sive tardus, sive acutus, modò salubris sit, quatuor habet tempora,initium, augmentum, statum,& declinationem : quæ tẽpora, qualiter sint cognoscenda, docet Gal. libello illo,cui titulum indidit, de Generalibus morborũ tẽporibus,& lib,de Crisibus : statu ta-
F men morbus magis ingravescit & difficilior,atq. intensior quàm principio aut alio quovis tẽpore est,ut Gentil.Fulginas abunde in suis quæstionibus probavit,cui Hipp. suffragatur lib. 2.Aphoris.quũ ait: Omnia quũ incipiunt & finiũt,leviora sunt: quum consistunt,graviora.Adde universam priscorum cohortem,quæ morborum initio,victus rationem copiosiorẽ quovis alio tempore propinabat: tenuiorẽ verò in statu, utpote virtuti decũbenti,ac à morbo oppressæ.Adhærescit iis experimẽtũ indicãs quotidianum,in phlegmonibus apostematibus dictis,statu materiã magis putridam & fæculentã,quàm principio & augmento esse.
G Quæ omnia notæ certissimæ sunt, in statu & morborum vigore, morbos graviores quam quovis alio totius morbi tẽpore esse, in quo supremam concoctionem & putrefactionem simul reperiri fateri est. Quibus omnibus Trusianus, aliter Scotinus dictus, quod vix abscõditas eius opiniones neoterici desudantes medici intelligere posũt,cõtrariatur: quũ principio morbos graviores quàm statu esse cõtendat.Imaginatur enim symptomata illa,quibus ægri in statu morborum affliguntur, cõmunia, nõ verò pro-
H pria,& ex morborũ malignitate & pernitie evenire:in cujus sentẽtiam Oribasiũ ire hodie animadvertimus,ut cuiq. lectori manifestum evadet.In declinatione autẽ vera & universali nullũ maiori,nisi nova superveniente affectione,aut vitæ errore, certũ est, quũ morbus semel judicatus est, ægerque ad agone & pugna,hoc est crisi jã evaserit:

quæ

A quæ vehemens ac velox motus ad sanitatẽ aut ad mortẽ definitur. Si enim ad sanitatẽ subita fit conversio, bona dicitur crisis: sin ad mortẽ mala. Bona autẽ duplex est, perfecta, & imperfecta: perfecta ubi integrè quis à morbo liberatur, & omnino huic aliqua effectu digna evacuatio contingit, ut per vomitum, sputũ, sanguinis è naribus profluvium, modò morbus in partibus superioribus corporis sitũ habeat: Si verò in inferiori ventre morbus constiterit, per ventris exonerationem, hæmorroides, menses, & abscessus: Si autẽ in venis morbus domicilium habet, per urinã, sudores, & insensilem perspirationẽ. B De imperfecta verò crisi loquitur Hippo. libro Aphor. quũ ait: quæ relinquũtur in morbis post judiciũ, recidivas facere consueverunt. Quæ si per abscessum, hoc est concursum mali humoris ab intrinsecis partibus in aliquã exteriorẽ corporis partẽ fiat permutationis crisim Avicen. appellat: quæ si in morbi initio contigerit, lethale proculdubio est signum, ut in pestilenti morbo videtur. Ante autem criticum diẽ magna fit perturbatio, ut Hippoc. nos docuit Aphoris. illo, Quibuscunq. crisis fit his nox anteà gravis est: quæ verò subsequitur, magna ex parte levior existit, unde C rectè Gale. lib 3. de Crisibus cap. 2. prodit ne crisiũ motibus medici perturbentur. Decet autem medicũ generosum neque turbari, neque futurũ eventũ ignorare. Iis enim perturbationibus, cõtinuò febricitãtibus ante judiciũ evenientibus, scilicet anxietatibus, vigiliis, delirio, capitis dolore, colli & stomachi inquietudine, aurium sonitu, lachrymis involuntariis, labri agitatione, vehementi novo rigore, & aliis multis, vulgares admirãtur, putãtq. notas certæ mortis esse. Sed prudentes & ratione utentes medici, rem aliter dignoscentes, deplorati salutem prædicant: D scientes nimirum ante criticũ diem perturbationem & anxietatem maximã fieri, quia medicus velut judex residet in tribunali, antequẽ duo litigantes accedunt, morbus scilicet, & natura: quorum unus alteri dicit. En vinco, alter inquit. Nõ vincis; sed ego, at ubi ingressi fuerint, & silentium indictũ, discernit judex, & sic loquitur. Ille vincit, & quod anteà fuit litigiosum, postmodum efficitur quietum. Sed in iis promptum, & exercitatum medicũ, qui calidam incolit regionem, esse non dubito: secus autem qui frigidam habitat, quum in regione calida crises plures percipiuntur, ut Hispania, & Aphrica quarto & quinto climati subiacentibus. In Germania vero regione frigida, sexto & fere septimo climati suppositã rarò crises fiunt, vt per septenniũ exactè annotavimus. Nam ut de regione ad regionẽ, & climate ad clima dicim⁹, ita quoq. de aëre ad aërẽ differentiam extare quis intelligere debet, quum Ferrariæ, quam preterlabitur Padus, fluviorum rex Eredanus dictus, & Venetiis perpaucæ crises contingant: Secus autem Anconæ vbi plures non solùm in æstate, sed hyeme visuntur proinde medicum in illis decem à nobis citatis rebus paucis carminibus comprehensis exercitatum primò esse decet, & oportet. Cæterùm, ne si illotis (quod aiunt) manibus, ab istis decretoriis diebus distringamur, animaduertendum duximus: quod dies decretorius duobus est modis: aut enim laudabilis, in quo eveniente crisi salutis certæ spes est, aut illaudabilis, in quo crisis rarò contingit: eveniẽte tñ lethale indicium est, & mortis præsagiũ. laudabiles autẽ dies sunt; tertius, quartus, quintus, septimus, nonus, undecimus decimus quartus, decimus septimus, vigesimus, vigesimusquartus, vigesimus septimus. 31. 34. 37. 40. &c. Ex quibus præcipuè sunt 7. 14. 20. Illaudabiles, secundus, sextus, octavus, decimus, duodecimus, decimus sextus, decimus nonus. In quibus diebus crisis veniens pessima est, quia nõ ex natura vincente, cũ virtute motus ille evenit, sed ex morbi vigore naturã cogentis & stimulantis. Talis enim crisis si optima apparuerit, à morboq. significaverit evasionẽ, omnino tamen morbi recidivam indicat: si vero mala apparuerit, mortis appropĩquationis notam esse scies, decimus tertius inter bonos & malos mediũ tenet, nec tam bonus ut boni dicti, nec tam malus ut mali dicti reputandus est. At dierum bonorum, ut diximus, quidam iudicationis proprij sunt, veri decretorij dicti, qui per septenarium cõputantur: quales sunt septimus, decimusquartus, & vigesimus: nã tres septe-

narii viginti circũſcribuntur diebus, ut docuit Gale. lib. 3. Prædictionũ, cap. 1. & 4. quibus locis vigeſimũ diem tertii ſeptenàrii noviſsimũ eſſe perhibet, non verò vigeſimumprimum: quũ vigeſimus validam efficiat ſæpenumero judicationem, unde meritò Hippoc. quadrageſimum diem nõ quadrageſimum ſecundum decretoriũ haberi dixit, itidem & ſexageſimum & octogeſimum, non ſexageſimumtertiũ, nec octogeſimumquartum. Nam alii bonorum dierũ ab iis qui per ſeptenarios dictos computantur, indices, ſeu ſpeculatorii dicti quidam ſunt: qui ita dicuntur ac denominationem habent, quia judicia alio die futura prænũcient, contẽplãdaq. exhibeant: qui per quaternarium cõtemplantur, ita ut cuilibet ſeptenario duo tribuantur quaternarii: exempli gratia quartus dies, ab initio morbi computando, finis erit primi quaternarii, initiũ verò ſecũdi: octavus verò tertii quaternarii initiũ quoq. eſt, quia ſecundus ſeptenarius ab eo incipit, finitur tandẽ tertius is quaternarius undecimo die. Qui undecimus dies initiũ quarti quaternarii habetur: cujus finis decimus quartus erit: porrò quintus quaternarius à quartodecimo inchoabitur die eo quòd tertius ſeptenarius copuletur. Cui finis decimoſeptimo erit: ſed decimusſeptimus initiũ ſextiquaternarii perhibetur, ut Gal. placet: qui vigeſimum diem nõ verò primum & vigeſimum decretorium appellat, quum eo die judicationes fieri magis præcipuas validioreſq. quàm primo & vigeſimo die notavit. Eſt igitur vigeſimus dies, finis tertii ſeptenarii: & ſextiquaternarii: clarius tamen ut hæc intelligant qui hæc legerint repetere non gravabor. Sunt igitur indices ſeu ſpeculatorii præcipui dies, quartus ſeptimi, undecimus quartidecimi, decimus ſeptimus vigeſimi, & ut Eraſiſtrato & Archigeni placet, & poſt eos Oribaſio, & multis aliis, decimusoctavus vigeſimiprimi ſpeculatorius eſt. Si enim quarto die nubecula in urina rubicũda aut alba apparuerit, cõcoctioq. in ſputo & egeſtione fuerit, ſimulq. per univerſum corpus ſudores & madores, aut ex naribus ſanguinis profluviũ, operationeſq. optimæ fuerint, ut appetitus bonitas, & mentis tranquillitas & hu-

E juſcemodi alia, ſeptimo die judicium futurum ſperandum eſt. Quæ omnia ſi undecimo die evenire contigerit: quartodecimo die judicationem fieri certum eſt: ſi verò decimoſeptimo die: in vigeſimum judicium terminari præſagire licet. Alii verò dierum bonorum intercalares nominãtur, interdicentes quoque dicti, quia interſeruntur, interciduntque, & intercalantur inter dies præcipuos decretorios dictos, ut in acutis febribus, tertius, quintus ac nonus, in quibus criſis plerunque interdicit. Hos verò decretorios dies atque circuitus ſeptenarios, & quaternarios rectè admodum Hipp.

F lib. Aphor. oſtendit, quum ait, Septenorum quartus eſt index alterius hebdomadis, octavus initium: eſt autem & undecimus contemplabilis: ipſe enim quartus eſt alterius hebdomadis: rurſus veró & decimus ſeptimus cõtemplabilis: ipſe ſiquidem quartus eſt a quartodecimo, ſeptimus verò ab undecimo. Hæc Hipp. Quibus Oribaſ. multa alia tanquam Hipp. germana adjũgit, ut ex comment. quos ſuper Aphor. ſcripſit, conjicere eſt. Sed revera illa Hipp. non ſunt, ſed ab aliquo illi loco adjecta: quũ om

G nino Hippo. & Galeni doctrinã non ſapiũt, ſed eam potius pervertunt ad judicationes præcipuè facientem. Nam eo loco hæc Oribaſ. interpoſuit verba. Inſpiciendus eſt, & quintusdecimus dies. Hinc enim tertiæ hebdomadis contemplatorius eſt: quæ procul dubio diſſona ſunt à Galeniana & Hippocratica ſententia, non minus quàm alia ſequentia. Cõſiderãdus & vigeſimusprimus: & inferius, necnon quadrageſimũprimum

H inſpicere oportet: ut teſtatur Gal. cõment. prædicti aphoriſ. Sic enim verba, quæ lõgè ab eis, quæ Oribaſius interpoſuit, ſcribit, inquiens. Nam ſecundæ hebdomadis initium diem octavum eſſe dixit; non tamen tertiæ quintumdecimum, quemadmodum nonnulli poſt ipſum exiſtimarunt: quoniã neq. vigeſimumprimũ pro termino ſtatuit, ſed principiũ quidem tertiæ hebdomadis quartumdecimum, finẽ autem & terminũ vigeſimum. Perpenditis igitur Hippoc. illa citata nõ eſſe verba, ſed potius Pelopis aut Lyci, vel Ruffi, aut alicujus qui Eraſiſtratum inſequitur, vel Ptolemæum aſtrologos,

gos, qui vigesimumprimum diem decretorium faciunt, non verò vigesimum, ac consequẽter decimumquintũ principium tertiæ septimanæ constituunt, non veró decimumquartũ, ut proprio loco uberius indicabimus, quos Oribas. secutus in hac parte est, veluti plures alii neoterici. Sed nõ deerit juuenis studiosus, qui fortè fortuna dicat mẽtem Hip. esse, quòd vigesimaprima dies decretoria sit, non verò vigesima, ut ex Hip. elicitur lib. 1. de Morbis vulgar. quum ait, in accessionibus sæpius fieri judicia, eo quòd in illis vehementer humores moveã tur, & veluti ebulliẽtes erumpãt, sanguinis profluvio, vel sudoribus, vel vomitu, vel dejectionibus, vel hemorroidibus, vel menstruo mulierib. tum propterea quòd id temporis ad excernẽda illa impellatur natura: simul quòd gravata & onere pressa ad excernẽdum irritetur: simul quòd illis magis fusis & excretio humorum noxiorũ promptior, & judicium fiat proclivius, subducendo. Circuitum verò qui indicãt imparibus diebus, primus, tertius, quintus, septimus, nonus, undecimus, septimus, decimus, primus vigesimus, & cætera, in quibus primũ vigesimum tanquam decretorium, citat, non, verò vigesimum, nec in eis qui paribus iudicant diebus. Cui respondemus primo quòd ea citata verba Hipp. non videntur, sed alicujus qui ea interposuit, quod ita esse judicatur: quia Galenus in enarratione dubitat circa verbum circuitus, & nonnulla alia: hoc tamen subticet, ac si in suo codice scriptum non esset: quod si esset, procuIdubio non subticeret. Secundo respondemus & melius, ac ad Gal. intentionem, quòd primus 20. dies, decretorius est, non adeò tamen efficax ut vigesimo diei comparari posit. Videntur autem crises 21. die, ut testatur Hipp. citato loco, & post eum Gal. lib. 3. de Diebus decretoriis antea quã sui mensis rationem reddat, dicens: Quorum accessiones imparibus eveniunt, horum & judicia ad 21. diem delabuntur: adeò tamen inefficaces, ut illarum considerationem non habere satius fuerit. Qua de causa 20. diem judicatorium cõstituere melius est, quia in eo judicationes validæ & potentes fiunt, ut experientia ipsa testatur.

Quo factum est, ut Hipp. vigesimum diem tanquam judicatorium sæpè describat, ut li. 4. Aphor. aph. vigesimosexto sic dicente: Sudores febricitanti si inceperint boni, & tertio die, & quinto, & septimo & nono, & undecimo, & quartodecimo, & septimodecimo, & vigesimo, & vigesimoseptimo, & trigesimoquarto: hi enim sudores judicant morbos. Qui veró non ita fiunt, laborem significant, & morbi longitudinem, & recidivam. Nó minus hoc satis probari potest, ex lib. 2. Prædictionum cap. 10. aphor. quinquagesimoseptimo, & Historia Chærionis cõm. 2. in tertium lib. de Morbis vulgaribus, & historia Abderæ Nicodemi cõmẽt. tertio in lib. 3. Veluti historia Hermocratis cõment. 1. in librum tertium, & historia Clazomenij cõment. 3. in librum primum, ut alios sexcentos locos prætercam, quos longũ esset enumerare. Sed cuinam potissimũ rationi Gale. innitatur, ut vigesimum diem magis judicatorium quàm vgesimũ primũ dicat, subscribere minimè gravabor, ut Galeni mentem tertio lib. de dieb. judicatoriis legentes exactè teneãt. Statuit igitur Gale. vigesimum diem ultimum tertiæ hebdomadis, & ipsum magis judicatorium, quàm vigesimumprimum facit ex lunari cursu, pro quo scire licet, Lunam in viginti septẽ diebus, & octo horis, suum cursum in zodiaco conficere, quod spatiũ, quatuor erunt septimanæ, quarum quælibet integros non habebit dies septem, immo uni cuiq. deerunt quatuor horæ, id est, sextans unus diei, quia vigintiseptẽ dies & octo horæ per quatuor divisi partes cõveniũt unicuiq. harũ quatuor partiũ, dies sex & horæ viginti, cujus integri numeri scilicet viginti septẽ dierũ & horarũ octo, si tres quartas partes cõtẽplemur, ac simul exaggeremus eas, inveniemus viginti dies, & horas duodecim cõplecti: quare vigesimũprimũ diẽ, tres istæ hebdomadæ quũ nõ attingãt, prætermittit, & vigesimũ pro ipsarũ termino cõstituit. Sed dubitabit aliquis, cur hi dies æquales nõ sunt, cui respõdet Hipp. id mirũ nõ esse lib. Præsagiorũ, si septimanæ integræ non sint, quia nec annus integer est, quippe qui ad trecentos sexagintaquinq. dies & quadrantem pervenit, nec mensis in

teger eſt, quia maior ſemper eſt vigintino-
vem diebus, minor verò triginta; ita ut vi-
gintinovem dies & duodecim horas com-
plectatur. In quo loco animadvertendum
eſt, per menſem Hippocr. & Galen. intelle-
xiſſe non quidem circuitum illum, quo Lu-
na zodiacum circuit, qui in vigintiſeptem
diebus & octo horis fit, quem circuitum,
menſem circuitus, vel revolutionis appella
mus: ſed potius ſpatium à coitu lunæ ad a-
lium coitum, qui in viginti & novem die-
bus. & horis duodecim perficitur. Nam
quùm Luna à coitu recedit, nunquam re-
dit in locum à quo deceſsit, niſi in viginti-
ſeptem diebus & octo horis. Verùm quia
in hoc temporis ſpatio Sol progreſſus eſt
vigintiſeptem ferè gradus, neceſſarium eſt,
ſi Luna coire debeat, illam adeò progredi,
ut hos gradus æquet, quod facit in duobus
diebus & quatuor horis, vel circiter, quos
dies & horas, ſi addiderimus vigintiſeptem
diebus & octo horis jam elapſis, reſulta-
bũt dies vigintinovem, & horæ duodecim,
& tunc Luna cum Sole coitum facit, & ſic
dicitur menſis de coitu ad coitum, ſive men
ſis coitionis, vel conjunctionis, qui, ut dixi,
continet dies vigintinovem & horas duo
decim: nam Luna ſingulis diebus trede-
cim gradus ferè peragit: dicimus autem
ferè, quia medicæ conſiderationis minutiſ-
ſima quæque reſpicere non eſt. At Gale. ut
menſem ſuperiorem dictum circuitus, qui
vigintiſeptem dies & horas octo complet,
ut ſuo propoſito non deſervientem, præter
mittit: quia ejus tres hebdomadæ cõſtituũt
viginti dies & duodecim horas, quæ duode
cim horæ, quũ indifferẽtes ſint ad vigeſimũ
diẽ, vel ad vigeſimumprimũ, ita quoq. men
ſem iſtum coitionis ut ſupercedentem ter
minum ab Hipp. immo Archigene conſi-
deratum derelinquit, quia tres hujus mẽſis
hebdomadæ vigintiduos dies, & horas tres
continent. Qua de cauſa ab iſto menſe tres
integros dies detrohendos jubet Gale. quia
in illis Luna ſilet, non lucet, nec aerẽ immu
tat, immo quaſi cõbuſta eſt, & nullos (qua-
ſi vel conſideratione indignos) mittit effe-
ctus, unde ſi ex vigintinovẽ diebus & ho-
ris duodecim, tres dẽpſerimus dies, rema-
nebũt dies 26. & horæ duodecim, qui dies

E & horæ ſi in quatuor partes dividãtur, quæ
libet pars ſex habebit dies & horas quinde-
cim. Quarũ tres partes, ſive tres hebd. non-
dum vigeſimũ diem attingũt: proinde iſtũ
quoque menſem ut ſuæ cõſiderationi non
deſervientẽ prætermittit, & medicinalem
quendam menſem ex iſto, & illo alio dicto
circuitus, 27. dies & horas 8. continẽte ex-
cogitavit: ſequẽti ordine, copulẽtur viginti
ſeptem dies & octo horæ, & vigintiſex dies
& duodecim horæ, qui dies cum horis di-
ctis copulati, reſultant dies quinquaginta
tres & horæ viginti, quos ſi partiamur, ha-
F bebimus commune quoddam mediũ, quod
eſt vigintiſex dies & horæ vigintiduæ,
quem numerum ſi per quatuor hebdoma-
das diviſerimus, unicuique reſpondebunt
ſex dies & horæ decem & ſeptem cum di-
midia hora: quòd ſi tres hebdomadas ſimul
junxerimus, in eis contineri viginti dies &
horas quatuor & mediam horam compe-
riemus, unde vigeſimus dies decretorius
dicendus eſt magis quàm vigeſimusprí-
mus, quia quatuor tantum horæ cum di-
midia vigeſimum diem excedunt, quæ ma
gis ad vigeſimum diem accedunt, quam
G vigeſimumprimum, & hac de cauſa quia
ex directo menſis hic cæteris menſibus ci-
tatis, magis vigeſimo diei reſpõdet, tanquã
verum & germanum recipit, & amplexa-
tur, quem medicinalem menſem appellat,
qui jure deſcriptus ſit vel non, aliorum ſit
judicium: nos autem in præſenti ſatisfeciſ-
ſe putamus, nec lectori ingratum, ſi Gal.
mentem, lib. 3. de Diebus decretoriis, pau-
cis iis patefactam dimiſerimus, cum quibus
firmiter aſſeveramus, non opus eſſe medi-
cum hac tempeſtate hanc Galenianã inſe-
qui methodũ inveniendi dies judicatorios,
H & eò magis, quia medicus artifex ſenſualis
eſt, res in latitudine conſiderans, nõ verò in
puncto. Novimus enim nos ex praxi fre-
quẽti, id quod Hipp. quoq. ſcriptũ reliquer-
rat, eos quibus criſis futura eſt, antea per
plures horas multa pati, ut anxietates, deli-
riũ, vigilias, capitis dolorem, colli & ſtoma
chi inquietudinẽ, auriũ ſonitũ, lachrymas
involuntarias, labiorũ agitationẽ, novũ ri-
gorem, & multa alia, quæ omnia ſigna cer-
ta ſunt futuræ criſis. Proinde mea ſenten-
tia

tia medicus quum morborum dies computare aggreditur, integros dies computabit, nullis fractionibus dierum amotis, quod Galen. quoque agendum præcipit primo & secundo libris de Diebus decretorijs, antea quàm mensem illum excogitatum tertio lib. de Diebus decretorijs in lucem mitteret, quem librum potius, ut amicis placeret, quàm ut rei medicæ adjumentum afferret aliquod, se scripsisse fatetur. Satis prioribus duobus libris contentus, in quibus diē contemplatur 24. horarum, ut Archigeni quoq; placet, Erasistrato & alijs sexcentis primæ classis medicis, quin & ipse Galen. sæpè, inquit, Diem quum dico, in ea significatione accipi volumus, ut non solùm lucem, sed etiam noctem complectatur, ut lib. 1. de Crisibus, cap. 17. & libro Artis curativæ ad Glauconē, & 2. de Crisibus, cap. 2. & libello de Septimestri partu, ubi ait, Diem in præsentia appello intervallum viginti quatuor horarum æquinoctialium. Sic enim & annum trecentis & sexaginta quinque diebus, & quarta insuper diei parte constare dicūt. Tempus verò menstruum, circiter viginti novem cum dimidio, & cætera, ut sexcentos alios prætercam locos, in quibus dies integros contemplatur, antequàm librum tertium de Diebus decretorijs describeret, in quo coactus est, ut vigessimo diei dignitatem tribueret, non verò vigesimoprimo diei diminutos & non integros numerare. Computabit igitur medicus morbum ab ea hora in qua æger læsionem operationum sensibiliter persentit, integros numerando dies, nullas ab eis fractiones, aut portiunculas demendo: quia, ut dixi, dies decretorij propter crisim in illis evenientibus contemplantur, quæ antea quam eveniat, plura ex se signa tribuit, per quæ medicus, in crisis futuræ cognitionem devenit, advertendo tamen quod morbi biliosi, & acuti plerunq; in imparibus terminantur diebus, quia crises paroxysmorum insequuntur circuitus, sanguinei verò in quarto die pari, veluti chronici morbi qui paribus diebus plerunq; terminum habent, ut sunt pituitosi & melancholici, nec hoc tantùm animadvertendum est, sed etiam ipsius morbi (ut nos docuit Galenus) mos

A si moderatus, & mitis vel pravus atq; malignus. Nam unusquisq; morbus certum sibi vendicat evacuationis modum, quo pro posito facilè dijudicamus quali evacuatione humores, die critico deponēdi sunt, vel ad quod judicium accedere debeant. Iecinoris autem gibbas partes malè affectas per urinam, veluti ipsius resimam per alvum expurgari norunt medici, nec minus per alvum expurgantur intestina, lien & ventriculus, quàm per lotium renes, veluti loca, quæ ad thoracem, & pulmonem spectant, per sputum: habent enim (ut summatim dicam) quæque membra annexas sibi vias, per quas nocuos rejiciunt humores. Quarū

B aliqua si claudatur, homo superstes esse non potest. At hæc breviter dixisse sufficiat: quibus finem imponere nefas non esset, nisi in mentem venisset, quòd qui hæc legerit (si modò quis legerit) nostrum judicium, aut sententiam fortè in diebus decretorijs desiderabit, optabitq. in præsenti dierum criticorum causas reddam, cui obtemperare decrevimus, malentes ingenij proprij jacturam facere, quàm suspensum relinquere. Omissis igitur à Conciliatore ac Pico Mirandulano dictis, ab alijsq. sexcentis laqueū mandantibus præcepto Galeniano, qui in horum judiciorum inquirendis causis medici ne distrahantur, hortatur, breviter pro

C ponemus, non dubitantes veritati ac naturæ dierum decretoriorum magis accedere, quàm quævis alia hucusq. excogitata sequi, cùm ex naturæ fundamentis deprompta sit, & naturæ ita alligetur, ut diebus decretorijs causam inesse dixerimus, quam numeris vel musicę inesse percipimus. Sicut enim nos latet cur in musica diapason, sive in numeris proportio duplia consona est, & unisona: septima verò dissona & discors, ita in acutis morbis, cur judicationes fiant septimo die, & quartodecimo, nos fu-

D git. Adversatur quippe septima primæ, ut paulò inferius, cùm consonantias, & dissonantias recensuerimus, indicabimus: unde septimam morbi origini omnino contrariam esse mirari non erit, & eò magis quia natura septima quiescere possit, ac onus & morbi gravitatem ex se propulsare ut quietem adipiscatur, conatur: quo factum est, ut

septimum

septimum omnes, tanquam regem, inter decretorios dies collocet, à quo cæteri dies nexum quendam indissolubilem trahunt, tam antepositi, quàm postpositi, quem nodum ac alligationem nexùmve noscens Cicero lib. de Somnio Scipionis, dixit: Septimus numerus omnium rerum nodus est. Nec immeritò, quia Pythagorici septenarium numerum humanæ vitæ vehiculum ac complementum appellãt: complectitur enim septenarius numerus corpus & animam: nam corpus ex quatuor constat elementis, & totidem qualitatibus afficitur: animæ verò ternarius tribuitur, propter triplicem vim ejus, scilicet rationalem, irascibilem, & concupiscibilem, adeò ut dicere possimus, septenarium numerum animam corpori conjungere, quem quoq; tanti fecit Moses, ut illum Deo ascripserit, in còque Deum requievisse ab opere suo, dixerit, ac postea filijs Israel tãquam celebratissimum haberent commendaverit, unde Poeta Maro cecinit,

Numero Deus impare gaudet. cujus dignitates Linus poeta antiquissimus, paucis ijs carminibus complexus est, inquiens,

Septima cùm venit lux, cuncta absolvere cœpit
Omni potens pater, atq. bonus est septima, & ipsa.
Est etiam rerum cunctarum septima origo.
Septima prima eadem, perfecta & septima septem.
Vnde etiam cælum stellis errantibus altum
Volvitur, & circlis totidem circum undiq. fertur.

Sed ne septenarij numeri encomium in præsenti describere videamur, receptui canentes, dicamus, quòd numeri consonãtes, sive unisoni, ac inter se in musica respondentes, sunt sequentes,

1,3,5,6,8,10,12,13,15,17,19,20.

Est igitur consonantia, ac proportio unisona, unius ad tres, ad quinque, ad sex, ad octo, decem, duodecim, tredecim, quindecim, decem & septem, decem & novem, & viginti, ut in figura apparet. Discors verò proportio, ac dissonantia inter istos quoque numeros habetur.

1, 2. 4, 7, 9, 11, 14, 16, 18.

Vnius ad duos, quatuor, septem, novem, undecim, quatuordecim, sexdecim, decem & octo. De quorum numerorum consonantia vel dissonantia, rationem investigare,

E stultum proculdubio est. Vt igitur perpenditis, numerus septimus à primo discors & dissonus est, & quartusdecimus à primo quoque: quia septem & septẽ sunt, adeò ut propter has dissidentias & discordias, inter morbum & naturam, magna oriatur pugna, & cõsequenter in ijs diebus potentissimæ crises fiant. His adde, ut in musicis instrumentis octava concors & unisona est suo principio, & decimaquinta eidem quoq; principio concors & unisona est, ut ex prima figura apparet, ita quoq. octavo die & decimoquinto judicationes ad salutem perfectam & exactam fiunt. F Nam septimo die, & quartodecimo, crises commotionis & evacuationis fiunt: octavo vero & quintodecimo, ipsarum crisium ad salutis complementum oritur, quod ex numerorum uniformitate ac consonantia evenire, quicunq. hæc intellexerit, vel invictè discet. Ita enim se habet septenarius numerus in numero dierũ criticorum sicut dies duello signatus, in quo inimici congredi debent: quia in eo discordia ex directo morbi initio respõdens comperitur: quia, ut dixi, inter septenarium numerum, & primum discordia est. At quia, ut fertur, triumphum nemo ante victoriam G canere potest, ita quoque natura ad pristinum statum, & sanitatis originem redire nõ poterit, nisi priò inimicum, hoc est morbum vicerit & subjecerit, quod septimo die plerunq. conficere scimus, octavo verò die uniformi ac primo unisono, ad sanitatẽ & quietem reddita est. Si tamen in alijs diebus crisim fieri contingat, id evenisse dicendum est, quia cæteri critici dies septimi naturam sapiũt, & cum eo nexu ac vinculum habent, ut enim dissonantia unius ad septimum est, ita quoq. ad nonum, undecimum, decimumquartum, quinimo & ad quartũ: H tertio verò die si crisis fieri contingat, contigisse credendum est, quia medij septenarij naturam sapiat, ut Galenus quoq. innuere videtur: unde Oribasius rectè, mea sententia, & ad Gal. mentem aphorismum illum interpretatur dicentem, Febricitantem nisi diebus imparib. febris reliquerit, solet recidivare, Intelligens quod febris nisi die critico desierit, recidivatio timenda est. Nec enim quartusdecimus dies, nec vigesimus

tanquam pares reputandi sunt, quia secunda hebdomada ab octavo incipit die, & sunt septem, & septem dies: qui utique sequestrati impares sunt: quod & vigesimo dicendum reor, quum tertia hebdomada à quartodecimo numerationem suã habeat, ut ex dicendis apparebit. Quæ ideo uberius describere licuit ut singulorum dierum criticorum lectores notitiam habeant exactã, nec de illis quicquam, quod desiderant, occultetur.

De primo & secundo die.

TEstatur Gal. lib. 1. de Diebus decretorijs, se ab adolescentulo dierum criticorum naturam obseruasse, ut ex sua ipsius experientia, de ipsorum dissentione, aut cõsonantia judicaret, in quorum observatione, nihil quod differret ab eis, quæ Hippoc. de illis memoriæ commendavit, invenit: quanquam prioribus Epid. libris, quibus multa huic negotio convenientia compeꝛiuntur, parvam, aut nullam Galen. ipse tribuat fidem: quum eos Hippo. vir nimirum verax, scripserit eo tempore quo nondum speculationes experimentis comprobaverat, qua de re generatim sentẽtiam de illis proferre non audebat. Vnde argumentum quod capite superiori tergiversatur in nos torquebat, facillimè diluimus, quum primum & vigesimum diem tanquam nobilẽ decretoriorum, non verò vigesimum, ex libris illis inculcabat, quorum dierum decretoriorum causam Gal. quum investigaret lib. 1. de Diebus decretorijs, naturam quandam propriam & eximiam esse conjicit, quam capite superiori nos invenuisse non dubitamus: quin potius scopum attigisse certi sumus. Quanquam non deerunt hodie, qui vulpina astutia armati ac muniti, nulla rerum experientia suffulti in nos debacchẽtur, quos in universum cum sua perfidia, & debacchatione, ac loquacitate missos facimus, ad rem de qua propositum est agere, accedentes: primò significantes, nos Galen. more morbo initium dare, ab ea hora, qua æger operationum læsionem sensu percipit. Primo igitur & secundo die, ut sæpe Gale. tradit, & Avicen. secunda Fen.

A libri quarti interpretatur, rarò judicationes fiunt optimæ, quinimo pessimæ & mortales, quia optimæ judicationes in morborum statibus continuò contingunt, utpote post concoctionis apparitionem materierum, quam in principio nunquam videre contigit, unde rectè admodum dixit Avicen. In principio nunquam contingit crisis, nisi perniciosa. Et subdit: & crisis quæ fit ante statum, & concoctionem, cum multa & superflua evacuatione, mala omnino est, quare non decipiaris per eam, quia illa evenit, propter multitudinem materierum expulsarum, absq; naturæ regimine, scitè enim Avicen. ex Galen. hæc interpretatus

B est, quum morborum principio, quæcunq. fiat evacuatio per naturam concoctionis artificem, regulata non sit, sed magis symptomatica, humorib. naturę inferentibus vim. Humores enim ob nimiam & excelsam ipsorum quantitatem, aut obnoxias & acutas pessimásq. qualitates, virtutem irritant expultricem: quæ irritata, humores pellit, extrudit, & abigit anteà quàm retentrix virtus retinere desinat: vel malè afficiunt virtutem retentricem, adeò ut quos retinere debuisset humores non retineat. Quò fit, ut expultrix virtus, quæ semper expellere nititur id quod retentrix retinere desinit, humorem via symptomatica deponat. Demũ

C evacuatio principio morborum facta pessima omnino est, quum vel mortis notam minatur, vel longam portendit ægritudinem. Cæterùm, ne Andabatarum more incedamus, scire licet, quòd morbi principiũ triplex dicitur. Vnum quod morbi cujusq. insultui tribuitur, latitudine carens & simplex dicitur. Secundum, quod ad tertium extenditur diem, quod tantùm Thessallus ille novit, ut Gal. retulit lib. 1. de Crisibus, cap. 19. Tertium verò morborum princi-pium dicitur: id quod nos unam morbi par

D tem nominamus, principium scilicet, & est illud universum tempus in quo materierũ concoctio nondum apparet, exemplum nobis est Anaxionis historia, cujus morbi principium ad undecimum usq. prorrogatum est. Si igitur primo die, vel secundo, evacuationem aliquam effatu dignam videre contingit, eam principio morbi tribuere non

est,

eſt, ſed potius ſtatui, aut inclinationis initio. Poſsibile enim eſt morbi principium adeò eſſe breve ut primo die, in ſtatu morbum ipſum eſſe judicemus. Sic enim doctiſsimus Gal. lib. 1. de Criſibus, nobis ſuffragatur, quum de ijs morborum temporibus loquatur, dicens. Extremè breve utrunque horum temporum ſæpius fieri contingit, adeò, ut in primo die morbus ad ſtatum perveniat. Hanc verò Galeni ſententiam quotidie veram vel invictè conſpicimus, quum nobis morborum peracutorum, vel exactè peracutorū ſæpe principia effugiunt & occultantur. Multoties autem primo die morbi concoctio adeò in lotio bona apparet, ut ipſum dixeris morbum ab ſtatu inchoaſſe, quod tamen impoſsibile eſſe noſti. Non enim contingit morbum ad augmentum, aut ad ſummum vigorem venire, niſi prius initium habeat. Habent igitur plerunque morbi tempora hæc adeò occulta, ut ea deprehendere impoſsibile ſit tamen. Sin initio morbi appareat, veluti nebula aut hypoſtaſis in lotio, ea naturæ operæ, & materierum benignitati magis quàm ſanitati præterita tribuenda eſt. An tamen in principio morbus rectè terminari poſsit? percunctabitur aliquis. Cui ne in longum remoremur, reſpondemus, quòd ſic: quum aliter in principio factæ evacuationes nullius eſſent profectus, quæ ſæpe morbos intercipiunt. Intelligenda igitur ea dignitas venit, morbi quatuor habent tempora, id eſt, morbi conſiſtentes ac firmati materiales, non intercepti, ordine ſecundum concoctionem quatuor habent tempora: cæterùm diaria febris primo die abſoluitur, quę materialis quum non ſit, in ea judicium ſpectari non debet, proinde per judicium terminari primo die, aut initio ſecundi diei non debet.

De tertio die Critico.

PRimus dies decretoriorū, ab ipſo morbi principio cōputando, tertius eſt, ut placet Hippo. lib. 3. Prædictionum, & illius enarratori Gale. qui in univerſum febres mitiſsimas, haud quaquam maleficas ſimpliciſsimas dictas, quibus ſecuritatis indi-

E cia extiterūt, intra primum quaternarium terminari dicūt. Pari modo maleficas quoque febres, quib. exitioſæ notæ inſunt, intra dictum terminum interimere, cujus cauſam Hippo. inveſtigans, ibid. inquit. Quia prædictarum febrium primus impetus, intra primum quaternarium abſolvitur: prædictas enim febres, quarto die aut citius terminari tradit, quod Galenus animadvertens inquit. Itàque conſtat, ut tertium diem adnumeret decretorijs, dum ait. Quarto die aut citius deſinunt. Itidē lib. de Vulgaribus morbis primo voluit, primū inter decretorios dies ſcribēs tertiū. Eſt igitur ter-
F tius dies decretorius ex coincidentibus, ut tradit Gale. lib. 3. de Diebus decretorijs, ſic dictus, quia quum quarto die judicatio futura eſt, & materia velociter movetur, judicatio anteponitur & eam tertius ſibi vendicat, non minus ac quintus. Nam quum natura quarto die defatigata eſt minimèq. irritata, ut judicationem in eo compleat, poſteà in quinto eam perficit & complet, ita ut ſicuti tertius propter velocitatem judicatorius efficitur, ita quintus ob tardum motum. Sunt igitur tertius & quintus dies decretorij, ut Gale. placet, quia quarto judica-
G torio, propinqui ſint, vel potius decretorij dicendi ſunt, quia judicationes plerunq; in ijs eveniant diebus, quibus acceſsiones contingunt, unde acutiſsimi morbi ſuas judicationes tertio die, & impari ſæpe habent, ut tertio lib. de Criſibus apud Galenum millies legitur. Cæterùm tertio die poſt partū, febre eveniente, numeratio habenda eſt ab ipſa febre, vel potius ab hora partus, ut alibi differemus.

De quarto die decretorio.

H QVartus dies omnium medicorum conſenſu, decretorius eſt, ut ex Hippocr. elicitur lib. 3. Prognoſticorum, textu ſecundo, & libris de morbis populariter vagantibus, ac ex Galeno ſexcentis in locis, præcipuè loco citato, & lib. 4. Aphoriſ. enarratione 36. ubi ait. Nunc verò à tertio incepit, qui anticipat quartum in brevioris temporis morbis, & poſt hunc quintum ſcripſit, uno die quarto tardiorem, ſic enim ferè in

in omnibus exemplaribus inveniet, quum quartus dies in aphorismo non sit scriptus, quamvis hic dies sit primus judicatorius. Veruntamen ipsum nunc prætermisit vel ipse Hip. vel qui primus librum scripsit. Si verò omnino Hippocrates illũ præterijt, hanc ob causam existimo illud fecisse, quoniam morbi plurimi peracuti, qui cum sudore judicantur, tertio & quinto die magis quàm quarto judicium suscipiunt: rariores enim sunt, qui die quarto judicãtur: & hoc à me primùm fuit inventum per experientiam, ob hoc ipsum quærẽte quoniam dies quartus fuerat ab Hippo. in Aphoris. prætermissus, hic autem videtur accidere, quoniam morbi peracuti primã statim accessionem vehementissimam habent, & reliquas illis proportionales per diem tertium. Dicimus autem quòd in vehementioribus accessionibus judicia fiunt, & quòd morbi qui in diebus imparibus accessionem habent, citius judicantur: qui verò paribus, tardant, atq; ideo si etiam in principio aliquis morbus incitatur, hoc magis accidit in diebus imparibus, si tardare debeat, ad dies pares vehementiores accessiones transferuntur. Hæc itaq. habeo quæ dicam de die quarto. Hactenus Galen. qui diem quartum primum decretoriorum describit, & ita illum decretorium facit, ut propter illum tertiũ, & quintũ decretorios appellet, ut libris de diebus decretorijs videre est: quia si tertio die, & quinto die, judicationes contingunt, non ob aliam causam contigisse Gal. tradit, nisi quia quarto diei propinqui sunt, vel ut nos putamus, quia septenarij naturã sapiant. Inquit enim Gal. quum crisis quarto die futura est, & humor sua acutie, aut multitudine, vel mala qualitate naturam concitat, crisis properatur: Si verò quarto die natura defatigata judicationem perficere non potuit, quinto sequenti crisis perficitur. Quibus adde, quia crisis in idem cũ accessione incidit tempus, ut Galenum sæpe adnotasse legimus. Est igitur, ut ad institutum redeamus, dies quartus decretorius, contra quod axioma insurget fortè aliquis dicturus, quartum diem non esse decretorium, quia Galen. lib. 3. de Crisibus testatur se die quarto semel tantùm crisim vidisse, Archigenem verò bis, quibus verbis Avicenna subscribit, Fen secunda libri quarti, dicens. Iudicationes rarò die quarto fieri, cui nos respõdemus dupliciter, primò quartum diem decretoriũ natura sua esse, quia tamen morbi exactè peracuti biliosi sunt, accessiones suas in diebus imparibus habẽtes, fit inde ut crises quoque suas in imparibus habeant. Contingũt enim crises in eisdem diebus, quibus accessiones fiunt, unde crisis tertio vel quinto die evenit, rarò verò quarto, quod Gale. quoque innuit, lib. 4. Aphoris. enarratione trigesima sexta, quũ dicit. Rariores enim sunt morbi peracuti, qui die quarto judicantur, & à me hoc inventum fuit, vehementer propter hoc ipsum dubitante: unde 3. li. de Crisibus, cap. 4. clarius dixit. Semel tantum in quarto crisim vidisse, quam quoq; Archigenes bis anteà viderat solùm. Secundo respondemus, quòd Gale. & Archigenes rarò viderunt morbos in quarto per crisim terminari biliosos: secus autem sanguineos. Nam biliosi, ut diximus, morbi tertio vel quinto die potius finiuntur, quia eisdem diebus accessiones suas habent, cum quibus crises sæpe simul incidunt, unde Gal. & ante eum Archige. hoc scientes, notarunt semel se vel bis tantùm vidisse morbos biliosos in quarto die terminari. Nam de sanguineis morbis, & synochis secus est, qui tantum absunt ut tertio vel quinto die terminẽtur, ut potius quarto semper crisim habeant, quod ita esse experientia indicat & Galen. fatetur lib. 3. de Crisibus, ut plerosq. alios sileam locos. Cæterum quartus dies, index septimi diei est. Si enim quarto die, concoctionis & cætero bonæ valetudinis signa apparuerint, septimo die morbum finiturum, judicandũ est. Si verò prædicto quarto die mala signa apparuerint, ægrum sexto die moriturum præsagire licebit. In bonis igitur & salutiferis morbis quartus dies septimi speculatorius est, in malis vero & lethalibus, sexti, ita ut septimi diei & sexti quartus dies index & specula dicendus sit.

De

De quinto die decretorio.

QVintus dies intercalaris est, veluti tertius & nonus, in quo judicia fiunt præcipuè quando quarto die natura lassa, nec quovis modo irritata est, velut tradit Gal. lib. 3. de Crisibus cap. 4. Si quidem celer sit motus, tertiò die crisis fiet: si verò quodam modo tardior, in quinto: si verò febris fuerit synochus, in quarto. Cæterum quintus dies indicativus septimi & noni est, ita ut & judicatorius & indicativus quintus dicatur dies, in quo Gal. anno quodam plures, à morbis sanos per sanguinis fluorem è naribus evasisse observavit, ut meminit lib. 2. de Diebus decretorijs cap. 7.

De sexto die.

TRibus modis judicatio fieri contingit: aut enim à natura vincente quæ omnino salutifera est, septimo aut decimoquarto, vel vigesimo die semper eveniens: aut ab humorum subtilitate acutieve naturam concitantium, quæ in intercalaribus plerunq; fit diebus. Tertio verò modo judicatio fit, quum morbus adeò vehemens est & perniciosus, ut virtutem omnino decumbere faciat, opprimat ac enecet: qua ratione sexto die, aut octavo, vel decimo, aut duodecimo, sextodecimove judicatio hæc eveni re contingit, prorsus tamen perniciosa & exitialis: adeo enim sextus dies malè judicat, ut ipsum merito Gal. Tyranno compa ret, quum vel pernicie illius, quem judicandum accepit, gaudet, vel salute dolet, quæritq. ubi animum expleat, & malè ægrum tractet, tum longa punitione exerceat. Tyranni etenim officium est, ut si non interficit, saltem bona surripit, percutit, & vulnerat: est itaq; sextus omnino septimo contrarius judicatorius, sed raro in eo crisis evenit, quæ non sit cum symptomatibus difficilibus, & periculo non mediocri, ad hæc absq; fide, imperfectè, obscurè sine notis, tum sinistrè, demum quicunq; ægrotantes in quarto ad peiorem statum recidunt, plerunq; sexto moriuntur, quia quartus, ut in bonis & salubribus index septimi est, ita in malis & lethiferis sexti specula est: & nisi

E enim judicatio sexto die cõficitur, octavo, vel decimo die complementum habebit: minus tamen malè octavus quàm sextus judicat: & multo minus decimus quàm octavus, & sextus. Cæterum Gordonius, vir quidem multorum sententia doctissimus, sextum diem magis judicatorium in morbis sanguineis, quàm septimum cõstituit, quia ita experientia se compertum habuisse affirmat: cui nec ratio deest, quia morbi in eisdem potissimum judicantur diebus, quibus accessiones contingunt: quia tamen morbi sanguinei paribus diebus terminantur, fit inde, ut quarto, & sexto magis quàm

F imparibus judicentur: perdurãt enim morbi sanguinei ad septimum usq; diem, ut testatur Galenus. Hanc tamen Gordonij sententiam, ut falsam multi euertere conãtur, imò ut ipsum Gordonium ab errore vindicent, ferunt ob textum quendam Avicennæ corruptum Fen secunda libri quarti, tractatu 2. cap. 9. in hanc rem impegisse: quem quoq. olim Nicolaus Florentinus depravatum esse suspicabatur, & hodie ita esse percipitur, ex Bellunensi correctione, præcipuè circa verbum, causonem & fixã. Sed ij re vera reprehẽsione digni sunt, qui

G quum Gordonium ab errore reducere conantur, in majorem incidunt, credentes utique Gordonium in hac errasse assertione, quum proculdubio, tantum abest ut erret, ut potius cum Gal. verum dicat, quòd morbi sanguinei optimas plerunq; & fidissimas, ac completas in sexto die habeant judicationes, quia sanguinei morbi per pares terminantur dies, ut testatur Gal. lib. 3. de Crisibus, cap. 4. dicens. Ex morbi autem motu te sperare oportet, quòd crisis vel tertio die fiet, vel quarto, vel quinto. Si quidẽ celer fit motus, tertio: si verò quodam mo-

H do tardior, in quinto: si verò febris fuerit synochus, in quarto: hactenus Gal. qui synochum in quarto, & paribus diebus terminari tradit. Videant igitur qui Galenum exactè intelligere gloriantur, quum potius nihil minus, quàm illius animum perpendant, quando ille febres sanguineas in diebus paribus terminari & judicia habere tradat: ij verò in imparibus ex illius mente potius contendant, parũ alioqui animad vertentes,

vertentes, quod Gal. quum sexto die dicat, A indicationes fieri imperfectas, periculosas, infidas, malas, & pessimas, de morbis intellexit biliosis. Secus autem de sanguineis, qui sexto die perfectè, & cum fide, & saluБriter, & sine periculo, & clarè, & notabiliter solvuntur.

De septimo die decretorio.

INter cæteros decretorios dies septimus palmam obtinet, quem tanti fecit Galenus, ut ipsum merito Regi adæquaverit benigno, facili, ac clementi, cùm ijs, quos iu- B dicat, vel supplicij partem adimit, vel illustrat victoriã. Vnde ipsum, omniũ dierũ decretoriorum primum, non inquã numero & ordine primũ, sed potentia, & dignitate fecit: tantum videlicet huius diei naturæ tribuens, quia, ut inquit, omnes summatim decretoriorum notas occupat: de quo nos quoq. superius abundè diximus, illi adeò dignitatem tribuẽtes, ut si in aliis diebus iudicia fieri contingant, ea non alia de causa, nisi quia cum septimo nexum & alligationem habeant, fieri dixerimus, qui à quarto semper indicatur, & dicitur quartus illius relatione minor decretorius, ut dixit Gal. lib. 2. de diebus decretoriis, c. 8. in quo septimo, & si plerunq; crises absolutè, fideliter, tuto, manifestè, conspicuè & salubriter fieri sciamus; in eo tamen multos mori novimus, præcipuè pestis tempore, in quo febris pestilens plerunque interficit; quia eo citius natura opprimitur, quo magis venenum evincere tentat. Sed cum septimi diei natura ob quietem obtinendã sit, morbum, & omne noxium propulsare, fit inde, ut insultus contra venenũ emittere conetur, invalidos tamen & inpotentes, adhæc imperfectos, & absuros: quia C venenũ raro natura evincere potest, imo illius irritamentum, ac decũbentis excitatio ferè eo die ægrum decumbere, ac omnino mori, est in causa.

De octavo die.

ET octavum diem Galenus decretoriũ appellat, debilem tamen, & infidum, cuius index quartus quoq. est. Nam si in quarto mala signa apparuerint, & morb. per dies pares, suas habuerit accessiones, nec multum velox fuerit, ita ut in sexto non terminetur, octavo die iudicabitur; non ita enim malè octavus iudicat ut sextus, imò decimus melius iudicat, quam octavus & sextus, quia saltem prorogatur ægritudo. Cæterùm Nicolaus Florentinus octavo diei magnam tribuit dignitatem, ob id tantum, quia ad quadraturam in eo Luna magis, quam septimo accedat.

De nono die decretorio.

COincidunt diebus decretoriis aliqui dies coincidentes, sive intercalares dicti, nonus, quintus, & tertius, quorum nonus, Galeno authore, primas obtinet, quia plurimos quidem & fideliter indicat: secũdam vim quintus obtinet, & post hunc tertius. Est enim nonus hic dies inter duos decretorios septimum & undecimum medius, qui vel nondum factum in septimo die iudicium, vel undecimo futurum sibi ipsi vendicat, rarius quidem septimi, sæpe D undecimi crisim assumit: quo fit ut in eo judicationes plerunque, non nisi validæ & perfectæ contingant. Cæterum, quia nonus hic dies, inter duos decretorios, septimum scilicet & undecimum medius est, prærogativam habet, ne in illam veniat Avicennæ regulam, secũda quarti, capite de Diebus bonis & malis dicentem, quanto magis dies à morbi principio discedũt, tanto magis debiles fiunt, ut inter radicales & præcipuos, septimus quartodecimo fortior est, & quartusdecimus vigesimo, & inter judicantes quartus dies undecimo fortior quoq; est, & undecimus septimodecimo. Non tamen in intercalaribus tertius fortior quinto est, nec quintus fortior nono, sed nonus cæteris fortior & præstantior habetur, quia inter utrosq. decretorios, medius, ut diximus, est: proinde ab illa Auicennæ regula intercalares dies eliminari ut videtis, debent.

De decimo die.

DEcimus dies octavi & sexti naturã sapit, ut testatur Galen. lib. I. huic mate-

riæ dicato: minus tamen malè quàm octavus, & multo minus malè, quàm sextus, decimus iudicat dies: ob enim materierũ tarditatem, morbus, qui sexto die terminari debuerat, in octavum prorogatur, quòd si adhuc tardior fuerit, vsque ad decimum pervenit, in quo iudicatio imperfecta, obscura, & omnino insalubris fit.

De undecimo die.

VT quartus dies septimi indicatorius est, ita quoq; undecimus quarti decimi indicatorius est: quam eandem proportionem quartus ad septimum habet, qualem undecim⁹ ad decimũquartũ: ut quoq. quartus minor iudicatorius dicitur, ita quoq. undecimus perfectus indicativus & minor iudicatorius appellandus est. Cæterũ, tametsi quartus dies cũ undecimo cõvenientiã habeat, multum tñ undecimus ab ea differt indicatione, quã quartus possidet. Proditum est enim ab Hippocrate, quod ita esse quotidie experimur, signa cõcoctionis, quæ quarto die apparent, septimo crisim profuturã indicãt: non sic tñ iudicandum est, si signa & cõcoctionis notæ undecimo apparere cœperint, quòd quartodecimo die terminabitur morbus: quãquã enim quartus index septimi est, veluti undecim⁹ quartidecimi: nõ adeò tñ exactè undecimus supra decimũquartũ iudicat, veluti quartus supra septimũ. Quòd si undecimo die cõcoctionis bona apparere cœperint signa, nullis antea apparẽtib. morbus proculdubio non quartodecimo terminabitur die, sed potius septimodecimo aut vigesimo, aut aliquo longinquiori ex decretorijs, nec minus septimodecimo, diei vigesimi indicatorio evenire credendum est: quia si septimodecimo die indicia cõcoctionis apparere cœperint, morbus vigesimo nõ terminabitur, sed vigesimoseptimo potius terminũ habebit, aut alio ex sequẽtibus dieb. decretoriis. Cujus discriminis causa duplex est. Altera quòd cùm quartus dies ipse medium inter primum & septimũ teneat, credere est quod in eodem dierum spatio natura victoriam complere possit, quo eam initiare valuit, ac illi principium dare cœpit. Secunda priorem elucidans, quia quarto die virtus adeò valida & potens est, ut in hoc quarto die apparente victoria, & humorũ cõcoctione, intra illud exiguum tempus perfectè, & adamussim ac axactissimè virtus morbum evincere poterit, & victoriã complere, quod opus si undecimo die, aut septimodecimo cõcoctio ac adversũ morbum victoria apparere cœperint, natura ipsa, quia debilior facta, nec ita potẽs, quartodecimo die, non poterit complere, nec vigesimo. Non enim undimo die victoria incipiente, & humorum concoctione, morb. quartodecimo die iudicabitur, quia longè maiori tempore natura ut victoriã adipiscatur indiget, sed eam potius septimodecimo aut vigesimo die cõplebit: quę omuia similiter septimodecimo die eveni re sciri cupimus, cùm si in eo concoctionis notæ apparere cœperint, non illico vigesimo die, cuius ille index est, morbus iudicationem habebit, sed potius quarto vigesimo, aut vigesimoseptimo: quia imbecillis & defatigata virtus, in eo tempore victoriã cõsequi potest, non verò in illo exiguo, inter septimũdecimũ & vigesimũ intercepto. Cœterũ, ut noscant medici quo die morb. terminabitur erroribus nõ admissis, differantq; naturæ ministri re vera medici, ab ijs, qui nomine medici tantum sunt, rerum experientia nulla fulti: & qui tantum à iusta naturæ ministri appellatione absunt, ut etiam maximè contrarium nomen ipsis conveniat hostibus videlicet, & naturæ ipsius tum ægrotantium hostibus iure appellatis: scire licet, quod si concoctionis, aut victoriæ notę vndecimo die apparuerint, hoc est, improvisæ videantur, iudicium quartodecimo die non fiet, sed potius septimodecimo, aut vigesimo: ita si eædem notæ septimodecimo die apparuerint, non vigesimo die morbus iudicabitur: sed potius quartovigesimo, aut vigesimoseptimo. Si tamen ante undecimum diem notæ victoriæ & concoctionis alicujus præerant, & undecimo intensionesmostrantur, ac magis apparentes, tunc scire licet quod morbus quartodecimo dieiudicabitur, modo medicus, ut dixi, in nullo peccet, nec æger, aut ministrorum

rum quisquam errorem committat, quæ A omnia septimodecimo diei quoq. evenire, scias velim: quia si victoriæ, & concoctionis signa antea apparebãt, & in eo intensiora, & magis clara propalantur, vigesimo die indicatio fiet: in vulneribus capitis porrò undecimus dies, quartumdecimum maximè indicat, ut experientia cõprobatum habeo. Cæterùm tradit Galen. lib. 2. de Diebus decretoriis, quòd si materia usq. ad septimum diem sit cruda, quòd morbus ante vigesimũ judicari non potest: item si materia usq. ad decimũquartum cruda appareat, ante quadragesimũ morbus non judicabitur: quòd si ad vigesimum usque materia cruditatem servet, tunc morbus ad sexagesimum protogabitur, nec antè judiciũ habebit. In reliquis verò ordo non servatur, quia in illis judicium exquisitum non sit.

De duodecimo die.

DVodecimus dies nullum habet officium, præter quàm numerum diebus addere. Vnde Galenus lib. 1. de Diebus decretoriis, inquit, Rari quidem sunt morbi, qui in duodecimo terminãtur die, adeò ut nobis visi sint adhuc nulli, & si cui aliquando ante nos in duodecimo die crisis evenisse visa est, vel imperfecta, vel infida, vel periculosa, vel obscura, vel sine signis, vel omnino ad malum accidere visa est.

De tertiodecimo die.

DIerum decretoriorum duos ordines describit Gal. alterum primæ notę, alterum verò secundæ: primæ notæ decretorii dies sunt, tertius, quartus, quintus, sextus, septimus, nonus, undecimus, decimusquartus, decimusseptimus, decimus octavus, & vigesimus. Secũdæ notæ dies sunt, octavus, decimus, duodecimus, decimus sextus, decimus nonus. Primæ notæ dies decretorios, bene solventes morbos appellamus. Secundæ verò notæ dies nõ bene, nec subitò morbos solventes. Inter istos igitur bene solventes, & nõ bene solventes dies, tertiusdecimus dies medium tenet, quia nõ tam bene solvit, ut dies primæ notæ, nec tam malè, ut dies secundæ notæ: ut Gale. lib. 1. de Diebus decretoriis, de eo ita tradit. Medi⁹ inter hos ordines, dierum subitò non solventium, octavi, dico, decimi, duodecimi, decimisexti, deciminoni, quos jã retulimus, & tertii, quarti, quinti, sexti, septimi, noni, undecimi, decimiquarti, decimiseptimi, decimi octavi, vigesimi, decimus tertius maximè videtur mihi esse positus, nec scilicet ita rejiciendus, sicuti hi qui secundæ sunt sortis: nec ita solvere morbos natus, sicut ii, qui primæ sunt notæ, hactenus Galenus. B Est igitur tertiusdecimus dies decretori⁹, præsertim in morbis, qui impares accessiones habẽt, quia fortissimus eorum est, qui non decernunt: imbecillissimus verò eorũ, qui decernunt, ut libro secundo citati voluminis apud Gal. quoque legitur.

De quartodecimo die.

SEptimi naturam decimus quartus maximè imitatur dies, ut testatur Gale. lib. 1. de Diebus decretoriis: unde post septimum diem decretorium decimus quartus palmam obtinet: tametsi non desint aliqui, qui decimoquarto maiorem in C judicando tribuant dignitatem quàm septimo, argumentum à Lunæ oppositione sumentes, in quo aspectu maior oritur inimicitia, quàm quovis alio tempore: quibus verbis, verba plura alia coacervant & accumulant, à quibus non facilè studiosus juvenis se extricare poterit, imò ita labyrinthum inextricabilem texunt, ut si quis improperet (ut Plinianis verbis utar) sine glomere fili exitum invenire nequeat. Proinde iis omissis, dicamus, quod quartusdecimus dies acutorum morborum terminus est, quos potentissimè decernit, ac judicat, & in quo morbi illi, qui D olim septimo die judicium habebant, nũc terminũ habent, ex eo quia ob hominum ingluviẽ, & intemperantiam, graviores & magis lẽti humores sũt redditi: unde morbi acuti longinquiores quoque sunt facti, & in lõgius tempus eorum judicia protrahũtur, quã quatuordecim dierũ spatium, in quibus olim solvi dixit Hippo. Cæterũ

per hæc à nobis dicta, facillimè quæstio di lui posset illa, quam Galenus lib. 2. de Diebus decretoriis proponit, dicens. Incidunt autem non nullæ quæstiones Logicæ, quæ disputationē requirunt, sicut & hæc: Morborum qui apud omnes acuti habentur, non nulli decimumquartum diē excedere videntur: quum tñ Hippocrates ipsis terminum hunc diem, in Aphorismis cōstituit, tamen quia Galenus ibidem alias nititur dare rationes, nos paululum morabimur, eas quales quales sint, citando: promptum quidem erat dicere (inquit Gal.) proposi tæ quæstioni satisfaciendo, acutorum mor borum terminum sæpius accidere consue visse in quartodecimo die: rarò verò post quartumdecimum. Vnde Hippocrates so lum id quod crebrò oculis usurpavit, nusquam id quod rarò evenit pronunciat. Sed aliam profundiorem sententiam ibidem Gal. tradit, quæ magis Hippocratis sententiæ accedere videtur: scilicet acuti morbi quartodecimo terminantur die, illi præsertim qui vehementia & acutorum impetu incipiunt. Secus autem illi alteri, qui planè inceperunt, tanquam submersi ac ex profundo venientes, lento motu, gravi & obscuro, qui etsi post primum quaternionē exactè acutorum motum receperunt, decimumquartum diem tamen excesserunt, quanquam ipsum non excedere dixisse melius esset: quum si ab hora, qua acutorum motum habere cœpit, morbus computetur, ipsum intra quartumdecimū terminari inveniemus: novit hæc Diocles (inquit Gal.) phreneticos non à primo die statim fieri, sed procedēte morbi tempore: ergo si quis phrenitide captus, vigesimo die liberatus sit, credere est, hunc intra quartumdecimum suum diem, crisim sustinuisse, quia supputatio non aliunde, quàm ab hora phrenitidis inceptionis fieri debet. Cæterùm, quartusdecimus dies finis secundæ hebdomadæ est, initiū verò tertiæ, in quo capitis vulneribus affecti maximè judicātur, ut longa experientia comprobatū habeo.

De quintodecimo die.

DEcimusquintus dies, ut Diocli placet & Archigeni, tertię hebdomadæ E principium est, & vigesimusprimus ejusdem finis. Gal. tamen quintumdecimum diem parvi facit, habet tamen decimitertii diei nonnihil naturæ, in quo ob materiæ tarditatem, morbus qui tertiodecimo terminari debuerat, decernitur.

De sextodecimo die.

SExtusdecimus dies, nullius est considerationis, quia in eo morbi nunquā visi sunt judicari.

De septimodecimo die.

F SEptimusdecimus dies, medius est inter decimumquartum, & vigesimum diē: propterea, sicut quartus dies septimum indicat, & vndecimus quartūdecimum, ita septimusdecimus, vigesimum: validius tamen in hoc septimodecimo die decernūtur morbi, quàm quarto die, aut undecimo, quia qui quartodecimo judicari cœperunt, septimodecimo perfectè decernūtur: ideo Gal. lib. 2. de Diebus decretoriis, inquit, Septimusdecimus dies, inter coincidentes non est numerandus, sed inter validos & primæ notæ.

De octavodecimo die.

G DEcimusoctavus dies (ut Diocli & Archigeni placet) vigesimiprimi index est, quia vigesimumprimum diem, tertiæ hebdomadæ ultimum constituunt terminum: adeò ut decimumoctavum ad vigesimumprimum diem constituant, tāquam quartum ad septimum, vel undecimum ad quartumdecimum, Galenus tamen rarò id evenire fatetur.

De nonodecimo die.

H NOnusdecimus dies nunquam decernit, ut Galen. testatur, quem cum duodecimo & sextodecimo adnumerat, qui nunquam visi sunt decernere: si tamen decernunt, id efficiunt imperfectè, infidè, non tuto, & sine notis.

De

De vigesimo die.

INTER magni nominis decretorios dies, vigesimus tertias possidet, non verò primus & vigesimus, ut Galeno placet, lib. 3. de Diebus decretoriis, qui vigesimus decimum septimum, ut diximus, pro indicativo habet. Decretorius igitur vigesimus is dies est, in quo plures decernũtur morbi, ut abũde ex jã dictis cõstat. Post vigesim, & vigesimũ primum diẽ, de cerũt sequentes ij dies, vigesimusquartus, vigesimusseptimus, trigesim⁹ primus, trigesimusquartus, trigesimus septimus, quadragesimus: post quadragesimum verò diem (ut testatur Gale.) omnes sequentes languent, coctione potius & abscessibus, quàm judicationibus morbos finientes: sexagesimi tamen, & octuagesimi, & centesimi, & centesimi vigesimi Hippoc. meminit, post quos, ad mensium hebdomadas descendere est, quia centesimus vigesimus dies, quatuor complet menses. Est

A igitur quartus mensis septimi index, & cætera: deinde ad annos deveniendum eo ordine quoque erit, ut hodie in generosa, & magnifica Catherina Gondulana observamus; ad quadragesimum tamen vsque

B diem morbi prorogati, sua habent nomina, quia alius exactè peracutus est, intra quartum diem terminum habens: alius peracutus dictus, intra septimum, alius acutus simpliciter, intra decimumquartum, alius nõ exactè acutes, intra vigesimum, alius ex decidentia acutus, vel acutus con-

C versivus dictus, intra quadraginta dies judicium suum habens. Cæteri vero morbi chronici, id est, longi & diuturni dicũtur, qui (ut dixi) potius concoctione & abscessibus finiuntur, quàm iudicationibus. Cæterùm, hæc hucusque dicta, ut curationibus deservientia, à nobis sunt

D prælibata; proinde tempus est ad curationes calamum adhibeamus.

(§.)

AMATI MEDICI LVSITANI

CENTVRIA PRIMA

Curationum medicinalium suarum.

Curatio prima, habita apud Lusitanos, in qua agitur de viperæ morsus curatione.

PVELLA rustica nata annos tredecim, quum vnà cũ matre in agrũ descalciata absq. calopodiis exiret, & messoribus, vigente æstate, cibum deferret, incauta in medio itineris à vipera in pede dextro morsa fuit. Mater verò puellam sic punctam & afflictam animadvertens, in oppidum quam citissimè fieri potuit, retrahere se accelerat: utcumque tamen properans, medicamentum pro salute filiæ machinatur, & ecce thymelæam fruticem offendit, ad quam confugit, & ex ea corrigias parat, quibus crus affectum parte alta prope genu ad poplitem ligavit, optimo sanè consilio, ne vis veneni altam corporis subiret partem. Interpositis itaque tribus horis à punctura, puellam sic affectam ad me deferunt: erat enim tum temporis jam tibia multis & variis maculis lividis & rubris variegata, adeò ut femur quoq. ascenderent, bilem, ut mater retulit, evomuerat, sed tunc, præsens in quosdam totius corporis tremores, cum vertigine, & animi defectu incidit: quapropter cunctantiùs morsum locum animadvertens, in pedis parte alta, tarso sivè pedis raseta dicta, duo nigerrima siggna deprehendo: ex quibus judico, morsum illum à masculo vipera illatum esse, quum duos tantùm caninos vipera mascula habeat dẽtes, fœmina verò quatuor: nec tantum periculi adfert masculi morsus, quantum fœminæ, præsertim si post

E cibum morsus fuerit homo, veluti huic contigit puellæ. Nullo igitur interposito medio, per chirurgum præsentem locum punctum, vulnusculis profundiorib. per ambitum scarificare jubeo, & cucurbitulas multa ignitas flamma admovere: quibus sanguis ater & virulentus latitãs, abunde fuit extractus: sed & universam tibiam levioribus vulnusculis scarificari quoq. iussi, sanguinèmque tandiu ex illis fluere, quoad sua sponte cohibitus fuit. Tunc verò ex alliis, & acribus cepis, opti-
F mè pistis, theriaca adjecta, confectum emplastrum loco demorso admovere curavi, in potuque illi theriaces drachmas tres meracioris vini unciis quinq. dissolutas propinavimus: post hæc verò quatuor interpositis horis, panatellam alliis concinnatam, in victu obtulimus, à somnòq. abstineret quantum possibile esset, monuimus. Sequenti verò die puellam quoque tremoribus corripi deprehendi, minorib. tamen (cœperant enim jam fumi veneno si cor petentes minui, ad infimasq. partes
G retrahi) tunc jejuno stomacho, succi foliorum fraxini uncias quatuor in potu dedimus. Est enim medicamẽtum hoc omnia antidota in hoc casu excedens, ut latius commentariis nostris ad Dioscoridem in lucem æditis diximus. Emplastrum porrò dictum è novo paratum, iterum loco per tres sequentes admotum fuit dies, in quibus quoque, & aliis sequentibus, præ-
H dictum fraxini succum ebibit: jam enim puella melius habebat, & à tremoribus & animi anxietate, ferè levata erat, sed ex vulneribus profundioribus loco demorso adhi-

adhibitis oleosa quædam sanies fluebat, imò vulnera ipsa denigrata quodammodo apparebant. Elapsis igitur quatuor primis diebus, plagæ caprarum fimus cum baccarum lauri ac euphorbij pulvere vino mixtus ac calidus in splenio sive plagula apponebatur, cum quo sanies illa, jam æruginosa facta optimè exibat, & eò per quatuor alios sequentes dies usa fuit, posteà hoc unguentum parare feci, quod habet. R. Pulveris aristolochiæ longæ unc. ij. brioniæ, hastulæ regiæ, id est, asphodeli añ. unc. j. galbani, myrrhę, añ. unc. sem. olei laurini cum cera. q. suff. fiat unguentum, & in splenio, hoc est, pániculo lineo, forcipibus multũ inciso, loco morso bis in die applicetur: quo remedio per mensem ferè integrũ usa fuit, quũ vulnera ita lõgo tẽpore aperta sint op⁹ esset, tãdẽ unguẽto basilicone ad cicatricem vulnera redacta sunt, & ipsa puella integræ sanitati restituta. Cæterum Norcheriæ octo milliaribus à Fulgineo ciuitate, Gentilis illius magni Avicennæ interpretis patria, saluberrimus fons est, aqua frigidissima plenus, in qua si à vipera aut serpentibus demorsi demergantur, ac per horam ibi mãserint, sani & liberi euadunt, quod evenire forsan contingit, quia gelidæ frigiditas, veneni viperini caliditatem infringit, ac obtundit, & hebetat.

SCHOLIA.

Vipera, Græcis echidna, vel echis dicitur, Italis verò marasus, animal in totum perniciosissimum ac venenosum, Europæis ferè omnibus natum, longitudine cubitali ad summum, capite presso, stricto, crassitudine baculi, in cujus dorso catena multis variegata coloribus conspicitur. Oculi verò illi truces, subrubri. Nam dentes viperæ masculæ duo canini sunt, fœminæ verò quatuor. Est certè animal hoc parvum, sed ferum & truculentum, quod quum ab homine percutitur illum invadit, ut mihi puero eas venanti pro pastillorum præparatione in Lusitania, ubi maxima illarum copia reperitur, contigit. Cæterum dicitur vipera quód vivum animal pariat, non verò quòd vi pariat, aut quòd in ejus partu illius disrumpantur viscera, laceràve aut rosa evadant, ut multi hucusque autumarunt: expertus enim sum viperam parere, & integram absque discrimine, & noxa permansisse, prægnantem autem vi-

A *peram in pixide vivam habuimus, ubi fœtus suos peperit & illæsa permansit. Proinde Plin. in hac re minus bene Aristo. percipit, quũ Aristo. 6. cap. lib. 1. de histo anim. inquit Viperam ex ouo intra corpus catulum gignere, qui catulus quibusdam obuolvitur ligatùrve membranulis, quas membranulas catulus, postquàm in lucem prodivit, disrumpit, sed cum hoc quoq; contingit, quòd catulus, sic membranis obvolutus, in utero materno adhuc existens, ut foras exeat, eas disrumpat. Non enim dixit Arist. quòd catuli viscera materna partus tempore rumpunt, sed membranulas quibus obvolvuntur. Sed Plin. Aristotelem malè intelligens, pro membranis viscera materna vertit. At hæc pronunc sufficiant, quum commenta-*
B *rijs nostris super Dioscoridem æditis ea abunde exposuimus. Cæterum Archigenes, Gal. Paulus, Aetius ac Dioscorides in curatione morsus viperæ jubẽt ęgrotãtem multo uti meraco vino, & allijs, adeò ut affirment, si morsu viperæ affectus, multum ebiberit vinum, & multa comederit allia, nullo altero indigebit remediorum genere: tantum fidei huic præstantissimo tribuunt remedio. Sic enim Paulus, ut aliorum verba taceam, libro quinto suæ medicinæ, cap. decimotertio, in quo de viperæ morsu agit inquit. In curatione autem præstantissimum remedium est allij esus, & vini meraci potio, adeò ut si aliquis uti sustineat, nullum præterea remedium desideret. hæc Paulus: quem Avicenna ut plerunque imitatur, ita quoque il-*
C *lius subscribit verbis in hac eadem curatione, cujus interpres ineptissimè loco alliorum, somnum, non sine vitæ hominum periculo interpretatus est. Sed ille (ut rem declaremus) nominum vicinitate deceptus fuit, quum Arabibus TAVM1 allia significet: NAVM verò somnum: vice igitur taumi, sive tumi, id est alliorum, naum id est somnum vertit. Proinde qui Avicennam virum mea sententia doctissimum, & cui post Galenum secundas dare debeamus, legerint, illius verba perpendant, ac magna animi advertentia examinẽt, opus habent, quum multis & varijs illius canon scateat erroribus. Qui mea sententia non Avicennæ, sed interpreti potius tribuendi sunt. Faxit Deus, ut nobis aliquem Arabicè & Latinè loquẽtem mittat medicum, qui Avicennam Latiniorem ac incorruptiorem faciat, confecerat enim opus*
D *hoc Iacobus Mantinus, Hebræus, vir multarum linguarum peritissimus, ac medicus doctissimus, qui jam nonnullas partes Avicennæ doctissimè interpretatus fuerat: veluti primam Fen primi libri, & quartam primi, & primam Fen quarti, ac nõnulla alia, nisi malus quidam genius eum à tam fœlici successu retraxisset, convocaverã enim ego hominem, quum Venetijs agerem, ad hoc complendum opus, & quasi jam in hanc meam hæresim hominem traxeram, nisi patritius quidam Venetus*

netu: Damascum Syriæ civitatem petens, ut ibi publicus Venetorum esset negotiator, secum duxisset, à quo itinere nobilis Didacus Mendocius, Caroli Quinti Imperatoris apud Venetos vigilantissimus Orator, illum nunquam retrahere potuit: ubi intra paucos dies vitam cum morte commutavit. Dabit tamen Deus aliquem, qui nobis integrum Avicennam restituat, Latiniorem faciat, ac politum emittat. At, ut verum fateamur, hoc hodie Germanis, utpote viris doctissimis, & linguarum peritissimis debetur. Si cui tamen Italorum opus hoc committi deberet, id meritò committi posset hodie Bartholomæo Eustachio illustrissimi Vrbinatis Ducis medico ingeniosissimo ac doctissimo, & multarum linguarum peritissimo.

Curatio secunda apud Belgas habita, in qua agitur de cholici doloris curatione.

VXor Gasparis Centurionis Genuensis Belga, ætate florente, temperatura sanguinea, obęsa carnosaque, in delitijs agens, optimo semper assueta victui, & multo vini potu, in cholicos dolores incidit: febricitabat, multùm sitiebat, parum egerebat, non dormiebat, dolor erat intẽsissimus à jecoris regione incipiens. Pro cujus recuperãda sanitate accersiti sunt duo celebres medici; unus Dionysius, olim regis Lusitaniæ medicus, qui non multùm antea Antuerpiam, celeberrimum totius Europæ emporium, ubi hæc contigere, pervenerat: is est ille contra quẽ Brisotus Gallus, vir longiori vita dignus, doctissimam Apologiã de pleuritide evulgavit. Alter magni juxtà nominis Lusitanus, apud ipsos Antuerpienses diu agens. Ij igitur hujus mulieris curam suscipientes (omnia contra morbum cholicum à frigiditate evenięte parant) hujuscemodi adhibuerunt. Enemata ex oleo rutaceo, laurino, anethino, chamęmelino, liliaceo, irino nõ minus decocta parata ex ruta, anetho, chamæmelo, meliloto, semine carthami, & urticæ, adjectis varijs alijs rebus ad effectum cholicum, ex frigido humore ortum faciẽtibus. Inunctiones quoq. calidæ omnino erant, veluti omnia, quæ in cibo & potu sumebat, quibus peius ad tertium usq; diẽ E semper habuit. Demum vocatus ipse, quũ ad eam devenissem, interrogare cœpi ab assistẽtibus medicis. Quemnam morbum patiebatur, & ex qua causa, & quot jam diebus, & an venter secedebat, & quo victu eam tractabant, simul & quibus medicamentis curabant. Respõdent, morbum esse cholicum, à pituita factum, contra quem medicamentis calidis utebantur, parum tamen proficientibus, ob morbi malignitatem: sic enim illi loquebantur. Ego verò noscens morbum calidum, ortum à bile intestina rodente, curationem longè contrariam auspicor. Testabantur autem morbũ à bile evenire, signa hęc: primùm, F quod dolor acutissimus erat: secundum, quòd mulier hæc sanguinea erat multo utens vino, item quòd intensè febriebat, & multum sitiebat, & quæ emittebat excrementa, bilem sapiebant: quibus addere est, quòd medicamentis calidis semper pejus habuit, immo vinum generosum Hispanum, stante dolore, ebiberat, post cujus potum dolor increbuit, & symptomata omnia aucta fuere. Quibus omnibus animadversis, jubeo illico cubiti internam, quam jecorariam dicimus, venam secare, sanguinemq. extrahere ad uncias octo. At interim, dum sanguis fluebat, dolor omnino remittebatur, sed post fluxum & G occlusam venam, dolere, ut prius, cœpit. Post hanc verò sanguinis extractionem jecori & parti dolenti admovendum curavi linteolum rubrum tepidum, succis sequentibus intinctum, qui habent, R. Succi endiviæ, cichorij, an. libram mediam, lactucæ, aceti rosati unc. ij. Misce, hoc autem epithemate, sæpe renovato, dolor remitti cœpit. Vesperi tandem, clysterem istum immitti jubeo, qui habet. R. hordei, malvarum, an. unc. j. matrum violarum, parietariæ. In libris duabus aquæ fiat decoctio sufficiens: facta decoctione & colatura accipe decocti tepẽtis uncias H quatuordecim, olei rosacei & violacei ãn. unciã unã & mediã, vitellos ovi optimè quassatos numero duos, diapsilij drachmas sex, salis drachmam mediam, sacchari ex insula sancti Thomæ, quod rubrum officinæ appellant, unc. unam: misce. Hoc autem multum bilis excrevit, non eo tamen,

men, ut dolor penitus levatus fuerit. Sed A ecce, in nocte dolor intendi cœpit, qua de causa venam interiorem, malleolum perreptantem, saphenam dictam, aperire jubeo, sanguinisq; totidē uncias fluere, quot manè. Hæc enim sanguinis extractio multùm conduxit, quum dolor omni ex parte ferè levatus fuerit, sed interposito posteà, à sanguinis extractione exiguo tēpore iterum de dolore queritur, & magna præmitur siti: proinde rogat me frigidam aquam illi bibendam tradam. Ego vero noscens gelidam juvamentū afferre posse concedo lubenter. Deus bone, vix exhausto poculo, dolor subitò levatus fuit, B ut opus incantamento simile assistentes clamaverint: & quod magis admirādum fuit, dolor amplius non redijt. Sequenti tamen aurora, cassiæ fistularis semunciā pulpæ, cum rhabarbari drach. integra, in aqua endiviæ dissolutas bibendum propinavi, quo medicamento sanitati sigillum dedimus.

SCHOLIA.

QVVM hæc tractabamus, in mentem venerat medicus ille Italus, qui ferè omnes cholicas affectiones frigidis curabat remedijs ut de eo testatur Paulus Aegineta, libro tertio suæ medicinæ, cap. 43. qui sic plurimos, præter omnium opinionem, persanavit. Animadvertant igitur recentiores medici, qui quum hodie ad cholico dolore laborantes accedunt, illico ad calida confugiunt medicamenta, non sine tamen ignominia, ac artis medicæ dedecore.

Curatio tertia, in qua agitur de duplicis tertiana curatione.

EMmanuel Cirinius, nobilis & magnificus, Ioannis tertij regis Lusitaniæ apud Autuerpiam negotiorum procurator, sive factor, ut vocant, vir ætate quinquagenarius, natura biliosus adustionem declinans, magnis occupationibus, & ingentibus laboribus oppressus, in febrem incidit, quam duplicem tertianam appellamus, & illam quidem acerbam, mirum in modum affligentem, quæ, ut notæ indicabant, non multum ab exquisita differebat. Omnibus igitur ad curationem paratis, & evacuationibus tam per sanguinis missionem, quàm per pharmacum adhibitis, quum semel in paroxysmo (vigente ardentissima illa febre) nimia siti cruciaretur, me rogat illi gelidam bibēdam tradam, cui lubentissimè obtemperans, ad satietatem usq. concedo, à cujus potu multam flavam, citrinam, sive pallidam dictā bilem evomuit, & melius habuit, ut ita intra viginti dierum spatium sanitati fuerit restitutus magnificus ille, & liberalis vir, qui tunc pro hac curatione mihi trecentos largitus est aureos ducatos.

SCHOLIA.

DIcitur tertiana duplex, febris biliosa singulis affligens diebus, cum rigore ab uno tantùm decidens loco, duæ verò tertianæ & si simili affligant modo, differunt in hoc, quòd earum materia non ab una deciditur parte, sed varijs potius locis, ut Herculano, viro sua ætate docto, placet. Cæterùm, si verè loqui volumus, duæ tertianæ illæ dicendæ sunt, quæ omni tertio die bis affligunt, ut hodie bis, manè nihil, tertio verò die iterum bis redeunt. Galen. tamen, & duarum tertianarum, & duplicis tertianæ, libro secundo de C *Crisibus, meminit, quas singulis diebus invadere, inquit, nullam inter eas ponens differentiam, ut apud libellum de Typis quoque quis legere potest, in quo & illarum quoque mentionem fecit. Cæterùm ijs febribus biliosis & sanguineis, aquā ad satietatem usque convenire omnes fatentur medici, Hippocratem nimirum medicinæ parentem secuti, qui libro tertio de Ratione victus in morbis acutis, ubi de aqua agit, ita, Aquæ, quæ in acutis bibitur morbis, nullū sanè habeo aliud quod illi concedam officium, idest, aqua præter juvamentum quod adfert febricitantibus, multa ebibita, nullum de illa habeo quod dicam, quod ita esse quadragesimosecundo textu ipse Hippocra. exponit, quum dicat. In quibus autē maximè aqua utendū sit, & quādo valde multa, & quādo* D *modica, & quādo gelida, & quādo calida partim quidē anteà dictū est, partim verò suo tēpore dicetur. Hactenus Hipp. textus, quē Gale. maximè adnotat, ob Erasistratum malitiosè accusantem Hipp. & illius discipulos Appollonium & Dexippum, quos ait cereos cyathos duodecim in sex tantali cotulę cyatho effinxisse, atq; unum ex his vel duos febrientibus admetiri, quum tamen Hippoc. non hic solum multam dari aquam meminerit, sed varijs alijs in locis, præcipuè ultimis verbis*

bis libri quarti de Morbis popularibus: ubi inquit. In febribus acutis siticulosi, à medicis potu interdicto, aut etiam à seipsis abstinentes, multum sibi bibere posse videntur: his aqua frigida data ut revomant prodest, biliosa enim aderunt. Prætereo quæ ab illo, lib. 6. de morbis populariter vagantibus traduntur, & ad Galenum accedamus veræ medicinæ maximum assertorem, ac (ut ita dixerim) ampliatorem, qui frigidam aquā in febribus sanguineis & biliosis valde multam tribuit, immo febres sanguineas, quas synochas vel continentes appellamus, nisi altero horum remediorum, videlicet sanguinis extractione, vel multo aquæ frigidæ potu, vel utroque simul curentur, propelli non posse contendit, ut paulò inferius locum signabimus, è libro nono Methodi medendi: libro verò de Causis procatarcticis Gorgiam suum alloquitur, & tanquàm testem contra Erasistratum, & ipsius sectatores adducit: qui præter illorum dogmata, aquam frigidam febricitantibus sæpe magno juvamento dare illum viderit, in quibus præcipuè viscerum inflammatio non obstabat. Prætereo rationes duas, quas contra Thessalum libro primo Meth. medendi pro aqua febricitantibus describit. Veluti ipsius voluminis sexcentos locos, ut septimo libro, in quo ventriculo malè affectos frigida potione uno die levatos, testatur, veluti octavo, nono, decimo, & undecimo, in quibus hujus rei varium habuit sermonem, & eam in febribus non tam non putridis, quàm putridis concedit, modò putridæ sanguineæ aut biliosæ sint, & hæ sive continuæ aut interpollatæ, modò hæ serventur conditiones inferius dicendæ. Habita consideratione consuetudinis, ætátis, naturæ, regionis, & temporis, quia securius consuetis datur, quàm ijs qui frigidæ potu non usi sunt, & securius bilioso juveni, in regione calida, præcipué in æstate, quàm contrario. Conditiones igitur dandæ frigidæ ad satietatem, sequentes sunt. Prima quòd ęger sit patiens febrem synochum, continentem dictam, & hanc sive sine putredine, quam inter ephemeras reponit, quas frigidæ potu Gal. facillimè curabat, ut ex historia libri decimi Methodi medendi percipitur, qui in fervoribus sub canicula, ex ira febricitantem juvenem, calidum & siccum, frigidæ potu ad heminas duas, sanitati restituit, in prima quidem accessione multam insigniter flavam bilem vomendo: sive cum putredine, quam duorum remediorum genere Galenus propulsari ait libro nono Methodi medendi, altero sanguinis detractione nullo non tempore, modo vires constent, adhibita altero frigidæ potione: quibus febribus biliosam continuam addere est: sive intermittētem, in quibus & frigidę potio tutò dari potest, modò hę aliæ sequentes ordine conditiones adsint. Secundo quòd ęger robustas omnes vires habeat. Tertio quod concoctionis signa appareant, quæ ple-

E runque status tempore in lotio conspicimus. Quarta, ut nullum viscus internum debile sit, cujus defectu plures ob frigidæ potionem in gravissimas affectiones lapsi sunt, videlicet gulę, ventriculi, oris, jecoris, intestinorum, pulmonis, septi transversi, renum, & vesicę, ut meminit Gal. libro nono Methodi medendi, capite quinto. Quinta, ut non adsit scirrhus, aut oedema, vel erisypelas compositum: nam erisypelas simplex verum dictum erisypelas, nullo meliori curatur remedio, quàm larga frigidę potione, ut testatur Gal. prędicto lib. nono Methodi medendi: ubi tamen ęgrotantem in febrem hecticam incurrere timetur, phlegmonas augere minimè veremur, ut docuit Galen. 10. Methodi medendi, cap. sexto.

F Sexta, ne sit magna meatuum obstructio: quia aliquā in putridis reperiri necessum est. Septimum addit Gal. ne sit humor putridus, idest, ne putridus humor sit incoctus omni ex parte. Concoctionem autem humorum adesse in tertia proposuimus conditione. Hæ verò omnes conditiones ad tres Galen. tantùm libro undecimo Methodi medendi, capite nono reduxit, dicens. Ergo si & vires cunctę valentes sunt, & febris ardentissima, & concoctionis notæ planè evidentes, frigidam homini dare audacter debebis. Quibus Paulus Aegineta subscripsit, libro secundo suæ medicinę, capite decimoseptimo, quo de febrium putridarum curatione agit quum dicat: Ergo si vires quidem robustę omnes fuerint, & febris ardentissima, & con-

G coctionis signa planè evidentia, frigidam cum fiducia exhibebis: roborata enim natura (inquit Galenus nono citati voluminis lib.) solidarum animalis partium, prætenuatos jam humores aggreditur, ita ut qui utiles sint, atque ad nutriendum habiles, hos quidem ad se trahat, inutiles vel per ventrem, vel per cutim ejiciat. Sed hic objiciet Medicus curiosus. Si apparet concoctio, quę nota est naturæ potentis supra morbum, ad quid igitur potus aquæ frigidę datur? Respondemus, ut morbus brevior fiat, & æger citius ad sanitatem pristinam redeat. Nam si ante morbi statum, & concoctionis apparentiam, aquę frigidæ potus ægrotantibus daretur, multa inde incommoda sequerentur, quę Galenus citat, videlicet, lentos & crassos humores attenuari digeriq. prohibet, imbecillas particulas corporis concu-

H tit: adhæc, nonnullis ilico spirandi difficultatem, convulsionem atque tremorem conciliat. Item interrogabit. Si in intermittente febre dari frigida debeat, quònam in tempore particularis paroxysmi concedetur? Respondemus. In statu particularis paroxysmi: quia tunc, aut vomitu, aut secessu, aut sudore operabitur, ut Aetius sermone secundo, capite septuagesimosecundo adnotat. Operę pretium tamen est animadvertere, ut aqua bona sit, quæ febrientibus detur, quum prętcr quòd syncera, absque odore & sapore sit, decet quoque

coctilis sit: ut suadet Gal. commentario quarto in librum sextum de Morbis populariter vagantibus. Dicuntur autem aquę coctiles leves, stomachum non gravantes, quas laudantes, molles appellant, & in quibus legumina facilè coquuntur, & ab eis nullum in ventriculo gravamen persentiunt, qui eas bibunt, & ut paucis dicam, Hippocratis verbis, illæ sunt coctiles aquę, quæ cito calfiunt & frigefiunt: Incoctiles verò dicuntur, quibus omnia contraria eveniunt, ut illis Gal. temporibus eveniebant, quæ è Tyburtinis montibus per lapideos aquę ductus in urbem Romam educebantur. Hæc neoterici animadvertentes, carmina quædam excogitârunt suo modo cōposita, in quibus bonę aquę notas describūt, quę Herculanus commentariis in Fen primam quarti Canonis Auicennæ si rectè teneo, citat, & ita habent,

Fons, casus, fundus, cursus ab origine distans,
Subtilis, non tecta, levit, pascibilis aptè,
Multa & clara, parum vini toleransque saporem.
Sicq. & odore carens, liquens hypochondria raptim.
Non rebus confecta malis residentia parvo
Tempore descendit, coctum dissolvitur ipsa,
Octo decèmq; modis primùm cognoscitur unda.

Hæc verò omnia paucis illis à nobis citatis verbis pro dignoscenda bona aqua comprehēdi, qui curiosius animadverterit, deprehendet, cujus juvamenta prosequitur Galenus lib. de usu partium, quę nos, brevitati consulentes, prætermittimus. Cęterùm non deerunt scioli, qui ob id quòd hujus præclari viri liberalitatem erga nos habitam memorem, in nos debacchentur, asseverantes mercedis meminisse, ut gloriam captem, & jactantiam Hispanicam æmuler: quos nos cū sua inscitia dimittimus, scientes non novum esse, mercedis à viris præclaris acceptas memoriæ tradit, ut apud Galenum legimus libello de Præcognitione, capite octavo, qui á Boetio, viro consulari Romano, ob restitutam uxorem, quadringentos aureos accepit: qui quadringenti aurei, ut testantur ij, qui & Arithmetices & veteris rei nummariæ rationem habent, mille coronis solaribus æquipollēt, ut curiosé adnotat doctissimus cōdiscipulus noster Andreas Lacuna, in Gale. descripta vita, ad clarissimū juxta ac sapiētissimū virū, Ioannē Aquileriū medicū pontificiū, aliâs apud Salmāticēsē Academiā tēpore ęqualem nostrum. Cæterùm has duas tantùm curationes ex multis myriadibus ęgrotantiū, quos apud Antuerpiam per sex annos tractavimus in initio statim hujus centurię citare placuit, quum nondum eo tempore curationes literis mandare mihi propositum erat.

Curatio quarta habita Ferraria, de capitis intensissimi doloris curatione.

Miles qui Caietæ Cæsaris stipendiū merebat, ætate virili, robustus, fortis, natura melancholicus, ingentissimo capitis dolore cruciabatur, adeò, ut oculi illi foras exire viderentur, is post consultos Neapolitanos & Romanos medicos, quorum opera & consilio nihil quicquā profecerat. Ferrariam venit, anno jam exacto, quò primùm dolore isto vexari cœpit, ad quem accersitus, percunctor an noverit ille originem unde morbus evenire posit. vel potius senserit aliquando in pudendis, vel capite ulcus, aut quavis alia corporis parte fœdationem aliquā: omnia negat. Inquiro anteactas curationes plures & varias, per doctissimos quosq; medicos adhibitas: demum cōtra atrocissimum morbum adorior, quem à Gallica scabie originem traxisse suspicari jam cœperam, quod posteà ita esse cōperi. Cœpi igitur medicamenta ad morbum facientia dare, inter quæ catapotia Alexandri, quæ à nitro denominationē habent, numerare est, quibus non semel, sed bis & quater purgatus fuit: post quas universales evacuationes, ad particulares descendi, cum cucurbitulis, vesicatorijs, embrochis, lixivijs, tum & rubrificantibus. Demùm ad Guaiaci decoctum perveni: quod per quadraginta dierum spatium ebibit. Quę omnia minimè valuère, quum dolor, etsi aliquantulum remissior fuit, posteà tamen intensus perseveravit. Pertæso igitur laboris, & lassato milite isto, ex tam sævo morbo, tantàq, medicamentorum assumptione, quæ nihil ad rem fecere, ego alioquin semper machinans contra tam atrocem & difficilem morbum, remediū statim cogito, nullatenus istum posse ad sanitatem pervenire, nisi ejus apertum esset caput, firmiter enim credidi craneum corruptū esse, à quo tam sevi, tàmq; crudeles dolores isti oriebantur. Erant enim dolores isti à sincipite inchoantes profundi, oculos

præcipuè & eorum regionem præhendêtes. Protinus ergo accersito chirurgo, nullo apparente tumore, aut ulcere, vel in cute tuberculo, amotis per novaculã pilis, illius caput secari jubeo juxta eam partem ubi dolor maximè vigebat, magno & ad cranium usque penetrante vulnere, duabus lineis mutuò se per mediũ secantibus confecto. Sequenti verò die, quo jam craneum sanguine liberum melius videri poterat, nõ nisi illud lividum & ad nigredinem declinans conspicio. Nam tunc primam & secundam laminam novacula usque ad duram mininngem perforare jubeo, quo opere dolor remitti cœpit: postea vero nonnullis interpositis diebus, quædam ipsius cranei ossa foras exiêre, quibus depositis, melius miles iste habere cœpit, adeò ut iterum epoto guaiaci decocto, sanitati fuit restitutus. Cæterùm capitis sectionem perforationẽque, ut cætera curavimus ulcera.

Curatio quinta cholici doloris à lumbricis evenientis curatione.

VXor lapicidæ cholico cruciatu afflicta, post multa & varia adhibita remedia, epoto antidoto Mithridatico, teretem, sive rotundum, aut longum dictum lumbricum per os rejecit, & sana evasit.

SCHOLIA.

CHolicum affectum á lumbricis oriri certũ est, à quibus & alias affectiones gigni novimus: veluti bulimiam famem insatiabilem: ut sacra extat historia apud Trallianum libro tertio suæ medicinæ, capite tertio, quam per otium legito.

Curatio sexta de lumbricis in stomacho genitis, & non infestantibus, & eorum curatione.

INigus Lupus Cornelius, quum optima fungeretur valetudine, per os lum-
E bricos eijciebat, à quibus nullam noxã,
aut dolorem, præter vermium tantùm
tædium, percipiebat. Vt verò turpitudi-
nem hanc effugeret, consului interpolla
tim catapotia ex aloë non lota degluti-
ret, fugeretq; res pituitam gignentes, ut
lac, caseum, cerasa, fructus, res dulces, &
hujuscemodi alia, à cujus multitudine
lumbrici illi gignuntur: proinde vinum
biberet generosum, & minimè aquã di-
lutum suasi, veluti & juscula acciperet,
non nisi aromatis, & multo coriandri se
mini respersa: præ cæteris verò nuces je-
juno stomacho comederet, veluti res
F acres, & bilem procreantes commenda-
vi. Porrò in acetario domestica utere-
tur ruta, salvia, menta, hyssopo, & nas-
turtio permisi, quibus optimè habebat,
& securè perseverabat, neque lumbri-
corum ulterius vomitione illa urgeba-
tur.

SCHOLIA.

NON est audiendus Aristoteles, qui præter
veritatem, & medicorum dogmata con-
tendit, in stomacho lumbricos gigni non posse, ut
apud ipsum est legere libro 4. Meteororum: gig-
G *nuntur quippe nò solùm in intestinis graciliori*
bus lumbrici, sed etiam in ipso stomacho, ut ex-
perientia ipsa rerum magistra testatur, cui suf-
fragantur omnes medici tum & ratio ipsa, quia
putrescente in ventriculo pituita, vermes ibidẽ
ex illa gignuntur: ut quoque fateri videtur Au-
gustinus Niphus maximus Aristotelis inter-
pres. Intelligendum igitur, axioma Aristoteli-
cum illud venit, vermes in stomacho non gig-
nuntur, idest, vermes in stomacho, vel ore
ventriculi bene disposito, & in quo putredo non
adest, non gignuntur: secus autem in malè affe-
cto, & putrescente pituita abundante. Cæterùm
lumbricorum omnium tres sunt species. Nam
alij dicuntur longi, sive rotundi, aut teretes, quĩ
plerunque in gracilioribus intestinis, & stoma-
H *cho gignuntur, terrestribus lumbricis similes,*
qui sæpe per os, & aliquando per nares eijci visi
sunt. Alij verò cucumerini, sive cucurbitini di-
cuntur ἀσκαρίδες *Græcis vocati, qui in recto in-*
testino plerunque conspiciuntur, sic cucumerini
dicti, quòd cucumeris seminibus similes sint. Ter
tij verò, lati dicuntur lumbrici, meritò longi di-
cendi, quia ingentis & immensæ sint longitudi-
nis, quos Plinius non tineas, ut vetus habet le-
ctio, sed tænias, id est fascias appellat, qui etsi
immensæ

immensæ longitudinis reperiantur: inveniuntur quoque lati dicti in stomacho plerunque domicilium habentes, ut testatur Hippocrates lib. 4. de Morbis quos cucumerinos, vel cucurbitinos ibidem quoque appellat, qui veluti & tæniæ, non ramenta, aut intestinorum pelliculę in vermes versæ sunt, ut autumant Aetius & Paulus, sed potius ex putida & pituitosa materia gignuntur. Nec enim Hippocrates unquam dixit, latos lumbricos ex intestinorum portiunculis fieri, ut hucusque multi Paulum & Aetium sequentes putârunt. Ita enim Hippocr. citato loco, ubi ex professo vermium latorum mentionem facit, tradit. Nunc autem de lumbricis latis dicam. Assero enim ipsos in puero, dum adhuc in utero est, nasci, postquam cum semel ex utero egressus est, non tanto tempore stercus in aluo manet, ut ex ejus diuturnitate ac putrefactione, tantæ magnitudinis animal generari possit. Excernit enim semper hesternum stercus per omnes dies, si sanus homo esse debet. Tale verò animal nasci non posset, etiamsi multis diebus homo non egereret. Multa enim nascũtur, dum puer in utero est, hoc modo, ubi ex lacte & sanguine computrescente ac redundante, ut pote quod dulce est, pus factũ fuerit fervidum animal istbic generatur. Nascũtur autem & rotundi lumbrici isthic eodem modo. Signum verò quòd hæc res ita se habeat, hoc est, postquam in lucem editi sunt pueri, mulieres ipsis in cibo offerunt medicamenta, quo stercus ex intestino exeat, & non comburatur, & simul ut intestinum dilatetur. Vbi veró cibum obtulerunt, multi sanè pueri & rotundos & latos lumbricos unà cum primo stercore excernunt. Si verò non excreverint, fiunt etiam, insuperque nascuntur in ventribus, & rotundi quidem pariũt: lati veró non amplius, etiamsi quidem ipsos parere dicant. Nam homo qui latum lumbricum habet, veluti cucumeris semen excernit aliàs atque aliás, uná cum stercore ipso: & sunt homines qui hoc lumbrici partus esse dicunt: mihi verò non rectè dicere videntur, qui talia dicunt: nec enim ab uno animali tot pulli generari possunt, neque ea est loci in intestino capacitas, ut partus educare queant. Augescente autem puero, augescit etiam lumbricus in intestino ab his, quæ in ventriculum ingesta sunt, & ęqualis fit intestino, quibusdam in pubertate, quibusdam posterius, quibusdam paulò prius. Et post quam intestino adæquatus est, similiter augescit, & quanta major factus fuerit, uná cum stercore excernitur de intestino recto, & excidit velut cucumeris semen, sæpe verò etiam major. Quibusdam verò iter facientibus, aut laborantibus, & ventriculo calascente deorsum descendit, ipsisq. prominet ex podice inflatus, hocque facit, & de podice resecatur, aut retrocedit. Signa verò

A *quòd non pariat, sed ita habeat, velut ego dico, hæc sunt. Si quis curet hominem latum lumbricum habentem, & medicamentum dederit, aut potionem: si quidem fuerit homo bene præparatus, totus rotundus factus ad pilæ figuram exit, & homo sanus evadit. Si verò ad medicinam hæreat, recta pars de lumbrico abrumpitur longitudine duorum aut trium cubitorum, aut etiam longè amplior, & ubi abruptus fuerit, per multum tempus signa cum stercore non prodeunt: postea verò augescunt. Atq. hæc argumẽta sunt, quód lumbricus latus non parit, sed abrumpitur. Est autem species ipsius, qualis alba intestini rasura. Hactenus Hippocratis verba per Cornarium versa, in quibus latum lumbricum non intestini ramentum, aut pelliculam esse legimus: sed potius quod lati lumbrici species, quem semini cucumeris similem diximus, qualis alba*
B *intestini rasura sit. Proinde Aetium & Paulum minus bene ex Hippocratis mente de hac re sensisse clarum est. Non minus quoque Gal. in hac re taxandus venit, qui commentario 3. Aphorism. enarratione 6. tradit Hippocratem de lato lumbrico nullam posteritati reliquisse memoriam, quod falsum esse qui prædicta legit verba, tenet: ita enim Gal. ne quis ambigat citato loco inquit. Rarior autem est lumbrici lati generatio, qui & longissimus est, & sæpe per tota extenditur intestina. Verùm de hoc nullam fecit Hip. mẽtionem, quoniam neque eius erat propositum de omnibus agere passionibus, quæ mortalibus accidunt, sed de illis tantùm quæ singulis ætatibus accidunt. Hæc Galen quibus nihil lucidius*
C *aut clarius dici potest. Qua de re vel dicendum est, quód Gal. verba hæc corrupta & acephala sunt, aut quòd Hip. illa adjectitia sint, non veró germana, nec ex Hippo. officina emanantia, quanquam, ut verum fateamur, epicheremata & ratiocinationes Hippocratis esse videntur. Cæterùm meminit Hip lib. 2. Epidemiorum, lumbricos magis vexare á meridie, quàm alia quavis hora, ut latius dicemus, quum dabitur occasio.*

Curatio septima de pleuritide.

VXOR Cerdonis, nata an. 38. inchoante autumno, pleuritide cor-
D repta fuit, in qua dolor ab imis costis ad summam humerorum compagem ascendebat: febris erat continua, cum ingenti tussi, & spirandi difficultate: ad quam ingressus 2. die, ab eo, quo primum corripi cœpit, illico sanguinem ex axillari vena ejusdem lateris, ubi dolor

erat, extrahere jussi ad unciàsq. 8. fluere. Syrupum ex endivia simplicem propino, & circa dolorem semiplenam vesicã aquæ ex decocto rosarum, parieteriæ, chamæmeli, & violariæ; adjecto oleo rosaceo, chamæmelino & violaceo, cum pauco anethino admovendam curavi. Quibus melius illico habuit, & dolor remitti cœpit: sed parũ expuebat, pro qua complenda operatione, syrupum violaceum & capillorum veneris, ut cochleari interdum deglutiret descripsi: veluti loth ex althæa sine aromatibus, & de farfara tusilagine dicta, ut cætera taceam. Demum 4. die, alui fluxus, diarrhœam Greci nominant, licet Paul. Aeg. cœliacam lib. 3. cap. 40. eam vocet, supervenit adeò infestans, ut intra 24. horas centies egesserit, cui malo obsistere cupiens, clysterem ex hordei decorticati decocto immittendum jussi. Est enim hordeum decorticatum, ut Hippocr. lib. secundo de Diæta, sive Ratione victus testatur, natura perfrigerans, & alvum sistens. Hoc autem edemate bis iterato, nulla illi admixtare, alvus restricta fuit, & sic mulier ista pristinæ sanitati restituta.

SCHOLIA.

Hinc conijcere licet, quòd in hac pleuritide, id est, lateris dolore, alui profluvium supervenit in declinatione, & solutus fuit morbus, quod animadversum velim, propter Conciliatorem, & alios morosos medicos, qui semper in declinatione pleuritidis, malum esse prædicant, ignorantes Hippoc. & Galeni præceptiones, in quibus nunquam hęc dixêre. Nam Hippocr. lib. 6. Aphor. Aphorismo 16. inquit. A morbo laterali, vel peripneumonia habito, alui profluvium adveniens malum. Quæ verba non sic superficie tenus intelligenda sunt, sed potius ut Galenus ibidem enarrat, dicens, non simpliciter dixit Hipp. in morbo laterali vel peripneumonia alvum turbatam esse malum signum, sed adjecit habito, ac si dixisset, detento, atque vexato homini à talibus passionibus profluvium alui superveniens, malum esse signum: quoniam ita se habentibus, id solet advenire, non potente hepate ad se trahere alimentum, nec convertere in sanguinem, & quandoque ventriculo idem alimentum corrumpente. In mediocri autem morbo laterali atq peripneumonia, profluvium alui superveniens potest prodesse, ratione evacuationis, & magis quum signa concoctionis apparuerint

E *inesse passionibus, nec adest timor, sed morbus est citra periculum. Ijs igitur verbis Galeni satis apparet, quòd morbus sit vehemens & fortis, alui profluvium semper est malum, quia virium imbecillitatem arguit, & cum hoc quòd hepar compatitur, unde in spiritualibus & naturalibus partibus vitium est: si verò morbus sit parvus, vel mediocris, ratione evacuationis bonum esse poterit, & hoc præsertim, si signa concoctionis apparuerint. Sit igitur hæc in hac re conclusio, quòd alui profluvium in vehemẽter oppressis & infestatis á morbo laterali, semper est malum signum: in mediocriter verò se habentibus multoties est bonum transmutationis ratione, ut hujus Cerdonis contigit uxori.*

F

Curatio octava de quartanæ curatione.

PRobus vir Ferrinus, natus annos triginta quatuor, quartana laborabat, cui cùm multa & varia medicamenta, quæ tum atram bilem, tum splenem respiciebant, daremus, tandem propinato pharmaco atram bilem respiciente, die paroxysmi, quatuor horis ante accessionem, multa & nigra excrevit, ac liber à quartana evasit.

G

SCHOLIA.

MIrabitur hìc prima facie bonus medicus, cur in quartanæ die paroxysmi, catarcticum medicamentum dare ausi simus, sed bona fide desinat mirari, quum in quartanis febribus & spurijs tertianis, in quibus humores crassi, viscidi, ac evacuationi rebelles sunt, præsertim si paroxysmi à prandio invadunt, afflictionis die purgare optimum est consiliũ, ut hujus rei Arculanus est author, qui de seipso, si rectè teneo, historiã enarrat, vir mea sentẽtia, inter eos, qui sua ætate floruerunt, doctissimus, sed ante eũ Avicẽnam hoc opus confecisse legimus. Nã Fen prima quarti, cap. 12. cui titulus est, Cõfectio olei boni, in die afflictionis ad sedãdum rigorem, agaricũ

H *dare mandat, nec tantúm agaricum, sed etiam hieram, diacitonitem, diaphœniconem, & quod magis admirari est, pilulas fœtidas, quæ omnino evacuant & alvuum solvunt. Quibus medicamentis Gentilis de Fulgineo, ut ibidẽ testatur, pro simili complenda operatione semper usus fuit, imò capite de curatione universali febrium putridarum meminit in die paroxysmi ex mente Mauri evacuationẽ moliri posse. Est enim Maurus vir medicus doctus, qui opus practicum edidit,*

edidit, & hodie à nonnullis in precio habetur. Cæterùm hujus evacuationis in die paroxysmi ratio signatur talis, quia cõmotione agitata materia facilior ad expulsionẽ redditur, quã bonus Senex Hippocr. contemplatus in quartana febre, in die paroxysmi pharmacum dare mandat, ut ex ijs verbis quisq; percipere potest, quę lib. de Affectionibus non longè à principio sic habent. Si verò quartana apprehenderit, si quidem impurgatus fuerit primùm caput purgato, & in terpositis tribus aut quatuor diebus, pharmacũ sursum versus purgans dato in ipsa apprehensione. Et interpositis diebus rursum aliud deorsum purgans dato in ipsa apprehensione. Hactenus Hippocrates: in quibus, ut legitis, in die apprehensionis sive paroxysmi, pharmacum deorsum purgans dare mandat. Nec est quò quis confugiat, dicendo librum hunc de affectionibus Hippocratis nõ esse, sed ipsius generis Polybi, ut Galenus asserere videtur, quum & Polybus vir doctissimus fuerit, cui in hac parte fides ampla habenda est, quia id quod longa experientia tractavit, non deficiente ratione, literis mandavit, quem non immeritò multi & præclari medici hodie sequuntur, hac utentes operatione, inter quos unum superstitem citasse sat est Doctorem Alteretum publicum apud Salmaticenses medicinæ professorem, virum, omnium Hispaniarum consensu in curandis corporibus humanis admirandum, quem nos quoque sequentes varijs in locis per viginti annos artem medicam exercentes validum hoc opus, nec contemnendum experimur, quia non tam antecedens pellitur materia, sed ea, quam conjunctam dicimus, cujus absentia ut interpellatio paroxysmorùmque reditus deficiant, non parum facit. Nec enim in hac exequenda operatione timere est humorum putridorum cum bonis miscellam, nec pharmaci motum contrarium humoris motui, sive materiæ in ipsa exacerbatione commotæ, quia, ut diximus, ante paroxysmum quatuor horas pharmacum propinandum est: non verò in ipsa apprehensionis hora, ut præcipit Hippocr. & post eum cęteri medici. At hæc non omnibus scripta esse volumus, sed ijs tantùm, qui medicinam magno cũ judicio exercent, cæteri autem communes medici, vel homines flagitiosissimi nefaria cupiditate detenti ab hoc opere fugiant apprimè monemus, non minusq; hominum illud genus quovis ære Dodoneo loquacius, quòd præter syllogismos, sophismata, corollaria, suppositiones, ac tricas nihil adferre noverunt. Ne tamen illotis, quod aiunt, manibus sic à quartanę curatione discedamus, scire licet, quòd quartana affecti in principio morbi leviter tractandi sunt, nec tum temporis illis fortis aliqua evacuatio adhibenda, nec cum clystere, nisi fortè sanguis

[A] vehementer superabundaverit: tunc verò vena incisa lienari, si sanguis niger & crassus videatur, qualis in ijs præcipuè, qui liene laborant, audacius mittendus est. Initio igitur, pro bilis atræ purgatione non transcendens syrupum de epithymo cum decocto senæ, quod maximam habet in hoc casu prærogativam, aut cassiam fistularem, vel diacatholiconem: deinde calidis & humidis alterare, ut syrupo de pomis saporis regis, de boragine, de vulgari buglossa, de lupulis, de fumoterræ, alijsve modicè calidis vel frigidis, juxta varia ista bilis genera, illis similes aquas destillatitias miscendo, vel melius decocta parata ex sena, polypodio, fumaria, lupulis, vvis passis, thymo, epithymo, liquiritia, pomis dulcibus, boragine, buglossa, asplenio, idest ceterach, vel horum loco si syrupi displicuerint, utantur conditis cõservis dictis, ex bor[B]ragine, buglossa, scolopendrio, & alijs melancholiam respicientibus, aquas insuper easdem vires habentes bibendo: deinceps salsa, & synapi, piper, & diaspoliticon, ac medicamentum ex tritis piperibus incidendi gratia quotidie in infulis, & victu æger accipiat commendabimus, quibus solùm à quartana liberatos plures vidi, eos à consuetis suis exercitijs non prohibendo, hoc uno ante oculos habito, quòd quartana curari non potest, nisi splen prius curatus fuerit: proinde spleni & visceribus summopere providendum est ungendo, illinendo, atque emplastrando, his quę mollire ac laxare leniter possunt qualia sunt, Butyrum, Oesypus, Lana succida, Oleum amygdalinum, Chamæmelinum, Se[C]men lini, Fœnugrecum, Althæa, Malva, Adeps, Medulla ossium, Cera, Carica, & quæ tota substantia splenẽ juvare probata sunt, ut Ceterach, Thamariscus, & Cortex Capparis.

Potentiora verò sunt, quæ post apparentem coctionem tutò adhiberi possunt, Ammoniacum aceto liquatum quod leviter decoqui debet, ne essiccescat, Bdellium molle & pingue, & Styrax, Galbanum, Tropolis, Semen apij, Radix iridis, Cuminum, Ruta, Anethum, Flos Genistæ, Glans unguentaria, quam Myrobalanum Græci vocant, medicamentum præ cæteris palmam in juvando liene obtinens, ex quibus confici possunt fomenta, cataplasmata, unguenta, cerota, linimenta, & si qua sunt viscera laxantia, & emollientia alia. Sed in principio [D]levibus, & primo ordine citatis: stante verò coctione, quod in morbi vigore, idest, statu fit, tunc potentioribus utimur, acetum semper addentes, quod in omni topico medicamento splenitico ad ungi debet, quia lieni acetum maximè conducit, ut testatur Galen. lib. 9. de Comp. medi. secundum locos, libr. 11. & 14. Methodi med. & 5. Simpl quia obstruentem incidit

 & ex-

& extenuat crassitiem, demum ratione visceris convenit, quia fermentatio illi non est molesta. In principio tamen parum, in successu veró audacius acetum misceri potest: quartanarijs tamen acetum nullatenus per os dari debet, ut paulò post contra Arabas ex Gale. placitis, demonstrabimus. Tunc verò ut superioribus verbi oratíonem accommodemus apparente concoctione vera: veram dico, quia falsam sæpe in quartanis apparere notat Gordianus Gallus: potentioribus incidentibus medicamentis utimur, & lotium provocantibus, ut syrupo de radicibus sine aceto dicto, syrupo Bysantino sine aceto, syrupo prassino, decoctis ex radicibus petroselini, apij, fœniculi, asparagi, rusci, corticum capparum, scilla, scolopendrio, sive asplenio dicto, Arabibus ceterach, anetho, addendo quæ simul extenuent & alvum deijciant, ut senam, thymum, epithymum, polypodium, fumariam, & lupulos. Imo tunc sæpe purgare tutum est, ijs medicamentis atram bilem purgantibus, ut myrobalanis Indis, epithymo, thymo, sena, polypodio, diacatholicone, confectione hamec, diasenę pilulis fumiterrę, indis, lapidis Armenij, lapidis lazuli cyanei dicti, & similibus. Sed tunc jam theriacam in die paroxysmi pondere unius drachmæ & semis, jejuno stomacho in vino albo pro jure dare optimum est consilium, humorum cruditatem fugientes, ne ex simplici quartana, dupla & tripla fiat, ut monet Gal. lib. 1. artis curativæ ad Glauc. cap. 11. & libello de præcognitione: ubi Endemum philosophum Peripateticum ob intemporaneam theriaces potionem in tres incidisse quartanas meminit, quem posteà magna omnium Romanorum admiratione, ex omnibus tribus, vigente hyeme, liberavit. Cæterùm quartana laborantibus talis victus ordo institui debet, ut ad calidum videlicet & humidum declinet cibus, sitq; facilis concoctionis, nec flatuosus: à suillis itaque carnibus arcendi sunt ægri, atque ab omnibus edulijs, quę viscida & tenacia sunt, & tardum habent exitum, atque ab omnibus quæ refrigerant, & exiccant corpus. Vtendum itaque est volatilibus, præsertim pullis gallinaceis, capis, gallinis, & domesticis alitibus, non minus aviculis montanis, quæ optimi sunt succi, & in aquis & paludibus non degunt: pisces quoque molli carne præditi, & tenacitate carentes, tutò dari possunt, ut sunt buglossus lingulatus dictus, perca, mullus, quem Barbonem Veneti, Hispani Salmonetum, Græci verò triglam appellare solent, sardina, Gręcis trichia dicta, aurata, lupus, Venetis Varolus dictus Hispanis verò Robalus, trocta, lucius, & similes, qui cum multo pipere, vel sinapi, ut carnes & cætera edulia comedendi sunt, vinum porrò album & tenue, mediocriter calidum sit: & ex fructibus uvæ passę Corinthiacę, pinea, amygdalæ, pistacia, & ijs similia ad obstructiones tollendas accommodata. Ab aqua omnino in potu fugiant, nisi scolopendrio ceterach dicta herba incocta fuerit, aut thamarisco: Verùm linguam cervinam philitim dictam á consortio harum herbarum eliminandam, utpote contrarias vires habentem crediderim. Ceterùm acetum melancholicis, & quartana affectis, infestum esse docuit Galenus, qui in quartana incidere nec aceto, nec oxymelite, nec syrupis acetosis unquam præcepit: quia ut primo libro de Facult. simpl. med. cap. 31. tradit, fermentationem facit & melancholiam attollit, atque multiplicat, quę omnia ante illum Hippocrates dixerat lib. 3. de Ratione victus in morbis acutis: ubi iterum Gal. ait, Acetum melancholicis adversissimum esse, maximè mulieribus, quibus accedet uteri læsio. Proinde quum Galenus acetum infestum esse noverit, ijs quibus toto corpore, atrabiliarius redundat humor, aut qui temperaturam sortiri sunt melancholicam, eo in quartana incidere nunquam ausus fuit, contentus alioqui falsamentis, sinapi, pipere, diospolitico, diatrium pipereone & alijs similibus operationem hanc complere potentibus. Nec enim hìc locus subterfugiendi Arabibus datur aliquis, aut eorum sequacibus, qui contendunt acetum, natura melancholicis adversissimum esse, non verò ijs, qui in humorem melancholicum, aut quartanam aliquando ex accidenti incidunt: quum si ita esset, Galen. quartanæ materiam aceto, vel oxymelite saltem incideret, quo antea incidenda pituita, & domanda bile pro tertiana notha curanda usus fuit. Sed quum acetum quartanarijs infestissimum noverit, illud silentio præterivit, contentus alijs rebus incidentibus, ut pipere, sinapi, salsamenti, diatrium pipereone, dispolitico, & similibus. At Galenus vomitum á cibo provocabat, immo elleborum album raphano permixtum, ad eum consequendum effectum in potu dabat. Quin potius si parum operabatur per se absque mixtione aliqua concedebat, immo libro de Theriaca ad Pisonem ita refert. Ego igitur multos quartana laborantes hoc præsidio facilè à morbo vindicavi. Nam vomitu prius secundum cibum ipsos vacuans, deinde insequenti die absynthij succum exhibens, ut bilis edulescat contemperetùrque: ita horis duabus ante accessionem antidotum exhibeo, ac mirificè ipsam frequenter vidi proficere, ut protinus qui caperet sine morbi accessione maneret. Hæc Galen. Nos verò hodie hora paroxysmi vomitum proritamus, & quartana laborantem á cibo in eo die abstineat suademus: ac quum purgandi tempus instat, in die paroxysmi pharma-

cum

cum damus, quibus multa & egregia consecuti sumus, adeò ut raro quartanam incuratam hoc incidendi ordine dimiserimus. Sed jam curationis hujus finis erat, nisi in mentem venisset Galeni locus libro quarto de Sanitate tuenda, ubi inquit, quòd diatrium pipereon calor circa primas venas extinguitur, cujus causam reddere non difficile est: quia piperatorum calor terrenis quibusdam & adustis partibus heret. unde factum est, quòd calor citò evanescit, nec diu permanere possit. Cæterum quartana exquisita, spuria longinquior est, quæ quum hominem semel corripit, ut tradit Aetius, non amplius illum capit.

Curatio nona, in qua agitur de sphacelismo, idest, ulcere cerebrum depascente.

ALkalainus Hebræus natus annos 27. gravissimo & mortifero correptus fuit morbo, quarta die Septembris, 1546. à quo tempore curationes literis commendare proposuimus, obijt verò sequenti die Lunæ, adeò ut 48. horas tantum perduraverit. Petitis ex quònam morbo obierit. Respondeo, istum sphacelatum cerebrum, idest, corruptum aut gangrænatum habuisse, de quo dixit Hip. lib. 7. Aphoris. aphorismo 51. Quibuscunq; cerebrum sphacelatum, idest, corruptum fuerit, in tribus diebus pereunt: si verò has effugerint, sani fiunt. Intelligere verò est, aphorismum istum, ut Gal. in enarratione vult, si incipiente sphacelismo, idest, ulcere cerebrum depascente, virtus potens fuerit, ut illud superet, intra tres dies ægrotus evadit, & sanus fit: si verò incipiente ulcere exedente à cerebri potentia non superatur, immo cerebrum corrodit & exedit, intra tres dies interficit, & ad decimumquartum diem nonnunquam pervenisse experientia dissecto cranio visum est: plerunque tamen intra tres interficit dies. Cæterùm, ut affectio hæc melius perpendatur, scire est, juvenem istum sanguineum teperatura esse, qui quadraginta diebus ante suum obitum, multum vigi-

A laverat: si quæ verò noctis pars erat, qua somnum capescere poterat, eam quidem dispendebat circa patrem suum, qui eo tempore octuagenarius graviter ægrotabat, & diarrhœa affligebatur, quem solus ipse tractabat curabatque. Longis itaque vigilijs defatigatus, & tetris illis odoribus malè affectus, in cerebri corruptionem, quam sphacelismum Græci dicũt, incidit. Testabantur autem morbum istum prævaluisse notę hæ, capitis, syncipput, & frontis pars anterior illi dolebat, sopor quoque illum tenebat, adeò ut fortiter punctus respondere nequiret: corporis magna erat impotentia, sed & febris intensissima erat, qualis morbum istum
B comitatur semper: demum accesserunt prædictis signis, tremores universum corpus corripientes, & prænotiones lethales, ita ut intra duorum dierum spatium, diem suũ obierit: nam cœpit morbus eum corripere in principio noctis, ante diem Solis: obijt verò principio noctis diei Marti sacrati, nec enim in tã parvo tempore defuit debita medicamentorum administratio, quum manè die Dominica illicò medici sanguinem per sectionẽ venæ jecorariæ, in brachij curvatura extraxerunt, syrupùmq; rosaceum solutivum cum senæ decocto propinarunt, quo rectè alvus respõdit, quanquam operationem hanc utpotè contra-
C riam in eodem die factam vitupero. Nã pharmacum ab exterioribus partibus ad interiores trahit: venæ verò sectio ab interioribus ad exteriores, oxyrhodinũ quoq. capitis anteriori parti dolenti admoverunt. *Sequenti die vocatus & ego* cephalicã in sinistro cubito aperire ausi, non minus cucurbitulas spatulis, post aures, & ano admovendas curavi hirudines, frictiones quoq. brachijs & cruribus adhibitas, non minus quàm capiti fomẽta, minimè est prætermittere. Vltimo super-
D veniens præclarus, & in curandis humani corporis ægritudinibus admirandus *Brassavolus, syncipiti dissectum columbum* applicare jussit, veluti cordis regioni *unguentum nenupharinũ, & spatulis* excantharidibus parata vesicatoria: quę omnia nihil quicquã profecere, quũ mor-

bus hic sevissimus sit: utpote ulcus cerebrum membrum principalissimum depascens, quem latiniores sydarationem appellant, proprie tamen syderatum dicimus membrum, quum omnino emortuũ, privatùm-ve sensu & motu est. Aliquando verò syderatio apoplexiam significat, nec Cornarius, qui nunc, quum hæc scribimus, Hippocratem latinum fecit, aliter apoplexiam vertit, quàm per syderationem, veluti vócem hanc Græcam bliton, per syderatum, ut libello de Glandulis & sexcentis alijs locis ipsum videre est. Vtinam tamen Cornarius in sua versione, morborum & ægritudinũ nominibus uteretur Græcis, quum notiora medicis quàm Latina ipsa sint. Obijt igitur Alkalainus ab sphacelismo, non verò apoplexia, ut Brassavola putabat, qui ingenti omnium amicorum dolore è medio, quasi vitę cursu raptus est.

SCHOLIA.

Difficilis admodum cognitu morbus hic est, conjecturis tamen intervenientibus notis à nobis citatis, in alijs quoque eum assecuti sumus, quorum capita dissecuimus, & cerebrũ corruptum invenimus. Verùm, nõ me latet, quod Galenus lib. 2. de locis affectis cap. 8. ubi Archigenem reprehendit, ac sphacelismo sive sphacelode, tradat. Verbum scilicet hoc sphacelum, multa habere significata, in hoc porrò casu nostro sphacelus sive syderatio (ut ita dixerim) finis gangrænæ est. Est autem gangręna (ut refert Gal. lib. 2. Artis curativæ ad Glauconem) membri nondum integrè facta, aut confirmata mortificatio, ex magnitudine inflammationis orta: cujus mali tanta vis est ac tyrannis, ut si non celerrimè succurramus, facilè affectum membrum mortis habitum repræsentet, & omnino sensu & motu destituatur: ita ut percussum vel sectum, vel adustum non sentiat, quę patitur: quem affectum non jam amplius gangręnam, sed sphacelon Gręci nominat, Latini verò Syderationem, recentiores Esthiomenum vocant, quod nomen ad gangrænam etiam extendunt: ut de hac relatius videre quis poterit Aetium lib. 14. sua medicina, cap. 55. & Ioannem Tagaultium lib. Institutionis chirurgicæ, ubi apud Aetium Cornarius sphacelum, cariem vertit, quod malum ossi potius convenire, quàm carni Galenus est author lib. 7. Methodi medendi. Sed & apoplexiam per syderationem interpretatur, ut superius notavimus, & apud Hippocratem libro de Morbis, passim quis legere poterit: in quibus apoplexiam, ut dixi, per syderationem semper interpretatur, sed an bene, medici judicent.

Curatio decima de febris sanguineæ curatione.

PVella septem nata annos obesula, pulchra, & natura sanguinea, in synocham febrem continentem putridam dictam, lapsa est, ad quam translatis tribus diebus in quibus multum sanguinis per nares emiserat, perveni, quam primò facie tumida rubente, & quasi in tumorem assurgente, notavi. Pulsus porrò huic magnus erat, frequens, velox, & plenus, in quo caliditas primo occursu mitis, in successu verò acris percipiebatur: & eò magis quò ibidem manus imposita perseverabat, ut judicare esset calorem illum per collum aut subcernicu lum deferri. Vexabatur quoque quadam præcordiorum anxietate, & capitis dolore torquebatur, cum quibus febrilis ille calor continuò illam affligebat & in ore, ut mihi injunxit, dulcedinem quandam percipiebat: quibus omnibus, lotium crassum & rubrum apparens addere est. Omnibus igitur conspectis, illico alui beneficio præcedente, venam internam sive jecorariam dictam, brachij dextri secare jussi, sanguinèmque pondere sex unciarum fluere. Si enim non fluit, vulneri hirudinem admovere jubeo, ut inde sanguinem trahat, quousq; sua excidat sponte: quòd si casus majorem postulat evacuationem, aliam subjungimus. Cæterum puerulis nondum decimumquartum attingentibus annũ, venam audacter, contra Galeni & Græcorum dogmata, pertundimus, & sanguinem evacuamus, Arabibus adhærentes: quibus pro hoc opere gratiæ referẽdæ sunt. Nam Abinzoar filio suo trimo venã secuit, ut meminit Auerrhois, non contemnendo iuvamento, quamquàm

quàm in universo Theisiro hucusque A
quod Abinzoar illud dixisset,non inve-
nimus:in eo tamen libro,qui de Sanita
te tuenda ab eo inscribitur, à nonnul-
lis legitur. Ad sanguinis igitur evacua-
tionem per venæ sectionem, duo tan-
tùm requiri dicendum est. Primum,
quod morbus postulet. Secundum,quod
virtus eam ferat: quæ duo Gal. quoque
admittit, modo tamen pueri nondum
decimumquartum annum agentes, in
de à regula excipiantur,& decrepiti:sed
re vera Galen. Arabibus non adversa-
tur:quia puerulis pleniorem illam eva- B
cuationem,quam antiqui moliebantur
vetat,non vero moderatam, quam pro-
virium & plenitudinis proportione fa-
cilè ferunt. Vnde consultò Hippocrat.
nullis annorum finibus ætates istas cir-
cumscripsit:nisi quis dixerit eas subintel-
lexisse lib.4.de Ratione victus in mor-
bis acutis,textu 19.ubi inquit. In acutis
morbis sanguinem detrahes, si vehe-
mens morbus videatur,florueritq. ęgro
tantis ætas,& virium adfuerit robur, ut
Gal.ibidem quoq.enarrat.Sed re vera,
si non Gal.eo à nobis citato modo intel-
ligit, peccat proculdubio, & quotquot C
Græci medici fuere, quum pueros fe-
bribus iis continuis, aut pleuritide, vel
internis inflammationibus, aut sævissi-
mis alijs morbis correptos,hac venæ se-
ctione ab orci faucibus nos ipsi & ple-
rique alij liberos viderimus:nec eos un-
quam in illam caloris innati resolutio-
nem,quam illi timent,incidere ullus vi-
dit. Vnde Cornelius Celsus libr. 2. cap.
10. hæc noscens,inquit. Interest enim
non quæ ætas sit,neque quid in corpore
intus geratur,sed quæ vires sint. Firmus
puer & robustus senex, & gravida mu-
lier valens tutò curantur:quinimò sæpe
lactentes infantes videmus, quibus san-
guis è naribus absq. noxa ulla effluit, ut D
iure nos venam tundere huic puellæ
commiserimus: à qua sanguinis evacua-
tione syrupum ebiberet mandavimus
istum: R. syrupi rosati vnc. j. aquarum
endivie,violarum vnc. ij. misce. Vesperi
verò quum illam invisum redirem,à fe
bre ferè liberam inveni:nam & lotium,
quod tunc conspexi, melius apparebat.
Solebat enim Galenus non solùm uri-
nam manè contemplari, sed eam quo-
que interdiu à prandio excretam, ut a-
pud libellum de Præcognitione in Eu-
demi curatione,facilè quis percipere po
terit. Rebus igitur omnibus optimé dis-
positis,puella melius habere cœpit:con-
tinuò tamē febricitabat:at septimo die,
ut mihi retulit mater,horror illi in no-
cte supervenit, quem posteà secuta fuit
febris,quanquam manè,quum arterias
tetigissem,ferè à febri immunem illam
inveni, & vesperi multo clarius. Novi-
stis autem Hippocrat. in Aphorism. di-
centem. A causone habito rigore super-
veniente,solutio fit febris. Sequenti ve-
ro nocte,eadem hora & rigor illam ap-
prehendit,adeò ut ex continua interpo-
lata fuerit facta:tunc vero illi in pharma
cum hoc propinavimus quod habet: R.
Pulpæ cassiæ recenter extractæ unciam
mediam, rhabarbari boni drachmam
unam:syrupi rosati solutivi uncias duas,
decoctionis florum & fructuum cordia-
lium (in quibus maduerint parum foli
culorum senæ) uncias tres misce. Hoc
enim pharmaco puella multa vomuit,
inter quæ sex vivos lumbricos conspe-
ximus. Non hac tamen de causa puel-
lam istam vermibus,tāquam præcipuo
morbo, vexari dicendum est,quum illi
ob sanguinis putredinem, & humorum
in stomacho contentorum corruptelam
geniti fuere. Iussimus tamen,habita ver
mium intentione,ut portulacæ in potu
uteretur aqua,& in pulli jure, quo iam
utebatur,aliquid pulveris sicci coriandri
adiungeret, non minus alvum per ene-
ma ex hiera picra paratu facilem redde
rent, Altera verò sequenti nocte,& ri-
gor duabus horis ab ea,qua antea in-
vaserat, eam corripuit, post quem fe-
bris supervenit,quam manè,cùm ad il-
lam accederem, vigentem inveni. Hic
enim bonus practicus coniectari debet,
quod sanguis in utramq. degeneravit
bilem,flavam & atram : prævaluit autē
flava,à qua tertiana duplex orta est, &
illa quidem nocturna, de quibus inferi⁹
plura, pro quibus pharmacum,à nobis
citatum

citatum superius, utranq; bilem respi-
ciens, paratum fuit decimo quoq. die in
prædicta noctis hora: & paroxysmus
eam invasit, tunc blandè tractata puel-
la, & per glandem citata alvus, poplitũ
scarificationem faciendam commisi-
mus, quam in sequentem diem distuli-
mus, postquam rigor parvus factus est,
sed febris eo modo perseverabat, tandẽ
tertiodecimo die bolum istum dedimus,
qui habet, ℞. agarici noviter parati in
pasta drac. j. electuarij de psyllio drach.
ij. rhabarbari drach. sem. cum saccharo
fiat bolus, quo multa & varia egessit, &
septimadecima sana evasit.

SCHOLIA.

*NON præteribo quin pauca febri huic con-
venientia describam, quum febris ista pri
mò sanguinea fuit, postcà verò in biliosam de-
generavit: proinde de febre sanguinea sic ha-
beto. Febrium duę sunt species, altera intermit-
tens, seu deficiens: altera vero continua, de qua
ad præsens, quæ quia ab humoribus intra ve-
nas existentibus evenit, accessione nunquam
vacat, quousque ad iudicium perveniat, quam
Græci indifferenter synochum vel synocham fe-
brem appellant: quanquam si Galeno fidem
præstare debeamus in fine libri secundi de Ho-
minis natura, Hippocrates nunquam febrem ap
pellaverit synochum vel synocham, tametsi
Avicenna Galeno oppositus ex hippocrate sy-
nocum febrim appellare minimé dubitet: sed
in hoc magna vis non est: sive enim febrim san-
guineam synochum, sive ignem appelles, non
multum refert: hodierni tamen medici ex san-
guine febres distingunt. Quum enim sanguis
putrescit, febrem masculino nomine synochum
appellant: quum verò extra putredinem sua
tantum copia sanguis febrem excitat, eam fœ-
mineam synocham vocant. Verum extra Gale-
ni atque omnium Græcorum medicorum men-
tem, qui has duas febres sub uno synochi, aut
synochæ nomine complexi sunt, quòd horum ac-
cessio ab initio ad finem usque duret, nec prius
quàm ex integro febris deficiat, cesset. Consul
tius ergo medici fecissent, si, Galenum imitan-
tes, eius febris genus, quæ ex sanguinis dunta-
xat fervefacti obstructione citra eiusdem pu-
trefactionem oritur, sub diaria febre complexi
fuissent: locum verò in præsenti signare est, ubi
Galenus febrem illam inter diarias collocat,
libro secundo de Crisibus capite duodecimo, sic*

E *dicens. Quum autem ipse secundum naturam
se habens sanguis trusus in locum fluxionis ob-
noxium putruerit, hic quidem affectus inflam-
matio est simplex, quæ ex ipsa febris accendi-
tur similis maximè ephemeris, quæ inflamma-
tionibus inguinum accidant. Nam & ipsa san-
guinis inflammatio ex bono sanguine fit. Li-
quet autem, quòd cum hic putrescere cœperit,
non amplius optimus remanet, sed iam ad ama
ræ bilis naturam transit, atque in hoc, illud ser-
vatur, triplex esse genus universum simplicium
febrium. Quæ enim ex sanguinis putredine fit,
iam quodammodo biliosa est. Sicuti in Natura-
libus sermonibus rectè ostensum est, quod san-
guis ex moderato calore generatur, flava au-
tem bilis ex maiore, atra verò ex sufficienter*
F *immodico. Quicquid igitur pingue & tenue in
sanguine est, fit flava bilis: crassum verò ac
veluti fæx, quando immodicè calefactum exa-
cuerit, atra: ijs adhærescunt, quæ nono Metho-
di medendi libro leguntur: ex sanguine namq.
febrium quædam manifestam habent putredi-
nis notam, quædam prorsus non habent, quas ni-
mirum ex diariarũ febrium genere esse dixi-
mus. At ne quis deinceps in hac re Galeni desi-
deret intentionem, scilicet, an ex sanguinis pu-
tredine febris gignatur sanguinea biliosave
(quod Avicenna nervosè admodum contendit,
disputàtve) audiat sciàtque non parum Gale-
num ancipitem, dubiùmve in hac re, veluti dif-
ficili esse, qua de re libro secundo de Differen-
tijs febrium, in capitis noni lemmate, quasi rei
dubius, disputaturus eandem quæstionem, in-*
G *quit, de Disputatione quæstionis an sit febris
sanguinis: qui si rei conscius esset, nec de ea quis-
quam ambigeret, illud subticuisset, & rem con-
cludendam, ut illi moris est, in capite fixisset,
quum eo loco ex professo & adamusim quæ-
stionem disceptet. In quo (ne amplius suspensos
vos habeã) ipse Galen. id quod ex libris de Cri-
sibus superius adnotavimus, concludit febrem
sanguineam ex sanguinis putredine fieri, modò
tamen sanguis supra modum non torreatur.
Quod si torretur, ejus subtilior ac pinguior
pars omnino in flavam convertitur bilem: quæ
autem crassior in atram, quod multò clarius ac
lucidius, enarratione decimaseptima libri se-*
H *cundi Aphorismorum exposuit, dicens. Quod
enim in vinis accidit acescentibus, tale quiddã
& in sanguinis alteratione contingit. Quod au-
tem in vinis accidit, tale est. Ubi ex toto aci-
da facta sunt, non redeunt rursum ad vini natu-
ram: parvo autem in ipsis facto momento, ita
quod acidum quidem habent saporem: nondum
tamen acetum sunt, multa sæpius ex ijs pristi-
nam recuperant naturam. Hoc idem in sangui-*
ne

ne evenit. Nam & ipse, ubi magna in eo sit facta corruptio, non redit amplius ad habitum naturalem: si vero paulatim fiat, ubi id quod superfluum fuerit evacuatum, quod residuum exi stit ad suam naturam restituitur. Hæc Galenus. Ex quibus luce clarius claret, quod ex sanguinis putredine febris gignatur sanguinea: haud tamen à quacunque sanguinis corruptione, sed ab ea præsertim sanguinem prorsus non inficiẽte, nec omnino ipsius formam corrumpente. Quo fit ut Galenus cæteriq. Græci homines sapientissimè admodum huius tres ponãt differẽtias, alteram à principio ad finem usq. eundem ferè servantem tenorem graviterque semper affligentẽ, veluti in vigore & statu existentes febres, quam suo nomine atmasticam, id est, similem tenorẽ servantẽ appellant, alterã cõtinuo assurgẽtẽ atq. invalescentẽ, unde epacmastica, vel anabaticã, id est, ad judicium usque assurgẽtem vocant: tertiam vero continuo decrescentem, nomine peracmasticam, ceteris minus malam: decrescit enim, ut hoc obiter attingamus, quia magis putridi resolvitur, quàm generetur, epacmasticę contrariò. Hæ autem febres nunquam in corpore eveniũt, raro & macilẽto gracilive, sed cõtinuo in juvenibus corpulentis obesisque: quæ nisi error commitatur aliquis, sæpe intra quartum diem solvuntur, quãquam tamen crisis raro in quarto accidat die, ut Archigeni bis, Galeno vero semel tãtum videre contigerit, quod tu intelligas velim de morbis biliosis acutis. secus autem de sanguineis. Nam morbi biliosi, seu à bile dependentiam habẽtes raro in quarto terminãt ur die, sanguinei verò multoties intra quartum judicium habent, ut testatur Galenus, quum de synocho loquitur libro tertio de Crisibus, & Hippocrates tertio Præsagiorum, ut latius in frontispitio hujus operis diximus. Cæterum febris, qua afflicta fuit puella hęc, sanguinea erat, quæ septimo die in biliosam degeneravit, ob nimiam ipsius sanguinis putrefactionem: nec enim unquam mihi placuit responsum huic quæstioni à multis datũ, datur febris sanguinea, quoad causam antecedentem: secus verò quoad causam conjunctam.

Curatio undecima de Tertiana, & syrupi quantitate propinanda.

RODOLPHVS natus annos viginti quinque, temperatura biliosus vigente autumno, tertiano paroxysmo

A correptus fuit, cui die altero interposito, alter respondit paroxysmus, ad quem vocatus, eum lecto decumbentem inveni, non omnino tamen à febri immunem, cujus lotium rubrum, crassum, & omnino sanguineum erat: proinde tũc basilicam dextri lateris seccare iussi, sanguinèmque in duabus pelviculis, ad uncias septem fluere: erat enim primæ pelviculæ sanguis omnino ater, corruptionem quandam præ se ferens, secundæ vero rubicundus, nulli aquositati permixtus: vesperi tandem, cum illum revi
B sissem, paroxysmo afflictum eum comperi, adeò ut ex simplici duplex facta fuerit tertiana. Nec enim credere est ob sanguinis extractionem ex simplici duplã factam esse: cum dubio procul nisi sanguis extractus esset, in tertianam continuam futurus morbus erat, ut ex sanguine facilè quis modo in curatione Francisci Oliverij trapezitæ instructus fuerit, deprehendet: quia sanguis ille rubicundus plus iusto & omni aquositate privatus, facilè in putridum verti debuerat, quemadmodum primus extractus,
D & in prima pelvicula receptus visus fuit. Debito igitur victus ordine constituto, syrupum à sanguinis extractione ebibit sequentem, qui habet, R. syrupi acetosi simplicis vnc. sem. de endivia unciam unam, aquarum endiviæ, buglossæ, ana unc. ij. misce. paucis tandem interpositis diebus, in quibus alvus, ut consueta redderet curabamus, pharmacum hoc bibendum dedimus, R. syrupi rosati solutivi vnc. 4. rhabarbari boni drac. j. & mediam, agarici noviter in pasta parati scrup. j. decoctionis communis quãtum sufficit. Fiat potus, quem in aurora
C bibat, & desuper horam dormiat, ut inde medicamentum melius actuari possit. Sed non dormivit, immo quum primo monueram, ut à potu succum cidonij mali, aut sorbi deglutirèt, eum evomuit: unde ilico quum ad eum redimus, bolum istum comederet suasimus, qui habet, R. pulpæ cassiæ recenter extractæ unciam unam, rhabarbari boni drachmam unam & mediam, misce, & cum saccharo fiat bolus. Hunc verò optimè

retinuit,

retinuit,& alvus ita bene respondit, ut E inde sanus factus fuerit: caliditas tamen membris derelicta alterantibus nonnullis, per triduum assumptis, extirpata fuit: fuerant autem dies omnes duodecim.

SCHOLIA.

HIC animadvertat doctus medicus, quod non eadem semper syrupi utimur mensura: veluti multi inepté admodum ad uncias quatuor cum dimidia, vel ad summũ quinq. cum aquis febricitantibus porrigunt. Qui sanè usus ex Galeni mutilatis quibusdã verbis, decerptus est, libro de Ratione victus in morbis acutis Commentario primo, enarratione quadragessimatertia, quę sic in antiqua versione habẽt. Ego quidem sum narrans hic summã illius rei, dico ergo quod quãdo accidit febris sola prętcr quod cum ea sit dispositio, alia cui sit possibile evenire ex potu aquæ frigidæ nocumentum, tunc si utitur aqua frigida, non solum est impossibile ut noceat, sed juvamentum est ejus magnum, & subdit. Ei juvametũ ex aqua frigida fit, quum ex ea abundè bibitur, præter quod atrahat aerem, sed quoniam quod de secaniabim bibitur, est quantitas parva, nõ est possibile, ut quod de eo in potu datur in omni die vice una, sit plus quatuor uncijs & dimidia. Hæc illa fœda & corrupta sunt verba: ex quibus omnis usque hodie posteritas syrupum ad quatuor uncias cum dimidia dari, nec illius elevandam dosim, tanquam legem sancivit. Propinabant G enim, veluti hodie quoq. apud Salmãticenses fit, syrupi uncias duas, aquarum totidem commixtas, in omni ferè morbo, ac si omnes unam exposcant mensuram, veluti si omnes uno calopodio calciari debuissent. Ignorant enim viri alioqui docti, quod syrupi pondus cum suis appropriatis aquis, nõnunquam augeri, aliquãdo vero minui debet. In febribus enim biliosis, ubi plerunq sitis viget, parum syrupi, multum vero aquæ miscemus, adeò ut illis sex unciarum pondus resultat: quia nostra in ijs febribus intentio est, ut syrupus in longinquas corporis partes permeet. At quum volumus stomachi, & H præcordiorum, veluti intestinorum materiam coquere, & eam expulsioni parare, tunc aquam minuimus & syrupi quantitatem augemus. Nec enim Galenus citatis verbis oxymelitis determinatam dosim descripsit, ut ex vera & candida interpretatione percipi potest, quæ sic habet. Dictum sanè abundè in libris Methodi Medendi, sed & nunc rei sũma dicetur: Quum ergo febris fuerit, constante virtute, tunc non solum non offendes, verum & iuvabis abundè. Potio autem frigidæ hujusmodi tanta sit, quantum frigida aqua ęger inspirando haurire possit, oxymelitis vero exiguũ datur, neq. singulis oblationibus plus dimidio. In hoc ergo exhibitionis scopus est dissimilis, nẽpe ad febris extinctionẽ frigida affatim, atq. ad laboratis usq satietatẽ bibitur. Quæ enim ita bibitur aqua, sanationis gratia efficitur: oxymeli vero æstate datur frigidum, ne laborantis adaugeat sitim, immo ut adversus etiam contrarium conferre possit, ob eas etiã causas frigidum oxymeli ante morbi coctionẽ dari jubet: quasi frigidum aquam ad sacietatẽ usque. Hactenus nova traductio, in qua nihil quod ad oxymelitis pondus attinet, legitur. At vetus interpres potionem illam aquæ, quam æ- F ger unica haurit vice, novem unciarum constituit: oxymelitis vero, tanquam prædictam mediam, quatuor unciarum cum dimidia suo modo interpretatus est. At Galen. ut citatis verbis perpendistis, iubet singulis oblationibus oxymelitis dimidiam potionis frigidæ aquę unica vice haustæ febricitantibus tribuere, sed vetus interpres, ut diximus, fallitur, quum multo majorem aquæ quantitatem uncijs novem, ij qui sic siticulosi febrientes sunt, uno bibunt haustu, id quod experientia quotidiana docet, & ipsi vulgares minimè diffiteri possunt medici. Præsertim quum Avicenna hujus potionis mentionem faciens, illius terminum ad heminam unam & mediam circunscripsit. Galenus verò libro decimo Methodi medendi, capite quinto, juveni ex ira febricitanti sub caniculę fervoribus, he- G minas duas gelidæ in prima accessione dedit. Est enim hemina, quã omnes prudentes viri cotylam appellãt, mensura quatuor continens acetabula, ciathos verò sex: uncias autem (ne amplius sermonem prorogemus) novem, vel ad sũmũ decem, ut ex Galeno habetur libro sexto de Cõpositione medicamẽtorũ secũdũ gen⁹, & libris de Sanitate tuẽda, veluti libello de Ponderib⁹ & mẽsuris Erũt igitur, ut placet Avicennæ, oxymelitis unciæ septem, ad minus, ægrotis dandæ, quum potum frigidæ aquæ unius & dimidiæ heminę statuat, cuj⁹ mediũ septẽ unciæ, vel septẽ cum dimidia sunt, vel, ut placet Galeno, qui prędictæ potionis duas statuit haminas, decem erũt H unciæ, quum dimidium haminarum decem sunt unciæ, quas ex oxymelite febricitantibus dabat, non vero quatuor cum dimidia, ut inepte admodum vetus interpres extra Galeni propositum interpretatus est. Lubentissime igitur hic iuvenes Neotericosq. medicos monitos velim, ne deinceps cum syrupifigis agant medicis, sed potius ubi opus fuerit, eorum adaugeant doses, pręcipue quum materia per universum cor-

poris

poris ambitum sparsa fuerit, & sitis ægrotantē infestaverit, ut olim doctor Altaretus, mihi nunquam pœnitendus magister, apud Salmanticenses, continuò medicis obijciebat. Est enim vir iste hodie apud Hispanos medicorum omniū celeberrimus, & in curandis corporibus humanis dexterrimus, qui decoctionis aliquando integram libram febricitantibus dabat, nec immerito, quum hemina propriè apud Galenum in ea capitur significatione, quæ duodecim continet uncias, ut lib. 4. de Tuenda sanitate legitur. Cæterum syrupi (ut mea fert opinio) pondere debent librari, ut fit apud Italos, non verò mensurari, ut Hispani, non sine tamen errore assuescunt.

Curatio duodecima de pleuritide.

TEXTOR holoserici, quum pleuritide affligi cœpisset, ut internam eiusdē lateris, ubi dolor erat, secare iussi venam, sanguinemque ad libras duas fluere, paucis tandem admotis ad locum dolorosum topicis medicamentis, intra septem dies sanitati fuit restitutus. Erāt vero illa, vesica bovina semiplena aqua, in qua incocta fuerant chamæmelum, melilotum verum, viola, malva, parietaria, & rosa cum multo violaceo, & rosaceo oleo. Fuit cæterum morbus iste acutissimus sævissimè affligens, adeo ut vix patiens ob intensissimum dolorem moveri posset. Nam victus ratio, ut morbus postulabat, oblatus fuit, & ille quidem ptisana colata.

Curatio decimatertia de curatione pleuritidis mendosæ.

PRÆDICTI textoris telæ bombicinæ honesta puella Clara, vicina, quam postea Abrahamus Hebræus chirurgus in uxorem duxit, in falsam & mēdosam lapsa est pleuresim, tanto præmebatur dolore, ut stare nequiret. Febriebat, sed nihil tussiebat, adeo ut per totum morbi discursum sputum nun-A quam emiserit: tandem bis extracto sanguine ex interna ejusdem lateris vena, ubi erat dolor, & saculo ex absynthio cōfecto, ac vino intincto & doloroso loco admoto, pristinæ sanitati intra septē dies fuit restituta.

SCHOLIA.

PERICVLOSVM enim est in mendosa pleuritide (ut testatur Aetius, & eo graviores medici) sanguinem per venæ sectionem extrahere: quia quum ab humore pituitoso & flatulento eveniat, sanguine, & virtutis B *robore pro ipsius discussione opus est: quo detracto, humor magis crudescit, & dolor intensior fit, qui pro sui ablatione venę sectionem exposcit: proinde pleuritim mendosam vera periculosiorem esse, nemini dubium sit.*

Curatio decimatertia de uteri procidentia, & eius curatione.

PVDICISSIMA & honesta uxor vi-C cini, nata annos vigintiquatuor, magnum imprudenter attollens pond⁹, in uteri procidentiam incidit, dolor lumbos invadit, gravamen circa pubem vel pectinem, magnum persentiebat, adeo ut deambulare non posset, lotium continuo mittebat, sed primo multo sanguine mixtum, postea secundo die minus sanguinolentum effudit. Tertio verò à sanguine alienum, tanquam pus in eo conspicio, in quo tunc eam febris corripere cœpit, sed quarto in eo multum puris apparuit. Semper sitivit, multum fuit anxia, & graviter omnia ferebat, ut vix in cubili perquiescere posset: ad quam D quum primum pervenerim, obstetricē accersendam curavi, quam doceo ut leniter matricem quoad fieri posset, ad locum reducat dein illico locellos hoc dicendo lavacro proluat, quod habet, R. rosarum rubearum, folliorum plantaginis, corrigiolæ sanguinariæ dictæ, añ. ma. j. in aqua fiat decoctio, quousq. aqua subrubea fiat. Facta colatura adde mellis rosati colati parum, misce, & fiat lavacrum

lavacrum, quod calidum per insectatiũ E
eiaculabatur, non minus caput declive,
& crura maximè elevata habeat sem-
per, suadeo, sed & muschum, & cibetam,
galliámve moschatam, ac res bene olen
tes naribus, veluti graveolentes pudendi
admovendas mando. Graveolentia au-
tem sive fœtida medicamenta sunt gal-
banum, & pennarum ustarum fumus. Iis
tantum duobus primis diebus peractis,
& fæcibus per clysterem depositis, tertio
die sequenti mel rosaceum colatitium
prædicto decocto in maiori quantitate
addo: nec enim potentioribus medica-
mentis astrictorijs opus erat ob appa- F
rens pus. Timor enim erat ne occlusum
ulcus malignius inde redderetur, ob in-
carceratam materiam. Quarto vero die,
multum puris in urina exivit, sed quin-
to minui in urina cœpit, proinde tunc
fomentum ex baulaustijs, myrto, hypo
cistide, rosis rubris, & semine sumach,
in vino rubro austero parare feci, quo
uterus optimè lavabatur, & spongia eo
imbuta pecten & pudẽdum fovebatur.
Nam & intus quoque in sinu lana vino
illo imbuta adaptabatur, octavo vero
cucurbitulas magnas duas umbilico
multa flamma ignitas affigendas iussi,
post quas illico cerotum hoc descriptũ G
sub ventre, id est pubi apponendum cu-
ravi, quod habet, R. mastiches, thuris, la-
dani, sanguinis draconis, ana drachmas
duas, galliæ moschatæ drachmã unam,
terebinthinæ, ceræ, resinæ, ana parum,
& ad igneẽ fiat cerotum, & super coriũ,
alutam dictum, extendatur, vel melius
super pannũ cocco intinctum, & calidũ
admoveatur: quibus rectè habuit, & ute-
rus ad locum suum rediit. Cæterum, à
motu, ut diximus, & rebus sternutamen
tum irritantibus, eã per quindecim dies
interdiximus: veluti à vino & rebus ca-
lidis. Nam victus rationem subtilem H
præscripsimus: porrò ab aquæ potu quã-
tum possibile erat Hippocratis consilio
eam arcebamus: sed primis diebus hali-
cacabi (Alkekengi officinæ, Mauri-
tanica voce, appellant) aquam
bibendam propi-
nauimus.

SCHOLIA.

Hic animadversione dignum est, quod matrix sive uterus, aut vulva (idem enim Latinis est) situata est inter vesicam & rectũ intestinum. Unde fit, quod matrix, quãdo extra naturam progreditur, vesicam comprimere possit, qua compressione urinæ stillicidium cũ mingendi continua aviditate excitatur: prout huic contigit mulieri. Hac de causa dixit Hippocrates libro 1. de Morbis muliebribus n. 17. Quandoq. vero ubi mulier vasa evacuata habuerit, & insuper laboraverit, uteri conversi ad vesicæ stomachum allabuntur, & urinæ stillicidium inducunt. Pertractat verò idem Hippocrates morbi hujus curationem libro 2. dicti voluminis numer. 37. ubi inquit. Si uteri extra naturam progressi fuerint, febrilis calor habet pudendum, & imum ventrem, & urina frequẽter ac paulatim destillat: & preterea n. 38. 39. 40. 41. 42. Sed uberius Paulus lib. 3. suę medic. c. 27. Quod verò sanguis urinæ admixtus fuerit, id venę, aut ligamenti alicuius rupturæ est tribuendum: quanquam uteri procidentiam plerunque ex ligamentorum quadam relaxatione fieri noscamus.

Curatio decimaquinta de menstruorum suppressione, & exanthematibus per universum corpus apparentibus.

Virgini decem & octo annorum assueti menses suppressi sunt: unde in symptoma gravissimum fœdissimumq. incidit: id enim erat exanthemata quædam per universam cutem sparsa: non quidem illa dicta variolæ, aut morbili, sed tubercula potius quædam per cutem efflorescentia, magna ingentiaque: quæ quotidie, ut septies & octies, oriebantur, ita quoque toties evanescebant. Durabant autem per dimidiam horam, & aliquando per integram, posteà verô ac si nihil in cute habuerat, delitescebant. Erant vero efflorescentia illa tubercula, sive papulæ colore subrubro, & albo, magnitudine panis, quæ potissimũ vultum fœdabant, quanquam & brachia, & crura, imò & universum corpus prehẽdebant.

debant. At quum primum apparere in- A
cipiebant, ex commotione materiæ do-
lor vẽtriculũ invadebat, & cordis anxie-
tas vigebat: quæ superveniente vomitu,
prout aliquando evenire contingebat,
subito levari videbantur. Omnia enim
hæc ex suppressa mensiũ materia, quæ
crassa & flatulenta videbatur, ortum tra
xisse diximus, Nã (Gal. teste, Cõmenta-
rio in tertium librum de Morbis vulga
ribus) ἐνθήματα tumores sponte in cute flo
rẽtes à crassis humoribus geniti nuncu
pãtur. Nã tenues humores (inquit) exul
cerationem potius faciunt, quam tumo B
rem, crassi vero cutem in tumorẽ extol
lunt. Credere̋ utiq. quum papulæ in vir
gine ista ita citò resolvebátur, materiei
multum spiritus ac flatulentiæ immix-
tum esse, tametsi virtuti potenti nihil es
se difficile sciamus. Mensiũ porrò sup-
pressio ex matricis mala qualitate, quæ
virginibus interdũ evenire solet, oborta
est: de qua consulendus venit Hippo. lib.
cui titulũ fecit, de Virginũ morbis, &
Gal. lib. de Locis affectis, quẽ interiorũ,
multi vocãt. Cæterũ universus curatio-
nis scop⁹ eo vertebatur, ut materia ad u-
terũ retrahetur, quæ impetũ & cursũ ad C
cutaneas, partes faciebat. Primo igitur
venã in talo, quã Saphenã appellant, tũ-
dere iussi, sanguinisq. uncias sex fluere:
laborabat autẽ nimia plenitudine, & sy-
rupũ istũ bibẽdũ obtuli, nõ solum mane
jeiuno stomacho, sed vesperi ante cœnã,
qui sic habet: R. Syrupi Byzãtini sine ace
to un. ij. aquę fœniculi, artemisię, vel ma
tricariæ añ. unc. ij. misce. hoc enim per
quatriduũ parato ad expulsionem ma-
teriæ, sequẽs propino pharmacum: R. Sy
rupi rosati solutivi un. duas, decoctionis
senæ, un. tres, oxymelitis compositi un.
unam, electuarij elescoph drachmã unã
& mediam, agarici noviter in pasta pa- D
rati drach. unam misce: hoc verum, opti
mè alvus secedit, non eo tamen ut admi
randi illi tumores ad cutem venire de-
sierint, quum ut antea eveniebant: quod
animadvertens, sequens iubeo à phar-
macopola parari decoctum: R. Radicum
apij, fœniculi, asparagi, rusci, petroseli-
ni, cardi benedicti añ. un. unam. Seminis

A fœniculi, anisi, apij, ameos, ana drachmã
unam, artemisiæ, pulegij, calaminthæ
añ. manip. unum: in libris septem aquæ
fiat decoctio, quoad tertia pars consump
ta fuerit: dein facta colatura adde syrupi
de calamintha, bysantini sine aceto, añ.
unc. tres misce. Cujus decocti cinnamo-
mo. aromatizati, ieiuno stomaco uncias
quinq. & totidem vesperi ante cœnam
bibebat, post cujus potionem exactam
bolum sequentem deglutiendum tradi-
dim⁹. R. Electuarij Indici drachmas tres,
diasenæ & diaphœniconis añ. drach. 1.
B cum diamargaritone secundum Avicẽ-
næ descriptionẽ, in pulverẽ redacto: fiat
bol⁹, post quẽ veluti alia catarctica me
dicamẽta, per horam integram dormire
permisimus, & ea præsertim quæ epota
sumuntur (nam catapotia longiori indi
gent tempore) ut bolum vero optime
deglutiret, aquam desuper biberet suasi
hanc. R. aquæ fœniculi, endivię an. un-
ciam unam & mediam. Sunt procul du
bio plures qui bolum absque aqua ab-
horrent: imo illum sumere nolunt. Eum
isto igitur bolo multa & varia alvus e-
C gessit: at interdum prædictum decoctũ
sumebat, veluti in omni curationis in-
cessu, quod alvus fluida esset, semper
soliciti fuimus. Retractiones quoq. per
crurium frictiones, veluti femoribus cu-
curbitulas adhibuimus, quas quum pa-
rum prodesse animadverterẽ, quia mor
bus nihil levabatur, sed potius ingraves-
cebat, iterum Galeni consilio pedis venã
aperire jussi, sanguinisque semilibram
extrahere: sed hæc sanguinis missio qua
tuor interpositis diebus à soluta alvo fa
cta fuit, in quibus diebus prędictum de-
coctum de novo paratum bibebat, inter
iectis alijs postea tribus diebus catapo-
tia hæc dedimus, quæ sic habent. R. Pi-
D lularum de fumo terræ scru. ij. agrega-
tivarum & de hiera composita an. scru-
pulos duos, fiant pilulæ sex, & inauren-
tur. Ijs enim alvus optimè respõdit. Sed
pertinax & sævus morbus non adeo so-
litũ suum cursum dimisit: quẽ penitus
cõtẽplatus, brachij dextri cõmunem ve-
nã tundere iussi, qua sangui. miss. papu
læ hæ minui cœperunt, nec tot vicibus

erumpebant. Cæterum, non veritus sum in brachio venã aperire, quia præsagiebam symptomata illa cum ea aut omnino levari aut saltem minui, quod ita experientia postea visum fuit. Levata minutaq. in parte superiori contenta materia, symptomata illa iam sævè affligẽtia remitti cœperunt. Haud abs re hæc sic temere à me producta sunt, quũ Gal. medicorum princeps, libello de Sang. missione inquit. Vacuatis enim cubiti per incisionẽ venis, aliud gravius longe superest. Purgationes enim menstruas auferũt, avertentes sanguinẽ ad superiores corporis partes. Sectis vero quæ crurum sunt, non solum retrahunt, sed etiã mẽses magis provocãt. Hæc ille in libello illo, in quo tradit, quod retentis mensibus, semper quæ sunt in cruribus venas incidere oportet, iuxta illud. Eo ducere oportet, quo natura solita est mittere. Sed forte in hac curatione nõ sic G. astricti esse deberemus, quãdo plethora præsente, deficientibus mẽstruis, sanguinis missio prima ex brachij interna vena fieri deberet, nõ vero ex saphena, ut voluit Aetius, sermone 17. suæ medi. c. 57. ubi ita tradit. Quæ ob plenitudinem non purgantur, copiosa sanguinis missione sanantur. Cubiti itaque ac talli venas secare oportet, & cætera. In quibus ut legitis cubiti venam secare iubet: cui astipulari videtur Paulus lib. 3. suæ medic. cap. 61. in quo de mensium supressione agit, quum dicat. Cùm igitur propter aliquod interaneorum vitium primarium purgatio circũciditur aut strangulatur, ex usu maxime fuerit, id quod primario afficitur curare, inde uteri habere rationem. Notæ quibus hæc deprehenduntur, in superioribus sunt expositæ, quum vero nihil illorum adfuerit, constat liquidò primario affectu occupari: itaque si ætas non prohibet, aut habitus, aut alid quippiam, venam oportet incidere: idq. non ante statum mensium tẽpus, sed ubi iam accesserit, decem dies superadjiciantur. Detrahetur autem sanguinis neque plus duabus libris & semisse, neq. minus una, si quidem venam diviserimus: si autem non, hiera diacolo-

E cynthidos purgari debent & cætera. In quibus verbis Paulum non pedis venã primò secare, sed brachij potius mandasse, credere consentaneum est, quia inferius ex tali vena sanguinem detrahendum dixit, ut ex ijs verbis satis clarum evadit, in quibus ita tradit. Vbi accesserit iam menstruale tempus, si nihil aut nulla mentione dignum fuerit excretũ, ex talo sanguis detrahendus est. Quæ verba Avicenna ita intelligens, non veritus est palã & clare in nostro casu, curvaturæ venã pertũdere ut recte admodũ Matthæus de Grado cõmẽtariis suis,
F super nonũ ad Almansorẽ regẽ dicatũ librũ meminit: quia si plethora cũ mensiũ suppressione adest, & sanguis ex pedis vena dematur, timor erit ne humores præcipitẽtur ac corruãt, & obstructiones pariãt primario morbo graviores. Proinde forte à princio in brachij flexu venã scindere satius esset, ac non sic Gal. in hac re mordicùs tenere: quia, ut ille ait libello de Libris proprijs, & de ordine suorũ librorum, servi illi esse videtur quicunq. se vel Hippocraticos, vel Praxagoricos, vel alios alterius sectæ appellari volũt. Quicunq. igitur sive Roma
G nus, sive Græcus, vel Arabs, aut Iudæus, optimè loquutus fuerit, illi procul dubio fides habẽda est. Cæterum certo dierum intervallo interjecto, ita ut trigesimus ageretur dies, ab eo quo primũ iuvenis hęc ægrotare cœpit, sævissimè ab illis papulis correpta fuit, cui iterũ venã poplitis secari iussi, quã Avicenna Fen. 13. tertij, illi quæ in talo sive mallelo est præferre videtur: quanquã Gal. & ante eum Hippoc. non magis tali dicti malleoli, quam poplitis venæ incisionẽ multis in locis suorum dogmatum facere videntur: sed quum illam secare iuberem, in-
H tervenit quod vulnerarius in ea tundenda omnino imperitus erat, qua de re ad eam quæ per talum obrepit nos convertimus, ex qua incisa sanguinis unc. 8. fluere permisi, & decoctum hoc bibendum dedi: Recipe Radicum tusci, asparagi, fœniculi, petroselini, an. unciã unã, eryhrodani, id est rubeæ tinctorum unci. duas asari, acori, id est

crassioris

crassioris galangæ, iúci odorati, an. unc. A i. pulegij, calaminthæ, origani, matricariæ sabinæ, absynthij, an. m. i. seminis anisi, fœniculi, tusci, dauci an. drac. unã. In libris octo aquæ fiat decoctio, quousque maneant libræ quatuor, facta colatura adde cinnamomi optimè pulverizati drac. tres. Syrupi prasini, id est, de marrubio, de matricaria an. libr. mediam: misce, & singulis diebus ieiuno stomacho semilibram eius bibat. Nam & tũc eã balneandã iussi, balneo constringente & materiam ad interiores partes comprimente ex aqua dulci parato, in B qua incoctæ erant rosæ rubræ myrthi & lentisci summitates, balaustia & absynthiũ, quibus remedijs & iterata purgatione sana evasit, nec ampli⁹ hic morbus, quem antea Symptoma, appellavimus, rediit.

SCHOLIA.

NON mirabitur hic spectator bonus, de tam sæpe iterata evacuatione: quum longi morbi longa indigeant curatione. Item quod noverit ille multis & iteratis uti evacuationibus opus esse, ubi præsertim humores per habitum corporis dispersi sunt, veluti ubi viscera ob- C *structione quadam laborant, non minus ac si quando vires solemnem evacuationem non admittunt, ut ex Gal. doctrina passim percipitur, non illicò tamen suppressi menses ad solitum suũ cursum redierunt, sed potius post longum intériectum mensem: consului tamen ut illico hæc viro nuberet, prout mandat Hippocrat. Timor enim erat hanc in elephantiasim (lepram Arabes vocant,) devenire: quia quoque sui majores ea, ut mihi referebatur, laboraverant: qua de causa vino in universo huius morbi cursu illi interdiximus.*

Curatio decimasexta de febris horridæ curatione, & senæ decocto. D

SOCRVS vicini, quum febre horrida affligeretur, epoto medicamento, convaluit: fuit autem medicamentum hoc, R. syrupi rosati solutivi uncias tres, decoctionis senæ uncias totidem, misce. Solent cæteri medici infusũ, sive decoctũ senę varijs parare modis: nos vero more Lõgobardorũ, ita parare solemus, R. Folliculorũ, & Foliorũ senæ optimæ oriẽtalis unciã unam, gingiberis drachmam mediam, florum borraginis, violarum, rosarum rubrarum, arantiorum an. drach. unam, polypodij drachmas duas, passularum unciam mediam, sebesten & prunorum utriusque numero 6. in libra una & media aquę fiat decoctio secundum artem: modo sena parũ ebulliat, & vas optimè obturatum per sex horas dimittatur: deinde exprimatur: huic vero miseri solẽt mel rosaceum colatitium, quod si morbus postulaverit, medicus addere poterit, veluti in ipsa compositione, thymum & epithymum.

SCHOLIA.

VETVS quęstio est, & à recentioribus hodie in scholis disputata, utrum incohoantibus morbis, & non turgente materia, liceat medicamento purgante uti: nam receptum est Hip- C *pocratis decreto, quod turgente sive pruriente materia, illico nulla interposita mora, purgandum sit: ut Aphorismo illo legitur: Concocta medicari, atq. movere non cruda, nec in principijs, nisi turgeãt, ut plurimũ vero non turgent. Sed utrũ nõ turgẽte materia, purgãs medicã, in principio morbi, nõ spectata cõcoctione medicus ægrotãti exhibere poterit, hoc opus et hic labor est. Nos vero scientes ex neotericis non paucos de hac re integra volumina in lucem emisisse, ut sunt Michael Villanovanus, vir mea sententia doctissimus, & Donatus Anton. ab Alto mari, Neapoli, medicus clarus, ac plures alij, qui in suis commentarijs & epistolis vigilantissime quæsitũ hoc pertractarũt, brevibus rẽ cõprehendemus, lectores ad signatos duos libellos remittentes. Primo itaque scire licet, quod ratio prohibitæ purgationi, in initio mor-* D *borum est, quia humor crudus ob crassitiem & frigiditatẽ est tardi motus, nec pharmaco obedit, unde symptomata prava & sæva sequũtur, & tãto deteriora, quãto pharmacũ erit in attrahẽdo generosius, & humor ob maiorẽ crassitiẽ in reluctando validior, aut magis fixus, & in vijs angustioribus, ex qua lucta, ac actione & reactione, excitantur tormina, rosiones, animi deliquia, fastidium, mali pulsus, atque vertigines.*

tigines,ut habetur apud Gal.lib. 4.de Sanita- E
te tuenda, & aphorism. 9. lib. 2. & libro quos
oportet purgare. Item quia medicamentum tūc
carnes celiquabit, & partes sanas absumet, ac
ad maciam quandam corpus ducet, quo ductó
ad emaciem sive contabefactionem ac inbecilli
tatem corpore morbus superior evadet, ut legi-
tur libro quart. de Ratione victus in morbis acu
tis. Nam prædicta purgatio naturam exagitan-
do, concoctionem futuram impedit, quæ in quie
te erat iuvanda, ut citato loco scribit Hippo-
crates, quibus adde, quod non solum tunc crudi
ipsi humores non sunt educendi sed nec alij ex-
pulsioni parati, si modò crudis vias obstructas
habeant, per quam alij sunt educendi, ob quam
causam, in turgentibus materiebus Galenus via F
rum apertionem desiderat, quia stante obstru-
ctione, alijs fit impedimentum, quo minus pos-
sint educi, ut ait Gal. libr. quarto de Sanitate
tuenda. Hæ enim obstructiones, ob quas phar-
macum dandum timetur, præcipue in venis me
senterij & concavi iocinoris reperiuntur: proin
de quum quis pharmacum generosum á venis
educens tentat porrigere, prius necesse est in ore
harum venarum crassos & lentos existentes hu
mores extenuet, subtiliet, incidat ac concoquat,
quum aliter ex alijs partibus venientes humo-
res educi non possent postquam per primarum
harum venarum orificia futurus sit transitus:
quæ sane primarum venarum obstructio, ple-
runque sanguinis missione curatur, ut legitur
libro de San. miss. apud Galen. & eadem ra
G tione sanguinis missionem purgationi permit-
timus, & ut pharmacum vias laxiores inve-
niens sine impedimento humores attrahat, ut
ait Gal. libro de Renum affectibus, & libro de
Missione sanguinis contra Erasistratios. Si igi-
tur in primarum harū venarum orificijs nulla
sit obstructio, nullus denique humor crassus exi
tum aliorum impediens, immo aliorum conco-
ctio appareat, tunc, ut tradit Galen. libro Apho
rism. & libro Quos oporteat purgare, natura
pharmaco adminiculatur, quia quum natura
pellit, & pharmacum attrahit, facilior fit edu-
ctio. Solet enim natura postquam concoxit &
secrevit, pellere, ut libr. de Facultatibus na-
turalibus & passim apud Galen. legimus. Cæ-
H terum quum tumor universus consistat, initio
morborum ante concoctionem materierum, ge-
nerosa dare oportet medicamenta purgatoria,
quæ plerumque sunt calida, ut habetur á Ga-
leno libro Aphorismorum primo, enarratione
vigesimaquarta, & quinta quarti libri, quia
ab ore primarum venarum attrahant, in qui-
bus obstructiones sunt, fit inde ut ea medica-
menta dare in isto tempore ante concoctionem
humorum minime formidare debeamus, quo-
rum vires primas venas non attingunt, ut sunt
hodierna nostra medicamenta, quæ ob id quod
mite, & absque noxa ulla aut naturæ inpulsio-
ne aliqua purgant, benedicta dicuntur, ut sunt
cassia fistularis, manna, rhabarbarum tha-
marindi, sena, symphus rosatus solutivus, syru-
pus violaceus solutivus, syrupus ex mercuria-
lis succo confectus, passulę Corinthiacæ, diapru-
nis absque scammonio, diacatholicum & hujus
generis alia, quæ tuto in initio morborum nulla
apparente concoctione dari possunt, quum ma-
terias in vijs ductum sistentes deponant, quibus
depositis natura validior efficitur, & virtus
potentior ac alacrior supra residuum evadit,
ut Galenus meminit in enarratione illius Apho
rismi, Inchoantibus morbis si quid movendum
videtur move, & cætera. Quinimo Hippocra-
tes & Galenus similibus purgationibus in mor-
borum initio sunt usi, nam lacte asinę cocto lib.
quarto de Ratione victus in morbis acutis, ini-
tio purgat: hic verò undecimo Met. med. libro,
hoc opus non tam pharmacis quam cibis face-
re consuevit, ubi mulsam, & cibos qui ventrē
liquent, & pharmaca quæ modicè evacuáre
possint commemorat: nec id quidem ab re, quum
materiam tantum circa ventrem molestantem
& evacuationi paratam purgare intendunt: ad
cujus sequelam peccantis quoque portiuncula
deponit, ut libr. 2. de Compos. medic. sec. locos,
legitur: & 12. meth. med. ubi de clystere qui
etiam ex mesenterio, & simis hepatis frequen
ter educit, meminit, quod unum multum ad na-
turæ victoriam supra morbum facit. Nisi enim
initio natura iuvata esset temporis successu, &
morbi vi defatigata, plerunque succumberet,
& in interitum æger devenisset: ob quam for-
te prætermissam praxim Hippocratis & Gale-
ni temporibus multo plures ęgrotantes, quam
nunc in medicorum manibus moriebantur, ut
ex illorum dogmatibus conijcere licet. Eodem
pertinet, quod Gal. libro quarto de Ratione vi-
ctus in morbis acutis, enarrat. 76 inquit, aut
initio purgandum esse, aut expectandam esse
cōcoctionem: nec enim confugere est, ibi dicendo
ut Vilanovanus vult ibi Galenum loqui de ma-
teria turgente, quum si de ea loqueretur, nullá
in ea speraret concoctionem, quam expectandā
suadet. Nec enim præter crudos humores Hip-
pocrates unquā concoxit. Nā ut docet Gal. lib.
4. de Sanit. tuend. omnes humorum differentiæ
ad tria simplicia genera reducuntur, ad sangui
nē tanquā medium, ad crudos humores ante eū,
& ad biliosos post eum: crudi tanquam ex san-
guine nondum perfecto existentes concoctionem
omnino desiderant, biliosi vero tanquam ex eo
supra modum cocti, non coctionem desiderant,
sed purgationem potius, ut latius de hac re,
dum

dum dabitur occasio, differemus: præsertim in ex quæstione, an bilis & subtiles humores sint crassiores reddendi pro eorum purgatione: sed quod initio purgandum sit, faciunt Hippocratis verba hæc. *Circa initia & fines omnia imbecilliora, circa statum omnia fortiora*: præsertim in febribus acutis, in quibus humores plerunq; biliosi, tenues, mobiles, & agiles reperiuntur, sursum & deorsum repentes, & in ventre murmurantes: quod animadvertens Galenus, Præstat inquit, initio alvum ducere grande clystere, vel levi pharmaco, ut ab excrementorum onere leventur intestina, & aliis succis educendis reddantur paratiora. Nam libro quarto de Ratione victus in morbis acutis interim prima, interim secunda, interim quarta, & quandoq. quinta die pharmacum se exhibuisse, tradit: quin libro de compositione medicam. Secundum loca, nulla præcedente concoctione aliáve præparatione, utramq bilem & pituitam purgat in alopecia, qui paulo post, in multis capitis morbis idem facit. Vt liquidò constet, recte eos medicos operari, qui morborum initio, minorans, ut aiunt, medicamentum purgatorium ægrotis, porrigunt: ut Manardus Ferrariensis vir singulari doctrina præditus libro suarum Epistolarũ quoq. approbat, qui mea sententia, à nonnullis hodie iniuste lancinatur, quum dicat qualitatẽ quãtitatem & locum sæpius nos cogere, ut ante concoctionem vacuemus, quum revera res ita se habeat. Nam si ex mala & prava qualitate humoribus insita, morbus gignatur, illico nulla interposita mora vacuandum est, ut in turgentibus & prurientibus fit humoribus, & pestifero tempore vigentibus. Si vero quis ob quantitatem, sive humorum multitudinem malè quoq. habuerit, illico initio purgandum est, ne sua multitudine suffocent, vel potius in morbi incremento dissolutis viribus febrilis caliditas augeatur & demum ad interitum æger deveniat: vel si nullum horum eveniat, saltem partem aliquam corporis obsideant, in qua phlegmonem, aut œdema, morbumvè maius periculum afferentem faciant. Nec enim semper sanguinis missione uti consentaneũ est, cuius vice suadet Galenus pharmaco utamur, ut libro quarto & quinto de Sanitate tuenda scriptum reliquit. Demum si humores circa aliquod princeps membrum ruant, initio nulla spectata concoctione purgandi sunt. Si enim infestato stomacho a bile & pituita Galenus absq præcedẽte præparatione, eam per hieram, & alia medicamenta purgabat, cur nos humoris iecur, aut cor, ad cerebrum infestantes omni adhibita diligentia non deponemus? Ignarus procul dubio medicus dicendus est, qui si infestantes crudos humores viderit, in pharmaco exhibendo moram interposuerit, & eo ma-

A gis: quia hodie benedictis, & fere frigidis purgantibus medicamentis abundemus. Vidit enim Galenus, ut libr. 15. Methodi medendi refert, multos, quibus inflammatio in oculis cœperat, sola per inferiorem ventrem purgatione una die liberatos: proinde firma indubitataque conclusio nostra est, quod initio morborum tuto pharmacum, quod minorans dicimus, ægrotis dari possit, & debeat. Cæterum Cornelius Celsus præsente febre, pharmacum semper abdicat: Græci vero non nisi apparente concoctione pharmacum propinabant: quorum dictata hodie absurda esse videntur. Nam quia olim medicamenta acria & perniciosa erant, Cornelius Celsus B stante febre ea pertimebat: quia sua ignea caliditate & acredine febrilem calorem intendebant, & corpora in vitæ discrimen trahebãt, nec vero tantum præsente febre Hippocrates medicamenta hæc horrebat, sed vigente æstate, ut Aphorismo quinto libri quarti & sexti, de Morbis pass. vag dixit: *Sub cane & ante canẽ molestæ sunt purgationes*, quia tunc exusta natura nostra, acrimoniam purgantium medicamentorum non fert: item quia ingenti æstu imbecillis facta natura, acredine medicamentorũ facilè dissolvitur, tum quia actiones contrariæ inibi veniũt, calore ad exteriora trahente, pharmaco vero ad interiora. Quod vero Græci non nisi apparente concoctione pharmacum exhibe- C bant, id quoque non minus absurdum videtur, quia quoties humorum coctio apparet, natura potens supra morbum est, atque inde tunc temporis superfluam evacuationem esse, quisque dicere audebit. Nam si natura potens & valens supra morbum est, ita ut intra paucos dies nullo interveniente adminiculo, vel adiutorio, morbum propellere poterit, ad quid præcor tunc adiutorium, hoc est pharmacum ægrotis medici propinant? Iniuriam procul dubio facere videtur is, qui potenti auxilium dare contendit: nisi quis dicere velit, quod morbus facilius eo dato expelletur, & sanitas citius adipiscetur. Item humorum concoctio non nisi in statu apparet, in quo quiescendum, & nihil immutandum ipsimet suadent. Sequitur D igitur quod tunc temporis pharmacum dandum non est, quod tamen ipsi iubent, non nisi stãte concoctione pharmacum propimtur. Iis vero Græci respondent, quod si status symptomatũ coincidit cum cõcoctionis humorum statu, quod tunc dubio procul pharmacum abnegandum est: quia symptomata pharmaci opus pervertunt, & multa mala inde sequuntur: quum vero status coctionis humorum adest, absque symptomatum coincidentia, tunc pharmacum rectè concedi potest: & sic quæsitum (cui contradictio inesse videtur) diluitur, scilicet stante

E *concoctione in statu pharmacum dandum est: intellige, quando symptomata non pervertunt pharmaci opus: quod potissimum est, quando symptomata non coincidunt cum statu concoctionis humorum. Si verò coincidunt, tunc in statu pharmacum dandum non est, quod potissimùm evenit morbis, qui ad unicam criticam expulsionem terminantur, quos olim antiquitas potius sanguinis missione, & optimo victus ordine, quàm pharmacis curabat. At nos hodie nacti benigniora medicamenta, audacter initio morborum purgamus: & morbos natura sua lethales, qui omnino ægrotum opprimere, & ad internecionē inevitabilem ducere debuerāt, leves, & mites, ac salubres ijs purgationibus reddimus, quibus minorem factam initio morborum materiam, facilius natura potest conco-* F *quere, ut enarratione vigesimanona libri secundi Aphorismorum Galenus Hippocratem interpretatus est, quū dixerit. Quum morbi inchoát, si quid movendum videtur, move: quum vero consistunt ac vigent, melius est quietem habere.*

Curatio decimaseptima de oris ulcerationibus, quas Aphthas Græci, Alcholas vero Arabes appellant.

FILIVS Ludovici Ferdinandi ab G Arias, quatuor tantum natus annos natura sanguineus, obesulus, & bonæ habitudinis infans, in aphtas, id est, oris ulcerationes devenit. Sunt enim ulcerationes hæ ab Arabibus Alcholæ dictæ, latiniores verò lactucimen appellant, quæ quum primum apparere cæperūt; febris quoque cum horrore eum affligere cœpit, & ut postea comprehendi- H mus, duplex fuit tertiana. Secundo igitur die ad eum veniens, brachij venam illico aperire, hirudinemque vulneri admovere iussi. Nec enim timere est, puerulis carnosis & boni habitus, venam in hac ætate tundere, tametsi Galenus cæterique Græci hoc nunquam admisere. Arabes tamen, Abinzoarem libro suo de Sanitate tuenda sequentes, qui filio suo trium annorum, ut tradit Averroes, sanguinem per venæ

E sectionem minuere iussit, postulante morbo, minimè formidant: quos boni medici imitantur, nec vulgi famam timent, quum multa bona inde evenire experientia compertum habeant. Postea vero pro iis lavandis vlceribus hoc decoctum, sive lavacrum parare iubeo, quo sæpe lavabantur, & ita habet, R. rosarum rubrarum, balaustiorum, myrtillorum, foliorum olivæ, lentisci, sumachiorum, plantaginis an. m. I. aluminis rochæ vnc. mediam: in libr. tribus aquæ fiat decoctio quousque aqua rubra evadat. Deinde vero clysterē istum immittendum suadeo, F R. Decocti hordei uncias decem, olei violacei uncias tres, cassiæ extractæ unciam mediā, salis drachmam mediam, sacchari sancti Thomæ, quod rubrum officinæ vocant, unciam unam, misce, & fiat clyster. Syrupum verò omnino abhorrebat, sed & vesperi iecori epithema imponendum curavi, ne materiam de nouo ad superiores transmitteret partes: fuit enim hujus morbi causa procatharctica vini nondum cocti, musti dixerim, multus potus. Habebat vero epithema sic, R. succi endiviæ uncias quinque aceti rosati unciam unam, santhalorum rubrorum drachmam unam, misce, & G tepidum imponatur: sed linimentū, quo oris ulcera, post lavacrum illinirentur ex melle rosaceo colato, mastice & thure, cum dupla portione aluminis rochæ ustæ parare feci, tota vero cura circa oris ulcera dirigebatur, ut quam optimè lavacro prædicto lavarentur, inungerenturque, tertia vero die clysterem antea- H ctum iterandum iusi, ut syrupum rosaceum solutivum duarum unciarum pondere cum iure pulli bibendum obtuli. Tunc vero puer a febri liber evasit: & quarta melius habuit, sed quinta ulcerationes oris minores factæ sunt, & vesperi sternuit: sexta tandem sanus factus fuit. Victus ratio huic ptisana colata, quam Savis hordei Arabes appellant, multo iusculo capi admixta erat, pullus quoque gallinaceus hordeo coctus, veluti panatella, & malum punicum vinosum, & acidum, & dulcæ, aquam por-

ro ex communi padana bibebat.

SCHOLIA.

HIc scire licet, quòd aphthæ sive oris ulcerationes plerunque pueris accidunt, quæ tribus sunt modis, quædam albæ, aliæ subrubræ, aliæ verò crustæ modo nigrescunt, cæteris peiores: verùtamen omnes igneam caliditatem præ se ferunt, ideo ut multoties in gangrenam transeant, & consequenter in syderationem, id est, membri omnimodam mortificationem, ut puero allato ex sancto Vincentio apud Lusitaniam, in Castellum Album contigit, ætate septem annorum: à quo frustulum mandibulæ extractum fuit, & vixit, sed postea interjectis duobus mensibus, ut mihi relatum fuit, diem suum obijt. Cæterum omnes lactentes pueri isto morbo affecti sæpe moriuntur, hac præcipuè de causa, quia sugere & lac attrahere non possunt, ut filiolo Dionysij Pinti octo supra decem menses nato, contigit.

Curatio decimaoctava de supradictis oris ulcerationibus, & de tibiarum & brachiorum scarificatione.

PAucis interpositis diebus hujus dicti frater, duos natus annos, in easdem oris ulcerationes incidit: qui surarum, sive tibiarum ventrium scarificatione, & topicis adhibitis enumeratis medicamentis sanitati illico fuit restitutus.

SCHOLIA.

NON præteribo hinc, quin taxem omnes, præter quàm Hispaniæ medicos, qui in puerulis hanc tibiarum & brachiorum scarificationem adeò prætereunt, ac si pauci momenti evacuatio esset, vel ea potius Galenus nunquam usus esset. Quod falsum esse paucis monstrabimus: quum Galenus ita sæpe hac usus fuit evacuatione, ac sanguinis missione per venæ sectionem, quod facilè deprehendere quis poterit, ex ijs verbis, quæ ab enarratione decimaseptima secundi libri Aphorismorum adducuntur: quæ ita habent. Evacuatio autem omnium humorum æqualiter (qua quidem exquisitissima est) fit per venæ sectionem: proxima autem huic est, quæ per tibiarum scarificationem, ut nos facere
A *consuevimus. Hæc Galen. quibus nihil vel clarius, lucidius dici poterit. Huc adde, quòd Galenus tanti facit, hanc per scarificationem evacuationem, ut de ea librum scripserit. Nam & libro decimotertio Methodi medendi, altero crure malè affecto alterum scarificari jubet, non verò venam secari, ut multi ineptè admodum, qui de Pleuritide Apologias scribunt, quas pro suo roboranda errore adducunt: ita enim citato loco apud Galenum legitur. At si vel plethoricum corpus sit, vel vitioso succo redundet, curatio per ea quæ si calent, fluxionem ad membrum citat Cogimúrque aliàs sanguinem mittere, idq. aut vena incisa, aut ijs, quæ læsa non sunt scarificatis. Manu enim laborante, scarificabis cru-*
B *ra: altero crure malè habente, reliquum. Agit enim hic Galenus (ut obiter hoc dicam) de externis affectionibus. Cæterùm proximum ijs erit enarrare, quod mihi contigerit annis elapsis, & ita habet: Dominicus Mariæ à Bala, mercator Bononiensis, quum filiolum graviter ægrotantem haberet, ut illum inviserem me rogat, ad quem accersitus jubeo protinus crura scarificari, prius ea per spongiam foventes calida aqua, & ad poplites ligatura, ac ad suras evocato sanguine, eas sæpe harundine fessa percutiendo, sed invita matre puerili, natione Græca patria, Bizantina, quæ quum intra duos dies puerum sanum conspexerit, ad me postea, tanquam ad sacram anchoram, quum pueri sui vel amico-*
C *rum ægrotarent, confluebat, ut illam illis juberem evacuationem facere, tãtùm videlicet huic evacuationi tribuens: nec sanè immeritò, quia præter multa quæ secum adfert commoda crurium scarificatio, materiam in corpore exundantem minuit, & caput à dolore, & malis affectionibus liberat. Opus tamen fuit Ferrariæ, veluti apud Germanos inferiores, vulnerarios docere hanc exercere evacuationem, quum antea ea nunquam usi fuissent.*

Curatio decimanona de calvaria reducenda, quæ percussa & plicata antea fuerat.

D

PVella, quam ab aphthis, idest oris ulcerationibus liberavimus, per scalas cecidit: cui calvaria prope tempus dextrum intus plicata fuit, nullo vel apparente vulnere, aut sanguinis missione, cutis tantùm erat contusa, magna fovea intus immissa, cui occurrens, & accersito

cessito chirurgo, cucurbitulam multa flamma ignitam admovere loco affecto jubeo: posteà verò albumen ovi optimè concussum, & multis pulveribus constrictivis mixtum, & stupa exceptum atq. loco oppositum, intra paucos dies sanitati fuit restituta: jussi tamen postquam meliusculè habere videbatur, loco affecto emplastrum de betonica admovere.

SCHOLIA.

Omnibus notum esse auguror, ossa puerorum tenuiora esse, quia sanguinolentiora, ut testatur Hippocrates libro de Capitis vulneribus prope finem: qua de causa facile plicantur, & difficulter rumpuntur, & franguntur, quia nec densa, nec solida, nec antrosa sunt, ut visum quoque fuit in puero coriarij apud Malamtestã pigmentarium habitantis qui quum ex alto caderet, caput contusum habuit, qui & laminas plicatas, & ipse eodem artificio fuit curatus, & sanus evasit. Cæterùm, est instrumentum chirurgicum ex tripodibus fabrefactum, quo adultioribus ossa plicata, & disrupta foras trahuntur.

Curatio vigesima de gravissimis quibusdam symptomatibus, ob dolorem oris ventriculi à bile prasina evenientem obortis.

VXOR Juristæ à costa plerunq. sævissimis doloribus circa os ventriculi cruciabatur. & adeò sævissimis, ut in epileptica symptomata sępe incurreret: nam sensu & motu ferè privabatur, & tanquam mortua jacebat, quæ non nisi voce asperiuscula inclamata, per capillorum auriumq; dolorosam attractionem excitabatur, & ad se redibat. Vocatus igitur, eam in accessione comperio, quæ ob ingentissimum & infestantem dolorem illum me rogat, jubeam affectum illum locum aperire: nam aliter non posse evadere, alta voce clamabat. Ego verò sciens ultimis morbis ultima diligentia opus esse, illico vomitorium hoc offero, quod habet. Aquæ in

E qua decoctum fuit semen raphani un-
cias sex, oxymelitis simplicis unc. 2. aga
rici in pulverem redacti, drachmam
unam, misce, & tepidum bibat: tepida
enim stomachum relaxant, & ad vomi-
tum incitant: hoc igitur, prius cibo, quē
antea comederet, ejecto, multam bilem
vitellinam & prasinam evomuit: sed nō
ob hanc causam dolores remissi sunt:
qua de causa clysterem istũ parare jussi,
Rec. Centaurij minoris, chamęmeli, me
liloti, añ. m. 1. Cumini, seminis fœni-
culi, ameos, ana drachmam unam, in li-
bra una & semisse aquę fiat decoctio suf-
F ficiens, cujus decocti libræ unæ addas
olei anethini uncias quatuor, diaphœni
conis drachmas sex. Trochiscorum ala-
handal drachmam mediam, salis nitri
drachmam unam, vitellos ovi numero
duos, mellis uncias duas, misce: cum quo
quater vel quinquies egessit, post quæ,
stomacho spongiam imbutam decocto
absynthij & rosarum, cum oleo de men
tha, & absynthino, calidam admovere
curavi: quibus præsidijs libera tunc à do
lore evasit. Sed hæc inter noctem age-
bantur. At quum illuxit dies, ad eam ac
cessi, ubi altius & intimius morbi hu-
G jus causam quærens, inveni morbi hu-
jus originem & causam jecur esse, quod
& obstructum & malè affectum erat.
Percipiebam verò esse obstructum,
quia plus justo tumebat, & quum ma-
nus illi admovebatur, dolebat: hac
cæterùm obstructione jecur sic malè
affectum, malê officio suo fungebatur,
unde multum bilis vitellinæ & porra-
ceæ dictæ prasinæ, sive viridis gignebat,
potissimùm quando herbis & malis &
pessimis edulijs vescebatur: quæ bilis ad
os ventriculi potissimùm delapsa, crude
les & sævos illos dolores causabat. Ad
H causam igitur, & morbi originem occur
rens, sanguinis extractionem non ad-
mittens illa, qua de causa, inquit Gale-
nus, Pauperes, ditioribus citius sanãtur,
quia pauperes facilius obediunt, & illico
sanguine minuto citius sanitati pristinæ
restituuntur. Syrupum istum concedo,
R. Syrupi de Agremonio, id est, vero
apud Dioscoridem eupatorio, unc. duas,
decoctionis

decoctionis fumi terræ in qua multi spicæ nardi incoctum est unc. 4. misce, quo per sex dies manè & vesperi usa fuit, post cuius bibitionem, bolum sequentem devoravit, R. Electuarij lenitivi drachmas quinque, de succo rosarum drach. 2. agarici noviter in pasta parati drach. 1. & mediam, cum saccharo & pulvere cinnamomi, fiat bolus. Quo alvus optimè secedit: & sequenti die jecur hoc unguento illini suadeo, quod habet, R. Succi eupatorij Mesues, veri apud Dioscoridem agerati dicti, unciam 1. & mediam, de agrimonio vulgari, Dioscoridi eupatorio, unciam 1. olei absynthini, nardini, añ. unc. mediam, pulveris ligni aloës, spicæ nardi, caryophyllorum, añ. drachmam unam, ceræ unc. unam, misce, fiat unguetum, quo manè & sero inungebatur. At ijs bis omnibus iteratis, & nonnullis cataplasmatis jecori admotis ex Archigenis officina prodeuntibus, quæ Galenus libro octavo de Compositione medicamentorum secundum loca, citat: ad Thermarum aquas condescendi, & illas quidem apponi prope Patavium, quas ebibit, & ita valuit, ut dolor amplius nunquam redierit.

SCHOLIA.

BILIS prasina hęc, potius ex incoctione quadam gignebatur, quàm adustione: unde magis inter pituitæ species numerari meretur, quàm inter biles per adustionem porrò nonnunquàm prasina hac bilis fit, ut alibi diximus. Cæterùm, quum circa ventrem & intestina, una in singulis cavitas est: quę vitiosam humiditatem suscipere possit, circa hepar tamen tot numero sunt, quot habentur arteriæ & venæ. Etenim quum hæ omnes oscula angusta possideant, qua parte visceris hujus sima cum gibbis coëũt, obstructiones ab illis vitiosis succis aliquando oboriuntur, brevi in frigidis temperaturis, ut temporis progressu in calidis: ad quas tandem obturationes, putrefactio sæpe consequitur. In nostro porrò casu, ingestis herbis & mali succi cibarijs, quæ stomachus non adeò concoquebat, tandem ad jecur utcunque attractus succus iste porri virorem habent, inibi peiorem qualitatem sortiebatur, ac in stomachum relegabatur, ubi dolores illos causabat, & consortij lege, sensus & motus privationem.

Curatio vigesimaprima de febri derelicta post pleuritim, ac de medicorum inadvertentia circa sanguinis partitionem, in venæ sectionem.

OLiverius Romæ trapezita, ętate quadraginta annorũ, circa hyemis initium, Venetijs pleuritide correptus fuit, qui quum à medicis deploratus haberetur, inde Ferrariam per navim deportatus est, ad quem accersitus, decima enim agebatur dies ab ea qua primùm ægrotare cœperat, illum inveni à dolore lateris liberum, sed inter sè febricitantem febri siticulosa, cum pectoris gravedine stricturàve, ex quo sputa multa non nisi viscida ad nigredidem tendentia emittebat. Vrina porrò omnino crassa rubra & ad nigritiem declinabat, cum quibus virtus constabat, & alvus optimè respondebat, sed cum ijs nullum in capite sentiebat dolorem, tametsi in nocte plerunque delirabat. Quibus animadversis inquito anteactam curationem, cui quęsito respondet. Sanguinis quatuor tantùm uncias è vena brachij extractas esse, nec ullum aliud beneficium habuisse, sed ijs addidit septimo die copiosum sudorem illi supervenisse, quo tamen febris non fuit discussa. Illuc igitur vulnerario accersito, sanguinem ex basilica sive interna brachij dicta vena, ad uncias octo fluere jubeo: erat enim sanguis in universum corruptus ad lividitatem quandam declinans, prout in tribus vitreis peluiculis cõspiciebatur, quod scriptum posteritati esse cupio, & volo, ut à tam crasso tàmque supino errore practici abstineant, in quem recentiores medici Itali incidunt, versanturve: qui quũ sanguinem mittere mandant, jubent vulnerarij chirurgive ut universum fluẽtem sanguinem in uno colligant vase, non animadvertentes alioqui homines doctissimi & oculatissimi, opus esse & primum sanguinem fluxum, & medium & ultimum

&ultimũ separatim videre. Quod Hip-
pocrates admonere videtur, libro secun
do de Ratione victus in morbis acutis,
ita scribens. At si quidem dolor ad cla-
viculam de se significationem præbeat,
aut gravitas ad brachium, aut circa mã-
mam, aut supra septum transversum, ve
nam secare prodest in cubiti flexura in-
ternam, & non cunctari copiosum san-
guinem detrahere, donec multo rubicũ
dior fluxerit, aut pro puro & rubicundo
lividus, utrunque enim contigit. Hic
enim Hippocrates suadet ad colorem &
sanguinis consistentiam attendendum
esse, quum si sanguis crudus & pituito-
sus fuerit, & minimè floridus, nec rubi-
cundus illic apparuerit, extraendus Hip
pocratis consilio erit, donec rubicũdior
multo fluxerit: quemadmodum si illico
in principio purus & rubicundus efflu-
xerit; extrahendus est, donec lividus
exeat: quod Galenus ibidem in enarra-
tione clarius exposuit, dicens, sed quod
vacuandi sanguinis terminum coloris
mutationem posuerit, deinceps est disse
rendum. Quicquid ergo sanguinis in
phlegmone continetur, id caloris abun
dantia colore permutatur. Reliquum au
tem in partibus omnibus simile manet,
eam ob causam sanguine, qui in totum
spargitur corpus pituitosiore existente,
rubicundior sanè erit, qui in eo quod
phlegmone obsidetur latere continetur:
quod si sanguis in corpus totum diffu-
sus rubidus fuerit, is proculdubio, qui
ad phlegmonem est adustus affatũq; in
nigrum permutabitur, lividus autem in
ea quæ à rubido ad nigrum transmuta-
tione medium obtinet: coloris igitur mu
tatio, sanguinis ex particula inflamma-
ta translationem sufficienter commons-
strat. Subscripsit ijs idem Galenus libro
de Curandi ratione per sanguinis mis-
sionem, c. 14. dicens. In quibus autem
juxta sectam venam phlegmone est in-
gens, optimum est sanguinis & in colo-
re & in consistentia mutationem expe-
ctare, sicut indicavit Hippocrates in li-
bro de Acutorum victu, de pleuritide
loquens. Alius enim est, qui in phlegmo
ne est sanguis, quàm qui secundum na-
E turam, utpote plus excalefactus. Nam si
anteà crudior erat, rubrior modò & fla
vior efficitur, sin ejusmodi prius fuerat,
ad atredinem vergit adustione, proinde
& cætera, quibus respondent ea, quæ idẽ
Galenus dixit libro de Venæ sectione
adversus Erasistratios, ad istum modũ,
Age ergo declaremus illis quòd mensu-
ra in venæ sectione multò faciliùs de-
prehendatur, quàm in cæteris quibus-
vis auxilijs. Nam & coloris mutationẽ
sæpe numero despicere licet, hocq; duo-
bus modis fieri potest: interdum quidem
sanguinem ipsum fluentem, interdum
autem ægrotum considerando, &c. Qui
F bus Hippocratis & Galeni verbis satis
percipitur, quòd in sanguinis missione
animadvertere medicus debet, sangui-
nis tam colorem, quàm ipsius consisten-
tiam, mutationẽmve, quod mea senten-
tia multò melius & securius fiet, si san-
guis semel extractus, in tres partitus fue
rit partes: quũ inde de intentione vel re
missione putredinis facilius, quàm aliũ-
de dijudicare possimus, sciréque an se-
cunda sanguinis missio prima copiosior
fieri debeat, non minus si sanguis bonus
sit, vel potius biliosus, aut pituitosus, aut
fortè atrabiliosus, & an mediocri putre-
dine sit affectus, qui ad benignum redu
G ci potest, vel potius in totum corruptus
omnimoda agens evacuatione, quæ om
nia dubio procul multum ad veram fa-
ciunt curationem. Quis enim non novit
in una sanguinis missione & rubrum, &
lividum, & nigrum sanguinem fluere
posse? qui nisi varijs prehendatur pelvi-
culis, sciri non poterit: proinde medicos
Italos hic monitos velim, nè deinceps,
ut solent, sanguinem uno in vasculo col
ligere tantum permittant: quum con-
sultius (mea sententia) ut dixi facient, si
H sanguinis partitionem dictam agẽdam
mandaverint, ac pelviculas illas, in loco
reponere, ubi nec radij solares, nec pul-
vis sanguinem inficere possint. Cæte-
rum, non minus à me taxandi hic totius
Hispaniæ medici veniunt, qui sanguinẽ
quibusdam colligi scutellis terræ inco-
ctis, in quibus universa sanguinis humi
ditas imbibitur, consentiunt, proinde
rectè

rectè mea sententia facient medici, si deinceps pelviculas istas non nisi vitreas in publicũ exire permiserint: quod jam nunc, ut audio, Salmanticæ monitionibus clarissimi doctoris Altereti, primarij medicinę professoris, fieri incipit, sed in hac re Teuthones, & Germani multa sunt laude digni, utrunque rectè exercentes. Nam & sanguinem multis pelviculis fluentem colligunt, & illis quidem scamneis, non nisi huic negotio servientibus. Dicent, tamen hic Italiæ medici, quòd si sanguis uno tantùm vasculo vitreo colligatur, ut semper colligitur & asservatur, quòd postea cultro, per medium dividi potest, ut inde judicium sumant, quod à multis præclaris in Italia medicis factum iri animadverto. Sed hæc ut medicis indigna, ita à praxi eliminari debẽt: quum satius multo sit sanguinem varijs pelviculis colligere tã in pleuritide & internis inflammationibus, quàm quovis alio morbo, ubi sanguinem mittere expedit, & de ipsius putredine aut alteratione judicare: in phlegmonis tamen membra longinqua occupãtibus, veluti in pleuritide, potissimum sanguinis mutationem aut cõsistentiam cõtemplari expedit: quia multum intermedij sanguinis prius quam phlegmone impacta evacuetur, extrahi necesse est. Sed dicet fortè aliquis, Hippoc. & Galenum jubere animadvertendam sanguinis mutationem fluente ipso sanguine, non vero jam fluxo: cui respondemus, optimum fore si fluente sanguine medici adessent: præsertim quum sanguinis maxima fit extractio pulsuum diminutionibus attendendo, ne si fortè plus justo extractus sit, æger ad animi deliquium ducatur, nec vires amplius recuperari possent, ut multis ægris accidisse vidi, qui medicorum negligentia periêre. At quum recentiores medici non semper phlebotomijs præsentes esse possunt, vel si possunt fortè non dignantur, opus sanè est hac potissimũ sanguinis partitione uti, quin & sanguinis extractionibus semper præsentes essent medici: quum difficulter fluente sanguine judicatur de ipsius colore & substantia, consultius mihi videtur si post extractum concretumq; de eo judicium feratur. At hæc nunc sufficiant, & ad locum unde discessimus revertamur. Facta igitur fuit huic venæ sectio in brachij flexu, postquam syrupum sequentem obtulimus. ℞. Syrupi capill. Veneris, violarum, oxymelitis, ana unc. mediam, aquarum fœniculi, endiviæ, & capil. veneris, añ. unc. j. misce, vesperi verò ante cœnam iterabatur. Porrò unguentum hoc, quo pectus illiniretur paravi, quod habet. ℞. Olei violacei amygdalarum dulcium ana unc. 1. axungię gallinæ, butyri recentis, ana unc. j. ceræ parum, fiat unguentum. Non minus screatum facilitans describo ut interpellatim cochleari elambendo desumat: quod habet: ℞. Syrupi de liquiritia unc. 1. capillorum Veneris uncias duas, violacei uncias 3. misce. Item quoque ut linguæ nigredinem effugeret, quam fuliginosam & atram habebat, semen psilij subtili linteo inclusum, & ligno exili insertum, ac in aqua madefactum intinctumque parare facio, quo multoties linguam lavaret: non minus quàm assistentibus ministris interdum argenteo cochleari eã raderent, à fuligineque illa liberarent suasi. In nocte verò clysterem refrigeratorium immittendum jubeo sic paratũ: ℞. decocti hordei libram 1. olei violacei, rosacei ana unc. 1. & mediam, sacchari unc. 1. vitelli ovi numero j. misce, fiat enema, & tepidum injiciatur, hoc verò enemate alvus optimè secedit, sed un decima die nihil immutandum, aut de novo agendum proposuimus: duodecima verò pharmacum hoc propinavimus: ℞. syrupi rosati solutivi unc. 3. decoctionis senæ unc. 4. misce, hoc verò multa & mixta excrevit, decimotertio autem iterum internam venam in sinistri brachij flexura secare jussi, unciasq. sanguinis sex demere, qui non tanta putredine, quanta prior fuerat, affectus erat. At post hanc sanguinis evacuationem æger melius habere visus est, & omnia remitti cœpêre. Nam febris non ita validè affligebat, & lotium minus rubrũ & crassum absq; nigredine solita apparuit,

ruit, quanquam in eo nullum erat coctionis signum: sputa tamen quæ per excreatum mittebat pauca, sed illa alba jam erant: demum decimaquarta sudavit sudore quidem contemnendo, quia eo febris non fuit discussa, imò continua perseveravit, quod animadvertens decoctũ hoc parare jussi, R. Radicum apij, cichoreæ, endiviæ, an unc. unam & mediam, petroselini communis, fœniculi, an. un. unam, herbæ hyssopi, capillorum Veneris, an. m. 1. prunorum pinguium Damasci, vel Hispaniæ, quæ jam ubiq. habentur numero 12. jujubarum, quas dicunt ziziphas, sebesten, id est, myxaria singularum num. 10. hordei integri pugillum unum, foliculorum senæ unc. mediam, in libris septẽ aquæ fiat decoctio, quousque maneant libræ 4. facta coctione & colatura adde syrupi de cichorea, oxymel. compositi an. un. tres misce, & ad lentum ignem parum bulliat: de hoc verò mane jejuno stomacho bibebat unc. 5. & vesperi totidem ante cœnam, præcipuè quando siti premebatur, quo semper alvum lubricam habuit, adeò, ut ter & quater inter diem & noctem egerebat; proinde decimaseptima die tres spontaneos habuit secessus, & ter sudare cœpit, sed nullum habuit copiosum sudorem, decimaoctava verò, purgatoriũ hoc medicamentum dedimus, quod habet, R. Syrupi rosati solutivi uncias duas, oxymelitis cõpositi unc. 1. diaprunis solutivi drach. 3. decocti senæ uncias tres, misce. fiat potus unus, quo & biliosa & varia pituitosa, mucosa, male olentia egessit, decimanona melius habebat, sed lotium tenue subpallidum erat, in quo nullum videbatur contentum. Nam & vigesima perinde apparuit, in aqua nulla crisis nota fuit. At vigesima prima die, tumor, sive abcessus magnus in pectoris eminentiori parte visus est, colore ruber, tactu durus, nullum secum afferens dolorem, nisi quando illum manu tractabamus, vel quando æger ipse tussiebat, nam tunc dolor illic respondebat: fuit enim crisis hæc imperfecta, quã permutationis practici appellant: quia ab internis partibus ad externas malus

E humor prorupit permutatúsq; est, vigesimasecunda die rectius habuit, & quæ per ventrem egessit duriuscula, ut in sanõ conspiciebantur: sed febris continuò perseverabat, & cum ijs multum appetebat, & varia comedebat, vigesimatertia, & vigesimaquarta die, codẽ modo se habuit, velut vigesimaquinta, & vigesimasexta: sed vigesimaseptima lotiũ optimũ & multũ hypostasi primò visum est, à quo semper melius valuit, & sanitati fuit restitutus. Nam tumor, post multã & emollientium & maturantium medicamentorum appositionem evanuit, &
F in halitum difflatus. Quantum verò attinet ad rationẽ victus, qua iste usus fuit, scire est quòd à vino semper abstinuit, non quòd rectè in hoc morbo propinari non possit, quia Galenus in febribus continuis vinum admittit: sed quia quũ vinum is bibebat in gravem incurrebat tussim, unde ab eo tanquam nocumentum & grave symptoma secum afferente abstinebat, usus verò semper fuit aqua hordei, nonnũquam julepo violaceo admixta, aliquãdo verò granatorum vino prout casus postulabat: cibus verò, capi sive pulli contusum, pistum dicunt, multo sacchare & diamarg. paratum erat,
G & interdum morsuli parabantur vires reficientes, ex capi pulpamẽtis, & amygdalis dulcibus, veluti jecinoribus, & pullorum testiculis adjectis medulla panis seminibúsque frigidis majoribus, ut melonis, cucumeris, cucurbitæ, & citrulli: ut verò tyrones addiscant, sic parabatur. Recipe interaneorum sive pulpamentorum capi, vel pinguis gallinæ, aut phasiani, vel perdicis unc. 5. amygdalarum dulcium mundatarum uncias 2. seminis melonis à cortice purgati unciam 1. omnia hæc rectè pistentur. Nam hic semina melonis optimè pista desiderantur:
H postea cum un. 10. sacchari, optimè omnia ad lentum ignem, secundum artis ministerium coquantur, & inde postea morsuli parentur, nam & diamargarit. frigidum dictum, quo etiam utebatur, & apud Valentinos & Hispaniæ medicos in continuo est usu, sic paratur: R. Sapphirorum, hiacynthorum, smaragdorum,

dorũ, carabi, coralli albi, coralli rubri, margaritarum, spodij, ana. drach. 2. rasuræ eboris, cornu cervi usti, serici crudi, corticum citri, seminis papaveris albi an. dra. 4. seminis acetosæ, seminis portulacæ, gummi Arabici, tragacanthi, rosarum, doronici, tormentillæ, liquiritiæ, ligni aloës, amyli, omnium santalorum, coriãdrorum præparatorum, an. drach. 6. camphoræ scrup. 4. moschi scrup. 1. ambræ scrup. 2. auri, argenti scrup. 1. ossis de corde cervi, an. drach. 1. & fiat pulvis secundum artem & cũ saccharo fiãt rotulæ: hoc autem diamargariton frigidum dicitur, cujus species epithemata cordialia frigida exornant.

Curatio vigesimasecunda de febri cõtinua cum tussi, & quomodo medicamenta pectori convenientia sumi debeant.

IVvenis, qui in diversorio agebat, robustus ætate viginti annorum, continua febri laborabat, multum tussiebat, parum spuebat, & capite gravissimè dolebat, quem quum sic viderem, illico basilicam in dextro brachij flexu secare jussi, sanguinisque uncias octo fluere: post quam sanguinis missionem, deposita quasi sarcina, natura potentior facta est, & ex pectore per screatum pus mittere cœpit, sed ut potus hoc liberalius & facilius compleret, elambendo hoc accipere consuluimus, quod habet.

R. Oxymelitis simplicis, unc. 1. loch de malvavisco sine spe. un. 2. de farfara un. 1. diatragacanthi unc. sem. misce, fiat lamberinum, quo passim supino capite deglutiat: non minus unguentum pectorale dictum, quo pectoris totius regio illiniretur, descripsimus: quibus & nonnullis adhibitis clysteribus sanitati fuit restitutus, veluti multi alij, qui eo tempore ex eodem ferè morbo correpti fuerant. Cæterum, erant febres istæ catarrhales parum à pleuritide differentes, quæ publicè, vigente hyeme, grassabantur.

SCHOLIA.

A

HIC inquirendum venit, an medicamenta quæ elambendo cochleari sumuntur, ad pectoris vitia facientia, homine supino stante deglutiri debeant, an potius flexu & curvo. Nam multi Nicolaum & similis farinæ homines insequentes, hodie dicunt quòd quum nostra fuerit intentio medicamentum in asperam arteriam amandare, quòd tunc homo capite curvo & ad terram flexo illud ore tenendo deglutire debet, sed ij, mea sententia, tanquam in re anatomica parum exercitii reficiendi sunt: quum homini supiné cubanti, trachea arteria propinquior sit, & epiglottis magis aperiatur: ut inde dicendum sit, quę elambendo sumuntur homine sic disposito, facilius per asperam arteriam destui debeant, unde & meritò boni practico officium est, ijs, qui à capite ad pectus destillationes patiuntur, consulere, ne supinè jaceant, quum supinè dormientibus destillationes ad pectus directius & facilius defluant. Quod Rasis inter Arabes singularis doctrinæ vir, non siluit, ut Galenum docentem taceam, qui ut princeps medicinæ est, ita nihil in ea intentatum reliquit, veluti in hac re conijcere est, qui quòd homo medicamenta hac elambitiva, supinè existens ebibere debeat, libro quarto Methodi medendi, capite septimo, quo ulceris asperam arteriam occupantis curationem prosequitur, adeò clarè docuit, ut nihil præter ejus verba adducere opus sit, quæ ibidem ita habentur. At ad ulcus quod in aspera sit arteria, ut supinus quàm diutissimè in ore teneat, ac omnes qui illic sunt musculos relaxet remittatque præcipiendum, influit enim sic sensim & paulatim de medicamẽto aliquid sensibiliter & manifestè in ipsam arteriam. Nam & quum naturaliter se habet, scire licet potionis nonnihil huc percolari, sed veluti in secunda valetudine, ita nimirum in adversa cavẽdum est ne largius influat, utpote quod tussim excitabis. Nam quoad humor undique juxta tunicas arterię ceu juxta murum aqua descendit, tussim utique non ciet, si quid per mediam spiritus viam incidit, tusses statim excitat, hæc Galenus: quibus nihil clarius aut lucidius dici potest: quibus quoque consentiunt ea, quę in ejusdem ulceris curatione ipsemet scripsit libro quinto ejusdem voluminis, capite duodecimo, quum dicit. Et nos omnibus

modis operam dedimus, ut ulcus ad cicatricem perveniret, foris medicamentum quod siccaret imponentes, tum cubanti supino humidum aliquod ex ijs medicamentis quę ad ejusmodi ulcus facerent, exhibentes, ac jubentes in ore continere, paulatimque permittere in asperam arteriam defluere, sic igitur faciens sentire se manifestè ajebat astringentis medicamenti circa ulcus vim, sive ea vis huc per transumptionem transmissa est, sive medicamentum ipsum roris specie in arteriam ad ulcus defluxit, & tanquam percolatum est, erat autem nec eger ipse medicinę imperitus, & cætera. Ex quibus luce meridiana clarius claret quód quotiescunque medicus medicamen per asperam arteriam mādare decreverit, quod tunc æger supine cubans, ac ore detentum, paulatim illud deglutire debet: sic enim per parietes ipsius asperæ arteriæ humidum sive liquidum medicamentū labitur, nec tussim movet, quam irritaret, si modò per medium illius laberetur descenderetve, quod potissimùm evenit, quando subitò & in magna sumitur quantitate, ut ex prima citata Galeni auctoritate, hęc omnia patent, veluti libro secundo de Facultatibus simpl. med. capite decimo septimo, ubi inquit. Potus semper exile quippiā per asperam arteriam percolari, & libro octavo de Placitis Hippocratis & Platonis, quæ omnia prius Hippocrates in porcis & animalibus expertus fuit, ut libro de Corde nobis scriptum reliquit, à quo Galenus omnia dicta mutuatus est.

Curatio vigesimatertia de glande nō perforata, nec in ea foraminis vestigio ullo apparente.

INfans natus annos duos, ab ortu suo glans illi perforata non fuit, nec vestigium aliquod in ea ubi foramen esse debuerat, apparebat: ad radicē tamen ejus, prope testiculos foramen erat, per quod lotium non guttatim fluebat, sed directè emanabat, ut facilè quis diceret, naturā & masculum & fœminam producere in lucem tentasse, esseq; ex hermaphroditorum genere. An verò glans huic perforari debeat, in dubium traximus, nam & Antonius Musa Brasavola, & Frācifcus chirurgus, nullatenus contendebāt: nos verò cum Ioanne Baptista Canano anatomico insigni, oppositum contendebamus: quia si glans non perforaretur non posset liberis operam dare. Sed quonam modo perforari debeat, aut quo instrumento, Cananus sic machinatus est: Nam cannulam argenteam fabrefieri curavit, admodum subtilem: intra quam acus argentea continebatur, quæ cannula per foramen prope testiculos ut dixi existens, versus glandem immitti deberet, quo ad illam penetrare posset: quum verò ultra ire non posset, glandis residuum acu intra cannulam contenta perforandū erat: tunc verò solena ibi quoad ex toto meatus urinarius fabrefactus manaret, dimittenda erat: sed quum controversia justam ignorātiæ suspicionem ostendat, atq. auditores incredulos reddat, factum est ut parentes pueri nolint filium in vitæ discrimen trahere: & sic ab opere destitimus.



Curatio vigesimaquarta de nephritide, & renum arenulis, ac de casiæ fistularis & lenientium medicamentorum propinatione.

VIR ille, qui nephritin, & renum arenulas patiebatur, post devoratū bolum bene habuit, erat autem bolus iste. Pulpæ casiæ noviter extractæ unciam unam & mediam: pulveris liquiritiæ drachmam mediam, sacchari albi quantum sufficit, misce. Fiat bolus: & illum ante prandium per horam capiat.

SCHOLIA.

H*IC adnotandum duximus, quód casia fistularis, vel quæcunque alia medicina, modò ex illis quæ leniendo purgant sit, per unam horam ante cibum assumenda est. Nam aliter si magnum intercesserit spatium, vice nutrimenti natura eam rapit & amplexatur, unde parum aut nihil alvum subducit. Hanc cæterum regulam doctè admodum medici in praxim traxerunt ex Galen. libr. 2. de Facultatibus alimentorum cap. 31. ubi de pru-nis*

nis agit: ibidem enim inquit. Pruna ventrem subducunt, modò non illico supra earum assumptionem prandium sequatur, sed paululum potius interponatur temporis, unius videlicet, ut diximus, horæ ad ipsum prandium. Hanc verò universalem esse regulam & methodum lenientium assumendorum, inquit eodem capite ultimis verbis, nec minus lib. 5. de Tuenda valetudine, ubi alvum lubricantia parum ante cibum offert: non opus est tamen (ut obiter hoc admoneamus) jus aliquod lavans, aut hordei aquam ante prandium super ijs lenientibus medicamentis prębibere, prout fit ab alvi dejectione cũ fortibus & scammoneatis medicamentis.

Curatio vigesimaquinta, de duplici tertiana nocturna, quæ postea in continuam evasit.

BAlthasar Rebelius Lusitanus, ex Lameco urbe, qui homuncionem viginti sex annorum secum deferebat, ut populo tanquam monstrum in spectaculum mitteret, à quo & plurimam corradebat pecuniam, Ferrariam venit, duplici correptus tertiana, & illa quidem nocturna, quarum una alterã subintrabat. Erat enim febris hæc pessima, infestissimè affligens, cujus rigor parvus apparebat. Nam æger sitibũdus erat, linguam fuliginosam, nigram, & crassam habẽs, qui mente non constabat: sed urina citrina admodum erat, & pulsus diminuti cum corporis impotentia. Primò multa hic vomuit prasina & varia ad nigredinem tendentia, quę omnia per assatio nem sunt facta, sed & postea, quæ in cibo & potu sumebat, omnia per vomitũ remittebat. Cœperat verò morbus hic Mantuę, post anguillam comestam, multum coitum, & varium habitum exercitium, erat autem iste natus annos triginta tres, cui occurrens, illico internam cubiti venam secare jubeo, sanguinemq; fluere ad libram mediam, prius per clysterem alvo exonerata: postea verò syrupum istum obtulimus. Recip. Syrupi rosati, nenupharini, an. unc. 1. aquarum endiviæ, nenupharis an. unc. 2. misce: sequenti verò manè iterum venam aperire ex altero flexu brachij jubeo, qua sanguinis missione melius habuit, & stomachus cibum retinere cœpit: erat verò cibus, contusum ex pullo, multa ptisana colata mixtum: sexto verò die, pharmacum hoc ebibit. Recip. Pulpæ cassiæ noviter extractæ unciam mediam, syrupi rosati solutivi uncias tres, decoctionis endiviæ uncias duas: misce, fiat potus; quo parum egessit, quia illum evomuit, in nocte verò alvus soluta fuit, & multa egessit, à quo hora pejus semper habuit, & febris continua, nullo interveniente manifesto rigore, facta est: post duos tandem dies illum deploratum reliqui, & ultimo obijt 16. die ab principiò ægritudinis.

SCHOLIA.

NOcturna hæc fuit febris, quæ dubio procul lethalis est, ut de ea testantur Hippocrates & Galenus Commentario tertio in librum primum de morbis vulgaribus Aphoris. 6. ubi Galenus ita ad verbum inquit. Sed quæ videbatur nocturnę tribuere laudi, hæc ipsa non minus vitio vertit, eo quòd non simpliciter dixerit. Nocturna non est lethalis: sed addiderit, non admodum, nam si non valde est lethalis, liquet mediocriter lethalem esse, hæc Galenus, in quibus facilè videmus nocturnam lethalem sua natura esse, & illam quidem interpolatam. Non mirandum igitur si is ex hac obierit, quũ duplex erat nocturna, quæ postea in continuam evaserit.

Curatio vigesimasexta de scirrhoso quodam Gallicano tumore.

HVIVS prædicti socius Cristophorus Almeida, morbo Gallico correptus erat, & scirrhosum quendam tumorem in crure habebat, à quo maximum patiebatur dolorem, cui doloroso loco post exactam medicamẽtorum bibitionem, cerotum hoc admovimus, R. Diachilonis albi, ammoniaci, bdelij, sagapeni. an. partes æquales, argenti vivi extincti drachmam unam: misce, fiat cerotum, mẽbri figuræ & magnitudini

conveniens: cum quo dolor quievit, & Venetias ivit cum illo homuncione, omnium hominum, quos naturæ conditio hucusque videre permisit, minimo.

Curatio vigesimaseptima de partu decimestri, & de molæ generibus, ac matricis varietate.

ANNA cõsanguinea Stephani, Pyrrhi uxor, quum exactè conceptionis tempus observaret, post decem menses & undecimi tres exactos dies, puerũ optimè peperit. Vtero enim gessit decem mensibus & undecimi tribus diebus, unde Plinium verum dixisse lib. 7. Naturalis historiæ, cap. 5. deprehendi, ubi præter Lucij Papyrij prætoris opinionem affirmantis, homini nullum esse pariẽdi statutum tempus, inquit. Homo usque ad initia undecimi gignitur mensis, veluti in casu nostro contigit: decimo verò mense Salomon Hebræorum sapientissimus ab hora conceptionis in lucem prodivit, ut ipsemet testatur libro de Sapientia, capite septimo. Primogenitus quoque Herculis Ferrariæ illustrissimi ducis, decimestris est, ut omnes ibidem norunt, & Brasavola scribit, quem terminum Hippocrates tantùm libro de natura pueri prope finem signare videtur, sed de ijs & eorum causis Leonarthum Fuchsium Germanum legere est, qui mea sententia præ cæteris melius & accuratius lib. 6. Epidem. ea disseruit. Iis adnectere est sequẽtia. Filia Ioannis Gualterutij recẽs nupta, quum omnium opinione prægnans diceretur, loco fœtus quatuor animalia ranis simillima peperit, & optimè valuit: sed postea circa pectinem dolorem sentiebat, quem paucis adhibitis remedijs sedavimus, & pulcherrimè vivit. Similiter mulier Dionysij Pinti, quũ puerum optimè peperit, inter secundas animal ranæ simillimum ejecit, & ipsa & puer pancraticè habent. Mercatoris quoque qui ex Anglia venit, uxor abortivit, & secundo die post abortum simile quoque animal peperit, ut multis alijs evenisse vidimus, præcipuè Anconitanis, debet verò animal hoc inter molæ genera adnumerari, de cujus conceptus causa Hippocratem legito libro primo de Morbis muliebribus: sed quum hæc scriberem, in mentem venit mulier Ferrariensis, quę, quum ob difficilem partũ mortua fuisset, eam aperuimus, ac dissecavimus, geminos enim in matrice cõpletos habebat masculum & fœminam: & illos quidem mortuos, inde enim extracta matrice per doctissimum Ioannẽ Baptistam Cananum, percepimus falsum esse, quod quidam dicunt, in matrice locellos plures esse, quum revera matrix sive uterus similis vesicæ sit, in qua præter communem quãdam cavitatem nulla altera apparet. Signatur tamen in ea pars dextra & sinistra, cujus substantia quum scindebatur, intestinorum substantiæ similis apparebat. Fabulosum quoque est, quod Herophilus tradit, humanam matricem dissectam bicornem esse. Nam hoc in brutorum matricibus conspicitur, secus autem in humanis, nisi venas illas duas magnas, quibus illis adligatur, cornua appellari dixerimus: ijs adjungere est, quòd superioribus diebus mulieri ad scalas S. Cyriaci habitanti intervenit. Nam uterum ferebat, & quinto mense puellam abortivit, postquam secundas non ejecit, non dolebat, non febricitabat, nec anxia erat: sed venter ut primò tumebat, unde alterum fœtum intus latitare dixi, utcunque tamen assistentes mulierculæ de evocandis secundis maximè solicitabantur, ei trochiscos ex myrrha cum croco in vino propinando, ac nonnulla ex sabina, rubea tinctorum, pulegio, origano, calamento, & similibus confecta medicamẽta: sequenti tandem nocte alteram pepererit puellam, postquam & secundæ prodiére, sed tunc ægrius tulit: tandem sequenti die, frustum quoddam carnis galli cristæ cum rostro gallinaceo similitudinem habens ejecit, & immunis evasit.

Curatio vigesimaoctava de febre quadam continua, comitante dolorem circa costas spurias, & de vini propinatione in febribus continuis.

FRanciscus Patritius Ferrariensis, vir sexaginta natus annos, ruri ægrotavit, post aliquot dies Ferrariam ductus, circa radicem costæ ultimæ nothæ, in latere sinistro dolebat, continuò febricitabat, febre quidem non admodum acuta, sitiebat cum ingentissima linguæ nigredine, sed capite non dolebat, omnia tamen fastidiebat: cui in primis vesicam semiplenam circa locum dolore affectũ apponere mandavi, aquæ hujus in qua incoctæ herbę istæ erant, R. chamæmeli, parietariæ, malvarum, rosarũ, rubrarum, anethi, violarũ, an. m. j. cui decocto olei violacei, & anethini, utriusq. uncias duas indidimus: hoc verò intra paucas horas penitus dolor levatus fuit, ebiberat enim jam manè jejuno stomacho syrupum istũ. Recipe Syrupi endiviæ simplicis, capillorum Veneris, ana unciam unam, aquarum endiviæ, cichoreę, ana uncias duas, misce, in nocte verò clysterem istum mittendum curavimus. Recipe Maluę violarum, ana m. unum & medium, in aqua fiat decoctio secũdum artem, cujus colaturæ uncijs quindecim adde casiæ extractæ unciam unam, olei violacei uncias tres, salis drachmã unã, sacchari unciam unam, misce, fiat enema. sequenti verò die minorans hoc pharmacum dedimus, quod habet. Syrupi rosati solutivi uncias duas: decoctionis senæ uncias tres, electuarij lenitivi drac. tres. Misce cum quo nihil quicquã egessit: proinde clysterem prædicto potentiorem parare fecimus, quæ nõnulla emisit. Nam urina turbida admodũ & crassa conspiciebatur: proinde syrupum describo istum, R. Syrupi buglossæ, endivi, oxymelitis cõpositi, ana unciam mediam, aquæ cichoreæ, fœniculi, ana unciam unam & mediam, misce. Postquã

A verò syrupum istum quinquies ebibit, pharmacum hoc illi dedimus, quod habet. Recipe Pulpę casiæ noviter extractæ drachmas sex, diacatholici unciam mediã, electuarij de succo rosarũ drachmas duas, trochiscorum de violis sine scammonio drachmam unam, in uncijs sex decoctionis endiviæ, in generali fiat potus unus, misce, cũ quo alvus multa & varia egesit. At post hanc evacuationem, morbus increbuit, & eger se graviter habuit: proinde basilicam in flexu brachij incidere jubeo, post quam sanguinis extractionem melius habuit. B demùm vigesimoprimo die ab hora inceptionis morbi, urinam nigram tanquam atramentum minxit, quæ sic septimum vigesimum usque diem perseveravit: timebat autem æger, quia urinam sic nigram mingebat: sed quũ bono animo esset, dixissem, aperuissemque optimã illam esse crisim, timorem à se rejecit, & sic sanitati fuit restitutus probus & honestus hic vir, qui in morbi hujus principio panatella ex jure capi parata cum diamargaritone vescebatur: C nonnunquam vero contuso è pullo, vel capo, & interdum cichoream albam sumebat, quę terra vel arena obrupta amaritudinem perdidit, y hybernis temporibus inter oxypora celebratur, oxelæo salisq; mica adhibitis, sive ipsa cocta, sive cruda sumatur, ut de ea abundè in nostro diximus Dioscoride. A vino porrò nunquam in hoc morbo is abstinuit, pro quo de vino sequentia audire ne pigeat.

SCHOLIA.

Vinum quo is utebatur album erat, natura frigidum, quod omnes Longobardi, præ D *cipuè Ferrarienses, Albanum appellant, nec enim mirari est, si dixerimus vinum hoc frigidum sua natura esse, quum dubio procul comparatione ad corpus humanum frigidum existit, quia illico suis qualitatibus frigidum reddit: immo plus quàm aqua infrigidat: quia aqua solũ, quia frigida infrigidat: vinum verò hoc non solùm sua frigiditate infrigidat, sed etiam acerbitate quadam sapore percepta, qua facilius quàm aqua penetrat. Hoc autem vinum album aquosum medici appellant, quod Galenus describit cõmentario 3. in lib. de Rat. vict. in morb. acut.*

acut. enarr. 2. inquiens. Aquosum autem vinum appellant homines, quod aquæ tum colore, tum substantia simile est: perspicuum siquidem ut aquę splendidum & purum, & substantia tenue videtur, protinus autem & facultate aquæ simile existit, neque imbecillum caput feriens, neq; infirmos nervos: quandoquidem manifestè calfacit. Hæc verò ultima verba, idem Galenus sequenti sexta enarratione prædicti libri confirmat, dicens, nempe ex vinis albis nullum valenter calfacere potest, quod enim summè calidum est, id continuò & flavum existit, veluti & quod ab ipso est fulvum, quod lib. 12. Meth. med. cap. 4 confirmat, dicens. Nec enim invenias ex albo vinorũ genere calidum ullũ. Huic cæterùm vino oppositum est, quod Hippocrates ænodes, id est, vinosum nominat, alia voce polyphorum, id est, multiferum dictum, quod ut bene temperetur multam exigit aquam, vel quod aquę multum, quum diluitur, sustinere possit, ut ex Galeno 7. Meth. med. lib. cap. 6. & Commentario tertio in librum de Ratione victus in morbis acutis, enarratione vigesima percipitur: veluti sexcentis alijs locis suæ doctrinæ. Nam hoc quod vinosum sive potens vinum medici vocãt, facillimè caput tentat, quod omnino in febribus abnegari debet: aquosum verò album, de quo ad præsens á nobis sermo fit, oligophoron dictum, quia nullam ferat in dilutione aquam, febrientibus tutò concedi potest, ut Galenus suis agrotantibus propinabat, quod ita esse testatur 3. de rat. victus in morb. acu. enarratione 8. quum inquit: De vinis hęc locutus Hippocrates, continuò ad Melicratum transit: cæteris quidem ferè omnibus de vino demonstratis, at prætermisso uno quod non absoluit, & ego obiter percurrã, quòd scilicet febrientibus maximè idoneũ aquosum sit. Est autem vinum hoc album colore, substantia tenue, nullam earum quæ cęteris vinis insunt habens qualitatem, neque austeritatem, neque astringentiam, neque dulcedinem, neq; acrimoniam, neque odorem: nempe huic omnium soli, ut tum aquæ tum vini mala effugeret est datum. Prodeunt autem talia in unaquaque gente aliqua: in Italia imbecillum Sabinum, quod febrientibus administrant, in Azia Titacazenum & Tibicenum: sed vini hujus notas ubi intellexeris, talia facile in qualibet gente reperies, ubi & valde tenuia, & aquosa producuntur vina: reperi equidem talia in Cilicia, Phœnicia, Palęstinæ. Cyro, & cætera: imò, ut retuli, in regionibus vidi omnibus, &, quod mirum magis sit, in Aegypto. Hactenus Galenus: quibus patet, vinum hoc album aquosum febrientibus convenire: at hæc idem confirmat Galenus libro primo Artis curativæ ad Glauconem, veluti duodecimo Methodi med.

E non minus quàm multis alijs in locis suæ doctrinæ, quod tutò febrientibus concedi poterit: quia frigidum, tum quia minimè in sanguinis naturam mutatur, ut Galenus eodem 12. Methodi medendi libro affirmat, sic dicens. Præterea mistibilia, vel ut alia habet lectio, prępotentia vina sunt: & nutrientia, coq. ad succi bonitatem opportuna utiliave, quorum omnium nihil in aquosis vinis est: minimũ enim ex horum substantia in sanguinis mutantur speciem, consentium ijs, quę ipse libro 3 de Facult. alimentorum scripta reliquit, dicẽs, quum de vinis agit. His autem minus sua natura alunt quæ alba sunt, simul ac crassa & acerba, omnium autem minimum nutriunt, quæ colore quidem sunt alba, consistentia autem tenuia: & aquis hydromeliti faciendo appositis quodam modo similia,
F & libro de Cibis boni & mali succi: ex his enim quę aquosa tenuiaq. substantia sunt, urinam movent, & paucissimi sunt nutrimenti. Quibus omnibus subscribit Aetius, sermone primo suæ medicinæ dicens. Minimè verò omnium vinorum alunt colore alba compage tenuia, & quodam modo aquæ similia, & sermone secundo capite 268. ait: Vinum aquosum non manifestè calfacit: ideo etiam febrientibus citra periculum datur: Vinum album & austerum minimè, ut vinum calfacit: Vinum verò album, simulque austerum & crassum, ac novum sensibiliter frigefacit, & capite ultimo dicti sermonis dicit. Aquosum verò vinum neque capitis dolorem inducit, neque nervos lędit: & subdit. Vinum autem modicam aquę mixturam ferens capitis dolorem ex humoribus in ventre ortum sedat: ijs enim jam perceptis, si vinũ
G febrientibus dandũ sit, hoc potissimum dandum esse, quod colore sit album, substantia aquosum, tenue, nullam ferens aquam: & exiguum corpori alimentum præbens: quod audacius extra Hispaniam ęgrotantibus concederem, tum quia vina hæc facilius extra Hispaniam reperiuntur, utpote apud Gallos, Germanos, & Italos, imò si verum fateri debeo, difficulter vina hęc in Hispania comperiũtur, quum omnia ferè prępotentia & vinosa vina sunt; imò ea vina quæ universa Hispania alba appellat, fulva proculdubio sunt, multam ferentia
H aquam & caput citissimè tentantia: quę febres facillimè accendunt, presertim, si morbi seminaria adhuc latitãt: proinde medicis Hispaniæ consulerem, ut à vini potione febricitantes suos arcerent, nec illis concederent: nisi in febriũ declinatione universali quod Hippocrates annuere videtur sexto Epid. & Galenus subscripsit 8. lib. meth. med. dicẽs. Constat autem & Hippocratem non in diarijs modò febribus, verum etiã in acutis, ex ijs quę de acutarum victu

prodit,

prodit, vinum dare. At in 6. Epid. sive ipse sit A
sive Thessalus eius filius, vinum calidis tempe
ramentis probibet, idq. non modò quum febri-
citant sed etiam per sanitatem: quippe in cali-
da natura suadet tum refrigerationem, tũ aquæ
potionem, tum quietem. Iis enim verbis medici
omnes docentur, quod vigentibus febribus vi
num dandum non est, potißimũ apud ipsos His-
panos, & illorum Lusitanos, qui regionem inco-
lũt calidam, utpote inter quartum & quintum
clima iacentem. Item quòd aquam potissimùm
bibunt, ut dici poßint Hispani aquæ potatores,
Galli vini, Germani vini & cervisiæ, Scythæ la
ctis. Nam extra Hispaniam omnes tam Galli,
quàm Itali, & Germani ab incunabulis vino in
potu utuntur: & infantibus suis in cunis vagiẽ
tibus vinum præbent: quò fit ut non difficulter
ita vinum quum febricitant, ferant: sed esto, B
quód Hispani vinum album & aquosum subtili
substantia habeant, quòd certè difficile erit in-
venire, quanquam Galenus dicat in Ægypto,
terra nimirum calida reperiri prorsus certè stã
te febri abnegãdum erit, nisi aliquod maius ad-
vocaverit, ut illud detur: videlicet, virtutis
prostratio, & maxima in appetẽtia, hoc potißi-
mum post apparentem materiarum concoctio-
nem: ut Galenus semper, quando opus est febrien
tibus, concedit, quod certe in morbi statu, prope
declinationem est: ut ex 11. Meth. med. perci-
pitur, c. 9. ubi inquit: In hoc tempore si vinum
quoque aquosum bibatur, id omnes evacuatio- C
nes promoverit: idem faciet & temperatum
dulcis aquæ lavacrum, & subdit: Cæterùm ubi
magnitudo febris obstat, sicut in continentibus,
synochis dictis, nec vino est utendum, nec lava-
cro, nec iis quæ habitum rarefaciant unctionib.
sed aqua frigida, sicut prius diximus, pota in
in his febribus est aptißima: nisi aliquid tamen
eorum quæ prædicta sunt, hãc quoq. probibeat:
& in medio capitis subdit: At si mediocris est
febris, & vires non validæ: sed cum notis con-
coctionis, iis qui ita se habent balneum prodest,
& vini potio: hæc ille, in quo tempore, vinum
nondum exactè coctos humores concoquit, som-
num allicit: sudorem provocat, & lotium edu-
cit, imò omnes evacuationes promovet, & om-
nes humores optimos reddit: quibus addere est: D
quòd vires citò reficit, quòd unum in convales-
centibus desideratur sed iam hic quærent His-
pani medici. Si nobis deest vinum album aquo-
sum subtile, quod febrientibus Gale. dare desi-
derat, nonne eius loco vinũ potens optimè dilu-
tum concedere possumus, ut Gal. 7. Meth. med.
lib faciendum suadet, quum amissa austeritate,
& vi præpotenti illa, debile redditur? Respon-
deo, quòd si vinum generosum Hispanum aqua
temperetur, & misceatur, num ut antiqua su-

perstitio mandabat, quòd tres vini partes ad
unam aquæ essent, vel ut Hippo. & Gal. volunt
lib. 7. Aphor. aphor. 56. quòd vinum æqua por
tione aquæ temperetur, id est, quod tantum de
aqua sicut de vino misceatur, sed etiam si duę vel
tres partes aquæ uni vini injiciantur, nunquam
inde vinum resultabit, quantũcunq aquosum
fuerit, huic albo à Gal. desiderato simile: quum
semper deest illi sapor acerbus quidam, quo mul
tum infrigidat, veluti in hoc Ferrariensi dicto
Albano percipimus: si tamen medici tam His-
paniæ, quàm alterius regionis opus habeant, vi-
no illo prępotenti diluto uti, prout quotidie in-
tervenit, consulo, non in poculo ea hora qua
æger vult bibere permittant vinum tempere-
tur, sed potius duobus antea horis iubeant vi-
num dilutum sit ut melius mixtio fiat, & vini
præpotentis igneæ partes refringantur evane-
scant-ve, quòd multo melius fiet, si vasculi quo
vinum continetur, orificium apertum absque
operculo habeatur. Cæterum cavere est à vino
novo, tanquam à peste, quo Galenus maximè
suadet abstinendum: ob cuius inadvertentiam
Germanorum plures, quum ægrotant, moriun-
tur, qui musto & vino novo, non minus quàm
præsentaneo antidoto utuntur: nec minus à ve-
teri vino recedendum est. Medium igitur eligen
dum, mediam ætatem habens: quod Galenus sex
annorum esse ait; septimo enim libro Methodi
medendi, vinum sex annorum, tãquam medium
inter novum & vetus, maximè laudat: quod
idem facit quarto lib. de compositione medica-
mentorum per genera, ubi agit de epulotico me
dicamento, ex collectaneis Primionis. Sic ete-
nim recens (inquit) vinum penitiora corporis
non permeat, vetus acre & mordax est, ergo
ætate medium potius est, quod plurimum intra
quinque & decem annos consistit. Hæc Galenus
in quibus clarè videtur asserere, vinum ætate
medium ad decennium usque dici: quæ si abso-
lutè dicta videantur, proculdubio non de omni
bus vinis intelligendum est, sed pręcipuè de po-
tentibus, ad trigesimum usque annum perduran
tibus & ultra, veluti uina duo illa quæ diebus
superioribus mihi in musæo suo Antonius Mu-
sa Brasavola, vir hac nostra ætate celeberri-
mus, ex apotheca illustrissimi Ducis Ferrarię
gustanda dedit, quorum unum ætatis 150. añ.
erat, alterum verò 100. annos æquabat: de iis
enim vinis quæ ita longo tẽpore perdurare pos-
sunt, vera esse Gal. crederem: veluti in Hispania
multa similia reperiuntur, quæ ad 30. annum
& ultra producuntur, & illa quidem prępoten
tia, generosa, multam aquę mixtionem ferentia,
odorifera, ut plurimum colore gilvo & fulvo,
Nam de vinis debilibus, parvis, paucam feren-
tibus aquam, non utiq. crederem Galeni axio-
ma

ma verum esse, qualia hæc sunt, Ferrariensia, & Galliarum, quæ ad summum per duos servantur annos, quanquàm recentiores hodie scribentes hoc parum animadvertant, Galeni verba sic superficie tenus intelligentes: sed hanc nostram sententiam, idem Galenus confirmat, Comment. 3. in lib. Hippoc. de Ratione victus acutorum morborũ, enarrat. prima, ubi inquit, quòd ętas & tempus in vinis non sunt attendẽda sub iis sequentibus verbis. Nõ enim (inquit) ob tempus vina vel juuant, vel lædunt: sed ex propriarum differentiarum mutatione id habent, ergo quum de vinorum agimus differentijs, temporis mentionem facimus per accidens: & non propriè, nec primum: ex quibus verbis liquidò constat, quod media ætas vinorum non sic fixa perscribenda est: ut in epistolis suis quidam ad Fuchsium scribens, putat. Cæterùm, Gal. particula 2. Aphoris. ennarat. 11. illius aphorismi. Facilius est impleri potu quàm cibis, inquit, nam aquosa vina, sic enim nominant alba & tenuia, sicuti aqua similem formam habent, ita etiam vim: quare urinam cient, & minimè nutriunt. Hæc Galenus: in quibus innuere videtur, quòd vinum album aquosum, ut forma simile est aquæ, ita quoq. & viribus: atq ea de causa lotium promovet: sic enim videtur, quód aqua urinam provocat, cui tamen contrarium Hippoc. innuit tertio libro de Ratione victus in morbis acutis. His adde, quod Galenus 5. lib. de facult. simpl. medic. inquit, Medicamenta urinam provocantia calida esse, quod multis alijs in locis scriptum reliquit. Non igitur vinum album aquosum & frigidum urinam provocare debet: nos huic dubitationi respondemus, quòd urina dupliciter provocatur, aut qualitatibus medicinarum, aut quantitate rerum fluidarum & aquosarum. Nam medicinæ suis qualitatibus provocantes urinam diureticæ dictæ, calidæ & siccæ sunt: acres, sanguinem colliquãtes, & quæ discindunt, atque discernunt á partibus crassioribus partes subtiles, tenues, aquosas, serosas, quas renes ad se trahentes, & partibus sanguineis, quibus nutriuntur, excolantes in urinam convertunt, quæ ad uesicam transmissa mingitur: hunc autem modum tãgit Aristot. sectione prima Problematum, problemate 49 ubi ait, Odorata urinam movere, quia sunt calida, quę ab Hippocrate Aristot. accepit libro secundo de Diæta, ubi inquit. Quæ acria & odorata sunt, urinam cient. Secundò vero modo diximus urinam provocari quantitate rerum aquosarum ad vesicam descendentium citò, ut aquæ, & vini huius aquosi: ex quibus vesica facillimè post potum impletur, & consequenter pellitur quemmodum intelligit Galenus enarratione habita: & Aristoteles sectione 1. Pro- E *blematum, problemate 41. Porrò an vinum penetrare faciat aquam, vel potius aqua vinum, in dubium vertitur: nos brevi respondemus, quòd vinum sua caliditate aquam penetrare facit, & aqua sua subtilitate vinum, nam aqua secundum totum subtilior est vino, vinum veró secundum aliquid subtilius est aqua.*

Curatio vigesimanona de phymate tumore, quem passus est author.

F PETIS, amicorum omnium optimè Canane, ut qui de me, de rebùsq. meis iurè petere possis, quidnam in causa fuerit, quòd ultimis iis tribus diebus mensis Novembris latitaverim, minimèque in publicum exierim, ut corpori saltem humano per te dissecto, ut fieri solet, præsisterem, ac ea quæ inter dissecandum dixeras, prætexta oratione illico assistẽtibus resumerem, ut tenacius ea tenerent. Respondeo, Tumorem mihi in fœmore natum, causam fuisse, quo minus tribus iis diebus, vel G pedester vel equitãdo exire possem, qualis verè tumor hic sit audi. Erat enim tumor non admodum magnus, nec malignus, quum nec febrem, nec rigorem ullum secum traxerit, imò ex eorum natura fuerit, qui intra paucos dies ad suppurationem veniunt, utcunq. tamen dolores ingentes, quum crus movere vellem cum calore quodam non naturali universum corpus corripiente incurrebam: quo nomine verò tumor iste apud Galenum dicatur, ut eo scito, facilius rẽ teneas, dico quòd tumor iste phyma à à Galeno nominatur: genus scilicet fu- H runculorum, quos idem Galenus & Paulus δοθιῆνας, appellant. Est enim locus apud Galenum, libro de Tumoribus præter natur. c.16. ubi tantùm hæc inquit: Non minus autem notus est furunculus, quem Græci dothiena appellant, qui sanè mitis existit, quum solam cutem obsederit: malignus autem ubi magis in altum constiterit, sic enim tuberculo similis

A ſimilis eſt(appellant id Græci φῦμα) atq. ab eo ſola duritie talis furunculus differt. Iis igitur noviſti, tuberculum quod ſum paſſus Galeni phyma eſſe, quod Itali, bognon à tumore appellant. Caſtellani verò diviеſo, quaſi lividum habẽs, vocant. Luſitani autem lecẽſo, quaſi quod lædat ſenſum: proprius, ut mihi videtur, nominant, ſed hæc ut minima dimittẽda erant. Firmat hoc quod phyma tumor iſte dictus ſit, Philotheus enarratione illius Aphoriſmi apud librum tertiũ ſic incipientis, quum verò jam magis adoleverit, ut inquit: vocat autem ipſa phymata per metaphoram eorum, quæ producuntur in terra, quoniam celeriter naſcuntur & augentur, & ad ſuppurationem perducuntur, quæ omnia à Galeno prius ſunt dicta libro 2. Artis curativæ ad Glauc. c. 1. ad iſtum modũ. Phyma autem dicitur, quod ſtatim augetur, atque ad ſuppurationem feſtinat, quæ omnia in univerſum huic reſpondent tuberculo: non me latet tamen phyma pro pano, id eſt, bubone in inguine, veluti in alio à multis accipi ſignificato, ut apud Paulum Æginetam legere eſt libro 4. ſuæ medicinæ cap. 22. & Galenum variis locis ſuæ doctrinæ. Cæterùm tuberculũ hoc curatur tritico manſo, & impoſito: non minus uvis paſsis, quibus ſemina ſunt exẽpta. Faciunt eodem ficus aridæ pingues per ſe, vel coctæ cum ſemine lini fœnu græco, adjecto oleo roſaceo, vel pinguedine gallinaceorum, vel anſerina, cum vitello ovi & paululo ſalis, faciunt quoq. pulticulæ paratæ ex fermento ſubactæ cum oleo roſaceo: vitello ovi & pauco mellis: itẽ pulticula ex farina tritici cum butyro & croco parata maxime valet: ſed pellis leporis recens impoſita, phyma curat, vel ſi ſicca ſputo madefacta fuerit: non minus papyrus ſputo madefacta, & impoſita valet, plerumque vero abſq. medicamentorum appoſitione phymata hæc ſuppurantur, & ad ſanitatem perducuntur: ego vero anſerina pinguedine tantum uſus ſum, & bene habui: ſed hæc literis mandare iucundius eſt, quam ea pati.

SCHOLIA.

NE quis ſycophãta, ſtomacho delicatior, de nobis quæratur, quòd in iis tempus teramus, Hippocratem in medium adducimus, qui de ſe ægrotantem lib. 3. de morbis popularibus ſectione tertia, ubi de conſtitutione peſtilenti agens, poſt variam morborum & ſymptomatũ enarrationem, in eos omnes incidiſſe fatetur, dicens: Cibum autem faſtidiebant omnes ob cunctos præſcriptos morbos, in quos ſane ego incidi, Galenus quoque ſæpius ob eſum fructuum, quos horarios dicimus, in varios morbos ſe veniſſe tradit, ut lib. de Euchymia & cacochymia ipſum eſt audire ſic dicentem, porro quandiu ipſe patris conſilium ſequutus, ab uſu immodico fructuum, quos horarios vocant, abſtinui, obſervavíq ab illo traditam optimam victus rationem, tandiu immunis ab omni intẽperie perſtiti.

B *Quoties autem ejus præcepta negligens, cum coætaneis meis, ultra modum fructibus illis me implevi, ſemper in morbos incidi, qui ſanguinis miſsionem deſiderarent, & libro quinto de Sanitate tuenda, ſanum ſe vixiſſe poſt vigeſsimum octavum annum tradit, inquiens ego vero, tametſi nec ſalubrem corporis ſtatum, ab ortu ipſo ſim nactus, nec vitam plane liberam egerim: hac tamen ipſa arte uſus, poſt octavum, & vigeſimum annum, ne minimo quidem laboravi morbo, niſi forte diaria febri ob laſsitudĩem aliquando contracta.*

C *AEtius quoq in cholicos ſe dolores incidiſſe memoriæ commendavit, ſermone ſuæ medicinę nono, capite trigeſimoprimo, in quo ita tradit, hoc itidem experimento conſtat, eoq. ipſe liberatus ſum, Mentam viridem aliquando decoquito, decoctumq. bibẽdum ad dies tres exhibeto, & nunquam dolore adficietur, & cætera. Miſſos facio plures graviſsimos authores, qui in varios ſe morbos deveniſſe ſcripſerunt, & ad trigeſsimam Curationem accedamus.*

Curatio trigeſsima, de hydrope aquoſa, aſcite dicta.

D

VXOR illius a Landenara, ad murum prope portam diui petri habitantis, poſt annuam quartanam, & mag num contractum ſplenem, ex multo frigidæ aquæ & vini potu, in aſcitem morbum, aquam intercutem, vel aquoſam hydro-

hydropem dictam, devenit: erat autem huic alvus tumida elevata, ut rumpi videretur, quam quum manu percutiebã, aqua, ut in utre collecta, sonabat: ut merito morb. iste ascites ἀπὸ τοῦ ἀσκοῦ ist est, ab utre denominationem duxerit. Nam inter peritonæum & omentum aqua hæc veluti in utre continetur, erant quoq. huic ulcera quædam in crure sinistro, ex quibus ichores exibant, sed cum ijs virtute constabat & recte se ad oblata habebat: ad quam vocatus quum materia hæc nulla indigeat concoctione, ad expulsionẽ sic orsus sum, R. Succi ireos uncias duas, mellis rosati colati unciam unam, misce, & ieiuno stomacho bibat, cum quo aquam illam quotidie parum emittebat. postea vero, octo interpositis diebus, catapotia ex nitro Alexandri cũ trochiscis alandahal mixta propinavi: sunt autem trochisci vel pastilli ij alandahal ex colocynthide parati. Proinde sic parabam, R. Pilullarum de nitro Alexandri scrupulos duos, trochiscorum alãdahal scrupulum unum misce. Fiant pillulæ quinq. cum quibus multum illius egerebat aquæ, quibus sæpe interiecto temporis spatio inter unam & alteram propinationem usus fuit. Nam sensim & paulatim vacuandus humor iste est: qui vero semel tantum humorem istum deponere tentant, per purgãtia medicamenta, multa mala ægrotanti adferunt: quia eius vires dejiciunt, & iecur & interiora refrigerant. Interpolatim igitur medicamentis purgantibus utebamur, nonnunquam levioribus, aliquando vero vim inferentibus: singulis tamẽ hebdomadis alvum citam faciebamus, & quod miruminmodum profecit hoc conditum fuit, quod habet, radicis ireos per tyrocnestim traiectæ unciam mediam, zingiberis scrup. medium, mellis quantum ad spissitudinem sufficit, misce: quo sæpe utebatur: & optime absque anxietate & dolore aquositatem illam deponebat. Non minus adiumenti attulit mel rosatum confectum ex floribus persicæ arboris, quod sua natura hanc deponit aquam, & id Avicenna Ienelia bin de pesis, in cura phlegmaticæ, &

E alijs locis appellat. Ijs enim hucusq. citatis medicamentis & nonnullis iecori appositis, sex mensium spatio hæc sanitati fuit restituta, exterius tamen alvus unguento splenetico dicto illinebatur: quale vero hoc unguentum sit alibi describemus: eo vero loco illius unguẽti quod ex ciclamino siue arthanita inscribitur, utimur, quod multum in ascite valet, ut ex Melue comprehenditur, interdum vero medicamenta purgantia nõ sumebat, diacurcumam cũ vino ebibebat, nonnunquam vero dialacam. Multi cæterum in hoc morbo laudant pillulas de sagapeno, id est serapino: veluti
F soldanelam, quam brassicam marinã dicimus, non minus quam decoctum ex radice sambuci, & ebuli ac multa alia quæ brevitati consulentes subticemus. Gulielmus Placentinus, sua ætate medicus doctus, testatur ad sanitatem paucis iis reduxisse Azum quendam Parmensem hydrope affectum, quæ habent, R. Turbith. drac. i. zingiberis, sacchar. an. scrupulos duos, scãmoneæ electæ, ponde re duorum granorum hordei cum vino misce fiat conditum. Hoc autem in hebdomada illi semel devorandum dabat, stomacho ieiuno, quo & quater & quinquies egerebat, sed omni die ante cœnã
G diacurcuma quantitate nucis cum optimo vino generoso illi bibendum dabat, quibus curatus ad sanitatem reductus fuit. Regimen porro huic mulieri à nobis concessum in universum ad siccitatem declinabat: erat vero victus ratio caro avicularum in dumetis degentium, non minus vituli, & gallinaceorum vervecisve: à potu vero meis monitis abstinuit. nec alio in tempore quicquam in potu sumebat, nisi prandij & cœnæ ho
H ra, & illud quidem parum vini albi potentis & generosi, polyphori dicti, ab oleribus vero in totum abstinuit, veluti à fugacibus fructibus, quos horarios medici appellamus. Amygdalas tamen & sole siccatas uvas præcipue Corinthiacas lubentissimè concedebamus, ova quoque illi dabamus, sed assa edulia plerunque sumebat, minimè vero aqua cocta. Cæterum Hippocrates in libro de

interpis

internis affectionibus similem huic præ A
dicto morbum à vitiato splene evenien
tem describit, ut apud ipsum est legere,
folio Frobeniano 271.

SCHOLIA.

*HYDROPIS, sive aquę intercutis tres sunt
species, alia ascites dicta à nobis in præ-
senti descripta, alia tympanites, tertia anasar
ca, vel hyposarca, vel leucophlegmatia, dicta.
Ascites, aquosa hydrops ut diximus, est: quæ in
ter peritonæum & omentum, id est inter siphac
& zirbum fit: unde Arabes toto cælo aberrare B
clarius est, quam quod ipse multis probationi-
bus indicare possim, quum aquosam hydropem
fieri dicant inter mirach & siphac, id est intra
abdomen & peritonęum. Quum revera, ut dixi
mus, potius inter peritonæum & omentum sive
intestina fiat, quod ita esse, convincitur operę
manuali, quando per incisionem aquam extra-
himus: nam primo scindimus: abdomen, id est,
mirach, postea peritonæum, id est siphac, quo
perforato aqua effluit, quæ inter illud & omen
tum vel intestina continetur. Nam si inter mi-
rach, & siphac, ut Arabes dicunt, ascites fie-
ret, satis superq. fuißet, si mirach tantum perfo
raremus. At quum inter siphac & zirbum, id
est, inter peritonæum & omentum fiat, opus est C
peritonæum id est siphac perforare, quod quum
claudere volumus, abdominis partem deorsum
tractam ad locum suum reddimus, qua perito-
nęi foramen tegitur, unde morbum istum inter
siphac, & zirbum fieri certum est. secunda spe-
cies, tympanites est, sicca sive flatuosa dicta,
quia à flatu & superfluo spiritu ventositate ve
fiat, cæterum, & hæc species in eodem fit loco,
quo ascites fieri solet, quanquam raro invenire
est hanc tympanitatem absq. aquositate & co-
mitatu aquosæ dictæ hydropis: unde hæc nos-
cens bonus Hippocrates quarto libro de Ratio-
ne victus acutorum, hydropis duas tantum spe-
cies descripsit. Alteram subcarnosam, quam hy
posarcam vocat, alteram ex flatibus constitutã,
quam tympaniam dicunt, quia continuo ascites D
cum tympania reperitur, & quum tympaniam
dixit, ascitem quoque intellexit. Hæc vero tym
panites non à tanta fit frigiditate, quanta gigni
tur ascites, ut Galenus quarto libro Aphoris.
enarratione undecima testatur. Tertia species,
carnosa vel hyposarca dicitur: quæ ut fiat, ne-
cesse est antea cachexia, id est, malus totius cor
poris habitus præcesserit, quæ ex pituita univer
sum corpus penetrante fit, & ea de causa cam
Græci leucophlegmatiam sua lingua appella-
runt, & ut Celso & Hippocr. placet cæteris
periculosior est, & difficilior curatu: quanquã
Leonardus Fuchsius in sua Praxi cum neotericis
tympanitem cæteris speciebus periculosiorem
faciat, AEtium forsan secutus, qui libro decimo
suę medicinæ ita tradit. Est autem tympani-
tes omnino periculosus, minus eo ascites: adhi-
betur enim in eo pertusio, sive punctio, quam
paracentesim Græci appellant, et reliquis quo-
que remedijs prõptius quam ille obedit. Sarci
tes quoq. aliquando curabilis fit, per ea quæ cu-
ti adhibentur humorem detrahentia ac resiccã
tia pharmaca. Hactenus AEtius, sed revera sar
cites id est carnosa hyposarca dicta, cæteris pe-
riculosior, ac malignior existit, prout illa erat
quam sutor patiebatur ille qui prope domũ egre
giam & magnificam illustris Francisci a Villa,
quam nos eo tempore habitabamus agebat, ad
quem postea Antonius Musa Brasavola accer-
situs parum illi adiumẽtum dedit: hucusq. enim
morbo illo pręmitur, vir sutor hic quinque su-
pra triginta natus annos, robustus, & fortis: nã
illius crura adeo tumebant, ut perampla vasa
eße quis diceret. Medici igitur putantes cache-
xiam hyposarcam esse, non adeo difficilem cura
tu eam describunt. Cæterum circa hepatis refri
gerationem aquam congelari & aliquem in hy
dropem incidere, impossibile est, ut AEtius
sermone citato, Galeno subscribens dixit. Sed
quum iam ijs finem imponerem, memoriæ occur
rit quod apud Salmanticenses, vigente doctore
Gõdisalvo, ac Doctore Appara, medicis clariss.
quidam aquosa hydrope laborabat, qui alvus
sua sponte perforata fuit: ad quem accersiti præ
dicti medici, in dubiũ verterũt, nũ optima esset
pertusio illa spontanea: spõtaneam dico, absq.
exteriori auxilio factam, & an deposita aqua
illa eger sanus evaderet: demum aßentientibus
alijs: alijs vero contradicentibus, cõclusum fuit,
ægrum illum intra paucos dies moriturum, ut
postea experientia visum fuit, quia venter ma-
lignitate materiæ occlusæ corrosus, indicabat
viscera omnia & corrosa & putrefacta eße:
nã de pertusione ab artifice vel casu facta lon-
ge aliud est, qua multos liberos & sanos fieri,
non solum nos sed alij multi viderunt.*

*Curatio trigesimaprima, de can-
croso quodam ulcere, maligno,
& doloroso mamillam
infestante.*

VXOR Sebastiani Pinti, tempera-
tura biliosissima, ætate triginta
annorum

annorum, puellam optimè peperit, poſt E
cujus partum menſtrua purgatio non exactè, ut opus erat, reſpōdit: qua de cauſa in febrem devenit ardentiſsimam. Nam ſuppreſsis poſt partum menſibus, multa inde incommoda oriuntur: unde Galenus lib. tertio de Morbis populariter vagantibus, enarratione ſeptuageſimatertia, inquit: itaq. videtur ſuppreſſa in partu purgatione incidiſſe mulier in morbum: quippe menſtruorum ſuppreſſio offendit: tamen non perinde, ut ſi à partu ſupprimantur, officit, quod non abundantiam modo, ſed inſignem etiā humorum pariat pravitatem. Nam me F
liorem ſanguinem ad ſe fœtus nutrimēti cauſa alliciens, relinquit deteriorem, ideòq. prægnantes pravis humoribus implentur, quos à partu evacuat natura. Hæc Gal. niſi enim natura humores illico poſt partum evacuaverit, varia inde oriuntur mala ad melancholiam præcipuè inclinantia: quia, ut ibidem ſubdit menſtrua, quæ à partu evacuantur, ut plurimum melancholica ſunt: in primis ergo recta huic victus ratione inſtituta, ſanguinem ex ſaphena vena interiorem malleolum perreptante minuere iuſsi, & nonnulla adhibere remedia G
alia, quibus morbus mitior factus fuit, & ſymptomata omnia mitiora: me vero abſente, priſtinæ ſanitati fuit reſtituta: nā Venetias iverā, ubi Nob. DidacūMēdocium Caroli Quinti imperatoris apud ipſos Venetos vigilantiſsimum oratorem, ægrotantem inveni, & curavi. Cæterum poſt meum reditū, quum illā viſum redirem, eam optimè valere comperi: querebatur tamen quod in ubere ſiniſtro duritiem perſentiebat quandam interdum dolorem afferentem, & illam quidem nucis magnitudine, quam cum viſu tum tactu perciperē, iudicavi morbum eſſe malum, futurum deteriorem, H
ni illi obviam docta iret manus. At illa morbum parvi faciens, iudicio muliercularum dicentium, tuberculum hoc lac coagulatum & in grumos redactum eſſe, octo interpoſuit menſes, quibus nullum genus remediorum adhibere curavit, tametſi in hoc temporis intervallo,

parvus ille tumor magnus factus fuerit: ad quam tunc vocatus, inveni tumorē illum ſcirrhum non exactum eſſe: noviſtis enim ſcirrhum duplicem eſſe ex Galeno ſecundo libro Artis curativæ ad Glauconem: Alterum exactum ſive exquiſitum, inſenſatūque & durum curam non recipientem: alterum vero non exactum, ſive nō exquiſitum difficulter ſentientem tumorem durum, qui, etſi incurabilis non ſit, difficulter tamen curationem admittit. Fit autem ab humore craſſo, & lento veluti in muliere hac, à ſanguine menſtruali retento factus fuit. Quum igitur morbus is difficilis curationis ſit, Hippoc. conſilio, libro Præceptionum, accerſendos curavi duos inſignes chirurgos, quorum alter Franciſcus cognomento Magnificus erat, alter vero Iohannes Baptiſta Cananus, magnæ ſpei vir, qui in diſſecandis corporibus humanis alter Veſalius habetur: cœpimus igitur contra morbum tentare, nū optimum eſſet chirurgia uti: at quum omnes conveniſſemus, illa renuit: proinde depoſito intētione illa, quam poſt evacuationes univerſales ordiri decreveramus, ſic aggreſſus ſum. Primo ſex res non naturales in ordinem deponendo, ab aere inchoando. Aer igitur, ſine quo nec ſanitas conſervari, nec morbus pelli poteſt, ad temperiem ſemper declinabat: æſtatis enim tempore ad frigus, hyemis vero ad caliditatem. Cibus porro talis deſcribebatur, qualis atra bile affectis convenit. Nam panis ex flore farinæ parabatur optimæ, nec multum veteris, quum Hippoc. teſte, lib. 2. de Diæta, Farina recens ſiccior eſt vetuſta, vetuſta enim quum fit, calor exhalat, & frigiditas inducitur. Erat autem non minus bene fermentatus & coctus, quē non niſi altero interpoſito die à coctura comedebat. Caro vero optimi erat ſucci, veluti gallinaceorum, caponum, perdicis, avicularum in dumetis degentium, vervecis, vituli, hœdi, & ſimilium. Nam coturnicibus bis vel ter tantum in univerſo huius morbi inceſſu uſa fuit, quum avis ſit, ſi graviſsimis authoribus fides habenda eſt, peſsimi

ſucci

succi. Nam & veratrū sive elleborū comedit, & morbo comitiali corripitur. Vnde Avicenna rectè, mea sentētia, ab eius usu suadet abstinendum, veluti ad tetanum & spasmū inducēte, cui suffragatur Psellus qui coturnicem inter cibos malum succum gignentes annumerat. Nō minus profectò numerare est inter illas boni succi aves à nobis illi concessas, phasianum, attagenes, id est frangolinos aves, quas Romæ Cardinalium cibum appellant: sturnos verò, quos Græcia ψᾶρος vocat, tanquā melācholicū atq. vitiosum generantes humorem reiecimus, quū & cicuta illi nutriantur. G. vero, & si eos quandoq. inter boni succi aves laudet, veluti turritos passerculos, quos Græci pyrgitas appellant, ut est in libro sexto de Tuenda valetudine, minimè tamen in hoc morbo mea sententia cōcederet, proinde à consortio bonarum alitū eliminatæ fuerunt, non min⁹ ac cæteræ in aquis degētes. Pisces quoq. illi interdum concedebamus, præcipue quando carnes fastidiebat, veluti quoq. febriētibus admittimus. Ex piscibus autem marinis cōcessis numerādi veniūt buglossus, sive lingulaca, perca, mullus, quē barbonē Veneti, Hispani Salmonetum appellant. Nam Græci triglā piscem istū dicunt: sed cave ne nominum similitudine decipiaris, quū trichæ, sardiniæ sint, trissa vero clupea, quā Galli alosam, Hispani savalū, Itali vero chiepam nominant. Bonis igitur piscib. addimus auratas, quæ Corn. Celsi authoritate optimum gignunt succum: lupum, quem Veneti varolum, Hispani vero robalum appellitant: hunc Gal. ita optimum generare sanguinem inquit, ut eum carnibus perdicis æquiparet. Gobiones vero tanquā paucum & pessimū adgenerantes succum semper respuo, quemadmodum alios pisces, quos silentio prætereo, ne hic tātū de piscib. agere videar: ex fluviatilib. vero troctam concedimus, non minus luciū piscem, quē troctæ speciem esse crediderim, à Gallis brochetum nominatum, quo Hispania universa caret: tametsi Angli Lusitanica voce eum pique vocent: sed inter istos fluviatiles percam superius nominatam dicere quoq. est non minus ac alios quoque squamosos albas & leves carnes habentes, ætate medios, qui in multa & salubri innatant aqua, de quibus alibi copiosum fecimus sermonem. Hos vero (ut diximus) aliquando cum fastidio præmebatur, esu præcipuè alitum, & carnis quadrupedum (quanquam raro hac utebatur) concedebamus, quum multum illis delectabatur: aliquando aqua coctos, nonnunquam vere assos, raro tandem sartagine frixos. Ova recentia tremula, & sorbilia liberaliter concedebamus. Ex oleribus vero admittebamus borraginē nostrā, apud Græcos buglossum dictam, melissophyllum, id est, melissam, fœniculum, endiviam, cichoream, lactucam, asparagos, & lupulum. Legumina porro omnia interdicta sunt: veluti multa alia quæ data opera prætermittimus. Ex fructibus vero comedebat ficus optime maturas, uvas pēsiles, amygdalas, & pruna, caseum & ex eo parata tanquam venenū fugiebat. A prandio vero coriandro præparato, id est, saccharo incrustato, diacitonite, & piris saccharo cōditis utebatur, nec minus in cœna, quæ semper prādio minor erat. Vinū in potu cōcessum, mediū sapore, colore, & substantia erat. Acetum & res salitæ omnino interdicebantur, sicuti cætera sanguinē supercalfaciētia, & melācholiā gignentia. Somnum potius longū, & superfluū, quam parcum esse permittebamus: & illum quidem nocturnum. Nam diurnus pessimus ille est, si modo nocturnus interruptus non fuerit: qui si fuerit, tunc maxime diurnus iuvat, ut ex Gal. elicitur libro Prognosticorum. Erat igitur ad minus octo horarum somnus. Exercitium quoque ante prandium, temperatum permittebatur. Nam à cibo assumpto quiescere tum corpore, tum mente bonum est: hinc Gal. tam sæpe dixit, Labores cibum præcedant. Ab affectibus vero animæ eam interdicere impossibile erat, quum natura sua mulier rixosissima, si quæ alia erat, semper autē cum ancillis rixabatur, semper obiur-

obiurgabat,omnibus erat infesta,conti E nuo in bilem & indignationem veniebat,adeo ut furiali incessu,& non humano processisse dicendum sit:qua de causa,marito,amicis,& assistentibus, illam nunquã ad sanitatẽ pervẽturã prædixi. Quantũ vero ad evacuationẽ attinet, primo sanguinis extractione usi sumus, quæ multum in hoc morbo valet:deinde vero varijs medicamentis quoq.atrã bilem respicientibus usa est, inter quæ hæc numeranda veniũt,Syrupus rosatꝰ solutivus, syrupus de epithymo, de fumo terræ simplex & compositus,de pomis saporis,de boragine,buglosso,de lu F pulis:item decoctio fumi terræ,de sena, de epithymo,aqua boraginis,buglossę, lupulorũ, betonicæ,fumiterræ, melissę: electuaria quoq.erãt elescoph à sena paratũ,hamec Indicũ,catholicõ,& leniẽs: catapotia quoq.erant de lapide lazuli, de fumo terræ,de hiera aggregativæ,& indicæ:ijs addamus potionẽ hanc egregiam,& huic affectui miram,R.Myrobalanorũ cittinorũ,chebulorum, Indorum an.drac.unã & mediam,contundãtur grosso modo,& infundantur per diẽ & noctẽ in uncijs octo aquę fumiterrę: deinde R.Epithymi,polypodij, follicu- G lorum senæ ana drac.1.liquiritiæ rasæ drach. unam & mediam, seminis citri drach.unam,caryopyllorum scrup.medium,corticum ellebori nigri drachmã mediam,bulliant omnia simul in prædicta infusione,usq.ad consumptionem tertiæ partis,& facta colatura & expressione detur remanens semel.Is enim citatis medicamẽtis, eam interpolatim purgabamus,& interdum quoq.sanguinem mittebamus, sed quum hæc agebant,topica medicamenta mamillæ affectæ apponebamus,& illa quidẽ parũ calida,emollientia dicta. Nã à fortiter H calfacientibus,& exiccantibus in hoc morbo fugiẽdum est,ut suadet Gal.lib. 2. Artis curativæ ad Glauc.capite quarto. Et Paulus lib.quarto,cap. 32. Erant igitur medicamenta illa, malva, viola, melilotum: chamæmelum, radices altheæ, semen lini, fœnum Græcum:ex medullis vero cervina,& vetulina, sed ex adipibus commendabantur leonina,pardalis,ursina,taurina,lupi,taxi,& hirci:ex avibus axũgia gallinaceorum, anseris,anatis,phasiani:olea vero amygdalarum dulcium,liliorum alborũ,chamæmeli,& alia. Ex ijs autem fomenta, cathaplasmata,& emplastra parabãtur: & interdum cerotum admovebatur cõfectum ex diachilone albo, ammoniaco præparato,adiecta medulla cervina. Quibus omnib.per octo longos menses usi sumus,quæ quum illi parum conferre videbantur. Venetias se contulit,ubi tres doctissimi medici illius curam susceperunt:quorum unus Baptista Montanus est,qui primo Aetium Latinum fecit:alter vero Victor Trincavelius,cuius industria Galeni opera emendatiora in lucem sunt edita:tertius vero Bartholomæus Abiosus, qui magna cum gloria ibidẽ Medicã exercet artem, ab ijs igitur præclaris medicis per duos menses curata fuit,infelici tamen successu,quum parum, aut nihil adiuta fuerit. Ferrariam igitur regressa,& ad eam accersitus non bene,immo peius valere eam cõperio,adeo ut intra paucos dies gravissimis doloribus fuerit oppressa: confitebatur enim pus in mamilla, nec satis sunt sedati dolores,quousq.in parte decliviori mamilla perforata fuit,ex tractuq.tãtũ puris,quantũ nobis pro necessitate apparuit:post apertionem autẽ ulcus in dies malignius factũ est,quia medicamẽtis parũ cedebat,& si quæ fortia admovebãtur,illis irritabatur: de genere igitur cacoethes ulcus hoc erat,cavernosũ,dolosum,imò ex illis,quæ chironia,vel telephia nominãtur: chironia,quia Chirones,ut curentur medico sapiẽtissimo opus habẽt. Telephus passus fuit,quib.cõsenuit,& nũquã sanus ab illis evasit,semper autẽ ulcus hoc comitabãtur dolores, præcipue quinto elapso mense ab eius apertione, qui tunc fortissimi sævissimique fuerunt,& glãdulæ in collo, & alis, atque ubere dextro de novo ortæ fuerunt, immo evacuationes solitæ suppressæ sunt, ut alvus inflari cœperit:quia morbo devicta natura,libere vagabãtur p universũ corpus

corpus humores, nec eos per consueta A loca, quemadmodum antea consueverat, transmittere poterat: unde brachiũ sinistrum ex illo venenoso humore sy-deratum fere evasit: tandem prostratis viribus, tametsi præsidijs opportunis, & valentibus semper obstitimus, vita decessit, duobus elapsis annis ab origine morbi: nec enim fieri potest, ut omnes ad sanitatem reducantur, ut Hippocrates primo libro Prognosticorum tradit, quod ingeniosus Poeta cecinit, dicens,

Non est in medico semper, relevetur ut æger,
Interdum docta plus valet arte malum. B

Vsi cæterum sumus contra atrocissimum morbum istum candente ferro, aliquãdo vero caustico medicamento, id est sublimato, nonnunquam vero linimenta inuncta unguento apostolorum, vel ægyptiaco, plerũque vero mundificante medicamẽto, sed exterius parti affectæ, splenium unguento à tutia confectum illinitum apponebatur, ex tutia dico, id est ex cadmia Dioscoridis, non pompholige, ut hucusq. omnes nõ sine ingenti errore crediderunt, ut uberius suo loco exposuimus. C

Curatio 32. de colico affectu eveniente à vitrea pituita, & eius curatione.

MVlier, quæ prope castellum novũ ad Padum habitat, natura pituitosa, intẽsissimo dolore vexari cœpit: pro quo propulsando accersiti sunt plures medici, qui in hujus morbi inquirenda causa, omnes una convenere, pituitam tenacem vitream dictam esse, à qua sævissimi dolores illi oriebantur. Consueverat enim morbus iste tempore quodam interiecto supervenire, contra quẽ primo clysteribus confectis ex ruta, anetho, parietharia, baccis lauri, in aqua adiecto oleo rutaceo, anetino, laurino, liliaceo, & similibus usi sumus: nonnunquam vero hoc modo, Recip. Centaurij minoris, foliorum lauri, rutæ, anethi ana m. I. seminis cartami, urticę, anethi, ana drachmam unam, in aqua fiat decoctio, quousq. colorem viridem acquirat, cuius decoctionis accipe uncias quindecim, olei rutacei, anethini, laurini, an. uncias duas, mellis rosati colati uncias duas, salis gemmæ vel cõmunis drach. unam, trochisc. alãdahal. drac. I. ovorũ numero duo, misce, fiat clyster: nonnunquam vero loco trochiscorum diaphiniconis unciam integrã injiciebamus: aliquando vero electuarium de baccis lauri miscebam⁹. Nec enim bonus practicus mirabitur, si a principio potentibus medicamentis usi sumus, quum nos doceat Hippocr. ultimis morbis, id est acutissimis periculum secum ferẽtibus, ultima medicamenta esse adhibenda. Diligẽs proculdubio, et minime tardus, aut segnis medicus esse debet in ijs morbis periculum minantibus: id quod Galenus quinto libro Methodi medendi animadvertens, & cõtra Errasistratũ agens, ista prodit: minimè igitur sicuti medicorũ nõnulli censent, a parvis incipiendum auxilis est, nec sicut illi dicũt sentiendum, ista scilicet prius esse tentanda: mox si nihil profecerint, aggrediendα maiora. Nã in morbis, in quib. periculũ non impendet, vera ea opinio est. At ubi moriturus æger est, si phthoe semel exceptus sit, alienissimum à ratione est à minoribus inchoasse. Nã sicuti reliqua omnia ab Hippocr. tradita, ita illa quoque sentẽtia recte est dicta, nempe ad ultimos morbos ultima prorsus remedia maximè valere. Vsi igitur sumus potentibus medicamentis, quibus dolores illi intẽsissimi remissi sunt. D Nam & exterius linimento ex oleo eũphorbij cũ pauca cera parato illiniebatur, veluti per os oleum de amygdalis dulcibus recens dabatur. Depositis igitur doloribus, ad syruporum propinationes devenimus, qui ita habebant, R. Mellis rosati colati unc. ũnam, syrupi de betonica, de calamẽto, ana unciam mediã, decoctionis betonicæ, chamæmeli, origani, fœniculi secundũ artem, cũ

ſeminibus carminantibus ventoſitates E parati uncias quatuor, miſce, & ieiuno ſtomacho capiat iu aurora, nocte vero tribus à cœna horis iteretur. Vſa vero per quatuor dies hoc ſyrupo eſt: poſtea varo pharmacum ſequens cõceſsimus, Recipe Agarici noviter in paſta cum oxymelite ſcillitico parati drachmas duas, electuarij eleſcoph drachmas tres, ſyrupi de epithymo uncias tres, decoctionis ſenæ tantundem, in qua bullierint ſeminis carthami drachmæ duæ, hyſſopi & pullegij parum, miſce: fiat potus unus. Hoc enim pharmaco alvus optimé deiecit, & mulier baſilicè ha- F buit. Poſtea vero ne morbus rediret, ad vinum ligni guaiaci deſcendimus, quo nihil ſanctius aut divinius pro hac domanda ægritudine invenimus. Nam etſi ex hoc ligno tempore muſti vinum optimum concinnari poſſet, veluti priſci ex varijs herbis conficere aſſueſcebant, quod ſummopere laudo, quum tamen eo carebamus, ſic parare iuſsi, R. ligni guaiaci noviter elimati, nihil nigri habentis (quod recens ſit oportet, nam aliter ſatius eſt multum nigri poſſidentis accipere) uncias decem, corticis eiuſdem ligni gummioſi pulverizati uncias duas, in libris viginti vini albi generoſi & potentis, per vigintiquatuor horas madeſcere ſinito: deinde vero ad lentum ignem ebullire ad medias ſinito, quod vinum percolatum ac ab ſcobe illa depoſitum in olla minori decem libras continente injicito, cui adde herbæ hyſopi, pullegij, anethi an. faſciculum unum, & iterum ad ignem bulliat, donec maneant libræ ſeptem. Facta tandem colatura, vinum remanens, primum dicitur vinum, quod ſyrupi loco in aurora pondere octo unciarum prælibabat, quo ſudor maximè evocabatur, & illam ſic per tres horas ſudare permittebam, non minus quoque tribus horis a cœna in nocte eandem vini quantitatem concedebam: ſed hæc de primo vino. Secundum vero vinũ, quo inter diem potus vice & cum veſcebatur utebatur, ſic parare faciebamus. Nã relictæ ſcobi, ſive pulmento illius ligni (à quo primum extractum fuit lignum) uncias quatuor prædicti ligni novi ſuperaddebamus, quibus vinum infundebamus pondere viginti librarum, quod ad ignem quoq. fervere, quouſque maneãt libræ duodecim, permittimus, ac poſtea percolamus, quod ſecundum vinum appellamus, & eo vice potus inter diem & hora victus utebatur. Cæterũ, quum vinum hoc parabatur, tantam ex ſe fragrantiam, ac odoris ſuavitatẽ ſpirabat, ut moſchum ibi eſſe aſsiſtentes dicerent. Vſa eſt autem mulier hæc vino hoc per vigintiquinque dies, in quibus immunis & libera ab illo ſævo & crudeli morbo fuit. At victus ratio huic talis præſcripta fuit, primo carnibus in prandio ei nunquam interdiximus, interdũ aſsis, aliquãdo vero elixis. Carnes quũ dico, alites mõtanas, capũ, gallinam, pulloſque gallinaceos, & interdum domeſticos columbos intelligatis velim: ut plurimum vero illis aſsis veſcebatur, elixis vero non niſi ſecundo in vino apparatis. Nã ut aquam omnino fugeret in hoc morbo monuimus, & eo magis, quia mulier hæc aſſueta vini potui erat: ſed panis nauticus, ſive biſcoctus dictus, in univerſo hoc mor
G bo illi recentis panis vice fuit: ſed cœna levior prãdio ſemper fuit, in qua amygdalatum ſecũdo vino concinnatum concedebamus: nonnunquam vero panatellam, ex biſcocto pane & ſecundo vino adiecto ſaccharo & cinnamomi pauxillo confectam. Ex fructibus vero albas, & ad ignem ſiccatas amygdalas, veluti uvam ſole ſiccatam cõcedebamus: ex oleribus, fœniculum, mentam, ſalviã, petroſelinum, & hyſſopum pro condiẽdis iurulentis pullorum carnibus, permittebamus. Mel inter ea quæ concedebamus adnumerare eſt. Quibus om-
H nibus mulier hæc non ſolum ſanitati priſtinæ fuit reſtituta, ſed etiam ab illo grauiſsimo morbo, quo ſæpe corripi ſolebat, immunis & libera perſeveravit.

Curatio

Curatio trigesſimatertia de cholico dolore à lumbricis infeſtantibus eveniente, & eius curatione.

DIana uxor lapicidæ in cholicum affectum ſolitum devenit, & illũ quidem à lumbricis cauſam habẽtem, proinde primo clyſterem ex lacte & melle tantum injiciendum curavimus quo dolor illico remiſſus fuit, quũ omnia, ut illa aſſerebat, ex partibus ſuperioribus ad inferiores deſcẽderunt: poſt quem clyſterem, alterum ex rebus vermes interficientibus, nondum altero eiecto mittere mandavimus, qui habet, Decoctionis rutæ uncias quindecim, olei rutacei uncias tres, ſalis nitri dracmam unam & mediam, aloes non lotæ drachmas duas, hieræ picræ unc. 1. miſce. An vero inter excreta illa vermis exierit, non conſtabat: qua de cauſa bolum hunc illi ſequenti die devorandum dedi, R. Specierum de hiera Galeni drachm. 2. diaphinicois drachm. 3. ſeminis ſantonici lumbricorum dicti drachmam mediam, ſacchari quantũ ſufficit. Fiat bolus. Hoc autem quinquies egeſsit, & dolor ex toto levatus fuit, & ſic intra duos dies ſanitati reſtituta: poſtea vero octo ſequentibus diebus quolibet mane, ieiuno ſtomacho, rotulum ex aromatico roſato comedebat, ſuper quo vinum ex abſintiho confectum bibebat, & ſic ſana cito evaſit.

SCHOLIA.

BONI medici fidelis, & Deum timentis officium eſt, celeriter quoad fieri potuerit curare: quoniam ab omni arte aliena eſt comperendinatio, potiſsimumq. à medica, in qua dilatio, procraſtinatioq. vitæ periculum eſt: unde Meſues in exordio ſuæ praxis, inquit, auxiliari ne differas: quia ſemel pereunti nulla poſtea ſuffragia proſunt. Poterat autem crudelis medicus huius mulieris morbum in longum protrahere tẽpus, eamq. in reditu habere, quã nos duobus tantum diebus ad ſanitatem reduximus, tuto, iucundè & ut diximus, celeriter, curantes, ut optimus quiſque medicus facere debet, ut Corne. Celſus lib. 3 ex ſententia Aſclepiadis dixit, & Hippoc. & Galen. lib. 1. de Morbis vulgaribus, & 14. Method. medendi.

Curatio trigeſsimaquarta de muliere quadam, quæ peperit, & poſtea deſipiens & melancholica facta eſt, ac de computu dierum criticorum in parientibus, & de admovendo oxyrhodino.

VXOR ſarcinatoris, apud forum argentis puellam peperit, & ad ſeptimũ diem uſque bene habuit, non bene tamen à menſibus purgata eſt; ſeptimo tandem die febri cum rigore corripi cœpit: capitis anteriorem partem dolebat, & interdum circa cordis regionem ſub ſiniſtra mamilla dolorem ſentiebat qui dolor ad nucham, ut aſſeverabat, aſcendebat. Sequenti die febricitavit, & le cto decumbens, optimam repreſentabat faciem. Parum loquebatur, & nil movebatur. Quum tamen ab illa quærerem, ut valeret, & ubinam doleret, illa ſimilia verba loquebatur: ſed anteacta nocte, mẽte nõ cõſtare iã mulierculæ aſsiſtẽtes mihi ſignificaverãt. Raptus enim materierũ ad caput inde indicabatur: qua de cauſa illico per clyſterẽ alvo exonerata, ſaphenã pedis dextri ſecare iuſsi, ſanguiniſq. unc. ſeptem extrahere: à vino vero & carnium eſu abſtineret, tenuiq. victus ordine uteretur commiſi: ſequẽti vero die, quum illã viderẽ, & deſipientem perſeverare reperirem, tunc cephalicam dextri lateris aperire ſanguinemque fluere ad pondus quinque unciarum iuſsi. Erat enim ſanguis corruptus, lividus, morbi malignitatem ſatis atteſtans, poſt quam ſanguinis minutio-

minutionem, syrupum istum bibendũ dedi, qui habet, R. Syrupi Bysantini sine aceto unciam mediam, de endivia unciam unam, aquarum lupulorum, endiviæ, fœniculi, an. vnciam unam, misce, & per sequentes dies continuetur. Capiti porrò oxyrhodinũ applicare fecimus, quod habet, R. aquarum rosarum libram mediam, plantaginis uncias tres, aceti rosati uncias duas, olei rosacei unciam unam & mediam, pulveris santalorum rubeorum drachmã unam & mediam, misce, & sincipiti & temporibus cum panno lineo applicetur & sæpe innovetur. Cordi quoq. epithema hoc admotum fuit, quod recipit aquarum rosarum, borraginis, melissæ, acetosæ, an. uncias tres, specierum diarhodonis abbatis, diamargaritonis an. dragmam mediam, de gemmis scrupulum unum, vini boni unciam unam, croci grana duo, cum zendalo rubro tepidum cordi applicetur: frictiones quoq. crurium fierent, sed leves suasi. Nam continuo febricitabat, sed in nocte clyster iste iniectus fuit, qui refrigeratorius dicitur, & ita habet, aquæ decoctionis hordei libram unam & mediam, olei violacei uncias tres, sacchari unciam unam & mediam, vitelli ovi numero unum, misce, quem per quatuor retinuit horas, cuius partem postea per cubile non sciente illa emisit, in qua nocte parum dormivit, sed nihil loquebatur, insipienter tamen respõdebat, cum quibus, ut dixi febricitabat: qua de causa sequenti die cephalicam alterius brachij secare iubeo, sed optimè secta vena sanguis paucus exivit, crassus, sed non admodum ater, qui cum in vasculum cadebat, illico coagulabatur, signum sane malum, & lethale, imo õnia signa si exacte contemplẽtur, pessima & mortalia sunt. Vesperi vero cucurbitulas quatuor scapulis cum scarificatione admovere feci, à quibus pulsus validior factus est: sed scire licet, quod cibum semper optimè accipiebat. At in nocte syrupi papaveris uncias duas, ut somnum conciliaremus illi obtulimus: & tempora ac frontem pulsusve populeone illini fecimus

E unguento: sed parũ dormivit, imo tota nocte cum timore, & metu, transegit: manè verò depositis per forfices pilis, embrocha caput irrigari feci, quod habet, foliorum violarum, lactucarum, rosarum añ. ma. duos, florum nenupharis, corticum capitũ papaveris, caulicũ hyoscyami, añ. pugillum unum, chamæmeli pug. medium, misce & in libris duodecim aquæ fiat decoctio secundũ artem: cui postea adde olei rosacei librã unam, chãæmelini uncias tres, misce et cum aqua fiat embrocha, si ve capitis irrigatio per dimidiam horam: præcipuè super sinciput, hoc est, capitis anteriorẽ
F partem: postea vivo catulo vel columbo pe spinam dissecto, prædictæ capitis parti applicetur. In victu vero pulli contusum, pistum dicunt, semine melonis, & anguriæ paratum, ac cum dimidia parte cremoris ptisanæ mixtum dabamus, cui quoq. semen papaveris, veluti aliquando amygdalas miscebamus: sed cũ ijs parum profectus fuit consecuta: & ea de causa ano duas hirudines, quoad sua sponte cecidissent, applicare fecimus, & in nocte syncipiit, & tempora hoc unguento illini faciebamus: quod habet, unguenti populeonis uncias duas, opij grana quatuor, croci granum unum, olei de papavere unciam unam, misce,
G fiat linimentum: item in nocte, bibendũ hoc sequens detur, R. Requiei Nicolai drachmam unam, aquæ lactucæ, & nenupharis añ. unciam unam & mediam: misce, & in potu, ut dixi, detur: ijs autẽ per tres aut quatuor dormivit horas: & sequenti die menses copiose erumpi cœperunt, & ut mulieres assistentes confirmabant, & nos postea vidimus, vividi & rubicundi erant. Manè vero sequen-
H ti, à febri fere libera erat, sed nunquam ita furibundam, aut commotam illam ut tunc invenimus: nam præter quod mẽbra, præcipue caput, præter naturã movebat, varia loquebatur: & ijs similia quæ in cubiculo effũdebãtur verba, aut illi objiciebãtur: tunc à dæmone malo agitari, mulieres affirmare cœperũt: pro quo acciti sunt religiosi ad cacodæmonem illum propulsandũ, sed nihil profecere.

fecere, nam vesperi febris intēdi cœpit: pro qua sequēti nocte, remedia anteacta iterarentur jussi: demum, quum manè illam invisum redirem, eam melancholia dicta morbo vexari, & absque febri esse deprehendi, quem morbum describit Paulus Aegineta libro tertio suæ medicinæ, cap. 14. ubi inquit, Melancholia, mentis alienatio quædam, absque febri est ex melancholico maximè humore nascens, qui mentis sedem occupaverit: & hæc dupliciter fit, aut per essentiam hoc est cerebro ipso per se ægrotāte, aut per communitatem, sive consensum. Alia verò fit flatulenta, dicta hypochondriaca, ob inflammata circa stomachū præcordia eveniens, quæ inter eas, quæ per cōsensum fiunt, adnumerari debet: quam Ferrariæ pati vidimus Raphaelem filium Isaac Hebrȩi usurari nefarij. At quum assistentes circa hanc de qua agimus ęgrotante, à malo spiritu (ut diximus) vexari asseverarēt, & monachos pro eo propulsando convocarent, nos à cura destitimus; nec illam amplius invisimus, sic mente captam, & furibundam relinquentes: quę postea ex se intra mensem, sanitati fuit restituta, cœpit autem morbo affligi, ut obiter hoc dicam, derepente: quum ex somno experrecta esset, cui morbo similem Hippocrates describere videtur, libro de Virginum morbis.

SCHOLIA.

DVO hic in dubium verti possunt primum an dies critica supputari debeat ab hora partus, vel potius ab hora incipientis febris, quam quæstionem Conciliator libro diff. & plures alij disputant. Secundum, quomodo componi debeat oxyrhodinum, & cuinam capitis parti potissimùm apponi debeat, quod Matthæus de Grado inquirit, & Gentilis de Fulgineo alijve plures non silent. Vt paucis igitur primum dubium absolvamus, nec in longum more Conciliatoris discurramus, qui, nisi propositis prius sexcentis distinctionibus, rem concludit, dicamus. Et primò Hippocrates libro tertio Prædictionum textu decimo ait. In mulieribus judicationes fiunt à partu, quovis die pepererint. Quam sententiam enarrās ibidem Galenus, in-

A *quit, principium numerationis erit, non quo die cœperint febricitare, sed quo pepererint. In quibusdam igitur circa secundum, aut tertium incipiunt diem à partu, ex quo multi numerant futuram judicationem, sed res non ita se habet, sed ex quo pepererint, numerationem fieri oportet dierum. Hanc Hippocratis & Galeni sententiam firmat Averroes libro quarto sui Collectorij, capite 40. dicens, quòd istæ crises à principio ægritudinis computantur, & est quando manifestè in operationibus læsio apparet, excepto in pariente: quia ab ipso partu incipere debemus, quamvis ægritudo post partum per triginta dies sensibiliter extitisset, & breviter hæc regula, dicta Hippocratis consequitur. Hæc eadem ferè ad verbum ab Aliabate describuntur decimo Theorices libro cap. octavo; à quibus*

B *omnibus Avicenna Fen secunda quarti cap. 1. tractatus secūdi, discors omnino videtur, quum dicat. Et si peperit mulier, deinde accidat ei febris, tunc si non computetur ex febre, & non nisi ex partu, est illud error: ex quibus verbis videtur Avicenna velle, quód dies decretorius computandus sit à die febres, & non á die parturitionis: & hac de causa, multi in dubium rem hanc traxerunt: nos verò quantum ad Avicennæ verba attinet, dicamus quod Avicenna, si quis illius penitius animadvertat verba, ab Hippoc. & Galeno non variat: immo citatis á nobis Galeni verbis subscribit, ut Bellunensis*

C *quoque in annotationibus non prætermisit; immo eum Galeno concordem & unanimem reddidit: & meritó sanè: quia Hebraicus Avicen. textus ad verbum Gal. citata verba habet, quæ consultò prætermittò, ne ad ostentationem quatuor Hebraica verba in hoc opere adduxisse mihi obijci possit, certi enim sumus in hoc Avicennam ab Hip. & Gal. discordem non esse: sed potius unanimem & parem: sed in hoc major, quàm quæ Avicennæ imputari possit, quum Hippocrates libro de Morbis populariter vagantibus, sibi ipsi contradicere videtur: quum in enixis, non ab hora, qua pepererunt computationem facit, sed ab ea potissimùm, qua febricitarunt, & quòd hoc sit verum, ne quis nobis falsum loqui obijciat audiat. Nam Hippocrates*

D *sectione tertia libri primi de Morbis popularibus ægro quarto, Philini uxorem, quæ filiam pepererat describit, cui quum purgatio secundum naturam facta esset, tamen decimaquarta à partus die febris vehemens cum rigore illi supervenit, a qua hora diei decimiquarti connumerare incipit, ad vigintisequentes dies, in fine quorum mortua fuit, ut facta computatione dicendum sit, hanc obijsse die 34. a die partus numerando, sed si a die invasionis febris, quæ decimaquarta fuit, proculdubio sequētium*

viginti

viginti dierum termino è vita decessiße affirmandum est: prout Hippocra. fatetur, & Galenus optimè enarrat, ut liquidò constet in hac enixa Hippocratem à die febris computationem fecisse, & non à die partus. Sed fortè respondebit aliquis Iustum eße in hac ægrotante ab hora febris computationem faciendam, quia quatuordecim dies à partu jam pertransierant: sed responsum hoc nullius est valoris, & ne sic subterfugiat; sequentis ægroti quinti historiam, è loco citato in medium afferamus, ubi Hippocrates Epicratis uxorem describit, quæ ante partum fortiter riguit, & non incaluit: & tertia die peperit, & alia omnia secundum rationem venerunt, sed postridie a partu febris acuta eã invasit, a qua die Hippocrates computum facit, & non a die partus: sed quòd a die, in qua febris ipsam corripuit, connumeret Hippocrates, satis clarum est vel ex ijs, qua subdit, sexta die a quo febris ipsam corripuit ad noctem deliravit: ut satis pateat Hippocratem sequenti die a partu, in qua febris eam invasit, numerum cœpisse, non vero a die partus, ac si responsum supra adductum mutilum esse satis superque patet: ijs consentiunt, quæ ex historia undecima sequenti enarrantur, scilicet ex Dromeadę uxore, quæ filiam peperit & alijs omnibus secundum rationem factis, secunda die eam rigor corripuit, & febris acuta, a qua die Hippocrates computat, & non a die partus, ut ex suis verbis satis liquet quum dicat. Altera a rigore die stercora ab aluo bene prodibant. Ex ijs enim dictis satis constat quòd Hippo. in ijs casibus a die febris invasionis enumerat, non vero a die parturitionis, ut fieri iubet lib. 3. Prædictorum. Iis respondebunt aliqui, Conciliatoris doctrina armati, quòd in partu naturali computatio a die febris inchoanda est, quemadmodum in citatis mulieribus evenit, quæ pepererunt tempore a natura constituto, & menses copiosos habuerunt, unde Hip. rectè a die febris connumerat, & non a die partus: secus autem esse in partu non naturali, in quo non a die febris, sed ab ipso partu enumeratio facienda est, & sic de eo dixisset Hippocrates lib. prædictionum, a die partus, & non a die febris computandum esse: quia tunc partus morbus est, febris verò accidens. Horum assertio roborari poßet per Hippocratē libro tertio citati voluminis id est, de Morbis popularibus, ægroto decimo, undecimo, & duodecimo. In ijs enim tribus capitibus de tribus mulieribus enarratio fit, quarum duę priores abortiere, altera verò dolorosè peperit: omnes autem tres febricitarunt, & mortuæ fuerunt: in quibus computatio a die partus facta fuit: veluti in altera, quæ gemellas filias cum difficultate peperit, & non

E valde purgata est, ut ægroto decimoquarto, post constitutionem pestilentem, quis legere poterit. Ii enim sunt casus, quibus horum responsum fulciri poßet: sed revera horum responsum ad Hippocratis mentem ficulneum est, & nullius valoris, quia non ita Hippocrates & Galenus loqui solent: ut in partu naturali a febri connumerationem faciant, in preternaturali verò ab ipso partu. Et quòd hoc ita sit, patet: quia historiam ex Hippocrate adducemus ex muliere, quę quum peperit purgatio illi defecit, ita ut partus non naturalis dicendus sit: & sequenti tertia die febri acuta horrida correpta fuit, a qua die Hippocrates computationem desumit, non verò a die partus. Est enim historia ægroti secundi prædicti libri tertij post constitutionem pe- F stilentem, quæ incipit. In Theso decumbentem apud frigidam, a partu ubi filiam peperisset, & purgata facta non esset, febris acuta horrida tertia die corripuit, multò autem tempore ante partum febriculosa erat, decumbens, cibum fastidiens, &, inquit. Postquam autem riguisset, febres continuæ, &c. ut ex ijs lector intelligat a tertia die post partum connumerationem fecisse: proinde horum responsionem nullam esse palam est. Nos verò ne in hoc tam difficili dubio longiorem trahamus moram, dicamus Hippocratem libros Epidemiorum, id est, de morbis populariter vagantibus, prius scripsisse, quam libros Presagiorum, ut testatur Galenus libro secundo de Diebus decretorijs, in quibus ut res G intervenie bant, ita eas literis mandabat, non regulas, aut Canones Methodùmve aliquam servando: veluti postea in libris Præsagiorum fecit, in quibus regulas veras, canones sacros, ac leges legitimas sanxit, quos recentiores medici tenent, servant, ac imitantur: proinde veriorem hanc Prognosticorum sententiam esse, illa, quæ a libris Epidemiorum desumitur, credendum est: ac sic semper a puerperio dierum criticorum computationem faciendam esse asseverandum est, ut omnes Arabes postea scribentes firmarunt: sed dicet prudens medicus. Quo modo si febris incœperit post diem partus decimo, vel duodecimo die, a die partus numeratio facienda est? quia Galenus jubet, enumeretur morbus ab hora in qua læduntur operatianes. Respon- H demus, Morbi causam ab hora partus instare: sed latitat plerunque ad triginta dies, ut adnotat Averroes, & plures alij, ut rabidi canis venenum, quod per longum tempus occultatur, ita ut ad annos plures deocculte tur, & hominē inficiat, referat Galenus libro tertio de Morbis vulgaribus, commentario tertio. Porrò si responsum hoc non placuerit, placeat saltem sequens, quod in partu naturali demptis febriculis illis ephemeris, quæ plerunque lactis generationem

rationem consequuntur, & tertio, & quarto, vel quinto die eveniunt, & partus rationem habent, a die febris computatio fienda est: secus autem in partu innaturali, in quo ab ipsa die parturitionis ennumerare debemus. Secundum dubium propositum fuit, cuinam capitis parti oxyrhodinum potissimùm admoveri debeat, nec tantùm oxyrhodinum, quantum medicamentum mitigatorium, concoctorium, & discussorium: utimur autem in principio fluxionum, exceptis paucis casibus, repulsorio medicamento, cui quum moderatè opus perfecerit, ac in augmento morbus fuerit, ex ijs quæ discutiunt ac mitigant parum admiscemus, in statu verò & paulò ante statum æquis portionibus miscemus revrimentia discutientibus: sed in declinatione vel status fine, solis resolventibus & relaxantibus uti licet, ut refert Galenus libro secundo de Compositione medicamentorum secundum locos, & sexto ejusdem voluminis, ubi diamoronis, & compositionis putaminum nucum meminit: & Avicenna libro primo sui Canonis. Cæterùm, oxyrhodinum id significat quod acetum rosaceum, sed Archigenes ob aceti facultatis vehementiam nunquam eo solo, ut meminit Galenus utebantur: sed illi potius oleum rosaceum, aut aquam admiscebat, unde factum est, quòd recentiores medici oxyrhodinum semper ex aceto rosaceo, aqua rosacea & oleo rosaceo componant, quali verò proportione, id medici arbitrio relinquitur, qui conjectari debet, an nimis refrigerare opus sit, vel potius parum. Quibus adde aeris temperiem, ægri ętatem, ac sexum. Nam pueri & fœminæ, ac eunuchi, & quicunque molli carne sunt pręditi, vehementem frigiditatem non ferunt, & ea de causa, acetum non ita liberaliter applicamus Nam frigidum & siccum acetum est, ac constringens & tenuium partium, ut tradit Galenus cap. 18. libri primi Simplicium: impulsis autem tenuibus partibus ab stypticis ac veluti manu pressis penetratio major fit, non verò ob partes calidas in ipso aceto repertas, ut nonnulli autumant. Nam Gale. ubi ex professo de aceto, ac de illius tenuibus partibus loquitur, inquit, acetum non ob partes calidas penetrare: sed ob subtiles frigidas, quales in exactè sereno aquilonari aere reperiũtur, ut capite 23. libri primi de Faculta, simpli. medic. videre est, & libro secundo de Compositione medica. secundum locos, ut alios plures sileã locos: demum concludo, quòd acetum, ut Gale. placet, non ob partes in eo calidas repertas penetrans est: sed ob acutas frigidas, ut in aere aquilonari percipimus: nec enim me latet Galenum aliquando dixisse acetum ex contrarijs facultatibus constare calidis & frigidis, ut cap. secundo libri quarti de Facultat. simpl. medica- A men. qua de causa, ibidem agrestę succum pro curandis hypochondriorum & aliorum membrorum inflammationibus, magis laudat quàm acetum: quia in agrestę succo frigiditas absoluta comperitur: in aceto verò ultra frigiditatem caliditas quoque percipitur, quam acris ei sapor permixtus attestatur. Paramus igitur oxyrhodinum, prout necessitas urget, aliquando multi aceti, aliquãdo verò parum, & multum olei adjungendo, præsertim quum humectare, nec tantùm refrigerare cupimus. Nam oleum aquæ admixtum hydrelęum dictum, multo magis penetrat & humectat quàm oleum per se solum, & multo magis si acetum simul illi misceatur, ut Gal. tradit lib. secundo de Facultat. B simpl. medic. & nonnullis alijs locis. Vt receptui igitur canamus dicimus, quod oxyrhodinũ, vel repercussorium, aut discussorium, mitigatoriumve medicamentum sincipiti, & temporibus applicari debet, non verò fronti, ut recentiores practici faciunt Nam frons dubio procul longè a cerebri regione distat, & ea de causa vulnera illi inflicta non admodum sunt periculosa: quia longè a cerebri substantia, ut dixi, abest: quod ignorantes chirurgici quum penicillum mittant, & in longum ire animadvertant, timent, putantes vulnera illa penetrantia ac lethalia esse: & hoc magis verum habet, si vulnera supercilia attigerint Non igitur medicamenta pro cerebri alteratione fronti admoveri C (ut dixi) debent, sed sincipiti potius parti in toto capite ossa subtiliora continenti, & in qua sutura coronalis est, ob quæ medicamentorum vires facillimè penetrant. Quæ omnia Gal. animadvertens lib. 2. de Compositione medicamen. secundum locos, ita de hac re tradit, dicens. At verò regio capitis juxta sincipue, propter laxitatem coarticulationis juxta coronalem suturam, & ob ossium tenuitatem, & raritatem facilè tum caliditatem, tum frigiditatem omnium quæ adhibentur pharmacorum intrò distribuit. Quare sive refrigerare oporteat ex caliditate ardorem, sive calefacere frigiditatem, aptissimus est capitis juxta sinciput locus. Hæc Galenus, quibus similia libris Methodi medendi scripta tradidit, ut igitur medicamentum applicetur, & suam agat operationem, pili per D novaculam, aut forfices prius deponantur necesse est. Cæteras verò regulas per horum medicaminum admotionẽ ut operanti ante cognitas, subticemus, veluti alia plura, quæ huc afferri pro instituto possent.

(.·.)

Curatio

E

Curatio trigesimaquinta de mania, & melancholia, & in quibus differant.

Fllia Vincentij coriarij, nata annos triginta, quum plerunque caput lavaret, & ad Solis radios, vigente leone, ut capillos flavos redderet, longam traheret moram, in arthritim devenit (est enim arthritis universalis articulorum dolor.) Nam propter intensissimam Solis caliditatem, materiarum raptus ad caput factus est, à quo postea materiæ ad extrema corporis descenderunt, unde dolores articulorum orti sunt, quales sunt chiragræ, podragę, ischiadici dolores, veluti genuum & aliorum artuum, sed cum ijs quoque febriebat, & consueta mensium fluxio illi deficiebat, rarò enim menstruam purgationem hæc habebat, quæ natura melancholica erat. Huic igitur sanguine ex utroq. brachio extracto, illiusque articulis oleo rosaceo & chamæmelino, dolores remissi sunt, & febris mitior facta est: postea verò devoratis catapotijs cochijs, sanitati fuit restituta, sed interpositis duobus mensibus, adveniente autumno, quum iterum se lavaret, & caput ad radios solares poneret: insana facta est, cui venam cephalicam illico secare jussimus, sanguinemque extrahere ad uncias sex: non minus cucurbitulæ spatulis, crurium retractiones, & brachiorum frictiones factę sunt: dæmum assiduo decocto senæ epoto, & interdum in eo dissoluto electuario Indico, alijsve catharcticis medicamẽtis, atram bilem respicientibus, mẽtis compos facta est: quum enim capillos illi deponere per forfices juberem, respondebat. Malle se mori, quàm simile pati, uni versus tamen scopus noster erat hanc somnolentam reddere: quod lactucis & semine albi papaveris in cibo concessis assecuti sumus.

(✠)

SCHOLIA.

Hic adnotare est, quòd mania sive insania, qua iuvenis hæc laborabat, propriè melancholia appellatur: quia ex atra bile originem trahebat: mania verò propriè ab assata flava bile fit, nec solùm in causis mania & melancholia differunt, sed etiam symptomatibus. Nã insani ex melancholia facta per flavæ bilis ustionem præcipites sunt, tumultuosi, manu prompti & audaces: melancholici verò a nigra bile facti, qui humor frigidus & niger est, timidi, suspiciosi de omnibus, tristesque redditi sunt, immo solitudine gaudent, & hominum consuetudines fugiunt, ut Homerus tradit & Galenus noster subscripsit de Bellerophonte melancholico, in hunc modum,

F

Qui miser in cãpis errabat solus Alæis,
Corq; suum peredens, hominum & vestigiæ vitans.

Porrò hæc sæpe ad risum prona erat, ut inde sperandum esset, melancholiam hanc non admodum difficilem esse, quum & sanguis in ea dominabatur, juxta Hippoc. dicta in Aphor.

Curatio trigesimasexta de apoplexia, & paralysi dicta nervorum resolutione.

G

Fllia Fabri ferrarij, ętatis undecim annorum, à lavato capite in apoplexiam intra horam incidit. Erat enim puella obesa, facie pulchra, & omnino sanguinea: quum igitur correpta fuit paroxysmo, maximè stertebat, & membrorum ingentem tremorem patiebatur, cui malo occurrens retractiones facere jussi, ligaturis, frictionibus, cucurbitulis non nisi profundissimis vulnusculis scarificatis: sed quum symptomata

H

perseverarent, consului sanguinem minui per venæ exterioris brachij sectionem, quę multum eo tempore tumebat, & quum extra Hispaniam omnes medici ante quartumdecimum annum venã secare timent, Galeni decreto imbuti, mihi obtẽperare nequiverunt: quapropter noscens ego apoplexiam illam morbum attonitum à Cornelio Celso dictũ libro tertio suæ medic. cap. 26. fortem esse,

esse, discessi, quum (ut ille ait) deplorati solis præsagijs sunt dimittendi: evasit tamen puella illa eo die à paroxysmo illo, non illæsa tamen, quum universa pars dextra paralysi, id est, resolutione affecta fuit, quæ alijs commissa medicis, intra mensem diem suum obijt.

SCHOLIA.

Apoplexia est privatio sensus & motus in universo corpore subitò eveniens, cum functionum imperantium læsione, ob oppletionem ventriculorum cerebri. Nam obturatis cerebri meatibus, per quos spiritus animales sensitivos & motivos ad universum corpus cerebrum transmittere solet, corpus insensile & immobile redditur: ita enim in hoc contingit, veluti in Sole, qui interposita nube, irradiare terram nequit, ita cerebrum irradians universum corpus spiritibus sensitivis, & motivis, quum nebulã, id est, humorem obturantem interpositum habet, transmittere nequit: & sic corpus insensibile & immobile fit. Fit igitur in apoplexia universalis læsio corporis, sive nervorum universalis resolutio: quũ verò particularis mẽbri alicujus fit resolutio, paralysis appellatur, quãquã & hanc Hippocrates apoplexiam appellat. Hodie verò nos sive universum corpus resolutum sit, sive ejus aliqua pars paralysim appellamus, differt igitur apoplexia a paralysi tanquam totum a parte, quia apoplexia universalis est totius corporis resolutio, paralysis verò particularis. Cæterùm apoplexia, & epilepsia differunt, quia apoplexia semper fit materia contenta in cerebri meatibus: epilepsia verò aliquando fit per consensum: item quòd in apoplexia fit nervorum resolutio: in epilepsia vero potius fit convulsio, id est nervorum retractio, quibus adde quòd in apoplexia major fit cerebri meatuum obstructio quàm in epilepsia.

Curatio trigesimaseptima de puella febricitante, quæ libera per sanguinis ex naribus fluorem fuit.

Puella, quę ad aquam Carmelitarum habitat, ætate decem annorum, febre correpta fuit, cui occurrens internã brachij venam secare jubebam, sangui- A nisque uncias quinque extrahere, interposita tandem hora, ecce in sanguinis fluorem ex naribus devenit, ita copiosum, ut assistentes integram sanguinis libram fluxam esse affirmarẽt: ita enim illi sanguinis is fluxus contulit, ut illico à morbo libera evalerit: nec sanguinis missione, aut alio remediorum genere indiguerit.

SCHOLIA.

B *Hinc argumentum desumi potest, quòd sanguinis missio per venæ sectionem in ætate puerili ante quartumdecimum annum maximè conveniat, quum in hac ætate sanguis sua sponte fluit, nullo interveniente nocumento, aut caloris nativi resolutione, ut sæpe in hoc opere inculcavimus.*

Curatio trigesimaoctava de punctura acus in digito.

Anselmi illustris comitis mater, sexagenaria, quum sueret, pollicem acu
C prope unguem pupugit, à punctura multum doluit, febricitabat, nõ quiescebat, adeò ut per duodecim dies parum aut nihil dormiverit, quieveritve. Dolor in universo hoc tempore continuò perduravit ita intensus, ut parum abfuerit, quin ex eo moreretur; ad quam quum accessissem, penitius locum animadvertens, invenio in ipso pollice inter utrunque articulum saniem genitam esse: quã quum inveni, illico in loco secare jussi, saniemque pro membri quantitate fluere: à sectione verò optimè manu oleo rosaceo completo inuncta, in ipsoque
D vulnere immisso linimento illito ex albo & luteo ovi optimè contusis, & asplenijs debitè applicatis intra duas horas à doloribus libera fuit, & postea intra paucos dies sanitati restituta.

SCHOLIA.

Periculosæ admodum sunt hujuscemodi punctura, ob quas multi aliquando digitum, aliquando manum, aliquando verò & ipsam vitam

tam amiserunt, unde Galenus hæc sciens, doctè admodum ad apertionem confugit, dicens lib. Artis medicinalis, cap. 92. nerui & tendonis punctura propter sensus vehementiam, & quoniam hæc pars principio continuatur, prompta est ad nervorum convulsionem excitandam, ac tum præsertim quum nihil extrorsum expirat, obcæcato cutis vulnere: aperiendum est igitur, atque exiccandum substantia tenui, quæ usque ad ima nervi offensi possit penetrare, de quibus quoque libris Methodi medendi abunde ab ipso Galeno proditum est, præcipuè sexto in hunc modum. Igitur si cutis tantum acu (exempli gratia) alicui sit puncta, faciléq. in eo senescant ulcera, etiam citra medicamentum, nudo membro ipsum ad consueta dimittas opera, nihil sentiet mali: sin verò ægrè in illo sanetur, primùm quidem dolebit, post etiam tum pulsu particula infestabitur, tum phlegmone: quare minimè imponemus medicamen quod glutinet, sed molle, & blandum, & quod dolorem mitiget: siquidem ubi magna divisio est, ibi studium impendi debet, ut magis siccantibus remedijs labra ulceris & uniantur & coalescant: ubi autem acu stylòue facta divisio fuerit, id duntaxat curandum est, ne phlegmone tentetur particula. Porrò ubi aliquis nervus est punctus, cutim ipsam apertam servare oportet, aut (quod tutius est) latius incidere, ut per eam ex nervo vulnerato effluat sanies, deinde verò admovenda quę simul dolorem mitigent, & exitum saniei patefaciant, si virtus vegeta sit, sanguinis missio est expediens, purgatioque universi corporis si vitiosis succis redundet, & cætera. Hęc in epitome Galenus. Sed quæ medicamenta punctis nervis conveniant, exposuit abundè Galenus non solùm citato libro: sed etiam lib. 3. de Compositione medicamentorum secundum genus, quæ tu in frontispitio libri per otium legere poteris.

Curatio trigesimanona de nocumento eveniente ab ingestis fungis.

PVella rusticana, ex villa ad me delata, ætate septem decim annorũ, oris ventriculi erosiones, doloresque ingentes patiebatur, febriebat, & lotium crassum turbulentùmve emittebat, adeò ut jumenti id esse quis diceret. Nam quum causam unde morbus originem traheret inquirerem, se ignorare respondit,

E pressa itaque ac coarctata doloribus & anxietatibus, respirationeque difficili, villica hæc tunc in animi deliquium incidit, quibus animadversis, illico vomitorium hoc parare jubeo, quod habet. Recip. Seminis raphani, anethini ana unciam mediam, in aqua fiat decoctio, quousque maneant unciæ octo: facta colatura, adde oxymelitis simplicis uncias duas, agarici scrupulum unum, misce, & bibendum dato: quo parum vomuit, & dolor illam gravabat, ob quam venam communem brachij secare jussi, sanguinisque uncias septem extrahere, quo de-

F posito dolor minui cœpit, & melius habuit. Non omnino tamen à dolore libera fuit: sed eo potius interdum corripiebatur: ut verò humorem illum refrenaremus, ac expulsioni pararemus, sic orsi sumus. Rec. Syrupi de matricaria, de betonica, de hyssopo ana unc. sem. aquarũ origani, fœniculi, hyssopi, an. unc. j. misce, & jejuno stomacho tepidum bibat, & ter iteretur. At sequenti die quum è rure ad me rediret, variaque cum ea & sponso confabularer, ecce nocte antea quàm malè haberet, mihi exponit fungos cœnasse, quod quum audissem, illico deprehendi, symptoma illud ab hu-

G more crasso pituitoso ex fungis veneno sis antea ingestis ortum traxisse, quæ quum illis patefecissem, illico historiam mihi enarrant cujusdam mulieris vicinæ suæ, quæ fungos quum nocte quadã cœnaret, in morbum quendam gravissimum inciderat, a quo insana permansit, atque inde rustici vicini ejus contendebant, in quodam fungorum, quos comederat spiritum malignum (sic enim illi loquebantur) inclusum esse, ignorantes fungorum alimentum crassum, frigidum, & pituitosum, pravique succi ac

H venenosi stare, a quo non solùm morbi, sed etiam mors ipsa evenire poterat. Sequẽti igitur die, quum jam perciperem hãc difficulter vomere, sic pharmacum parare jussi, ut infestantem humorem illum è ventriculi ore pellerem, quod sic habet. Rec. Agarici noviter in pasta cũ oxymelite scyllitico parati drachmas duas, electuarij elescoph, diacartami ana drachmas

drachmas duas,& mediam,in decoctione hyssopi,origani,& pulegij quod suffecerit,misce, fiat potio chatartica, qua optimè egesit,& immunis ac sana evasit,tribus porrò sequentibus diebus theriaces drachmam integrã quolibet mane jejuno stomacho cum vino generoso deglutiret consului.

SCHOLIA.

EX fungorum genere boleti in usu victus admittuntur: ego verò tã boletos, quàm amanitas, reliquósre, ut pravissimi succi fugiendos consulerem, sunt enim fungi rusticorum & agrestium hominum cibus, a quorum esu multos mori vidimus: veluti quoque testatur Galenus, lib. 2. de Alimentorum facultatibus, cap. 69.

Curatio quadragesima de angina, & nido hirundinis.

IVvenis doctissimi Ambrosij Cratandri Spoletani, nomine Domitius Veronensis septemdecim annorum angina correptus fuit, adeò ut nec cibum, nec potum rectè deglutire poterat, febricitabat, spiritum difficulter trahebat,in loco dolorem sentiebat: cum quibus faciei ingentem ruborem, & colli apparentem tumorem patiebatur, ut meritò παρασυνάγχη angina hæc dici mereatur, non verò synanche, aut ut barbari, schinantia. Ad illum igitur hora tertia noctis accersitus depositis per clysterem fæcibus cephalicam tumorem respicientem, illicò in brachij curvatura tũdere feci,sanguinisque uncias quinque fluere, novistis enim morbum istũ ut plurimum à sanguine copioso, ac plus justo calido ad colli partes fluente fieri: qua de causa nihil melius in hoc morbo, hac sanguinis extractione excogitari poterit, in qua animadvertendum est,quòd parce & pluribus interpositis vicibus fieri debet, quum si semel magna fieret sanguinis missio,timor esset

A quòd anima deficeret,& consequenter æger suffocatus obiret. Iubemus quoque in tundenda vena,ut ampla,& non angusta fiat incisio,ne sanguis tanquam percolatus,manente ipsius crassiori parte, exeat. Facta igitur hac evacuatione, tumori apparenti,oleum rosaceum pauco chamæmelino mixtum, & lana succida exceptum admovere feci, gargarismo quoque hoc uteretur suasi,qui habet. Rob mororum uncias duas, aquæ plantaginis uncias octo, vini granatorum unciam unam,misce,quo sæpe gargarizabat,cum ijs quoque ut parum dor-

B miret consului. Nam in omnibus inflammationibus internis, somnus fugiendus est, præcipuè in angina, quia sanguis in somno intro magis repit. Manè vero quum illum de solito vidissem, ferè morbo liberum inveni, expeditè enim jam loquebatur: tunc verò solo chamæmelino, minore jam facto tumore inuncto, intra quatuor dies pristinæ restitutus fuit sanitati: nec enim opus fuit ad discutientem pervenire gargarismum, ex myrrha scilicet, croco, & alijs confectum rebus similibus: veluti

C nec ad emplastrum ex nido hirundinis, qui dubio procul magnam in hoc casu habet prærogativam: nec sunt audiendi qui ex nido integro tanquam ex terra frigida emplastrum fieri formidant, quum re vera terra nidi hirundinis cum paleis & cæteris in eo contentis,discutiendi vires habeat: quanquam prisci Græci nunquam, quod legerim, nido isto in hoc affectu usi fuerint: sed potius cinere hirundinum,ut latius Cõmentarijs nostris ad Dioscoridem diximus. Aëtus tamen inter Græcos,sermone 14. suæ medicinæ, cap. 49. in quo de erysipelate agit, hirundinis nidum

D tritum, & cribratum, ac melle exceptum,contra erysipelata faciei maximè commendat, citò enim ea discutere tradit.

✠

Curatio quadragesimaprima de quibusdam symptomatibus evenientibus ob menstruæ purgationis retentionem.

MAgnificæ & generosæ uxori Ascanij strenuiss. & primipili capitanei, quem Coronellum dicimus, juvenis viginti annorum, pulchre, obesitatis mediocris, primo concubitu oris uteri dirupta fuit vena quædam, ex qua sanguis in tanta profluxit quantitate, ut in syncopem devenerit, & propemodum mortem obierit: sed medicorum consilio Romæ agentium, ubi hoc contigit libera evasit: postea verò huic bis tantùm intra sex mensium spatium, non nisi singulis tribus mensibus, menses tantùm erupere: posteà verò singulis sex mensibus, in parva quidẽ quãtitate fluxêre, ob quam mensium retentionem, prædicta hæc domina in quædam incurrit symptomata, scilicet linguæ crassitiem, ut vix loqui poterat, capitis dolorem, spatularum, & lumborum gravedinem, membrorum fractionem, lassitudinèmve: quibus adde, quòd interdum non bene mente cõstabat, id quod quoque attestabatur ejus ridiculosus & fatuus risus, quæ omnia a sanguine illo retento caput & corporis superiores partes obrepente evenire notius est, quàm hic à me referri possit. Ad hanc igitur curandam vocatus universam curationem in mensium retentorum evacuatione consistere deprehendi. Ipsis enim fluxis à tot dictis affectionibus liberari non erat dubium: proinde universus noster conatus in mẽsium provocatione versabatur, pro qua complenda operatione à sanguinis extractione ordiri opus fuit. An verò expedis saphena, vel potius ex brachij basilica, in dubium certè vertebatur. Nam quidam seniores medici ex basilica prius sanguinem extrahendum Matthæi de Grado consilio, postea ad saphenæ incisionem descendendũ contendebant hac fulti ratione, quia si prius sanguis per sa-

E phenæ sectionem detraheretur, humor in corpore redundans in partes inferiores laberetur: & sic magnas pareret obstructiones, ac si in illud vulgatissimum incideremus dictum. Incidit in scyllam cupiens vitare charybdim. Quorum rationẽ, utpote viri doctissimi & practici Matthæi de Grado, & Nicoli Florentini non omnino flocci fecimus, quin potius amplexi sumus, sed non ita ut tunc temporis ea usi simus, præcipuè quia tempore hyberno eramus, & non multis antea diebus bis eo modo quo ipsi nunc quoq; agendum contendebant, sanguinem de-
F posuerant: quibus addimus, quòd si in tãta quantitate sanguis per venarũ sectionem fluxisset, natura avarior reddita, sanguinem retineret, nec ipsum per loca conveniẽtia mitteret. Prævisa igitur suppressorum mensium causa, quæ sanguis crassus multis pituitosis materiebus conjunctus erat & cujus bona pars in pinguedinem vertebatur, in primis minorante quodam medicamento purgatorio usi sumus, nec enim creditu par erat quòd menses suppressi fuerant ob cicatricem, sive callum, in ea vena obductam, a qua primo illo cõgressu sanguis
G in tanta, ut diximus, copia fluxit: quum sic postea ex toto suppressi essent, nec amplius fluerẽt, quod falsum esse ex præcedenti relatione novistis, sed quòd sanguis pituitosus crassus denominabatur, ijs judicijs venabamur, primò, quòd mulier hæc ad naturam pituitosam declinabat. Secũdò, quòd indies magis crassa & obesa, ac pinguis veniebat, unde timor erat si sic incederet, Hippocratis admonitione, ex toto sterilis facta esset. Tertiò, quòd mẽses exeuntes subalbidi, & non multum vividi erant. Dedimus igitur, ut prædixi, minorans hoc medi-
H camentum, quod habet. R. Electuarij lenitivi unciam unam, agarici noviter in pasta parati, drac. ij. diabenedictæ drac. ij. semis in decoctione senæ, in qua semimanipulus matricariæ inferbuerat, qu. suff. fiat potus, quo quater egessit: altero verò die interjecto præcedente clystere lavativo communi, saphenam dextri pedis vesperi tundere feci, sanguinemq.

extrahere

extrahere ad uncias quatuor, optimo A igitur victus ordine instituto, & illo quidem ad incisionem vergente consului, ut singulis diebus illi frictiones a feminibus versus partes inferiores fierent: cucurbitulasque ipsis feminibus sive femoribus de tertio in tertium diem adhiberent, non minusque singulis diebus, jejuno stomacho, hoc præbiberet decoctum, quod habet. R. Radicum rubeæ tinctorum, unc. j. cicerum nigrorũ pug. I. croci. scrup. j. cinnamomi. drach. sem. in libra una aquæ fiat decoctio secundũ artem, cujus uncijs octo adde trochiscorũ de myrrha. drach. sem. misce, & per octo sequentes dies iteretur, & utatur: B postea verò hoc usa est decocto quod habet. R. Pulegij calamenti, nepithæ, origani, matricariæ, an. m. j. sabinę, cyperi, asari, rubeæ tinctorum an. m. sem. incidenda incidantur, & terenda terantur, ac in aqua fiat decoctio ad consumptionem tertiæ partis, quousq; maneãt libræ quinque. Facta colatura, adde syrupi de marrubio uncias quatuor, de matricaria uncias duas, misce, cujus uncias sex quolibet mane jejuno stomacho bibat, non nisi prius per saccum, ubi parũ cin- C namomi in pulverem redacti erat, trajectas: octo tamen diebus ante tempus in quo natura quadantenus menses expellere conabatur, soliciti admodum in adhibendis frictionibus & cucurbitulis fuimus: quibus tandem optatum finem obtinuimus, fluxere quidem menses, sed in parva quantitate: tunc verò iterata decoctione dicta, vice antidoti emagogi, quod multum in hoc casu valet, suffumigia hæc præparavimus, quæ ita habent. R. Trochiscorũ de myrrha drach. j. castorei scrup. ij. piperis, rubeæ tinctorum, mentastri an. scrup. iiij. Omnibus D pulverisatis cũ terebinthina, & mythridatico antidoto, fiant pilulæ avellanæ magnitudine, ex quibus duas pro vice super ignitas prunas injicito, & sedens super perforata sella, vestibus optimè circundata, ac cooperta suffumigium recipiat: in noctèque quum vadit dormitũ, pessum istum in uteri os immitat, quod habet. R. pulveris castorei drach. j. Mithridati scrup. ij. terebinthinæ optimæ unc. j. misce, & in sacculis digitalis longitudinis immittantur, & fiant pessi, ac in utero teneat, ijs enim parum plures menses fluxere, sed quum melius sentiebat, & rigida vigebat hiems, a majori opere destitimus. Cæterùm hæc vigesimosexto die mensis Februarij, quum caput lavaret, & postea adventum exiret, ecce hora quarta noctis repentè post primũ somnum, humor a capite in labra, linguam & fauces defluxit: adeô ut non multum abfuit, quin ex toto suffocata fuerit. Erat enim humor hic sanguineus pituitæ mixtus hanc causans inflammationem: quam, vel cynanchen, vel paracynanchen appellare nihil impedit. Satis enim est, tumorem præternaturalem suffocationem minantem esse. Nam lingua crassa & nigra apparebat, labra verò cum barba miruminmodum tumebant, ut facilè credendum sit, si materia illa fauces potissimum vel asperam arteriam occuparet, intra horam illam interficeret, declinabat tamen tumor ad dextram magis quam ad sinistram. Præsens igitur illico sanguinem ex cephalica dextra extrahendum curavi pondere decem unciarum, opus est enim in ijs potissimum affectionibus repente evenientibus simul & repentina ac valentissima uti evacuatione: quanquam nõ me latet, quòd in angina paulatim potius sanguis extrahendus est, quàm semel copiosè, ut ex Galeno didicimus. Facta igitur sanguinis missione illico melius habuit, & tumor declinare cœpit, credendum est enim sanguinem extra venas tum venæ sectione quoque revocari, ut ex Hippocrate in curatione pleuritidis desumitur, & Galeno libro quarto de Sanitate tuenda prope finem dicente. Cæterum ad quæ ex natura rei ducitur, rationem apposuisse non sit alienum. Quoniam igitur in hac, quæ veluti phlegmone fatigat lassitudine, vis calidi sanguinis congesta in corporis mole est, venæ autem sectio succos è vasis emittit, utile est post priorem detractionem tantisper intermittere, dum aliquid eorum, qui in corpore sunt humores, remigret

ad venas: quod tamen quoniam committendum non est, ut is maneat, utpote ex dimidio corruptum, sed potius plurimum ejus expellatur: idcirco detractionem sanguinis etiam secũdo die iteramus, aliquando verò & tertio, ubi videlicet & revellere, & ex alijs in alia transferre, visum est conducere. Hæc enim sic adduxisse placuit, ut multi noscant, quòd venæ sectio, non solum sanguinem in venis contentum deponat, sed etiam illum, qui extra venas est, ut in hoc evenit casu, & experientia ipsa indicat.

Curatio quadragesima secunda de calculo impediente urinæ exitum, & ejus extractione.

SEnex sexaginta octo annorum, quum vesicæ lapillis gravissimè cruciaretur, & nihil juvamenti ex varijs adhibitis medicamentis perciperet, imò in urinæ omnimodam suppressionem deveniret, glandem illi secundum longitudinem in parte alta præscindere feci, tãdem inde duo lapilli avellanæ magnitudine extracti fuêre, & ille liber a tam sevo, & crudeli morbo fuit.

Curatio quadragesimatertia de pituita ad oculos descendente, & laqueo ad nucham indito.

COquus monachorum cœnobij sancti Augustini, pituita ad oculos descendente graviter vexabatur: factis tandem evacuationibus universalibus, ac particularibus, laquem ad nucham indidimus, & bene habuit.

(*)

E

Curatio quadragesimaquarta de puero inter dormiendum gemitus dante.

PVer natus annos duodecim temperatura biliosus, nocte quum dormiret, dentibus stridebat, & gemitus dabat. Erat enim humor, ut assequi potui, inter dormiendum dolores inducens, ob quos & dentibus stridebat, & gemitus illos dabat, quem ijs paucis, optimo victus ordine prius instituto, deposuimus,
F
& sanus ac liber factus est. R. Syrupi endivię, acetosi simp. & rosati añ. un. j. misce, & quinquies iteretur: postea verò pharmacum hoc ebibit, quod habet, pulpæ cassiæ noviter extractæ drach. v. diacatholiconis drach. iij. rhabarbari boni drach. j. in decoctione communi florum & fructuum cum folliculis senæ, fiat potus unus, quem in aurora bibat, & desuper horam dormiat, quo optimè egessit, & bene habuit: jecur tamen postea santalino unguento per sex sequentes dies inungeretur, ac jejuno stomacho unciam unam sacchari rosacei pro vice
G
comederet, & desuper uncias duas aquę cichoreæ biberet, consului, & iterum nũquam in prædictas affectiones incidit.

Curatio quadragesimaquinta de tumore in genu cum dolore & gravissimis symptomatibus.

MVlier 55. nata annos, die Iovis summo diluculo, de dolore genu sinistri questa fuit, in quo loco tumor apparebat:
H
interpositis vero tribus horis, omnes ferè amisit sensus, utcunque tamen ex sinistra axillari vena sex extractę fuere sanguinis unciæ, corrupti admodum, demum die veneris in nocte, diem suũ obijt, an verò apoplectica hæc obierit, dubitatur.

Curatio

Curatio quadragesimasexta de ephemera transeunte in synochum, & de victus ratione habenda in die purgationis.

BRundus trigintaquatuor natus annos, ruffus, sanguineus, plerunque ephemera febri corripi solebat, à qua sæpe sudore eveniente evadebat. Nunc vero eadem correptus fuit febri, sed eveniente sudore ab ea mundus non evasit: sed in ea, ut prius intense perseveravit: in synochum enim putridum transivit, quem attestabatur lotiũ crassum, & nimis rubrum, ac eius febris continuitas. At sequenti die depositis per clysterem fecibus basilicam dextri lateris tundere feci, sanguinisque uncias sex extrahere, qui proculdubio sanguis putrefieri iam cœperat: à sanguinis vero missione syrupum istum ebiberet suasi. Recipe Syrupi rosati, cichoreæ, endiviç, añ. unciam mediam, aquarum cichoreæ, endiviæ, boraginis, añ. unciam unam, misce: adeò enim post hæc subitò in sudorem prorupit, quem per quatuor horas meis monitis servavit, ut mirum fuerit, quàm brevi ab ea febri liber evaserit. Sequenti autem die iterato syrupo, ac injecto clysteri, melius habuit: quinto tandem die propinato pharmaco bene habuit, in qua die parum comederet suasi, ut in Scholijs apparet, cæterũ hujus victus ratio ptisana, ac panatella semine melonis parata erat: Aqua porrò pro potu ex decoctione hordei sumebatur.

SCHOLIA.

Synochus sine putredine, ut aliàs diximus, inter ephemeræ genera adnumerari potius debet quam inter alia febris genera, qua sæpe ægrotus hic corripi solebat, facilè enim sanguinis subtiliores partes spiritus dicti inflammabantur, unde ephemera oriebatur. Ita enim se habet spiritus in sanguine, veluti scintilla in igne: quum tamen sanguis plus justo incaluit, in putredinem venit, unde verus synochus ortus est. Cæterùm jubent practici in die purgationis,

A *prapinguẽ mactare gallinam, ut ejus bonã partem purgatis in victu tribuant sed revera non sine errore, quia die purgationis minus cibi ægris offerendum est, quàm alijs diebus, ut paulò inferius indicabimus. Sed fortè dicent id in causa esse, ut jus galline lavans ventriculum offerant, quod jus simplex, tametsi ex Galeni decreto sua qualitate constringat, sua tamen quantitate lavat, & pharmaci reliquias stomachi tunicis adherentes expurgat, & ad imum ventrem eas descendere facit: sed revera hoc subterfugium nullius est valoris, quia aqua hordei hoc idẽ præstat & complet. At quòd malè agant practici recentiores, qui purgationis die ægrotos plenissimè victitare jubent, eorum*
B *vires reficere tentantes, paucis indicemus. Primò Hippocrates libro secundo de Ratione victus in morbis acutis, textu duodecimo clàm nititur causam reddere, qua ratione homines sui ævi deleteria illa medicamenta purgantia ferebant: non quod homines suo tempore robustiores essent, quàm nunc sunt: quia, ut inquit Galenus, idem mundus, qui olim erat, nunc est, & nullus stellarum ordo permutatus sit, tametsi oppositum conciliator putat: sed quia quum primum Hippocrates & sui coætanei, ac alij post eum medici multi pharmaca fortissima propinabant, ut elleborum, scammonium, colocinthidem, esulam, laureolam, euforbium, tithymalo-*
C *rum tot genera, & alias hujusmodi herbas, illico post eorum bibitionem ptisanam in potu dabant, ad infringendam illorum medicamentorũ acrimoniam, ut postea clarè Dioscorides, capite de aqua maris, exposuit. Inquit igitur Hippo. citato loco. Ubi autem quis medicamentum ebibit, ptisanam protinus sorbendam dato, neque insigniter minore, quam consuetum est quantitate: quæ verba enarrans ibidem Gale. ita tradit: sic & assumpto medicamento ptisanam sorbere confert, nempe purgans medicamentum ipsum tanquam exiguum ad ventris quidem fundum pervenit, verùm dum transit, stomachus & quæcunque ventris sublimior pars, non qualitatem purgantis medicamenti modo, verùm & substantiæ, quæ in transitu hæret, ali-*
D *quid absumens, vehementer læditur. Ptisanæ igitur cremor superingestus commoditatem affert, nempe & deorsum trahere, quod viæ adhæret partibus, tum temperare, tum permutare potest, ob eas igitur causas a purgantis medicamenti potu ptisanam supersorberi præcipit: sed ubi purgatio cœpit, ab ea vult abstinendum, purgantis medicamenti operationem exolui veritus: atque ob eam rem subdit Hippo. Et quoniam abre non est, purgatione in media sorbitionem dare non conducit: at ubi purgatio desierit, tunc sorbitio detur: sed consueta minor: deinde*

liberalius perpetuò exhibeatur, si dolor cessaverit, & nihil aliud obitem fecerit. Hæc Hip. in quibus tradit, ut ea superioribus verbis nectamus, quòd postquam quis medicamentum ebiberit, statim illi ptisanam sorbendam dare medicus debet in tanta quantitate, quanta ebibere antea assueverat sed cùm hoc rationi consentaneum est in media purgatione sorbendam non dare, id est, quum æger purgare cœperit, quòd tunc cibus & potus omnino interdicendus est, nec quicquam illi offerendum pro victu aut potu medicus debeat, quæ verba interpretatur Avicenna, quum dicit Fen quarta libri primi. Oportet ne medicinæ potator comedat vel bibat, donec suam perficiat operationem. Cæterùm per illa verba ab Hippocrate dicta. At ubi purgatio desierit tunc sorbitio detur, sed consuete minor, nostra cõprobatur assertio. Iubet enim Hippocrates, postquam pharmacum suam perfecerit operationem, ægro ptisana offeratur, sed minori quam antea assueverat quantitate, unde dubio procul claré colligitur, quòd qui die purgationis ægrotantibus plus cibi quàm antea propinant, contra rationem agant, & meritò sint plectendi, quos Galenus quoque carpit dicens. Contra quam plerique hujus temporis medici rem hanc docuit Hippocrates, nempe hi ubi vacuaverunt, copiosè nutriunt. Hippocrates verò a purgatione ptisanæ minus ministrari jubet. Nam corporum quæ expurgata sunt, natura ex purgatione agitata, labefactataq. tolerare alimoniam non potest, neque probè eam conficere, nisi omnino pauca fuerit. Purgatis igitur tantum cremoris prima die exhibendum, quantum domare possint: deinde paulatim sensimq adaugere oportet. Hactenus Galenus: qui (ut percipitis) in medicos invehitur illos, qui purgationis die ægrotantibus victum, ut in alijs præbent diebus: qui eorum ventres tunc a facili causa gravantur, & ex directo, eo die parum alimoniæ illis offerendum sit: quia virtus expurgatione prostrata labefactataq. nutrimentum rectè coquere non valet: unde non raròingens & potens oritur affectus, minime tamen a medicis animadversus, quorum stupiditatem, ut in adagio est, ne Mercurius quidem cum musis sanabit. Dictis autem suffragatur idem Galenus, libro primo Aphorismorum, quum dicat in antiqua versione, itidem & de refectione nimia, fugienda subintulit, quia refectio fallit nimia, succedens nimiæ evacuationi. quum virtus evacuati defecerit, nec cibum secundum quod oportet, possit mutare, & eum membris assimilare: quæ verba in vulgata & candida versione sic habentur. Ob hoc vetare immodicas evacuationes, quoniam & refectiones post eas haudquaquam securæ existunt: quum sit E *natura jam facta imbecillis, & neque jam possit sufficienter coquere, nec distribuere alimentum, nec assimilare. Per hæc verò verba hoc aliud docet Galenus, videlicet quòd die purgationis quanto major facta fuerit evacuatio, tanto minus alimoniæ concedere evacuatis debemus, quum alimonia secundũ virtutis tenorem, & coquendi potestatem dari debeat. Nam certum est, in majoribus evacuationibus, magis naturam debilitari, unde parcius alimentum tribuendum est. Iis enim finem imponimus, quia non credimus, idiotam inveniri ita rudem, qui non intelligat Hippo & Galenum id voluisse, ut latius hæc monstravimus in epistola illa, quam de catapotys, ab hinc viginti annis ad Ludovicum Numum Santarenensem medicum doctissimum scripsimus.* F

Curatio XLVII. De mamilla ad suppurationem veniente, & de methodo mammarum curandarum.

VXor probi viri Eduardi à Sola bene peperit: ejus tamen sinistra mamilla post aliquot dies tumuit, & ad suppurationem venit: prope enim papillã aperta fuit: sed paucis interpositis diebus eandem mamillam in alijs duobus locis secare opus fuit, materiamq; inibi congestam, ac concoctam extrahere. Cęterùm ab evacuationibus universalibus G adhibitis, prædictæ mamillæ durities hoc potissimùm medicamento diminuta fuit. R. succi petroselini, apij an. lib. sem. aceti rosati unc. 1. sem. olei rosacei unc. 3. farinæ hordei unc. 4. ceræ albæ unc. 2. misce, & ad ignem fiat linimentum. Interpositis verò quatuor diebus iterum mamilla ad suppurationem pervenit, qua de causa candente ferramento usi sumus, & melius valuit: quod verò varijs in locis mamilla aperiatur, id H in causa est: quia ejus substantia quum spongiosa sit ac cavernosa, materia in ea contenta non liberè a loco ad locũ fluere potest: quo fit ut varijs in locis ad suppurationem veniat, hic tamen animadvertat bonus chirurgus & doctus medicus, & tãquam canonem ac methodum curandarum mammarum habeat, quòd mamilla

mamilla, affecta raro ad sanitatem redu A citur, nisi altera sana à lacte exiccetur: exiccabitur autem lac, si modo infanti mulier lac sugendum non dederit: item si lineis pannis frigida madefactis, mamilla frigefecerit, vel super eam pulticulam ex fabis & aceto paratam impo suerit: nec enim timeas de lactis exiccatione, quia bene habente mamilla vel facilime lac revocabis, præcipue infantis attractione suctùve. Visæ enim sunt mulieres, quibus menses ob ætatem grãdiorem suppressi erant, & tamen illis lac copiosissimum ad mamillas devenit, solo puerorum suctu, quos postea lactârunt, & ad annum, & plus, ac si pepererant eos tractarunt. Ex ijs autem mulieribus à me una Ferrariensis ætatis quinque super quinquaginta annorum visa est: altera vero nobilis apud Lusitanos Santarenensis, nata annos prope sexaginta.



Curatio quadragesimaoctava de dolore occupante sinistras costas mendosas.

QVI ex Apulia Anconam venit, vir robustus, ætate quadraginta annorum, quum antea morbo laboraverat, & bene iam se valere putaret: quum cœnaret, vigente æstate dolore correptus fuit, versus costas nothas, & illas quidem sinistras. Ita enim dolor illum vexabat, ut æger tremore corriperetur. Valde gemebat, multum que rebatur, non dormiebat, in angusto demum res erat. Nam & quæ cœnaverat, illico evomuit, mane tandem accedens illum prædicto modo afflictum invenio. Clysteres nullatenus ferebat tunc basilicam sinistri brachij tundere, sanguinemq. ad uncias quinque fluere iubeo: a sanguinis vero extractione multa evomuit biliosa, post quæ aliquantulum melius habuit: sed tunc ad topica devenimus medicamenta: præcipuè vero ad fomentum sequens. Nam antea parietariam, butyro frixam mulieres (sed frustra) remedium illis satis familiare tentaverant. Habet igitur fomentum sic, R. Chamæmeli, meliloti, anethi, rosarum siccarum: foliorũ taxi barbati, parietariæ, stœcados, betonicæ an. m. 1. fœnu Græci, seminis lini, añ. pug. 1. sem. ameos, seminis anethi. an. unciã 1. In libris duodecim aquæ fiat decoctio sufficiens & cola, cui adde olei chamæmelini, anethini, an. uncias tres, miscento, in quo philtrum imbibito, ac expressum, calidum loco doloroso superimpònito, & sæpe iterato, vice vero clysteris, B quem pati renuebat, potum istum descripsimus, R. Chamæmeli, meliloti, anethi, fœni Græci, seminis lini, an. m. 1. in aqua fiat decoctio secũdum artẽ, quousque maneat libra una, cujus decoctionis uncijs quatuor adde electuarij lenitivi unc. 1. diaphœniconis drach. 2. dia benedictæ drach. 3. misce: fiat potus, quẽ post horam evomuit: in quo vomitu multa biliosa & pituitosa mixta videbãtur, & à dolore fere liber evasit. Magnam tamen patiebatur sitim, pro qua ex C tinguenda aquam pauco vino mixtam obtulimus: tandè iterato prædicto pharmaco bene habuit, quia qualia opus erant purgari, purgata fuere. Loco porro dolore affecto, emplastrum de meliloto admovimus, & rotulum unum aromatici rosati, ieiuno stomacho comedebat: sed quum bene haberet, & præter omnium spem domo exiret, in dolorẽ iterum incidit in eo præcipue loco, ubi antea vigebat: qui eo modo dicto tractatus, ac iniectis nonnullis clysteribus ventositatem carminantibus, & propinatis uncijs sex olei amigdalarum dul D cium recentis hora sexta noctis, integræ sanitati fuit restitutus. Nam huius lotium rubricantibus arenulis mixtum erat, nec unquam febricitavit: tametsi raro eveniat fortis dolor, vel a causa frigida, absque febris comitatione & siti intensissima.

Curatio quadragesima nona de quibusdam Gallicana scabie infectis.

QVIDAM morbo Gallico infectus fuit, & multis adhibitis remedijs ita bene valuit, ut sui & aliorum iudicio sanus evaserit. Interpositis vero decem annis uxorem duxit, cujus uxor mulier castissima duos pueros intra quinque annos optima temperatura, & compositione preditos peperit: septimo F vero anno alterum peperit masculum: sed Gallica scabie infectum. Nam illa optimè semper se habuit, sed prope nares versus labia, antequam puerum istũ infectũ peperisset, ulcuscula passa erat, demum post partum malè sensit, & ubera grumis quibusdam illi infecta fuere, ita ut puero lac dare non fuerit possibile. Commissus igitur fuit puer nutrici, quæ intra paucos dies infecta fuit, & à puero prædictam scabiem Gallicã contraxit, quæ quum cum marito coiret, illum infecit, immo vicinarum suarum alij duo pueri, quibus lac dederat, infe- G cti fuere, à quibus matres morbum traxerunt: demum hac contagione novẽ intra mensem infecti fuere: sed puer intra mensem post ortum suum obijt, & illius pater, qui ob seminaria antiqui morbi occulta vxorem iufecit, quum febri corriperetur, intra sex dies vitam cum morte commutavit. Mater vero pueri evasit, cui per quinquaginta dies guaiaci decoctum dedimus, sed nutrix & eius maritus, veluti vicinæ, & pueri per unguenti inunctionem ex aromatibus & Mercurio confecti, sunt sani facti: H hoc unum ante oculos habendo, quod ubi plus gummositatum videtur, plus pinguedinum unguento addimus, ubi vero minus gummositatum, & plus pustularum & ulcerum, plus pulverum apponimus, in delicatis quoque parum argenti vivi addimus, veluti quando complexio calidior fuerit, multum butyri, & olei rosacei, aut succi plantaginis, res E calidas fugiendo, adiungimus, ut in sequentibus videbitur.

Curatio quinquagesima de casu quodam morbi Gallicani.

VIR quidam morbo Gallico correptus fuit, & sanus per medicamenta factus, interpositis quindecim annis, huius uxor, mulier honesta, et robusta puellam peperit, exanthematibus Gallicanis per universum corpus dispersis infectam, quę intra paucos dies obijt: sed eius mater basilice semper valuit.

Curatio quinquagesimaprima, de puero, cum cornu in capite nascente.

NATVS est puer cum corniculo in capite: non dolebat nec quicquã obnoxij ex eo percipiebat, grandior vero factus puer, cornu quoq. crevit, quod omnino deponendum ex capite puer contendebat, & a patre efflagitabat, ob id quod pueri illũ Cornutum appellabant. Accersito igitur chirurgo plus iusto audace, primo partẽ superiorem præcidit, ex qua incisione, nullum fere puer dolorem sensit. Chirurgus vero credẽs ita eventurum, si radicitus corniculum resecuerit, opus aggreditur, sed infelici successu: brevi enim, vel inter paucas horas puer obijt. Nec mirandum, quum cornu illud prædurum in parte inferiori conflatum ex cranio & medullari cerebri substantia esset.

Curatio LII. de pleuritide, ac de ratione vera, propter quid in pleuritide, secanda vena sit axillaris eiusdem brachij, ubi dolor est.

VIR Romandiolus robustus, ætate trigintatrium annorum, pleuriti-

de

de correptus fuit. Nam continua laborabat febri, & dolorem ingentem ac perforantem in succingente costas mẽbrana in pectoris dextra parte sublimi sentiebat, tussiebat, & difficulter spirabat: cui occurrens, bovillam vesicam semiplenam aqua decoctionis sequentis, loco doloris admovere iussi, in qua olei rosacei parum adiungendum commendavi. Est autem decoctio sequens, Recipe Rosarum siccarum, matrum violarum, malvarum camæmeli, meliloti, seminis lini, fœni Græci, bismalvæ, ana m. j. in libris decem aquæ fiat decoctio, quousque maneant libræ septem, ex quibus vesicam cum oleo rosaceo (ut dixi) semiimple, & calidam loco dolore affecto applica. Sed illico sanguinem ex basilica eiusdẽ lateris, ubi erat dolor, pondere decem unciarum extrahere feci. Fluere enim sanguinem ita copiose permisimus, quousq. ex rubro lividus apparuit, ut suadet Hippocrates libro secundo de Ratione victus in morbis acutis, textu decimo, vel ad animi usque defectionem, ut libro quarto citati voluminis, textu 74. cõmendat. Ab hac enim sanguinis missione, dolor ex toto fere levatus fuit. Ita enim constantibus viribus, sanguinis copiosa extractio fieri debet. Tunc vero suasi, ut in victus ratione nihil præter ptisanæ cremorem, hoc est, ptisanam colatam degustaret, in potuque aquam decoctionis hordei simplicem, vel iulepo violaceo admixtam non transcenderet: quibus addidi, ut aliquando syrupum violaceum elambendo, capite resupinato acciperet. Spuere namque cœperat subcruentum quiddã: sed ecce tribus interpositis horis a sanguinis missione prædicta, natura validior facta, quasi deposita sarcina humorem peccantem regulare cœpit: ita ut is intra horã sanguinis libras duas per nares emiserit, & ut observari per narẽ dextram, in quo latere dolor præerat: sed cum iis stomachus nihil retinebat, sed omnia ingesta per vomitum reiicie bat, pro qua complenda operatione, stomachum oleo cotoneorum & rosaceo omphacino inungi fecimus, & in uni-

A versum melius habuit: tertio vero die lumbricum vivum per os emisit, & alterum prope fauces persentire se dicebat: in quo die sanguis ex naribus iterũ effluxit, non adeo tamen copiose, demũ à cassia fistulari data, cum qua multa egessit, bene habuit, & quinto die in copiosissimum sudorem devenit, & sanus factus est: veluti vir Græcus, & plures Anconitani, qui eo tempore pleuritide correpti sunt.

B

SCHOLIA.

ANTIQVISSIMA quæstio est, & hodie quoque à varijs quæsita, num in pleuritide secanda vena sit in latere eodem, ubi dolor est, vel contrario potius: demum concludunt quod ex axillari vena eiusdem lateris est, ubi dolor sanguis extrahendus est, tum autoritatibus Hippocratis & Galeni, tum etiam rationibus: quarum præcipua est, quia villorum & fibrarum servatur rectitudo. Quam rationem dubio procul ego parui facio: quia quum sanguis confuse in vena puteali, cava dicta contineatur per canalem quoque prædictæ venæ, confuse extrahitur: minime vero per villos at fibas. C *Nec enim similitudo illa, quam adducunt de arborum villis & fibris, ad venarum villos valida est, quæ, ut noscas talis est. Videmus à caudice arboris, qua postea in trunco bifurcatur, lineas quasdam fibras dictas, vel villos, si magis appellare placeat produci: quæ fibræ, etsi à caudice sive inferiori trunco omnes nascantur: alia tamen directus ad latus unius rami, quam alterius diriguntur. Et quod verũ sit, experientia indicat: quia sæpe contingit arborum secundum eius mediam partem corrumpi, ac in totum emarcescere, altera media parte viridi, ac florente manente, cuius causa alia non est, nisi quia fibræ illius corruptę partis, per quas arbor nutrimentum attrahebat marcore infectæ sunt, adeo ut suo officio amplius fungi non possint: cæteræ vero fibræ alterius dimidiæ partis, quum vigeant, & bene habeant,* D *nutrimentum attrahunt, & suis particulis impertiuntur: ac sic arbor secundum hanc partẽ viget, & bene habet: secundum vero alteram in totam vires suas deperditas habet: ut syderata ac emortua dicenda sit. Hæc enim est ratio, quam doctiores in hac re solent adducere, qua concludunt, quod sicut in arboribus percipitur, ita quoque in venis evenire contingit: quia vena caua à gibba iecoris regione oriens,*

tanquam

tanquam arboris truncus habita, sursum ascen-
dit, ac postea in ramos divaricatur, similes ra-
mos, fibras, vel villos habens, ijsquas arbori-
bus inesse diximus. At revera argamentum
hoc admitti posset in nutrimenti attractione,
tametsi hoc imaginari difficile est: secus autem
in sanguinis fluxione evenit, quia si arbor per-
forata esset, in cuius cavitate aqua continere-
tur, procul dubio parum villi aut fibræ age-
rent, ut magis una ex parte quam altera extra
heretur. Proinde ratio ista apud me nullius va
loris est. Vesalius Bruxellensis insignis anato-
micus, ac Caroli V. Imp. Medicus, superioribus
annis disceptationem quandã super hac re evul
gavit, cuius argumentum erat, quod in pleuri-
tide semper, sive inflamatio sit in latere dex-
tro, sive in latere sinistro, secãda lateris dex
tri interna sive basilica, iecoraria & axilla-
ris dicta vena est: & ratio ab eo talis assig-
natur, quia vena ἄζυγος dicta, hoc est sine pari,
a latere dextro venæ cauæ prope cor oriatur,
quæ per spinam delata ex utroq. latere octo
costas inferiores alit, ac ad diaphragma &
membranam intersepientem distribuitur: unde
multo melius (dicebat ille) materia pleuriti-
dem faciens retrahetur & evacuabitur, si san-
guis per venę sectionem ex brachio dextro ex-
trahatur, quam ex sinistro, quia directius quo-
que basilica dextri brachij venam illam sine
pari respicit, quam basilicam sinistri. Hæc enim
est ratio Andreæ Vesalij, qua, ut dixi fulcitur
semper in pleuritide dextri brachij axillarem
venam esse secãdam, sive pleuritis occupet par
tem dextram, sive sinistram. Quæ sanè ut erro-
nea explodenda est, & ab opere practico, ut
periculum minitans eliminanda: pro quo scire
licet, quod Vesalij ratio omnino peccat, quia
vena sine pari sanguinem, quem recipit à vena
cava, non amplius ad eam remittit, immo ita
est fabrefacta in orificio suo, vena cavę conjun
cto, ut ostiola quædam habeat, quę ad hiandum
sanguinem aperiuntur: postea vero ita claudun
tur, ut sanguinem illum receptum non amplius
remittere sinant, & ita huic venæ sine pari eve
nit, quemadmodum vesicæ urinariæ, aut cordis
vasorum orificijs: sed quod hoc venæ sine pari
proprium sit scilicet quod sanguinem quem re-
cipit, non amplius per eandem viam remittat,
ex corporum dissectionibus certi sumus. Nam
si venam cavam in parte superiori secueris, &
fistula in ea intromissa versus partem inferio-
rem sufflaveris, tota ipsa cava vena in parte
inferiori simul cum vena sine pari inflabitur,
& tumida evadet: sed si venam sine pari in par
te infima secueris, & immissa fistula vel cannu
la, ore ventum versus partem superiorem im-
puleris, dubio procul vena cava non inflabitur,

E nec tumida evadet: quia aer in vena sine pa-
ri contentus exire non potest ob ostiola sive o-
percula dicta, quæ orificio suo ad venam cavã
coniuncta habet: unde certum est, quod si aer
à vena sine pari ad cavam derivari non potest,
a fortiori nec sanguis, qui aere corpulentior est
refluet, quod vero venæ sine pari hæc a nobis
dicta eveniãt, certum est nec in hoc ambigi de-
bet, quum millies id experti simus: nam anno
1547. Ferrariæ duodecim corpora humana &
brutorum dissecare fecimus, & in omnibus ita
evenisse magna doctorum hominum spectante
concione vidimus: ut ibidem quoque adnota-
bat Iohannes Baptista Cananus, admirandus
anatomicus. Restat igitur, quum rationes hę mi
nus validæ sint, ut rationem veram in mediũ
F afferamus, qua potissimum in pleuritide san-
guinis missio fieri debeat, ex eodem præcipue
latere ubi dolor infestat. Convenimus autem
cum Brisoto Gallo Matthæo Curtio, Leonardo
Fuchsio, ac sexcentis alijs doctissimis viris, qui
ex eodem latere affecto internam venam bra-
chij in pleuritide secandam iubent: sed rationẽ
veram nullus hucusq. quod equidem legerim,
aut audiverim, in lucem traxit. Accipite igi-
tur viri candidissimi, rationem nostram, non
quidem coniecturalem aut sophisticam, sed ve-
ram, & ex ipsa corporis humani dissectione
comprehensam: qua potissimum ex eodem late
re sanguis in pleuritide detrahendus est: pro
quo scire decet, quod ex iecinore duæ oriuntur
venę magnæ, arboris caudici proportione res-
põdẽtes, ut supra diximus, & Galenus notat li
bro decimosexto de Vsu partium, & sexto de
G Administrationibus anatomicis, & libello de
Venarum dissectione: quarum una ex ipsius ca-
va oritur, vena porta dicta, quæ in septem prę-
cipuos ramos dividitur: cuius officium est chy-
lum è ventriculo & intestinis gracilioribus
ad se attrahere, ac ad lienem succum melancho
licum ex se transmittere, de qua ad præsens sa
tis. Altera vero ex gibba prodit omnium ma-
xima, ἡπατῖτις, id est, iecoraria, vel κοίλη, id est,
cava ob magnitudinem dicta, quæ ibidem bifin
ditur, & deorsum ad spinam reflectitur, ac ad
H utraq. crura divaricatur: alia autẽ pars sur
sum ad cor ascendit, rectaq. ad iugulum fer-
tur in multas divisa partes, sed ad propositum
facientes in axillarem, & cephalicam: inter
quas duas venas prope iugulum ab vtroq. la-
tere vena quædam media est ex axillari fere
enascens, quę inde obrepens in multas sindi-
tur venulas, quæ in universum cum venulis &
ramusculis venę sine pari copulantur, quæ, ut
diximus, octo inferiores costas alit. Quum igi-
tur iecoraria vena in pleuritide pertunditur,
sanguis non tantum in vena cava contentus
extrahi-

extrahitur: sed potissimum ille, qui in inflãmatione continetur, vel prope inflammationẽ est. Quod vero res ita se habeat, experientia anatomica indicat. Quia si venam istam inter axillarem & cephalicam in iugulo enascentem secueris, & cannula, sive fistula sufflaveris, nõ solum ipsa attolletur & inflabitur vena, sed ramuli sui, & venæ sine pari costas octo inferiores alentes. Quod & simile evenire videbis, quum iecorariam secueris, & , illã fistula quoque inflaveris. Vnde credendum est naturam sagacissimam venam hanc fabrefecisse, ut quũ homo pleuritide afflictus eßet, per illam sanguinem putridum ac venenosum transmitteret, cordis regionem fugiendo: quam si Nicolaus B *Florentinus dignovisset, non tam in hac re angeretur, dubiusve evaderet. Secanda igitur (ut receptui cauamus) axillaris vena eiusdem brachij ubi dolor est, quia sanguis dolorem & inflammationem faciens, promptissimè per illã dictam venam deponitur: præcipue si morbus octo inferiores costas occupaverit, & multo magis si quatuor superiores, sed non de hac causa. sed potius quia axillaris magnam habeat communionem cum venis superiores quatuor costas alentibus. Cæterum hanc à nobis citatam venam ab utroque latere inter axillarem & cephalicã erumpentem. Vesalius primis suis tabulis subticuit, ac ea forte de causa, quia non dum illius cognitionem habuerat, dis*C*ceptationem illam de pleuritide evulgavit: postea vero in illo suo laboriosissimo ac admirando libro, eam depinxit, in quo, quoquo modo ab opinione sua se retraxit.*

Curatio quinquagesimatertia de dolore ventris ac de iure galli antiqui.

VXOR figuli dolore maximo ab ore ventriculi ad imum pectinem D cruciabatur, febricitabat, & omnia quæ gustabat evomebat, non quiscebat, nec quicquam egerebat, quæ quadragenaria, erat, puerum lactans, qui quoque quum matris lac sugeret in eandem affectionem fere devenit. Nam omnia quoque evomebat: primo igitur illi occurrens, vomitorium hoc medicamentum propino, quod habet, R. Seminis

A anethi, seminis raphani, ana unc. j. in libra una aquæ fiat decoctio sufficiens, facta decoctione & colatura, adde oxymelitis simplicis uncias duas, misce, fiat vomitoriũ, quo pituitam et crassam viscidam evomuit, non ea tamen de causa dolor levatus fuit. Proinde iterato clysteri, quo antea usa erat ex herbis composito calidis, sanguinem ex iecoraria vena extrahere permisi. Adeo enim intensus dolor erat, ut & febrim incitaret, & consternationem totius corporis minabatur. Erat autem humor peccans, B pituita viscida, crassa, cum multa ventositate: demum à terebinthina multoties propinata ac oleo amygdalarum dulcium, cum admotione topicorum medicamentorum, melius habuit: tandem post potum iuris galli, per quinq. dies, ita descripti ex integro sanitati fuit restituta, ita enim ius galli habet, R. gallum antiquum quatuor ad minus annorum, quem defatigatũ interfice, ac exenteratum in eo mitte salis gẽmæ drach. tres, seminis cartami, cnici dicti, polypodij quercini recentis & contusi, hyssopi C herbæ ana unciam unam, seminis dauci, anethi, ameos, ana unciam mediam, turbith drachmas tres, misce, & in libris duodecim aquæ fiat decoctio ad medias, cuius decoctionis uncias sex pro vice ieiuno stomaco bibebat, ac ex ea interdum clyster parabatur, quibus alvus secedebat, & dolor ex toto levatus fuit: & ipsa immunis mansit.

Curatio quinquagesimaquarta de morbi Gallici cum lichenibus curatione.

VIR, qui morbo Gallico laborabat, & multis lichenibus, id est, impetiginibus, ex eodem evenientibus scatebat, ætatis triginta octo annorum erat, robustus, ad temperaturam calidam declinans, cuius curam suscipiens, sic orsi

sumus

fumus, optima prius victus ratione in-
stituta, R. Syrupi de borragine unc.
sem. de fumo terræ unc.j. decoctionis se
næ un.4. misce, bibat ieiuno stomacho,
ebibitis vero syrupis tribus, sanguinẽ
secta vena communi ad uncias sex flue
re permisi, tandem alijs tribus quoque
ebibitis, materia ad expulsionem para-
ta, catapotia hæc illi obtulimus, R. Pi-
lularum de fumo terrę drachmam unã,
de nitro Alexandri scrupulum unum,
misce, formentur pilulæ quinque, inau-
rentur: capiat hora sexta noctis, ad lubi
tum dormiat. Quibus optimè alvus se-
cedit. Interposito vero uno die, hoc un-
guento illius iuncturas ac emunctoria
demptis alis, illini ieiuno stomacho fe-
cimus, per tresq. ad minus sudaret ho-
ras consuluimus: habet enim unguentũ
hoc, Thuris, mastiches, myrrhæ ana
drach. duas, cinnamomi, gingiberis, pi-
peris longi, cubebæ ana drach. j. sanda-
rachæ Græcorum, minij ana drach. se-
mis, cineris thamarisci unc.iij. butyri
recentis unc.iiij. pinguedinis porcinæ
libram mediam, succi plantaginis, ar-
genti vivi extincti cum succo limonis,
ana unc.iij. misce, & in mortario lapi-
deo fiat unguentum quo illinatur, ut su-
pra dictũ est. Inunctus autem fuit quin
quies, semel scilicet in die, ieiuno stoma
cho, & optime sudabat, ac multã & sor
didam per os pituitam emittebat, quã
omnes qui hac utuntur curatione emit
tere solent: proinde providens medicus
sit oportet, & gargarismum, sive lava-
crũ parabit ex medicinis abstergentib.
exiccantibus, & constringentibus, atq.
ulceribus convenientibus, ut rosa, ba-
laustico, myrto, plantagine, equiseto, id
est, cauda equina, polygonio, id est, cẽ-
tum nodia, lentibus, hordeo, alumine
crudo, vel usto, unguento Ægiptia-
co, & alijs similibus, prout casus
exposcit, nos autẽ huic alumen
miscuimus, & sanus fa-
ctus est, veluti alij
plures.

E

Curatio quinquagesimaquinta de quo dam varias affectiones patiente, cum calore quodam non naturali per universum corpus expanso.

GVelfus, pharmacopula Anconita-
nus, venationi deditus, temperatu-
ra biliosus, si quis alter, ætate triginta-
F octo annorum, iecur calidissimum ha-
bebat: renes vero superassatos, ut in go-
norrhœam sæpe incideret, in calores
quosdam non naturales devenit, cum
occipitis dolore, ad quẽ accedens illico
basilicam dextri lateris secare feci, san-
guinemq. fluere ad uncias septem. A
sanguinis vero extractione syrupum
istum ebiberet mandavimus, Recipe sy
rupi acetosi simplicis, cichoreæ, endivię
an.un. semis, aquarũ cichoreæ, endivię,
borraginis an.j.unc. misce, iterato ita
que syrupo quinquies pharmacum hoc
illi dedimus, Recipe Syrupi rosati solu-
tivi, unc.iij. Rhabarbari optimi unc.u-
G nam semis, decoctionis florum & fruc-
tuum cordialium, cum folliculis senæ,
& paucis thamarindis confecti uncias
quatuor: misce, fiat potus quo octies op
timè egessit, & qualia purgare op⁹ fuit,
purgavit & bene cessit. Cæterum calo-
rem non naturalem sequentibus dieb.
cum alio madore per universum cor-
pus sparso sentiebat, tandem ebibito se-
quenti decocto, ac iecori succo endiviæ
& cichoreæ applicito, veluti renibus al-
bo Galeni sanitati fuit restitutus. Ete-
nim decoctum hoc ita se habet, R. hor-
dei, cichoreæ, endiviæ, lupulorum ana.
H m.j. thamaridorum unc. semis, pruno-
rum pinguium nu. xij. florum cordia-
lium an. drach. j. in libris quinque aquæ
fiat decoctio quousque maneant libræ
tres, facta decoctione & colatura, ad-
de syrupi rosati sim. & de cichorea sim.
an.unc. iij. misce, & illius semilibram
in aurora ieiuno stomacho bibat, & de
super

super dormiat: hoc vero sanus evasit, & nullo alio auxilio opus habuit. Fuere enim omnes huius affectionis dies duodecim.

Curatio LVI. de lumbricis, & alijs signis, mortem minantibus.

PVELLA sex nata annos, quæ ad aquam prope portam civitatis habitabat, diu febricitavit, & quatuor albissimos lumbricos vivos per inferiora, absque excrementis, egesit, à quibus paucis interpositis horis, eius crus sinistrum maximo tremore correptum fuit, adeo ut ipsa puella crus stare non velle asseveraret: post vero tres horas in quibus crus tremorem passum est, puella obmutuit, & quasi mortua per totam noctem usq. ad horam prandij stetit, sed tunc fere revixit, & loqui cœpit, ac comedit, sed labrum inferius immobili superiori movebatur: sequenti vero die, ore distorto facto, prope noctem obijt. Quot vero ægritudinis dies omnes fuere, non satis percepi.

SCHOLIA.

DE præsagijs à lumbricis desumptis, hic agere alienum non erit, quãdo puella hæc quatuor vivos albos, ut dixi, per inferiora emisit, post quos symptomata gravissima subsecuta sunt: & demum mors ipsa. Hippocratē igitur in primis citare consonum erat, præcipue libro illo vere aureo de Indicationibus, sed quia Paulus eum adducit, illius verba placuit subscribere lib. quarto suæ medicinæ, cap. quinquagesimoseptimo, quę ita habent. Circa febriũ initia geniti lumbrici subsistentiam ex subiecta habent corruptione: circa consistendi vigorem ex morbi malignitate, circa declinationem omnino ad melius proficiunt. Etenim Hippocrates libro citato, & secundo Prædictionum, textu decimooctavo memoriæ mandavit, bonum

A *esse indicium teretes lumbricos prodire, quum morbus ad indicationem tendit, qui subito etiã intereũt. Galenus vero citata Hippocratis verba enarrans, non sic simpliciter intelligenda esse tradit. Inquit igitur: si natura pariter cum cæteris excrementis hos quoque pellit deorsum, melius est, quam si sursum, & quoties alio quin ratione accidentis non apparuerint, & cætera. Nam ij, quos puella hæc, de qua agimus, egessit, absque excrementis sunt, qui symptomatis potius ratione, quàm naturę vi, materierum corruptionem & morbi malignitatem indicantes deiecti sunt. Ceterum Aetius Sermone nono suæ medicinæ, cap. 39. de hac re, ita ex Herodoti sententia tradit. Lumbrici &*

B *in febribus & citra febres nascuntur, tum multitudine, tum magnitudine, tum colore, tum temporibus etiam differentes: circa initia enim morborum generati, substantiam suam ex subiacente corruptione capiunt: circa vigorem verò ex malitia morbi, circa declinationem autem ex permutatione omnium in melius, qui & citius separãtur. Natura enim ipsos reliquorum recrementorum instar foras propellit: censentur autem peiores ex ipsis, maiores minoribus, paucis multi & albis rubri: viventes etiã mortuis deteriores: ijs autem ultimis verbis Aetij Rases ac Avicenna oppositi sunt, quum dicant, viventibus mortuos deteriores esse. Credimus tamen nos, ut Manardus sentit, Epistola*

C *prima libri sui quarti, & Gabucinus Fanensis firmat libello suo de Lumbricis, quod ex mortuis sumitur iudicium, firmius semper est, ut quos necesse sit expellit, nec suapte spõte exire: cum hoc tamen Hippoc. imitamur, ut suprà adnotavimus, quod bonum est lumbricos alvi excrementis commisceri, dum morbus indicatur: si tamen alio tempore emittantur, considerandum, an cum symptomatibus, vel absque illis. Si enim citra symptomata egrediuntur, bonum portendunt, si vero cum illis, malum, vel absolute, ut Paulus & Aetius volunt. Ad Hippocrat. mentem dicere possumus, si alio deijciantur tempore ab statu symptomatis potius fieri ratione, quam vi naturæ: prima tamen consideratio mihi magis placet. Neoterici tamen ijs addunt, si incipientibus acutis morbis lumbrici teretes vivi deiiciuntur, pesti-*

D *lentes morbos indicant, in declinatione vero mortui malum, medio quoque tempore, si quoquo modo apparuerint, malum quoque portendunt, ob id forte, quia febrilis calor sua acuitie lumbricorum absumit materiam.*

Curatio quinquagesimaseptima de muliere prægnante causone correpta.

MVlier in angiportu ad mare ha-
bitans, nata annos octodecim, ute
rũ ferebat, quæ quum prægans 6. men-
sium esset in Autumno causone corripi
cœpit, & illo quidẽ sævissimo: nã symp
tomata hæc erant, vigilia, inquietudo, si
tis cõtinua, linguæ nigredo, tussis ari-
da, mentis incõstãtia, capitis graviss. do
lor, pulsus parvus & velosiss. urina tur-
bida & crassa. Hæc enim omnia pati
inveni, quum primum illam viderem,
tribus elapsis à morbi initio dieb. Pri-
mo igitur ordine victus instituto, ptisa-
na, scilicet, malo granato, crustatis sac-
charo rosis, & alijs hujus naturæ rebus,
aquã hordeaceam pro potu parare feci
mus, cujus uncias quinq. altera iulep vio
lacei adiuncta, syrupi vice mane ieiu-
no stomacho ebibit, secta prius cephali
ca brachij dextri, ex qua sanguinis un.
5. extractę fuere: quarum primæ tres om
nino corruptione erant affectæ, reliquę
vero duæ in altera pelvicula collectæ,
non ita corruptæ apparebant, à qua san
guinis extractione, capitis dolor dimi-
nutus, & sublevatus fere fuit, adeò ut po-
stea per universum morbi cursum non
ita eo vexari dixerit, nocte vero sequen
ti clysterem istum quo alvus fluida fie-
ret, & febrilis calor infringeretur, inji-
ciendum mandavimus, qui habet, Reci
pe Aquæ hordeaceæ unc. xv. olei viola-
cei unc. iij. vitelli ovi num. j. sacchari
drach. j. misce. Fiat clyster, quo bis in
nocte egessit: sequenti vero quinto die,
gravissime tulit, proinde iecoraria eius
dem dextri brachij secta fuit, sanguisq.
ad unc. sex extractus. Cæteris tandem
rebus in ordinem dispositis, ac epithe-
mate refrigerante cordi applicito, velu
ti temporibus & totius pectoris regio-
ni, in quo ingentis caliditatis fornax vi
get, septimo die male habuit, sed nono
iterum basilica in sinistri brachij flexu
E ra secta fuit, & sanguis in bona copia
extractus, cuius primæ tres unciæ non
adeo corruptione affectæ erant: tres ve-
ro ultimæ tanquam atramentum appa
rebãt: tunc aliquãtulum melius habuit:
sed vesperi omnia graviora sunt facta:
decimo vero ieiuno stomacho, pharma
cum hoc propinavimus, R. Mannæ sol-
ventis bonæ insuper lapides cadẽtis un.
ij. rhabar. boni scrup. iiij. in iure capi
misce, & fiat potus unus, quo multa ex-
crevit, & melius habere visa est: tunc ve
ro ex interaneis sive pulpamentis pul-
li cocti, adiectis rotulis manus Christi,
F contusum pistum dictum, concessimus:
undecimo præcedẽte clystere cõmuni,
quum siti ingenti cruciaretur, aquam in
quantitate liberaliter concessimus, &
melius habere visa est: duodecimo mul
ta evomuit, post quæ sternutavit, & be-
ne tulit: sed decimoquarto iterato cita-
to pharmaco optime egessit. Nec enim
veriti sumus, in diebus decretorijs, præ
cipue quartodecimo pharmacum dare,
& evacuationes moliri modo necessi-
tas urgeat, ut ab Hippocrate & G. edo-
cti sumus: multa tñ fateor animadver-
sione, pro simili exequẽda operatione,
G medicus opus habet: tũc vero febri om
nino vigẽte syrupũ descripsi sequentẽ,
R. Syrupi rosati, violacei, cichoreæ an.
un. sem. aquarum lactucæ, cichoreæ, en
divię, an. un. j. misce. At septimodeci-
mo die, per universum diem somno op
pressam cum prædicta febri eam com-
peri: sed pulsum omnino debilẽ & tre-
mulũ habebat, octavodecimo surdasta
facta est, decimonono, venam inter an-
nularem & minimum digitum iacen-
tem secare feci, tresq. sanguinis uncias
demere. Nam ut suadet Galenus 9. &
12. lib. Methodi mendi, ubi humorum
H ingens corruptio cum virium postra-
tione est, per epicrasim, patiens tra-
ctandus est. Dicitur autem curare
per epigrasim, quum paulatim aliquid
vitiosi humoris evacuatur, eius loco pau
latim quoq. aliquid salubre & boni suc
ci reponitur. Vesperi tandem pulsum
caprizantem habere comperi: sed vige-
simo ad melius reddita est, & lotium
crassius

crassius apparere cœpit,& ultimo,vigesimoseptimo die à die morbi computãtando ex toto sana facta est: & postea puellam peperit.

SCHOLIA.

Periculosa admodum in prægnantibus utraque evacuatio est, tam quæ per venę sectionem fit, quam quæ per pharmacum adhibetur, quæ tamen sanguinis missione per venæ sectionem fit evacuatio, minus periculosa est, quam quæ per pharmacum perficitur, ut testatur Gal. lib. 2. de Ratione vict. in morbis acut. & lib. de Curandi ratione per sanguinis miss. modo tamen evacuandi modum animadvertamus: quia sanguinis facillima fit extractio, & nulla aut parva in corpore fit commotio: si quæ tamen supervenit (fluente sanguine) illico cohiberi potest, ac veluti manu teneri, quæ in purgatione fieri non possunt. Cæterum, si rem quę extrahitur ac à corpore deponitur respexerimus, proculdubio sanguinis extractio periculosior est, quum sanguis animæ sedes & pedissequa, tanquam a natura thesaurus recõditus sit, qua de re Galenus libro de Sanitate tuenda quarto, ubi vires plus iusto imbecilliores sint, sanguinis missionem prorsus fugiendam pręcipit, & alvum mediocri medicamento dejiciandã mandat: primis tamen mensibus impregnationis securius sanguinis extractio, quam quovis alio tempore fieri potest: quia fœtus parvus quum sit, pauco indiget sanguine ad sui nutrimentum. Quod Hippocrates lib. 5. Aphor. Aphorismo 31. ad istum modum dixit. Mulier utero gerens, sanguine misso ex vena abortit, & magis si fœtus sit major. Quæ verba enarrans Galenus ibidem ita nobiscum tradit: non absq; ratione autem & maior fœtus magis destruitur, misso sanguine ex vena mulieris: quia plurimo indiget alimento. Nam in prægnatione dum natura fœtum efformans, augensque optimum sanguinem trahit, vitiosissimus in venis relinquitur, qui post partũ segregatur, quemadmodum in singulis mensib. inutilis & supervacuus, non quantitatis modo, verum qualitatis etiam ratione, qui sæpius naturali nigrior est. Quã sentẽtiam clarius nobis scriptam reliquit, lib. 1. de Symptomatũ causis, ita ad verbum inquiens. Primis duobus mensibus fœtus paucum ad se sanguinem attrahit, eo quod parum adhuc auctus sit: adeo ut ne fœtus quidẽ nominari tum debeat sed cyema potius, id est, conceptus. Ubi vero iam increvit, tum plurimo indiget alimento, atq; tum non id quod optimum est è venis, ut antea dicebam allicit, verũ etiã quia maiorem alimenti copiam requirit, aliquid vitiosi attrahit: ita fit, ut universum corpus & plethoricon (id est, plenum) esse desinat, & minori humorum vitio crucietur. At fœtus ipse excrementa quæ ab attracto redundant alimento ad duas reponit membranas: quo fit, ut ipse quoq; & maiori humorum vitio, & maiori intemperie infestetur, quandoquidẽ a vitioso sanguine alimentum sumit, nisi gravida mulier residuo, quo uterum gerit tempore, optimis utatur cibis. Ex iis igitur Galen. verbis luce clarius claret, fœtum primis mensib. paucum & optimũ allicere sanguinẽ, quod Abinzoar libro sui Theisir contendit: sequenti vero tẽpore non solum bonum, sed etiam pessimum attrahere. Quare omnibus notum esse crederem phlebotomiam prægnantib. minus obnoxiam & periculosam primis mensibus esse, quam mediis, aut ultimis, in omne tamen puerperii tempore, ut dixi, sanguinis extractio minus periculosa est evacuatio, quam quæ per pharmacum adhibetur. Nec Petro Aponensi Conciliatori dicto oppositum firmanti, Differentia 166 fides ulla est tribuenda, quum omnino sanguinis evacuatio, ea quæ fit per pharmaciã, minus periculosa sit, ut supra abunde scriptum reliquimus.

Curatio LVIII. de dolore intestinorum à causa calida eveniente.

Filius Falconis, unum supra viginti natus annum, a catapotiis deglutitis multum egessit: sequenti vero die ita dolore intestinorum cruciabatur, ut ea terebello perforari exclamaret: cui occurrens, videns intestina supra modum excalfacta, ac fere initio excoriationis esse, multam gelidam in potu illi concessi, a cuius potu ita celerrime dolor evanuit, ut se sanum alta voce clamaret, utcunq. tamen dolor interpolatim superveniebat: pro cuius omnimoda propulsatione pannum lineum frigida aqua immersum, ac manu pressum umbilico admovere iussi, nõ minusq. in victu diapapaver in rotulis paratum acciperet, ac desuper aquam ẽdiviæ biberet, suasi, quibus paucis sanus intra triduum factus est, non sine multorum admiratione, & Artis medicæ decore.

Curatio LIX. de pleuritide.

ANgelus Ferretus nobilis Anconitanus, & ordinis sancti Dominici Monachus venerabilis, temperatura bi liosus ad atram declinans, vigente hyeme pleuritide correptus fuit, ætatis suæ anno quinto supra quinquagesimum. Aderat enim dolor pungitivus circa costas mendosas dextras, febris continua, tussis squalida ac anhelitus difficultas, quæ omnia animadvertens præmisso clysteri basilicam eiusdem dolentis lateris secare feci, sanguinemque extrahere ad uncias octo. Erat enim sanguis omnino corruptus, & intense putrefactus, à qua sanguinis missione, syrupum istum ebibit, qui habet, R. syrupi de endivia simpl. un. sem. violarum unc. 1. aquarum endiviæ, violarum, añ. unc. 2. misce. At ut interpolatim cochleari deglutiret, ita quoque paravimus, R. syrupi violacei, unc. 4. vel si magis placeret, eius loco penidiarum aliquid acciperet. Porro quantum ad victum & potũ attinet, primo hordeaceã aquã G parare fecimus, quam vel simplicem, modo tepidam, vel iulepo violaceo admixtam bibebat: sed in victu ptisanam colatam, vel butyro paratam panatellam accipiebat: sed quantum ad topica, localia dicta medicamenta attinet, primo fomentum hoc applicitum fuit, quod habet, Recipe rosarum, viol. malvarum, farfaræ, malvavisci, parietariæ, chamæmeli, fœnugræci, seminis lini, an. m. 1. in libris quindecim aquæ fiat decoctio sufficiens, cui adde olei rosacei, chamæmelini, an. unc. 4. misce, & in filtro ut decet admoveatur, ac postea H unguento pectorali locus inungatur. Secundo vero die excreare sputum viscosum pallidum ac flavum cæpit, tunc vero hoc descripsimus elambetinum, R. Loch, de farfara, de altæa, an. unc. 2. syr. violacei parum, misce. Tertio vero die, iterum venam aperire decreveramus, quum de dolore æger maxime quereba E tur, & febris illũ intensius affligebat, sed quũ omnino renuit, ea de causa quarta die pharmacum propinavimus, nec est quod quis de hac re miretur, ut inferius patebit, dedimus igitur pharmacũ hoc R. Pulpæ cassiæ noviter extractę unc. 1. sem. electuarij lenitivi, unc. sem. in decoctione pectorali fiat potus unus, & detur in aurora, quo quater non nisi biliosissima egessit: deinceps vero facilius & copiosius expuere cœpit, viscida tamẽ: qua de causa syrupum sic parare fecimus: R. Syrupi de liquiritia unci. 1. oxymelitis unci. sem. aquarum farfaræ, F violarum, capillorum Veneris, an. un. 1. misce, pro potu vero aquam mellis tunc parare fecimus, quibus omnibus dictis, recte ut decebat, dispositis, æger à dolore illo pungitivo liber factus est: sed sexto die, de lateris sinistri dolore queri cœpit, quem sacculo & furfuribus calidis apparato, & loco dolenti admoto sedavimus. Cæterum multa ad duodecimum usque diem æger expuit, sed tertiodecimo hoc illi concessimus pharmacum, quod habet Recipe hordei, farfaræ, capillorum Veneris, matri. viol. an. m. 1. liquiritiæ, sem. sebesten, iuiubarum, an. num. x. in qua fiat decoctio secundum artem, quousque maneat libra una, tunc R. prædictæ decoctionis libram mediam, pulpæ cassiæ noviter extractæ, unc. 1. & sem. electuarij de sebesten. drac. 6. misce, fiat potus, quo multa egessit, & sanus ac liber à morbo factus est.

SCHOLIA.

CIRCA curationem istam, multa & varia occurrunt dubia: primum quod fomenta & inunctiones post sanguinis extractionem non convenire videantur: quia Hippoc. lib. 2. de Ratione victus in morbis acutis, ipsis nunquam nisi in morbi initio usus fuit, post vero sanguinis extractionem illorum admotionem vetat, vel saltẽ ea subticet: quia dolorẽ primo sanare, vel mitigare fomentis calidis conatur, quæ cutim ipsam ad perspirationes rariorem efficiunt, plegmonesque sanguinem tenuant atque per halitum digerunt: si intentum tamen ipsis non consequitur, sed magis dolorẽ intendi videtur, tũc à fomẽtis desistendum suadet,

suadet, ob incōmoda quæ tex. 9. citat, & ad corporis evacuationem concurrit, proinde fotum post sanguinis extractionem admovendum non esse dicendum est, cui dubio nos respondentes dicimus. Si quis Hipp. & Galeni mentes penitius animadverterit, quia post sanguinis missionem fomenta non vetant præcipue ex rebus anodynis temperatis confecta, veluti sunt hæc quibus nos usi sumus: immo Galen. in universa eius doctrina tradit, securius ijs fomentis post evacuationes universales uti nos posse, quam ante eas adhibitas, modo fomentorum differentiam ante oculos habeamus, de quibus Galen. citato libro secundo de Ratione victus in morbis acutis, enarratione secunda abunde disseruit, in qua Galen. ipse nostram firmare sententiam videtur, quum dicat, dictum quoque & de ijs est doloribus, qui a fotu nullo pacto, nisi prius vacuato universo corpore iuvantur &c. Si tamen tergiversator adhuc instet, unguentorum saltem illinitiones non convenire videri, quia cutis poros obstruunt. Respondeo quod in inflãmatione est tensio, pro qua curanda laxitas convenit, quia contraria contrariorum sunt remedia, quæ ijs anodynis medicamentis conficitur, nec est quod quis in hac re deinceps dubitet, an ceps ve sit. Secundo dubitatur quomodo pharmacum in pleuritide concessimus. Tertio, etsi concessimus, cur in quarto die quia decretorius est. Quibus per ordinem respondentes dicimus, quod Hipp. lib. de Ratione victus in morbis acutis iubet, si pleuritis ascenderit ad furculas, fiat sanguinis extractio: si vero ad hippochondria descenderit, tunc propinetur pharmacum. Sed dices tu, Galen. inibi tacite Hippprat. reprehendit, quia inquit, securius esse in omni pleuritide, sive ascendat partes superiores, sive occupet partes inferiores, venam secare quam pharmacum exhibere, nos ita esse firmamus quod Gal. tacite Hippocrat. taxat, sed non negat Galen. post unicam copiosam sanguinis extractionem pharmaci exhibitionem, præcipue ubi materia est multa biliosa, & signa coctionis apparere incipiebant: & eo magis quia æger alteram sanguinis missionem formidabat, huius vice pharmacum hoc dare contra rationem non erat. Ad tertium, quum iam pharmacum dabamus, quare in quarto dedimus, quum quartus decretorius dies est. Respōdemus, quod quartus dies in biliosis morbis decretorius non est: immo rarissime in eo morbi terminantur biliosi, adeo ut dixerit Galenus libro tertio de Crisi, semel tantum in vita sua crisim viderit: & Archigenes bis: quibus verbis subscripsit postea Avicenna, Fen secunda quarti, quæ omnino intelligenda sunt, ut diximus, in morbis biliosis, secus autem in sanguineis, quia

synochi, ut testatur Galenus plerunque in quarto terminantur. Rationem vero reddere, etsi huius instituti non sit, quum in frontispicio huius operis abunde eam reddidimus, per transennam tamen eam citare minime gravabor. Biliosi enim morbi plerumque in eisdem diebus suas conficiunt crises, quibus proprias accessiones habent, ut tradit Hippocrates libro de Iudicationibus & quarto libro de morbis, & Galenus sæpe confirmat: qua de causa diebus imparibus morbi ij biliosi suas habent crises, ut tertio, vel quinto, rarissime vero in quarto. At sanguinei morbi ad quartum accedentes, sanguinis adhuc B naturam retinent, quod si eum transcendere contigerit, iam tunc fere biliosi sunt facti, & aliam sortiuntur naturam, quanquam ad septimum usque plerunque febres sanguineæ suam servare solent naturam. Quibus addimus, quod Hippocrat. libro quarto de Ratio. victus in morbis acutis, textu 76. pleuritide affectis pharmacum 4. die ministrat, cui Galen. ibidem in enarratione astipulatur dicens, quarto vero die medicandum indistincte pronunciavit. Neque enim inter morbi initia aliquod remediorum huiusmodi ægro iniungere oportet, de sumpto à numero dierum scopo: sed quod Hippocrat. recensuit est exequendum. C Nam vel statim ab initio prius, quam in partem aliquam confirmentur humores, medicandum, vel postea quum ad maturitatem perducti fuerit: quam ob causam & prima interdum die, & secunda, & quarta, & interdum quinta, medicamenta dedimus, & non in quarta solum, quomodo is dixit. Quartum dubium occurrit, cur in pleuritide fortiter infestante, dolor aliquando ex toto delitescere videatur: postea vero denuo redit, quum tamen inflammatio adsit. Respondeo, quod membrum dupliciter stupefit, aut nimia frigiditate, aut nimia caliditate & fortissimo dolore, & quod in pleuritide fortiter affligente, membrum læsum, sive particula illa affecta, ob magnum dolorem quem magna caliditas & D ingens spirituum resolutio consequitur, stupore affici solet, unde dolorem non percipit: sed postea in melius redacta dolorem sentit: missas hic facio alias rationes à mentis ægrotatione desumptas, veluti à flatuosa materia, quas unusquisque in promptu habet, prædicta nobis contentus.

(§)

E

Curatio LX. de duplici tertiana.

MAter sacerdotis, vigente Autumo,
duplici laborabat tertiana, ad quã
accedens, pharmacum illico propino
hoc, R. syrupi rosati solutivi unc. 3. de-
coctionis senæ un. 4. misce: quo optime
egessit: postea vero decoctum hoc ebi-
bit, quod habet, Radicum fœniculi, pe-
troselini, apij, asparagi, rusci, an. unc. 1.
herbæ agrimoniæ, que verum eupato-
rium apud Dioscoridem est, lichenis,
id est, iecorariæ an. manip. unũ, follicu F
lorũ et foliorũ senæ, polypodij quercini
recẽtis & cortusi an. unciam unam, pas
sularum ex Corintho uncias tres semi
nis fœniculi drachmam unam: in libris
octo aquæ fiat decoctio, quousque ma-
neãt libræ quinque, facta decoctione &
colatura, adde syrupi de lupulis & By-
zantini an. uncias tres, mellis rosati co-
lati un. 4. misce, de quo quolibet mane
ieiuno stomacho uncias tres bibebat.
At interea dum decoctum hoc bibebat,
papulæ quædam parvæ, rubræ pulicum
puncturis similes per universum corpus
erupere, qua de causa à sanguinis extra
ctione, per venę sectionem, quam moli-
ri intendebamus, abstinuimus: postea G
vero interpositis nonnullis diebus, phar
macum hoc illi dedimus, R. Syrupi ro
sati solutivi unc. 3. agarici noviter in
pasta parati drachm. 1. diacatholiconis
un. sem. decoctionis senæ unc. 4. misce,
fiat potus unus & calidus in aurora pro-
pinetur, & desuper per horã dormiat.
Iis enim bene se habuit, & sanitati fuit
restituta: sed paucis interpositis diebus
recidivavit, cui concessis pilulis de tri- H
bus cum rhabarbaro ac aggregativis,
sana facta est: stomacho tamen debilio
ri facto, stomachicum Galeni ad scuti
formam in panno cocco, id est, gra-
no infecto, redactum admovimus,
fuerunt autem omnes huius
morbi dies viginti-
novem.

SCHOLIA.

*NON mirabitur hic optimus medicus, si in
eodem morbo, hoc est, duplici tertiana va
riet curatio, præsertim si noverit ille, omnes
morbos intra suum genus gradus habere. Nam
& duplex reperitur tertiana pura, quæ brevi
terminatur: alia vero huic propinqua, quæ non
ita facile absolvitur: alia vero diuturna, per
sex & amplius durans menses: quanto enim ad
pituitosam magis accedit, tanto magis febris
longa est: quanto vero magis ad biliosam, eo
brevior: proinde prudens medicus hæc ac in sta
tera & lance æque librans, medicamenta va-
riat, ægrotantis naturam, regionem, ætatem, tẽ-
pus, ac ijs similia considerans: non ut imperi-
ti faciunt, qui omnibus unico medicantur phar
maco, ac si omnes uno calopodio sint calciandi.*

*Curatio sexagesimaprima de em-
pyemate, & quod in suppuratis
inter secundam & tertiam
costam secari, aut uri
debeat.*

MVlier nobilis empyemate, hoc
est, purulenta screatione labora-
G bat, quæ aliud non est, quam pus in me
dia thoracis, & pulmonis regione à mul
tis causis eveniens, contentum. Hæc
quum viribus cõstaret ac consultũ esset
inter medicos pro eius salute, de sectio
ne inter costas agenda. Quidam sectio-
nem inter quintã & sextã costã agẽdã
contendebant: alij vero inter quartã
& quintam: ego vero inter secundã &
tertiam, aut ad summum inter tertiam,
& quartã costã, apertionẽ faciendã esse
H dixi, non tantum Hippo. fultus authori
tate, quantũ experientia ipsa anatomi-
ca, quæ me ad rem ipsam cõficiendam
cõvocabat. In primis igitur Hipp. in u-
niversa eius doctrina tria pro curandis
purulentis, sive suppuratis, maxime de-
siderat: primũ siquidẽ a pharmacis &
alia victus ratione æger utilitatem non
percipiat, ad sectionem vel ustionem
condescendamus: sed præcipuè ad us-
tionem,

tionem, ut Galenus quoque adnotasse videtur lib. 6. Aphoris. enarratione 27. Aphor. quum dicat. Suppuratos præcipuè consuevit nominare, qui pus habēt in spatio inter thoracem atq; pulmonē, quos quomodo urere oporteat dicit in libro de Passionibus, & subdit: Vstione igitur indigent, qui plurimum habent pus, adeò ut desperent per spuitiones posse expurgari: hos verò ipsos & difficultas anhelitus maximè infestat ex loci angustia, quæ etiam nos cogit, ut eos uramus, &c. Iubet igitur Hipp. ut Galenus tradit, quòd suppurati urendi sunt: hydropici verò potius secādi: id quod Hip. ipse seipsum exponens lib. 6. de Morbis popülariter vagantib⁹, sectione septima his verbis dixit, Hydropicos citi⁹ secare oportet, tabescentes statim urere, caput secare, & hujusmodi: nec enim me latet Hippocratem purulentos aliquando secuisse, ut paulò inferius indicabimus è libro secundo de morbis, quod factum iri credēdum est: quia ægrotantes ignis ustionem formidant, & sectionem facilius admittunt: in hac cæterum re Galenum legito libro 7. Aphorismorum. Aphor. 45. ubi antiquos suppuratos urere meminit, & Corn. Celsum lib. 3. cap. 22. Secundum verò ab Hippocrate in hoc morbo desideratum est, quod ustio vel sectio, si possibile est, in latere fiat sinistro, ita enim ille lib. 2. de Morbis, ubi de suppuratis ex peripneumonia agit, in hunc modum tradit. Quum tempus longius protrahitur, & febris vehemēs, ac tussis corripit, & latus dolet, & ad sanam partem decumbere non potest: sed ad dolentē, & pedes, & oculorū cavitates intumescunt, hūc ubi decimusquintus ab eruptione dies adest, multa calida lotum in sella firma collocato, & alius quidem manus ipsius teneat: tu verò humerum concutito, ut audias in utrum latus affectio strepitum edat: optandum autem esset in sinistrum. Hunc igitur locum seces, minus enim lethalis est, & subdit. Secato autem inter costas per novaculam, primùm cutem: deinde scalpello acuto, quod panniculo sit obligatum, ita ut summa ipsius pars, ad unguis magni digiti mensuram expedita restet, quā intromittas, & cętera. Iis simillima sunt, quæ idem Hippocrates libro tertio de Morbis posteritati scripta reliquit, quū ejusdem morbi curationē persequitur, & ita habent. Si verò non spuatur, sed sui significationem ad latera præbeat, secato, aut urito. At si neque spuatur, neq; ad latera de se significationem præbeat, ubi multa calida jejunū lavasti, & neq; potu usum in firma sella locasti, alter ex humeris ipsum apprehendat: tu verò concute ipsum, aure ad latera admota, quò percipias ex utrāne parte significationem sui præbeat: optandum autem esset ex sinistra, nam dextras urere, aut secare lethalius est, quanto enim robustiores sunt dextræ partes, tāto etiam fortiores morbi in ipsis fiunt. Quòd si præ crassitudine humor non fluctuet, neq; strepitus sit in pectore, verùm spiritum frequentē trahat, & pedes intumescant, & tussicula aliqua adsit, ne te decipiant hæc, sed thoracem purè plenum esse probè noris: proinde in terra eretriade liquida, & valde trita & tepida, linteum tenue tingitio, eòque thoracem circumcirca integito, & qua parte primùm resiccatum fuerit, ea secato, aut urito, quàm proximè ad septum transversum, cavendo tamen ne hoc ipsum lędas. Hactenus Hippocrates, qui ut ex dictis apparet, sinistras partes urendas vel secandas esse maximè desiderat. Tertium verò ab Hippocrate in hoc morbo optatum est, quod sectio sive pūctura, quàm proximè ad septum transversum fiat, ne tamen ipsum lædamus cavendo, ut ex authoritate suprà nobis adducta clarum est: sed intra quam costam sectio, vel ustio fienda est, hucusque siluit: libro tamen de Internis affectionibus palàm aperuit, ubi de aqua inter cutem & suppuratione sermonem habet, ita enim ille postquam morbum recensuit, inquit. Costam tertiam ab ultima usque ad os secato: deinde cum terebra cava ultra perforato: & ubi perforata fuerit, aquæ parum emittito, &c. Tertiam igitur costam Hippocrates secare jubet, a nothis computando: sed an tertiam

tiam versus quartam, vel potius versus secundam in dubium quandoque traxi: quia Hippocrates ipse jubet pũcturam, vel sectionem fiendam, quàm proximè ad septum transversum, modò tamen caveamus, ne ipsum lædamus: ut certior tamen de hac re tandem fierem, quum semel Ferrariæ frater quidam Andreæ Vesalij anatomici insignis, coram me diligentißimè corpus humanum disseca ret, arrepto cultro, quo probus ille juvenis secabat, rem experiri volens in latere sinistro intra secundam & tertiã costam, puncturam feci, ac cultro ipso intromisso, nihil obnoxij ex eo septum transversum trahere posse deprehendi: nascitur autem septũ transversum prope primam costam mendosam, & ita ab interstitio secũdæ & tertiæ costæ distat, ut probè & securißimè sectio inibi fieri poßit: eo tamen hucusque medicorum mania pervenit, ut non intra secundam & tertiam secent: sed potius inter quartam & quintam, aut, si Deo placet, intra quintam & sextã, non sine tamen ęgrotantium jactura, quum pus quod veluti in sacco continetur, facillimè extrahere poterant, non nisi elevatis cruribus, & prono capite deponere poßunt, unde multa mala inde sequi notius est, quàm a me dici poßit. Quum igitur hæc ita esse novimus, ac pro salute hujus mulieris in consortio doctorũ omniũ essemus, cõsultũ fuit, ut inter tertiam & quartam costam sectio fieret, a qua mulier bene habuit, & sanitati fuit restituta.

Curatio sexagesimasecunda, de quodam, qui serpentem interfecit, & illico ægrotavit, ac intra paucos dies, vitam cum morte commutavit.

VIR Anconitanus robustus, & fortis, quum vineam putaret, serpentem offendit, non nisi immensæ longitudinis atq; craßitudinis, quem quum interficere attentaret, serpens illum invadere conabatur: at ille lignis, tum lapidibus, ac gladio munitus eum interfecit, à quo interfecto, illico de capitis dolore queri cœpit, febricitavit: demùm indies omnia graviora facta sunt, & die undecimo obijt.

SCHOLIA.

CRedere par est, huic ferè tabificam vim inesse, qua ex intervallo infectus hic vir fuit, ac consequenter mors illum consecuta, viderunt quoque alios fide digni viri, qui quum serpentes interfecerunt prope obitum pervenerunt, at antidotis adjuti evaserunt, non sine tamen chronico & gravi morbo totum corpus occupante: sed præcipuè brachium & illius manus, qua interempta feræ fuêre.

Curatio sexagesimatertia de nephritide, & articulari morbo terebinthina curatis.

QVidam monachus temperatura pituitosus, articulari morbo simul & nephritide corripi solebat: qui, quum nullo remediorum genere ex multis tentatis, bene valeret, tandem meis monitis aßiduo terebinthinæ esu intra sex menses liber à dictis morbis fuit, erat autem terebinthina nucis magnitudine, quam singulis diebus jejuno stomacho sacccharo admixtam deglutiebat.

SCHOLIA.

TErebinthina antiquitas pro alvo subducenda tantùm utebatur: neoterici verò pro renibus expurgandis, ac alijs varijs intentionibus complendis, eam in usum traxerunt, ut commentarijs nostris ad Dioscoridem, abundè diximus. Nec enim discrimen ullum inter vulgarem terebinthinam, modo bona & pura sit, & eam quæ a terebintho, arbore desumitur, & difficulter habetur facio, quum utrique communes vel pares hæreant possessiones.

(. · .)

Curatio

Curatio sexagesimaquarta de quibusdam sublimato infectis, & sanitati restitutis.

ARubas vir quinq; supra triginta natus annos, temperatura biliosus, famulam tredecim vel quatuordecim annorum, ut accidere solet, percussit, quæ ira percita, hinc inde vindictam quærens, in mentem revocat ejus dominam sublimatũ cum argento vivo pro fucandis genis coxisse, ac in mortario sub lecto reposuisse, ad quod accedens ejus portiunculam semidrachmæ pondere accepit, quam duobus pullis prandio destitutis altero asso, altero verò aqua cocto, clàm indidit, ex quibus quum herus ac uxor uterum gerens, filij & serui simul & catus quidam comederent, omnes in vomitum & symptomata gravissima inciderunt, quibus per totum illum diem, ac sequentẽ noctem miserè laborarunt: sed gravius herus, quia fortè plus pullorum esitaverat, accersitis igitur duobus medicis, quibus causa unde morbus & gravia illa symptomata evenerant, ignota erat: parum alioquin animadvertentes omnes domi similibus affectionibus laborare, vel potius eos omnes lue pestifera esse infectos putantes, quia eo tempore varijs in locis Italiæ pestis scintillabat. Herum graviter afflictum, & acutissima febre detentum quum cernerent illi, sanguinem ex brachij flexura per venæ sectionem miserũt: postquam (ut consequens erat) pejus habuit, & symptomata omnia graviora sunt facta. Supervocatus igitur ipse & causam, unde morbus evenire poterat inquirens, omnes eodem modo domi, qui ex pul- D lis illis comederant infectos esse comperio: sed causam unde morbus originem traxerat, ignorare fatentur: nam puella jejunasse eo die simulavit: videns igitur omnes angi, ac in vomitum pronos, causam unicam, ac communem omnibus esse dixi, eamq; venenum fuisse, certus eram: proinde nulla data mora, ad evo- A mentia medicamẽta confugimus: inter quæ numerare est lapidem betzaarticũ ex capræ cujusdam Indicæ ventriculo extractum, de quo in Commentarijs nostris ad Dioscoridem multa dixi, ramentum unicornis, oleum commune: sed præcipuum vomitorium, & quod inter cætera palmam obtinuit, ut experiẽtia tunc deprehendi, aqua naphę, id est, floris arantij fuit: cujus singulis singulas libras tepidas bibendas propinavimus, à cujus potu omnes multa evomuêre, & melius habere visi sunt, at postquã satis B evomuisse mihi visi sunt, ad antidotum ex viperis confectũ (theriacam appellamus) devenimus, veluti ad conditum ex acetositate citri, smaragdum, scordium, dictamnum Cretẽsem, terram sigillatã, bolum armenum orientalem, quem antiquitas (ut diximus) terram Lemniam appellabat, & alia hujuscemodi: præparavimus autem nos conditum hoc. R. Cõservæ de acetositate citri unc. 4. smaragdorum scrup. 2. scordij unc. sem. terræ Lemniæ drach. tres misce, & cum syrupo de acetositate citri, fiat conditum, & folio auri inauretur: non minus olei ex C vitreolo guttas sex in uncijs decem aquę acetosæ infusas bibendum dedimus, quibus melius habere visi sunt. Conciliator verò in hoc casu hoc tandem desiderat remedium, quod habet, butyri eliquati cum decocto seminis rapę, & bibendum dato, ac sæpe iterato, & vomitum sæpe evocato, nihil enim, ut paucis dicam, Conciliator Petrus Aponensis dictus, in hoc morbo desiderat, quàm repetitum vomitum. Vt receptui igitur canamus, ijs prædictis remedijs & jusculis pinguibus nonnullis adhibitis clysteribus, veluti cordi admotis epithematibus, sanitati intra triduum fuêre restituti, & casus ex toto patefactus.

SCHOLIA.

Periculosum admodum est in hoc casu sanguinem per venæ sectionẽ demere, veluti somnum admittere, quia venenum intra venas revocatur, & cor petit, ac si periculum de mortis facili eventu minatur. Sed quòd digni reprehensione medici ij sint, qui sanguinem eo dicto modo per

per venæsectionem extraxerunt, vel ex hoc clarè patet, quia si non noverant morbum, ut fassi sunt, enim Avicennæ authoritate movere non debaerát: item quia nauseabundus præteritam noctem totã æger transegerat, & in hoc vomitu adhuc perseverabat, casus ob quem Galenus sanguinis missionem vetat, ut apud ipsum est legere libro de Sanguinis missione per venæ sectionem, cui quoque Avicenna, ut solet, assentitur, capite de phlebotomia.

Curatio sexagesimaquinta de quodã patiente dolores ventriculi & imi ventris a bile prasina genitos, simùlque de bile prasina multa.

GEorgius à Ioanne magno Racusinus, eques Lauretanus, vir pulcherrimus, & quem populus gloriosum equitem appellare solet, gravissimos dolores oris ventriculi & interdum imi ventris, quem Græci ἦτρον & ὑπογάστριον appellant, non nisi à bile prasina ortos incurrebat. Adeò enim prasina bilis hæc, porri virorẽ referebat, ut viridis æris aqua dilutum quis diceret, non verò bilem: non febriebat hic, sed maximè angustiabatur, tametsi bilem istam sepe in die vomebat. Nam quæ ad imum ventrem descendebat, & dolorem efficiebat, non nisi enemate evacuabatur: sua enim spõte nõ egerebat, nec alvo secedebat. Morbum igitur quindecim jam dierum animadvertentes, ac humorem eum efficiẽtem venenum dici posse, & eum quidem calidissimum, illico nulla data mora, eũ cum vomitu, tum secessu deponere tentavimus. Nam humorem hanc a caliditate in jecore superexcedente ortum esse certum est, quum is temperatura sanguineus sit, ad ustionem declinans, ætatis trigintaquinque annorum, veneri maximè deditus. Quum igitur humor hic concoctionem non recipiat: sed tanquam venenum sit, per vomitum eum deponere cœpimus, qui facilè parebat, quum per eandem viam natura eũ mittere tentabat: non minus quàm duobus interpositis diebus, per inferiora eum quoq. pharmaco hoc evacuavimus, quod habet. R. Syrupi rosati solutivi unc. iij. diacatholiconis drac. iij. decoctionis florũ & fructuum cordialiũ cum folliculis senę, & paucis thamarindis paratę drac. iiij. misce, fiat potus: & jejuno stomacho bibat, cum quo multum hujus deposuit bilis. At licet humor hic præparationẽ ullam ad sui expulsionem nõ requirat, nihilominus tamen ut facilius (è pharmaco vel ipsa natura detrudi possit meatus reserare opus erat: quam intentionẽ simul cũ hac alia dicenda, scilicet ne jecur & interna membra malè affecta, de novo alium gignerent humorem, hoc decocto complebamus: R. Radicum endiviæ, cichorea, buglossæ añ. manip. j. & sem. hordei passularum enucleatarum, añ. pug. 1. foliorum & folliculorum senæ unc. 1. absinthij, manip. j. in libris sex aquæ fiat decoctio quousque maneant libræ quatuor. Item. Recipe prædicti decocti uncias quinque syrupi de cichorea cum rhabarbaro unciam unã & sẽmis, misce, & jejuno stomacho singulis diebus bibat, per exteriora quoque soliciti admodum de roborandis ac alterandis ventriculo & jecinore ipso eramus, non minus quàm ut alvus quotidie responderet hoc vel simili clysteri. Recipe Aquæ decoctionis hordei libram unam & mediam, olei violacei uncias tres, cassiæ extractæ unciã unam, ovi lutei num. j. sacchari rubri unc. unam, misce, fiat clyster. Iis enim intra decem dies melius habere visus est. Cæterùm a manna & rebus scammoneatis in hoc casu recedendum est: a manna, quia facilè in istã trãsit bilem, & in eam vertitur: ab scammoneatis verò ob caliditatem intẽsam, & ipsius scammoneæ acredinem. At quum is in hac perseveraret affectione, & semel capi jusculum ebiberet, interposita semihora in singultum devenit, a quo multum affligi cœpit, vomitorio tãdem propinato pharmaco, quæ comederat tanquam corrupta evomuit, & singultus ex toto ablatus fuit: tunc verò dubitare cœpi, num venenum huic datum esset

esset quod stomachũ & interiora in prostrationem traxerat, a quo quoque bilis illa prasina gigni poterat, & originem trahere: demum eo tempore utique respiciens intentioni, recentis olei amygdalarum dulcium uncias quinque jejuno stomacho obtuli, quo optimè per inferiora egessit, & optimè se valere dixit. Erat verò huic cibus, capus, sive gallina ceu pullus, aut perdix, phasianusve, ex quibus contusum sæpe, parabatur, quod santalorum citrinorum pulvere ad roborandum ventriculum, & interna viscera ornabatur. Cæterùm, interjectis octo diebus, ob malum victus ordinem, recidit. Olivas nanque & alia noxia cibaria comederat. Evomuit autem prasinam bilem, non adeò tamen intensi coloris, ut prima erat. At clysteribus adhibitis dolore levatus fuit: tunc verò ut immunis omnino perseveraret, nec iterũ in morbum incideret, rhaponticũ Græcorum per viginti dies illi dedimus, cujus semidrachmam in pulverem redactam ac capi juri mixtam jejuno stomacho quolibet mane bibebat. Est enim rhaponticum Græcorũ, ut in nostro diximus Dioscoride, radix digitalis crassitudinis, eundem ferè colorem habens, quem rhabarbarum vulgare: viribus tamen inter se maximè differunt, quia rhaponticum Græcorum hoc ventrem non subducit, sed eum magis astringit, quod ex Ponto primùm hac nostra ætate Gulielmus doctissimus ac vigilantissimus orator Cæsareus apud Turcarum Imperatorẽ, in Italiam traxit, & hodie a Turcis passim Anconam affertur.

SCHOLIA.

SÆPE agitatum est, & nos quoque in hoc libro dubitavimus, num bilis prasina porracea dicta, a caliditate tantùm gignatur, vel potius præter caliditatem, etiam a frigiditate fieri posset: cui dubitationi omnes ferè respondent. Bilem porraceam non tãtum a caliditate nimia originem trahere: sed etiam aliquando a frigiditate, pro quo roborando axiomate, Galenum libro secundo Prædictionum, enarratione trigesima nona adducunt, ubi de hac re ad istum modum tradit. At verò gignitur in corpore que- A *madmodum crocea bilis per naturam habentibus, ita porracea altera præter naturam. Constatque, ut hæc sæpe numero in ventriculo gignatur, propter quorundam cruditatem esculentorũ aut olerũ, qualia beta, cepa, brassica sunt, atque etiam talibus interdum nequaquam ingestis ratione ægrotationis in venis gignitur, ac decumbit, aut in ventrem superiorem, aut in inferiorem, calorem in corpore indicans præter naturam, atque excrementi proprietatem talis temperamento, qualis prædictorum olerum succus est. Hæc Galenus: ex quibus multi duo eliciunt, alterum quòd bilis porracea hæc plerunque in ore ventriculi gignatur, ratione inconcoctionis & cruditatis contracta ab oleribus comestis, ut beta, cepa, brassica, & alijs simi-* B *libus, & addunt quòd bilis hæc potius debet adnumerari inter pituitas, quàm inter bilis genera, quia ob inconcoctionem & cruditatem fiat: alterum verò ex prædictis Galenianis verbis elicitum est, quòd bilis porracea hæc in venis gigni potest, non nisi a nimia caliditate & assatione. Cæterùm multi hęc hodie considerantes longè aliter rem se habere autumant prædicantque, præsertim circa bilis porraceæ generationem a frigiditate. Tenent enim quòd Galenus semper bilem hanc a caliditate excedente fieri dicat, nunquam verò a frigiditate, aut di-* C *minuta concoctione: ut ex locis, in quibus ex proposito de ea loquitur, deprehendi potest, præsertim libro secundo de Temperamentis, ubi ita inquit. Nam quibus in ventre biliosum excrementum gignitur, id porri virorem præfert, velut in antiquo codice legitur. Nam ijs quibus ventriculus calidiore temperamento est, biliosa gignuntur excrementa, atque ea porri virorem prę se ferunt. At quibus ex jecinore descendit, his vel planè flavum est, vel omnino saltem pallidum: pręterea quibus in ventriculo bilis illa gignitur, quæ porri calorem imitatur, debet omnino his cibus fuisse, non panis, non suilla caro, similève aliquid: sed necessariò aliquid quod ijs calidius fuit, neque id boni succi: quibus autem* D *ex jecinore in ventrem defluxit, his flava ea pallidàve evomitur, etiam si boni inprimis succi fuit quod sumpserunt, etsi ad summum fuit concoctum: immò verò magis ipsis qui ad unguem concoxerunt flava vomũtur, atque etiam magis his qui diutius cibo abstinuerunt. Quæ verò bilis porrum refert, ijs solis gignitur in ventre, qui utique concoxerunt malè. Hactenus Galeni verba, per quæ ij asserere conantur, ipsum velle porraceam hanc bilem semper ab excedente caliditate, nunquam verò a frigiditate fieri, quibus addunt, quæ libro septimo Aphorismorum ab eo dicuntur, & ita enarratione sexta habent. Synceras verò dejectiones nomi-*

navit

navit impermixtas aquosæ humiditati: quoniã solus humor evacuatus dejicitur, sive sit biliosus sive melancholicus, sive porri colorem præ se ferens, sive bilis, quæ eruginosa nominatur. Nam dejectiones hujuscemodi exustam esse omnem nativam humiditatem a calore febrili demonstrant. Hęc ille Ex quibus quoque porraceam bilem ab intẽso calore fieri venantur. His accedunt, quę libro de Atra bile non longe a principio leguntur, quę per otium quisque legere poterit, & a dictis differre non videntur. Demum ijs freti Galeni citatis locis, & varijs alijs similibus, a nobis ex consulto prætermissis concludunt, quòd bilis porracea hæc a caliditate semper fiat, non verò a frigiditate: & Galeno qui prasinam hanc bilem ob inconcoctionem fieri tradit, respondent. Inconcoctionem, sive malam coctionem apud Galenum, non tam diminutam concoctionem significare, quantum excessivam: ita ut si plus quàm par est, pro sui symmetria & temperamento humor coquatur, incoctus quoque dicatur, sive quoquo modo crudus. Iis enim suas tuentur partes, ij potissimùm qui Galenum lingua sua Græca legunt. At nos Galenum ancipitem, vel subobscuré loquentem in hoc quęsito invenientes, sedulò illius certitudinem desideravimus: quapropter in usu medico apprime vigilantes fuimus, num porracea bilis a caliditate tantùm gignebatur, vel potius præter caliditatem a frigiditate ortum aliquando trahebat: demum quum rei evidentiam habeamus, placuit in præsenti paucis eam enucleare, ne quis deinceps anceps dubiusve sit, ac id magis ne a testibus contra testes, hoc est, ab authoritatibus contra authoritates lis pendeat: quo malo nullum majus inveniri, aut excogitari potest, quum non nisi de salutis humanę discrimine agatur: calidum pro frigido, aut frigidum pro calido curantes. Proinde ad rem accedentes, dicamus, quod tametsi porracea & zinaria, sive eruginosa dicta bilis, plerunque ab excedente gignantur caliditate, nihilominus tamen eas a frigiditate aliquando ortum traxisse certum est. Vidimus enim nos plures humores istos evomentes porraceos, præcipuè studiosos homines, qui ob ventriculi frigiditatem, ac concoctricis virtutis imbecillitatem vel ob pomorum comestionem, humores istos aggerabãt, quos postea absque symptomatibus, aut cordis pressuris, animive angustijs, per os reijciebant, quę omnia evenire solent ijs, qui humores istos a caliditate ortos evomunt: quapropter quum a frigiditate humores ij gignuntur, improprie inter bilis genera numerantur: quum potius illius pituitæ nomen conveniat, qui rebus calidis, ac ventriculum roborantibus, ut aromatibus & similibus pelluntur: non verò frigidis (ut

E *multi inepti admodum agunt) si ijs qui tales patiuntur humores, frigida exibemus, pejus habent, & in vitæ discrimen veniunt. Proinde medicos hic monitos velim, ut cùm in ægrotantes porraceis ijs humoribus laborantes inciderint, maximè animadvertant considerentve, an ab excedente caliditate, vel ebibito veneno originem trahant, vel potius ob ventriculi & membrorum circumvicinorum frigiditatem, quod non difficile est discernere, ut ex dictis constat. Nec enim cuiquam difficile apparere debet porraceos istos humores ex frigiditate fieri posse, quum in parietibus, quos sol illustrare non potest, & opacis locis siti sunt, viridis nascatur muscus: item quia Aristoteles viridem* F *calorem ex pluri nigro, & rubro pauciori constare tradit, qui sanè colores ut ab excessiva caliditate fiunt, ita quoque ab extrema frigiditate fieri posse non negat, immo ita esse affirmat Galenus libris Prædictionum: sed potissimùm Commentario primo, enarratione septima, ubi viridem colorem ex frigiditate fieri tradit ad istum modum. Plerique brassicam, & lactucam chloros, id est virides nominant, qui quidem color nigrior est quàm rubidus: est etiam tanquam initium quoddam nigri lividiq; quem frigus perinde quasi nigrum effecit. Hactenus Gal. Qui ut legitis viridem colorem a frigiditate fieri tradit. Nam niger color a luminis paucitate, & frigiditatis multitudine fit, ex cujus multitudine, & rubri paucitate, ut diximus, viridis color conflatur, adeò, ut consequens sit firmare* G *viridem colorem potissimùm a frigiditate originem suam trahere: quanquam certo sciamus, nigrum colorem ab excessivo tam calore, quàm frigore fieri posse, quod & de viridi dicendum esse, non est dubium, quando tamen bilis porracea, vel æruginosa, Zinaria ab Avicenna dicta, a caliditate fiunt, atræ bilis naturam sapiunt, & exustam omnem nativam humiditatem á calore febrili demonstrant, a quibus si intestinorum difficultas incœperit, lethalis proculdubio erit, & eo magis, si febris humores istos comitata fuerit, ut sentit Averroes libro sui Collectorij.*

H

Curatio sexagesima sexta de vulnere quodam inflicto in quinta costa.

PArisius miles Coronelij ense perfossus fuit, per transversum vulnus illi inflictum fuit in pectore, ita ut quintam costam dextram ab spurijs computãdo vulnus

vulnus occupaverit, quod in sinistra quoque ex directo respondebat. Huic cæterùm sanguis illico ex basilica extractus fuit, & sequenti die illi bolum casiæ propinavimus, ac sic in nullũ devenit sympntoma. Nec enim tussivit, aut in febrim incidit, quæ duo signa attestantur, nullum internum viscus præcipuum læsum fuisse. Per utrunque enim vulneris os lineamentum digitalis longitudinis, & crassitudinis cum debitis & necessarijs medicamentis immittebatur. Nam quũ locus nervis admodum interseptus sit, medicamentis illis respectum habentibus uti necessum erat: proinde digestivo dicto medicamento, & crocus & lumbricorum oleum, veluti hippericonis ex abietino compositum miscebatur: fuit autem hic sanitati restitutus intra paucos dies, & a chirurgo Petro Camerini optimè curatus.

Curatio sexagesimaseptima de vulnere quodam inflicto inter umbilicum & os ventriculi.

ARchitectus Pauli III. summi Pontificis, vir qui ob raras ejus dotes ab omnibus in pretio habebatur, quũ apud Anconam ageret, ense perfossus fuit inter umbilicum & os ventriculi transversaliter, hoc est ab uno latere ad aliud, adeò ut ab utroque latere vulneris oscula magna apparerent, per quæ intestina gracilia exierũt, ad quem quum chirurgi accesserunt, intus intestina reduxere, quæ illæsa esse dicebant, quia nullum inde stercus exierat: ac sic cutis vulnera fuerunt, ab utraque parte orificium dimittentes: in singulo quorum linamentum imittebãt. Sequenti verò die obijt, cujus cadaver dissecare fecimus, & stomachi infimam partem incisam conspeximus.

SCHOLIA.

CÆcutiebant hic chirurgi in hoc, quòd dicebant intestina læsa non esse, quia inde A *stercus non exierat, quum si intestina gracilia læsa & incisa fuissent, non inde per ea stercus emitti necessarium esset, quia in intestinis gracilibus stercus nullum reperitur. Sunt enim viæ deductionis chyli, ex quibus meseraicę hiantes venæ ad jecur alimentum trahunt: unde Avicen. in hac re hallucinari, qui stercus formam substantialem in stomacho recipere contendit, certum est, quem quoq; secuti sunt ejus enarratores, præcipuè Iacobus Foroliviensis, ac Alexander Benedictus, veluti ante eos Cornel. Celsus. Cæterùm, occurruit dubium non vulgare in præsenti. An ventris vulnera ex toto debeant sui, vel potius in illis orificium aliquod sit dimittendum. Cui respondet Petrus ab Argelata non in* B *felix chirurgus, quòd ex toto vulnera ventris debeant sui, quia aliter intestina multùm alterarentur: sed dicet fortè aliquis, immo oppositum agendum videtur, quia si non aliquod orificium ibi maneret, sanguis concretus abscessum faceret. Respondet Argelata. Ventris partes esse exangues, & quod pauculum illum sanguinem natura ad emunctoria emittere poterit, & eo magis si à Medico cum medicamentis sanguinem dissolventibus adjuta fuerit, inter quæ coagulum leporis palmam obtinet.*

C

Curatio LXVIII. de quodam patiente stomachi morsus, cum capitis vertigine, &c.

MAnuel Arius vir biliosus ætatis triginta annorum, vigẽte canicula, quæ cum leone oriri solet, appetitum dejectum habebat, cibos fastidiebat, oris amaritudinem sentiebat, & stomachi morsus cum quadam capitis vertigine patiebatur, nõ febricitabat, sed multum à prædictis symptomatibus querebatur: adeò ut lecto decũberet. Ad eum igitur D veniens vomitorium parare proposueram, juxta illud Hipp. Si quis febrem non habens abstineat à cibo, & cordis morsum, seu vertiginem patitur, & oris amaritudinem sentit, purgatione indigere per superiora significat. At quum difficulter vomere mihi exposuisset, ab eo abstinuimus: pharmacum hoc

illi ante prādium per integram horam concedentes, quod habet. R. Syrupi rosati solutivi unc. 4. aquæ endiviæ unc. 2. misce, quo multa & biliosa per inferiora excrevit, & sanus factus est: veluti argentarius juvenis, qui quum ardentissima febre affligi cœpit, simile pharmacū in initio bibit, & intercepta fuit, ac tertio die ex toto sanus.



Curatio sexagesimanona, de tumore aquoso in capitibus puerorum, quàm primum in lucem editis plerunque apparente.

PVer quindecim dies natus, de repente in tumorem magnum in capite tactu mollem lapsus est, quem morbum Græci hydrocephalon appellant, cui occurrentes hoc usi sumus medicamento, quo intra tres dies ex toto inflatio illa evanuit: sic enim medicamētum habet. R. Pulveris absinthij, chamæmeli, meliloti an. unc. 2. butyri recentis, olei chamæmelini an. unc. 4. ceræ parum, & ad ignem fiat unguentum, quo inungatur locus, & eo, ut dixi, intra dies sanitati fuit restitutus. Cæterùm in hoc casu, expertum hoc quoq; habetur, quod habet. R. mellis libram sem. salis, unc. sem. pulveris origani unc. 3. misce, & tepido locus inungatur: si quis verò hujus morbi exactam desiderat curationem, legat Paulum libro sexto suæ medicinę capite tertio, quo nullus melius rem. ut mihi videtur, pertractat.



Curatio septuagesima, in qua proponitur, quàm falsa sint signa in prægnantibus indicantia masculum & fœminam, simulque de dolore ventris enixis superveniente.

VXor Magnifici Ioannis a Triūpho patricij Anconitani uterū ferebat, cui dextra mamilla sinistra tumentior erat, & fœtus lateri dextro plerunque, ut illa referebat, hærebat. Nam & venter in altum prominebat, & ipsa facie bene colorata erat, quæ omnia masculorum (Hipp. teste) portendunt signa, nihilominus tamen illa fœminam peperit, ut hinc judicare sit quàm incerta hæc sint indicia, a multis tamen mordicus pro veris & firmis recepta. Cæterum post partum in alui dolorem incidit, & uberis dextri duritiem cū ingenti dolore, quod ita malè affectum erat, ut ob cōtractam ejus papillam, nec puer, aut puella quinque nata annos sugere, nec lac labijs attrahere poterat: sed cum ijs febricitabat, quam febrim parum faciebamus, quum enixis plerunque eam evenire sciebamus, & eo magis quia victu calido usa erat, ut omnes mulieres parientes Anconæ aluntur, præcipuè columbis, & multo vino, ut omne genus aromatum prætercam. Victus igitur ordine ad frigidū instituto contra ventris dolorē quo maximè vexabatur: sic descripsimus. R. Seminis dauci pisti drach. 1. in vino albo tepidum bibendū offeratur, & nisi hoc juvaret, hoc altero utatur. R. Specierū dia margaritonis ex Avicennę authoritate, aromatici rosati, diacimini, an. scrup. 1. cū saccharo fiant ad ignem rotuli. Cæterùm primo medicamento dolor ex toto levatus fuit ut secundo opus non fuerit. At pro uberis affectione curanda, in qua opus & labor erat, sic orsi sumus. R. Foliorū plantaginis, malvæ, violariæ, radicū alteæ, rosarū chamæmeli, meliloti, fœni Græci seminis lini, an. mani. 1. in lib. duodecim aquæ fiat decoctio sufficiens, in qua postea imbibita spongia, ex alto super mamillā per dimidiā horam destillet: dein verò leniter abstersa, hoc illinebatur unguento, quod habet. R. Succi plantaginis malvisci an. unc. 2. olei rosati, amygdalarum dulciū an unc. 1. ceræ albæ parum, misce & ad ignem fiat linimētum. Iis enim præclara hæc domina intra octo dierū spatiū ab affectibus prædictis libera fuit: veluti antea uxor Vlmiani, quæ post partum utranq; mamillam nodis, & grumis affectas habebat.

In ijs verò mulieribus menses optimè fluebant, qua de causa sanguinis extractione opus minimè fuit.

Curatio septuagesimaprima, de puero patiente dysenteriam.

FIliolus Magnifici Ioannis ab Antiquis patritij Anconitani, & Venetorum cõsulis, natus menses triginta, quũ difficultate intestinorum, id est, dysenteria laboraret, ad eũ sum vocatus, quem primo occursu macilentum, ac exanguẽ ingenti febri oppressum comperio. Decimus enim agebatur dies, ab eo quo primùm torminibus ijs corripi cœperat: in quibus multa egesserat, non nisi biliosa, viridia, varia & fœtida & ut tũc conjeci, subcruenta. Postpositis igitur medicamentis, ac medicinarum sylva, qua usi erant seniores duo medici, pueri curam habentes, inter quæ cerotum ad scuti formam ex rebus stypticis compositum, non est præterire, quod stomacho applicitum erat: & illico ipse deponere ab stomacho jussi, noscens utique cerota similia, in ijs dysentericis affectibus, hoc est, biliosis, magis obesse, quàm prodesse, magnum enim fervorem plerunq. inducere solẽt. Deposito igitur ceroto, hoc linimentum parare feci, quod habet. ℞. pulveris mastiches, thuris, corallorum, an. scrup. I. misce. Item ℞. olei myrtillorum, cotoneorum, an. unc. I. misce, quibus stomachus illinatur, & pulveres desuper inspergantur. De jecore porrò soliciti fuimus, quum stomachus magis laborabat, & præ debilitate alimentum sanguificare nequibat, quod seniores illi medici parum animadvertebant, proinde nos sic descripsimus. ℞. unguenti santalini unc. I. pulveris corallorum rubeorum, absintij, an. drach. sem. olei absinthij, & cotoneorum an. parum, cum exigua cera alba, ad ignem fiat unguentum, quo jecoris universa regio illinatur. At ijs præhabitis ad victus ordinem accessimus, quo puerulus hic, quàm mul-

A tijugis medicamentis curari debet. Curavimus igitur, ut nutrices asſistẽtes duę cornis lapidosis nutrirentur, non minus cydonijs, prunis sylvestribus, vino nigro austero, aqua calibeata diluto & similibus stypticitatem habentibus: nõ minus pullorum gallinaceorum carnes prædictis rebus incoctas esitarent, atque inde lac puerulo darent, quum in eo lacte à Galeno tantopere in hoc morbo optato, omnia ad curationem facientia reperiuntur. Quum ergo puer lac sugere cœpit, secessus minuti sunt, & ille melius habere cœpit, ita ut intra sex dies sanus evaserit.

B

Curatio LXXII. de dolore ventriculi cum febre & anxietatibus.

VXor Comitis quadragenaria, jam olim morbo Gallico infecta, gravissimo dolore circa os ventriculi premebatur, febricitabat, anxiabatur, non quiescebat: adeo ut ipsam morituram C omnes prædicerent. A vomitorio verò propinato multam evomuit prasinam bilem: nonnunquam verò, quum nimia cruciabatur siti, & gelidam ad satietatẽ usque concedebamus, qua quoq; bilem illam variam rejiciebat. Facta quoque sanguinis extractione, ac posteà agarico noviter in pasta præparato, sæpe exhibito varia subnigra & multa egessit, & sanitati fuit restituta. Fuerunt autem omnes dies quadraginta.

D *Curatio septuagesimatertia, de ingenti ventriculi dolore.*

VEnerabilis Abbas, quum gravissimo vẽtriculi dolore infestaretur, ut alta voce exclamaret, post multa adhibita remedia, vomitorium ex elleboro illi propinavimus, quo alba quædam ovorum albo similia evomuit, & sanus illico

illico factus fuit: veluti nobilis quidam Neapolitanus, qui quum simili dolore premeretur, post ebibitam integram libram aquæ florum aranciorum tepidã, similia evomuit & sanus factus fuit.

Curatio septuagesimaquarta, de ulcere fauces depascente.

Filius Gasparis Pisaurensis, undecim natus annos, temperatura melancholicus, & macilentus, ulcus fauces depascens patiebatur: pro quo curando accersita fuit muliercula, ex ijs, quæ nihil præter unum horum inculcare norunt, aut ægrotantem columellam descensam habere, vel cartilaginem ventriculi, pomũ granatum dictum deorsum delatum esse, aut coccigem extra proprium locum situari, quæ quum puerum sic laborantem videret, gurgulionem, sive columellam malè affectam esse dixit, pro qua restituenda unguibus eam disrumpit: tandem putrefacta in totum deperdita fuit, quæ, ut nostis, tanquam vocis plectrum est, cujus commoda tam multa à Gal. libro undecimo de usu partium describũtur, ob cujus amputationẽ puer subobscurè, ac per nares loqui cœpit, ut vix ab alijs intelligeretur. Rem igitur considerans, ulcus, ut dixi, admodum sordidum intra fauces latitans deprehendo, quod originem a continua humoris melancholici destillatione traxerat: immo ex ijs esse, quæ Gallicana ulcera sapiũt, certior factus sum, quum ejus pater eo laboraverit morbo. Comitabatur autem ulcus hoc febricula lenis quædam continua, quam non longè ab hectica abesse suspicabar, tametsi in nocte valentibus affligebat, ob id fortè, quia quum multũ puris interdiu spuebat, in nocte pure ipso obcluso ac incarcerato, ejus fumi aucti cor petebant, unde febris intendebatur. Optimo igitur in primis victus ordine instituto, manè scilicet pullorum carne, vesperi verò panatella, ac in potu vino exiguo & illo quidẽ paucifero dicto, sequens illi dedimus pharmacum, quod ita habet. R. Syrupi rosati solutivi, decoctionis senæ, an. unc. 3. misce, & jejuno stomacho calidum offeratur, quo facillimè absq; anxietate, aut stomachi dolore multa biliosa sublivida, & mucosa purgavit. Sequenti verò die ulcus aqua forti, qua argentarij utũtur tactum fuit, præsertim circa ea loca, ubi putredo maximè vigebat: quæ mea sententia, multum attulit juvamenti, & ea postea interpolatim, quum opus erat, usi sumus: sed post ebibitum pharmacum, sequentibus diebus hoc utebatur syrupo. R. Syrupi de fumo terræ, de boragine, de pomis an. unc. sem. decoctionis senæ uncias tres, misce, fiat syrupus, quem continuet: iterato itaque prædicto pharmaco, & syrupis, prout necessitas urgebat, gargarismum istum descripsimus, quo sæpe uteretur, & ita habet. R. Rosarum siccarum, summitatum myrtillorum, sumachiorum, balaustiorum, an. m. 1. in libris sex vini rubri styptici fiat decoctio sufficiens, facta decoctione & colatura, adde succi plantaginis libram mediam, unguenti Ægyptiaci unciam j. misce, hoc verò gargarismo, quum primùm usus fuit, eum per nares remittebat, veluti & potum. At quum in dies aliquot in ipsius assumptione persevera ret, ulcus mundius factum est, nec liquor aliquis ore sumptus, quem deglutire conabatur, jã ad nares revertebatur, immo pus per sputum rejectum paucum est factum, & illud quidem album: quibus de causis tunc ab Ægyptiaco abstinuimus, & illius vice alumen plumæ a Dioscoride scissile dictũ, gargarismo indidimus, cum myrrhę & mastiches portiuncula quadam: sed exterius è regione ulceris, locus unguẽto stypticitatem & siccitatẽ præ se ferente, Galeni consilio lib. 5. Methodi medendi, c. 12. illinebatur. Iis enim & cucurbitulis spatulis affixis: veluti nõnullis frictionibus, ac retractionibus, & ligaturis, & errhinis adhibitis medicamentis intra mensem materiam ad nares, quæ in fauces destillare ex capite solebat, derivata est, & febris omnino expulsa, tãdẽ materia pauciori facta, ulc⁹ ad cicatri-

cicatricem ex toto pervenit:;& puer ab orci faucibus liber evasit. Vnum tamen mente exciderat, quòd interea dũ febris viguit, universum ejus corpus unguento ex lactè dicto inungi fecimus, non minusque quod ab esu sorba, mespila, & pira, veluti stypticos fructus, concedebamus: sed ecce, interposito mense, ulcus ex se recidivavit, pro quo omnino resecando, ad guaiaci decoctum confugimus, quod per triginta dies ebibit, & bene habuit.

Curatio LXXV. de ulceribus Telephis & Chironijs dictis, spurias costas occupantibus.

VIncentius Virgilius monachus ordinis sancti Augustini apud Anconitanos Prior dignissimus, & Polydori Virgilij Vrbinatis viri hac nostra ætate, ut ejus attestantur monumenta, doctissimi consanguineus, ulceribus malignis circa costam mendosam ad spinam versus scatebat, & illis quidem ex ijs quę Telephia, aut Chironia dicuntur, ad quē quum primum Anconam veni sum vocatus, & eum quinquagenarium conspicio hilarem, sanguineum, hirsutum, optimi profectò habitus, conspectis igitur ulceribus, ea esse diximus, quæ supra annotavimus: unde enim ortum traxerint, quum inquiro, ignorare respondet: nec ultra eundem erat, præsertim quia cum viro religioso agebamus, antiqua esse ulcera fatebatur, contra quæ jam olim decoctum ligni guaiaci per triginta dies ebiberat, & bene habuerat, ac ulcera quodammodo sanitati restituta fuerant: sed postea temporis discursu repullularunt. At causis procatharcticis extrinsecis, sive primitivis dictis posthabitis, quę parum ad morbi curationem faciunt, hominem tractare cæpimus ordine sequenti: primo optime victus ordine instituto. ℞. Syrupi de fumo terræ unc. j. boraginis unc. sem. decoctionis senæ, in qua maduerunt flores fumi terræ unc. 4. misce. Istum verò syrupum manè jejuno stomacho bibebat, & in nocte tribus a cœna horis, in cujus ebibitione per sex perseveravit dies: in quibus quoque, quum præsens esset chirurgus, nobis cura fuit antrosa illa & cavernosa ulcera ad benignitatem reducere, pro qua complenda operatione primò pulveres ex præcipitato, quod ex argento vivo, & aqua forti argentariorum ad ignem concinnatur, ulceribus illis indere jussi, ut tandem corrosa putrilagine, latiora & patentiora fierent: postea verò ad unguentum Ægyptiacum & Apostolicum devenimus: simulq; ad digestivũ dictum, & mundificans medicamẽtum. At exterius in splenijs unguentum de plumbo & minio actutia admouebatur: quibus antrosa illa, ac maligna ulcera, ad cicatricem pervenerũt, nec amplius recidivârunt: quia post tertiam & quartam adhibitā cum cataporijs purgationem, ex nitro dictis Alexandri, & fœtidis, ac de fumo terræ, ad decoctum guaiaci pervenimus, quo per quinquaginta dies integros in potu usus fuit. Non abs re tamē fuerit hic describere ordinem, quo usi sumus, in hoc præbendo decocto, qui talis habetur. Rec. Scobis ligni guaiaci multum nigri & unctuosi habētis, lima parati uncias octo, corticum resinosorũ uncias quatuor, præstant enim cortices hujus ligni resinam multam habentes in hoc morbo, quia multis modis exsiccant, cum caliditate, tum siccitate sua, & imbibitione, quibus qualitatibus sudorem possunt provocare, tum & subtiliare, & liquare materias, & abstergere: ac quia resinosi sunt, putrefactioni & contagioni quoq; obsistere possunt, unde mirari satis non possum Hieronymi Fracastórij Veronensis viri omnium votis doctissimi opinionem, quũ cortices ligni hujus guaiaci ab opere medico eliminat, ut apud ipsum est legere libro tertio de Curatione morborum cōtagiosorum, capite 10. Receptui igitur canentes, dicamus, quòd scobs, sive pulvis ligni & corticum, eo pondere, ut diximus in libris quindecim aquæ infunditur per horas vigintiquatuor in

olla librarum sexdecim capaci: dein lento igne coquitur, collecta diligenter spuma, & servata ad ulcerum lavationem, donec ad libras sex perveniat: tunc facta colatura, ijs sex libris decoctionis, in ollula vitreata eas recipiente, adde follicu lorum senæ unciam unam, & ad ignem quum parum calfierit, optimè cooperta dimittatur, quousque frigefiat, & a sena percoletur, quod primarium decoctum dicitur, cujus in aurora pondus septẽ vel octo unciarum bibebat: & bene lectulo coopertus & calidus, in sudorem veniebat, quem per tres ferè horas ferebat. Cæterùm post abstersionẽ sudoris interpositis una vel altera hora unciæ quatuor biscocti panis pro prandio absq. absonio aliquo exhibebãtur: interpositis verò horis quinq; a prandio totidem unciæ biscocti pro cœna offerebantur: rursus a cœna quatuor horis, prædicti decocti uncias sex bibebat, & optime ferebat, & copiosissimè sudabat, porrò secundarium decoctum, quo aquæ vel vini vice utebatur, ita parabatur: relictis autẽ scobibus, pulveris ligni novi uncias quatuor addebamus, quibus totidem aquæ libras injiciebamus, quas ad tertiæ consumptionẽ decoquere permittebamus. Cæterùm, primum decoctum, sic sena confectum, primisquindecim diebus illi obtulimus. Sequenti verò tempore absq. illo id ebibit, sed unum hic præterire nõ est opus, quòd singulis decẽ diebus ægrotus hic, ex drachma catapotiorum nitri Alexandri purgabatur: quo ordine intra quinquaginta dies sanitati integrè fuit restitutus, in quibus mirũ dixerim, solo biscocti pondere dicto, absque obsonio aliquo, cum prædicto secundario decocto in victu contentus fuit.

Curatio LXXVI. de abscessu in capite apparente, quẽ Græci atheroma, recentiores veram talpam appellant.

HVjus prædicti cœnobij Nicolaus monachus ædituus, temperatura

E atrabiliarius, ætate quadragintaocto annorũ, ulceribus in collo fœdabatur, nec minus abscessum in capite patiebatur, quem quum primum viderem, talpam esse deprehendi, & eum inter atheromata Græcis nominata adnumeravi. Protinus igitur chirurgo accersito, abscessum duobus magnis vulneribus in crucem adhibitis secare jussi, ex quo sanies alba in pauca quantitate exivit: tũc verò chirurgo consului, ut membranam calvariam tegentem pericraniam dictã, quo ad fieri posset, a calvaria, sive cranio separaret, tametsi corrosam nonnullis in locis cum ipso cranio prædixeram, id

F quod secunda curatione visum est. Erat enim calvaria multis & crebris foraminibus perforata corrosave, quæ non tantum prima in lamina, sed secunda quoque conspiciebatur. Scalpello igitur os ad duram usq. meningem perforare jussi: tãdem curatione ut expedit adhibita, ossa exempta sunt, & ille ex toto intra quinque menses sanitati fuit restitutus; in medio tamen curationis, corpore rectè purgato, & optima victus ratione instituta, ad linimentum sudorem evocãs, eum traxi, quod ita habet. R. Thuris, mastiches, myrrhæ, cinnamomi, zinziberis, piperis longi, sandarachæ Græcorũ,

G minij. ana drach. ij. radicis pyretri, floris salis, nitri antiquorum ana unc. sem. cineris tamarisci unc. ij. butyri recentis unc. sex, pinguedinis porcinæ librã unã, argenti vivi extincti cum succo limonis unc. iij. misce, & in mortario, omnibus bene pistis, fiat unguentum, quod vires habet tum exsiccandi & abstergendi, tũ subtiliandi, & confortandi: quo semel in die jejuno stomacho, ejus juncturæ ac

H corpus, dempto capite, pectore & alis, ac ventre illinebantur, fuit enim hic sexies illitus, & multa pituitosa, & mucosa per os emisit, in quo ulcera (ut ijs plerunque eveniunt qui inunguntur) floruêre, sed lavacro seu gargarismo ex rebus stypticis confecto, ut rosis rubris, balaustio, malicorio, myrto, sumachio, summitatibus lentisci, folijs olivæ, galla, mastiche, thure, alumine, & similibus sana facta sunt, & ipse, ut dixi, ab orci faucibus liber.

Curatio

Curatio septuagesima septima de simplici tertiana cum nonnullis symptomatibus.

FLos vitæ mulier Anconitana, quę ad portā Pisaurū respicientem habitat, simplici tertiana affligi cœpit, quæ quū primùm paroxysmus illam invadebat, dolores & circa os ventriculi rosiones incurrebat. Vomitorio igitur propinato medicamento bilem evomebat: postea verò epoto vino granatorum bene habebat. Cæterùm, quum febris intendebatur, ea in sitim maximam veniebat: contra quam, quandoq; gelidam in multa quantitate concedebamus: quandoq; verò potum istum describebam, R. Aquæ endiviæ lib. j. iulep violacei unc. j. vini granatorum vnc. j. sem. misce, quo maximè delectabatur, sed interdum semine psilij, subtili panno inclusò, & ligno subtili alligato, atque in aqua macerato os lavabat. Nam potum supra descriptum, maxime laudare est: quia Galenus & Græci alij medici suas concoctrices potiones vigente paroxysmo concedebant: loco quarum nos syrupos in aurora, & sero aliquando damus, veluti in hoc morbo, sequenti ordine, R. Syrupi endiviæ, violacei, oxysacchar. s. an. unc. sem. aquarum endiviæ, acetosæ an. unc. ij. misce, fiat syrupus, quem per quatuor ebibit dies, apparente tandem concoctione, hoc obtulimus pharmacum, R. Rhabarbari boni in pulverem redacti, & infusi per noctem in uncijs sex aquæ endiviæ drachm. ij. cinnamomi scrup. j. misce. Facta tandem expressione, & colatura, adde pulpæ cassiæ, noviter extractæ, drachmas sex, trochiscorum de violis sine scammonea drach. ij. misce, & fiat potus unus, quo optime egessit & bene sensit, adeo ut paucis postea remedijs integræ sanitati fuerit restituta.

A SCHOLIA.

MEMORIAE commendavit Hippocrates lib. 2. de Morbis, quod tertiana laboranti ante quartum paroxysmum, pharmacum dandum non est, sub ijs verbis. *Si tertiana febris tenuerit, si quidem non omissis tribus invasionibus, quarta corripiat; pharmacū deorsum purgans bibendum dato, &c.* quibus postea idem libro de Affectionib. subscripsit, inquiēs, *Tertiana febris quum apprehenderit, si quidē videbitur tibi non purgatus esse, pharmacum dato: si vero pharmaco non videbitur opus habere, medicamenta in potus exhibeto, quibus febris aut transmutetur, aut deficiat. Exhibeto autem velut scriptum est in medicamentis, & in apprehensione quidem sorbitione & potū nutrito: interposito vero tempore, cibis per alvum secedentibus.* Hæc Hippocrates. Nos vero hodie nacti benigna & lenia medicamenta, illico in principio tertianæ medicamentum purgans dare possumus, non obliti tamen quod tertiana febris, ut tradit Galenus libro Artis curativæ ad Glauconem potius alterantibus, quā purgantibus medicamentis curari debet: alterantibus inquam tam intus, quam foris adhibitis remediis.

B

C

Curatio septuagesima octava de tertiana continua.

IVVENIS natus annos octo supra decem, tertiana continua laborabat, cui primo secta fuit vena, & a sanguinis extractione syrupum istum propinavimus, R. Syrupi rosacei, violacei, an. dra. 6. aquarum lactucæ, nenupharis, an. un. 3. misce, & singulis diebus singulos syrupos in aurora ad quatuor usq. bibat. At quod alvus obediens esset soliciti eramus, & interdiu ad extinguendam sitim aliquid sumeret, concessimus, ut lactucam sacchar conditam, vel cucurbitam, aut cucumerem, vel pruna, & ijs similes fructus, qui saccharo incrustari solent. Iis enim prius degustatis, hordeaceam aquam superbibebat: cui parum vini granatorum, vel ribes aliquando addebat, & interdum potum istum accipiebat, quod habet, R. Aquarum cichoreæ, endiviæ, borraginis, acetosæ, vini grana-

D

granatorum unc.ij.misce. Cæterum, à E prædicta sanguinis missione æger melius habuit, quia capitis dolor, quo maxime premebatur remissus fuit, veluti & febris ipsa. At vesperi febris & solitus capitis dolor increbuêre, pro quib. oxyrhodinum sequens parare iubeo, R. Aquarum rosarum unc.4.nenupharis unc.2.aceti rosâti unc.1. & sem. olei rosacei ompha. unc. 2.pulveris santalorum omnium drach.sem.misce, & lineo in eo intincto panno sincipiti, temporibus, & brachialibus applicetur: modo tamen sæpe innovetur, ne caliditate acquisita, magis noceat, quam iuvet. F Item clysterem istum immitendum suasimus, quem refrigerans appellamus, & ita habet, R. Aquæ decoctionis hordei unc.15. olei violacei unc.3. ovi albi & lutei optime conquassati, num.j.sacchari parum, misce, & parum tepidum mittatur. Actu enim frigidum illico excerni solet, quo ter fluida & biliosa excrevit, quarto vero & quinto die, eo dicto ordine gubernato, pari die pharmacum sequens propinavimus, Rec. Pulpæ cassiæ noviter extractæ drac.5.diacatholiconis unc.sem.rhabarbari boni drach. j.diaphiniconis drac.j.& sem.syrupi ro G sacei solutivi unc.ij.decoctionis florum & fructuum cordialium unc. 4. misce, fiat haustus unus, & in aurora detur, ac desuper per horam dormiat: quo optime egessit, & febris remissa fuit: utcunque tamen de capitis dolore querebatur, contra quem cucurbitulas scapulis cum scarificatione adfigendas mandabam: sed quum eas omnino timeret, cephalicam brachii octavo die incidere iussi, sanguinemque ad unc. quinque fluere. Qua evacuatione capitis dolore in totum levatus fuit, & æger in copiosissimum sudorem universum corpus H occupantem incidit, a quo & febris penitus extirpata fuit, & ille sanitati restitutus.

SCHOLIA.

HIC lectorem monere decet, quod tertiana continua eadem fere cum causone, id est, ardenti febre est: sunt tamen in hac tertiana cõtinua non ita seva, ut in causone symptomata, quia bilis intra vaso longius a corde, quam in causone putrescit: quæ tamẽ causonis notę sunt, sunt & tertianæ continuæ: quo fit, ut multi hodie de utrisq. sub eodem capite agant: quæ quũ causoni debentur, huic quoque simul prosint: modo illi frigidiora, huic vero minus frigida offerantur. Cęterum, quia ægrotus iste octavo die in crisim venit, dubitaret aliquis, num morbus redierit, cui respondemus. Quod non, quia medicamentis adhibitis, & sanguine extracto crisis facta fuit. Nam si illa non præcesserant, & crisis octavo fieret, proculdubio verendum de recidiva, ut de Sexto Antonini Imp. filio Gal. prędixit, qui 6. die in crisim deveniens & liber morbo factus, postea 14. in eundem rediit: sed 17. liber ex tota evasit, ut cap. 10. libro de Pracognit. apud ipsum Galenum legitur.

Curatio septuagesimanona de capillorum defluvio.

COMITISSA illustris, ob capitis superexcedentem caliditatem, capillorum decidentiã patiebatur. Nullum enim morbum habebat, nec corrodentem humorem, à quo credere par esset capillos decidi, petit remedium illi demus, quo capilli retineantur, & simul regenerentur, cui liberaliter obtẽperans sic ordior, Rec. capillorum Veneris, politrici, rosarum siccarũ, summitatum myrti, summitatum lentisci, aã. m.ij.radicum cannarum un.semis, hippocampi pisciculi num.vii.in libris xii. aquæ fiat decoctio lenis. Facta colatura & expresione, adde olei lentiscini lib. i.ladani puri unc.ii.misce, fiat lavacrũ, quo capilli bis in die laventur, modo pilorum radices decoctum attingat. Iis enim per viginti dies usa est, & libera à tali fœditate fuit.

SCHOLIA.

SCIRE decet, quod hippocampus pisciculus marinus est, huic flexuoso Anconitano mari satis familiaris, qui hippocampus dicitur

ἀπὸ τοῦ ἵππου καὶ κάμπω, id est, ab equo & flecto; quasi flexuosus equus, merito enim flexuosus equus pisciculus iste dicitur, quum caput equinum habeat, & caudam omnino flexuosam, ut latius in nostro dicimus Dioscoride, ubi Matthiolum Senensem hallucinatum circa hujus pisciculi descriptionem aperte indicavimus.

Curatio octuagesima de præsagio in duplici tertiana.

ROBERTUS miles magnificus & strenuus quum duplici affligeretur tertiana, ac pro eius salute recuperanda, quatuor accersiti essent medici, tertia accessione lotium melius apparuit, & in eo pendens nebula alba, & æqualis erat. Tandem quidam eorum medicorum adsistentium septimum paroxysmum morbum nõ excessurum prædixit, imo quod intra quatuordecim dies æger sanitati, restitueretur, affirmavit. Quod falsum esse experientia ipsa postea indicavit. Solet enim duplici tertiana, una altera valentior esse, unde una altera prius deponitur, ut in hoc contigit milite. Non igitur medicus hic bonus sic temere prædicere debuerat, quum quæ alteri tantum tertianæ conveniebant, ambabus tribuit, fuit quippe ante septimum paroxysmum, altera tertianarum expulsa, reliqua ad aliquot dies perseverante.

Curatio octuagesimaprima de dolore coxendico.

ZEPHYRVS vir nobilis & fidelis, & cui ob summas, quas habet dotes, Paulus III. summus Pont. Anconam civitatem commendaverat, illum arcis præfectum, quem Castellanum vulgo dicimus, constituendo. Is enim frater est, ætate senior Sylvij Zephyri

A medici docti, & apud summum Pont. in maximo habiti honore, qui ętatis suę anno 50. robustus, fortis, stomacho, si quis alter calidus, ita ut cum mel, vel recentes ficus degustasset, illico, in stomachi rosiones, oris amaritudinem, & intestinorum cruciatus incurrebat: duplici tertiana per quinque longos menses correptus fuit, in quo tempore, aut medicorum negligentia, qui diuretica medicamenta potentia (ut ille existimat) illi propinarunt, aut materierum multitudine, & malignitate in urinæ omnimodam suppressionem, quam Græci

B ischuriam vocat, incidit: adeo ut ipsum medici deploratum relinqueret, & summus Pont. alterum illius vice arci præfecerat: utcunque tamen evasit, non sine tamen noxa relicta: ischiadicum enim dolorem incurrit, pro quo levando dolore, ut mihi relatum fuit, illius curam habentes medici, omni usi sunt diligentia: rebus calidissimis tum intus, tum foris utentes. Nam catapotia ab hermodactylis maiora dicta, pluries illi dederunt: quibus ad internecionem, & animi usq; deliquium egerebat: sed quum

C iis melius habere debuerat, tantum abfuit ut bene habuerit, ut potius in omnimodã motus amissionem cruris pervenerit, dextri præcipue, quod dolor coxedicus iste vexabat adeo, ut quum primum illuc devenerim, quatuor opus fuerit hominibus, ut illum in cubili decumbentem moverent, ut saltem affectum locum & ipsius colorem animadverterem. Nam tunc maximos incurrebat dolores inguini respondentes, in quo fixi semper erant. Ischiadicum igitur morbum istum exacte perpendes, ob medicamentorum acredinem ac ingentem caliditatem & siccitatem cum

D pauca materia evenisse venor. Proinde victus ordine ad frigidum declinante constituto, & vino illi interdicto, locũ dolore affectum sequenti oleo inungi feci R. Olei ros. unc. 4. chamæm. unc. ij. misc. & bis in die illinatur. Syrupum quoque istum in aurora ebiberet mandavimus, qui habet, R. syrupi de endivia simpl. un. j. & semis. Aquæ hordea-

ceæ

ceæ unc.iiij. misce, & in aurora bibat, ac ante cœnam per horam iteret, quatuor porro elapsis à cœna horis clysterem istum recipiat, R. Radicum malva visci m.j. seminis lini, fœni Græci, hordei, an. pug. j. in aqua fiat decoctio ad libram j. & sem. facta decoctione & colatura, adde olei violacei unc. iij. vitelli ovi num. iij. mellis violacei unc. ij. misce, & quantum potuerit retineat. His enim, ut decet, iteratis, melius habere cœpit, tandem quum quarto die ad eũ divertissem, quatuor illius milites mihi obviam veniunt magna affecti lætitia, quod illorum herum intra tres dies sanitati restituerant. Ad eum igitur accedens, optimè crus movere & à doloribus immunem esse, non sine gaudio dixit: tribus vero alijs interpositis diebus è lecto surrexit, & deambulare cœpit: sed prope inguem retractionẽ quandam sentiebant, pro qua removenda cucurbitulas cum scarificatione particulæ læsæ admovere decreveram, sed quũ sequenti die melius sensisse dixerit, supersedimus, omni vacantes remedio.

SCHOLIA.

Si quis rectè curare desiderat, ægrotantis primo temperaturam dignoscat, necesse est: deinde morbum ipsum, ac cætera ad hæc facientia, quæ paucis carminibus in frontispicio hujus operis comprehendimus. Cæterum, Avicenna in hoc & similibus articolorum doloribus inbet, ut ægro interdicatur vino usquequo ad sanitatem integram perveniat, modo id paulatim fiat. Quæ verba, mea sententia, in ijs morbis à bile & caliditate dependentiam habentibus intelligi debent: secus autem à frigido & crasso, quanquam ab utroque humore plerunque similes oriri morbos, Hippocrates memoriæ commendavit, quem postea cæteri secuti sunt.

Curatio LXXXII. de quibusdam symptomatibus oris, post rutæ comestionem.

IVVENIS nata annos decem & octo, futura monacha apud lignipedes An-E cõitanas, temperatura sanguinea & biliosa: quum post prandium rutæ summitates degustaret, illico in has incidit affectiones, scilicet instrumẽtorum sensuum detentionem, præcordiorum erosiones, membrorum cum animi quodã deliquio tremores, & ita valide, ut assistentes omnes eam iam deploratam haberent: ex quibus nonnulli asserebãt inter folia rutæ venenosum aliquem vermen latitasse, quem quoque decluti verat. Nam aliter unde affectiones istæ ortum trahere poterant ignorare dicebant, & eo magis quia nunquam antea F similes passa fuerat. Ego vero non omnino illorum opinionem floccifaciens, vomitorium medicamentum ex syrupo acetoso & seminis rapæ decocto paratum, utcunq. revocarem offerre iussi, quo parum vomuit: & ad oleum confugimus, & minus vomuit. Rem igitur sic difficilem considerans, memoriæ revoco apud Dioscoridem legisse rutam sylvestrem, quæ ad Macedoniam nascitur, ob ferarum multitudinem venenosam esse, qua de re cibis interdicatur monet: unde quoque fieri posse argumentum sumo, rutam illam, quam iuvenis hæc comederat, fera aliqua infectam fuisse, unde totis viribus conati G sumus eam ad vomitum evocare: sed quum id frustra tentatum esset, & illa de cordis dolore maximè quæreretur, venam internam brachij, Hippocratis consilio, lib. 5. de Morbis vulgaribus prope finem, secare feci, sanguinesq. uncias quinque fluere. Quo deposito, cordis & præcordiorum vellicatio illico remissa fuit, & sequenti die sana facta est. Cçterum hujus victus res iurulentæ & alvũ lubricantes fuere. H



Curatio LXXXIII. de morbo regio ictero dicto, ob crurũ ulcera quædam occlusa eveniente.

VIR, qui ab omnibus pallidus appellabatur, natus annos quinque supra

supra triginta, ulcera antiqua in cruribus habebat, ex quibus achores citrini plerunque fluebant, contra quæ multis adhibitis remedijs ex toto levata sunt, & crura sanitati restituta. Fuit autem inter cætera topica medicamenta, hoc sequens spadrapum primatum obtinēs, quo ulcera sanitati sunt restituta, & ita habet, R. Olei rosac. lib. j. auripigmēti, lithargyri an. unciam unam & semis, cerusæ uncias duas, picis nigræ, ceræ an. unciam j. misce, & ad lentum ignem leniter cum virga agitetur quousque ad spissitudinem sufficientem ducatur, & in eo postea pannus canabaceus imbibatur, & mar more ad planiciem redigatur, & crurib. post universales factas evacuationes admoveatur. Cæterum, post sanata ulcera, paucis interpositis mensibus, morbus icteros, id est, bilis flavæ per universum corpus effusio hunc corripuit, & ita illum fœdavit, ut omnes illum croceum, vel pallidum nomine appellarent. Nam oculorum album in quo morbus iste primo deprehenditur, non tantum croceum apparebat, quantum universa oculorum substantia, facies, ac totius corporis habitudo. Facile enim dijudicare quis poterit materiam a iecore in crura fluxam, & ulcera illa gignentem, per universi corporis molem distribui, ex qua icteritia orta fuit. Cæterum, hic longo tempore regio isto morbo infectus, ac sæpe curatus, cum apud Constantinopolim mercium exercendarum gratia ageret, in fluxum ventris sanguineum, dysenteriam cruentam dictam, incidit, à qua sublevatus Anconam rediit, ubi in eandem dysenteriam recidit, & illius alvus ita tumuit, ut hydrope affici illum quis diceret. Nam & huius mamillæ ita tuberculosæ & tumentes sunt factæ, ut mulieb res adæquarent. Prostrato igitur iecore, à quo affectiones istæ ortum trahebant, in totumque virtutibus naturalibus deficientibus, & consequenter animalibus, & vitalibus diem suum obiit: opus enim fuerat ulcera in cruribus revocare, quæ vel causticis medicamentis, vel candente ferro innovari poterant, vel saltem fonticulos apertos dimittere, per quos consuetæ fluxioni exitus dari poterat.

A

SCHOLIA.

DICITVR morbus iste icteros, sive icteritia ἀπὸ τοῦ ἰκτῖνος hoc est milvo, quod oculi bile suffusi, milvinis oculis similes videantur: dicitur quoque morbus regius iste, quomā mulso potionis genere in regum delicijs habita curatur, vel quod eo morbo affecti musica & rebus cultioribus, ac regalibus tractandi sunt, non minus quoque Aurigo morbus iste appellatur ab auri colore, quem morbus iste imitatur: veluti arquatus, quia cælestis arcus colorem non nihil refert. Cæterum quum morbus aliquis oritur, ob alterum antiquum occlusum, necessum est antiquum illum denuò revocare, modo minus periculosus sit, & in membro ignobiliori Quod Hippocrates animadvertens sapientissimè sæpe dixit: Si propter hemorrhoides occlusas mania inde orta fuerit, hæmorrhoides fluxas facere remedium est, quod Avicenna quoque non siluit Fen quarta primi libri Canonis. Sed an icteritia à pituita gignatur, veluti ab utraq; bile atra, & flava gigni solet, dubium est: cui nonnulli respondent, quod à pituita icteritia quoque fit, & Galenum in medium ex capite de Atriplice adducunt, ubi eam nominare tradunt. At mea sententia non sine errore, quum Galen. ibidem nunquam nec alibi, quod sciverim, icteritiæ à pituita genitæ meminerit: sic enim vera interpretatio habet, semen extersoriam vim habet: unde ad morbum regium ex iecoris obstructione obortum utile existit: cui lectioni adstipulatur Aetius. Vetus tamen interpres, icteritiam à pituita ortam interpretatus est, non sine tamen errore, quum revera, à pituita ortam icteritiam si sic eam appellare liceret, non aliam esse crediderim quam totius corporis malum habitum, quam Græci καχεξίαν vocant.

B

C

D

Curatio octuagesimaquarta de subluxata vertebra quadam spinæ, et symptomatibus, ac de ossium compositione.

PVELLA nobilis nata annos octo, ex monte Filatrano ad me delata est,

est, cuius caput primo ulceribus manantibus scatebat, quæ Greci ἀχῶρας appellant: postea vero per scalas cecidit, & crus in femore fregit, quod optime reductum, sanum est factum: interposito vero postea anno, ulcera illa capitis ex se sanitati sunt restituta: unde materia illa ulcera solita gignere per spinam dorsi effluens, unam vertebrarum, forte casu elapso debiliorem factam, adeo laxavit, ac emollivit, ut ex suo loco amota secundum partem luxata fuerit, & inde subluxatio appellari mereatur, à Græcis vero pararthrema. Extra enim vertebra elevebatur, ut non nisi flexé & curuè puella incederet: adeo ut inter gibbositatis species affectio hæc ad numeranda sit, de quibus Hippocrat. consulendus est, libro de articulis, & Galen. ac eius enarratores, lib. sexto Aphorismorum, enarratione quadragesimasexta. Cæterum, quia vertebra hęc decima thoracis sive dorsi erat, à qua musculus coxendicis articulum movens propaga

E tur, factum est, ut locus ille, & femur totum contristarentur: ita ut quum puella incederet, claudicaret, præcipue circa levem partem. Has porro affectiones comitabatur febricula quædam lenis, de qua illico à principio soliciti admodum fuimus, quia in hecticam degenerare videbatur, à qua in totum libera, postea ad radicis chinarum decoctū eam traximus, quo per vigintiquinq. dies usa fuit: in fine quorum ulcera capitis renovata sunt, & puella meliuscu-

F le habere cœpit: non eo tamen ut ex toto sana facta evaderet: multis tamen machinamentis, cerotis, emplastris, unguentis, cataplasmatibus, & alijs similibus prius tentatis, usi sumus. At quia hic de vertebris sermo incidit, quę per gynglymon coniungūtur, non ab re esse putarem, si in præsenti figuram, qua ossiū compositio structurave deprehenditur, signavero, quam ex Galeno, exordio libri de ossibus depromp-si, & ita habet.

OSSA COMPONVNTVR.

G

- *Articulus naturalis est ossium compositio per articulum.*
  - *Diarthrosis, id est, dearticulatio ossium est quorum motus evidens est.*
    - *Enarthrosis est, quum excipiens cavum altum admodum est, caput que, quod in id inseritur, oblongum.*
    - *Arthrodia est, qua cavum leniter, & in superficie. & capitulum etiā depressum habet.*
    - *Gynglymos ea est, qua ossa se se invicem ingrediētia coniunguntur, ut vertebræ.*
  - *Synarthrosis, id est, coarticulatio, qua nec validum, nec manifestum, sed obscurum, difficilemq. habet motum.*
    - *Sutura, ad consutarū rerū similitudinē dicta, ut in capitis suturis cōpositio.*
    - *Comphosis dicitur, quum ad instar clavi os ossi infigitur.*
    - *Armonia, qua ossium structura est per simplicē lineam, ut in maxilla superiori conspicitur.*
- *Symphysis naturalis ossium est unio per symphysim.*
  - *Aliorum interventu, ut densiora, sicciora q. ossa.*
    - *Per synsarcosin à carne.*
    - *Per syneurosin a nervo.*
    - *Per synchondrosin à cartilagine.*
  - *Absque medio, ut fungosiora, molliaq. ossa mutuò interse coeunt, coalescuntq.*

H

- *Ex musculis seu chorda, & tendines.*
- *Ex ossibus ligamentales, sive ligamenta.*
- *Ex cerebro & dorsi medulla, voluntarij. & sensibiles.*

Curatio

A

Curatio LXXXV. de oris tortura.

IVvenis natus annos vigintiquinque morbo Gallico olim, sed leviter infectus fuit, à quo curatus in totum sanus est factus: interpositis vero nonnullis annis, oris tortura correptus fuit, quam spasmum, siue convulsionem appellamus, & eam quidem ex repletione, quã febris secuta est. Erat enim tortura, sive convulsio talis, ut ocul⁹ dexter circa angulum communem nares respicientẽ depressus videretur, ex quo sæpe invitè lachrymabat: unde satis cõstabat sinistras partes faciei, à dextris attractionẽ fecisse, quod ita esse, vel ex hoc percipiebatur, quia circa dextram mandibulam versus interiorem partem fovea, sive vacuitas quædam erat, in sinistra vero potius gibbositas elevatiovè: unde dextras faciei partes à sinistris retractas esse nemini dubium est. Huic igitur occurrens venam sylvestrem brachij partem perreptantem, quam cephalicam appellamus, secuimus, & sanguinis uncias quinque fluere permisimus, alvus quoque, ut quotidie responderet, si non sponte, saltem beneficio soliciti fuimus: demum victus regimine subtili constituto ad calidum & siccum declinante, syrupum istum in aurora ebiberet, & vesperi iteraret iussimus, qui ita habet, ℞. Syrupi de betonica un. 1. de stœchade un. s. decoctionis salviæ & stœcadis, an. un. 4. misce: elapsis vero quatuor diebus catapotia de hiera cũ agarico obtulimus, & meliuscule habuit; sed à principio ut locus tortura affectus leniter ad locum suũ redderetur curavimus præcipué frictione ex oleo lilino, irino, rutaceo, costino, lumbricorum & vulpino, quib. quoq. nucha, & universum caput fovebatur. Elapsis tandem octo diebus, febris tertiana illi supervenit, à cujus tribus paroxysmis vexatus illi pharmachum hoc dedimus, ℞. diaphœniconis, electuarij elescoph, an. drach. 2. electuarij rosati Mesue drach. 1. decoctionis senæ unc. 5. misce. Fiat potus, quo optimè egessit, sequenti vero paroxysmo intensissima feb. infestatus à tortura liber evasit, sed in quartanam lapsus est, quam per duos mẽses passus fuit: & nullo alio adhibito remediorum genere, sanitati integræ fuit restitutus.

B

SCHOLIA.

SAEPE admirari licet Hippoc. divinitatem observationemq. qualem in hoc morbo ab eo observari videmus. Diximus enim superveniente quartana hic liber a tortura sive convulsione sanus est factus, quod non siluit libr. 6. de Morbis popul part. 6. ad hunc modum dicens. A quartana correpti, à magno morbo non corripiuntur: si vero corripiantur prius, & succedat quartana, liberantur. Hæc Hippoc. quæ ad torturam sive convulsionem recte referri possunt, quum magnus morbus, id est, epilepsia affinitatem cum convulsione habeat, ut curatione quadam hujus centuriæ affatim diximus.

Curatio octuagesima sexta, de splenis duritie tensione ve.

C

QVI ex monte Securo ad me venit nomine Bartholus, splenem admodum durum, magnumve portabat: tentatis tandem multis & varijs remedijs hoc unguento sanus est factus, quod ita habet, ℞. Olei communis libr. 3. medullæ crutium bovis libr. 1. butyri recentis lib. sem. succi bryoniæ, succi cyclaminis, an. libr. 1. Bulliant ad lentum ignem, usque fere ad consumptionem succi, & coletur, & colaturæ adde ceræ citrinæ unc. octo, & postea adde pulveris asplenij, id est, ceterach, corticum capparũ, thamarisci, seminis agni casti an. unc. 3. misce, fiat unguentum. Cæterum est unguentum hoc mirabile, quo omnes doctissimi Ferrarienses usi sunt. Inter quos numerare est Savanarolã. Vgonem de Senis, qui apud Ferrarienses obiit, Leonicenũ, Bonaciolum, Manardum, Brasavolum, & omnes hodie ibi Medicinam exercentes, cũ quibus per

D

septennium eo sæpe usi sumus. Cui addimus Græc. myrobalanum, glandem unguentariam Latini vocant, Arabes Ben semilib. pondere, non minus sagapenum, ammoniacum, bdelium, opoponacum, & alias gummas, prout res ipsa postulat.

Curatio LXXXVII. de angina.

MVLIER Græca, quæ ad portum habitabat, angina laborabat, cui illico sinistri brachij cefalica vena secta fuit. Nam dextri non apparuit, ex qua multo effluxo sanguine statim bene valere se dixit: ut cumque tamen ad sectionem venarum, quæ sub lingua sunt, tertio die pervenimus, & melius se habere dixit. Cæterũ, primo gargarismo isto usa est, qui ita habet, R. rob mororũ unc. 1. & sem. syrupi acetosi s. unc. 1. aquarũ capitum rosarũ, plantaginis, ã. unc. 4. misce, fiat gargarismus: ut verò exterius admoveretur, sic prescriptũ fuit, R. olei rosacei un. 2. chamomelini un. 1. misce, & cũ lana succida excipiatur, & loco admoveatur: sed & postea hoc altero gargarismo usa fuit, qui habet: R. rob mororum unc. 1. myrrhæ, croci, nitri, sulphuris, an. scrup. 1. aquarum hyssopi, origani an drach. 4. misce, fiat gargarismus, quo universa clausa fuit curatio.

Curatio LXXXVIII. de duplici tertiana, ac venarum sectione.

PAulus Ferretus patritius Anconitanus, vir paudens, benignus, gravis, obesus, temperatura sanguineus, ætatis suæ anno tertio supra quadragesimum, duplici tertiana correptus fuit, pro quo

E curando duo alij seniores medici accersiti sunt: tandem omnibus rebus ad curationem facientibus optime dispositis, quum inter nos conventum esset de sanguinis missione, per venæ sectionem, accersitus fuit chirurgus, qui optimè basilicam dextri brachij tutudit, sed sanguis minimè fluxit: at quum sanguis nõ flueret, nec altera in ea curvatura apparuisset vena, ex altera lateris sinistri basilica sanguinem extraheremus consulebam, & predicti medici satius esse venam inter digitum anularem, & minimum iacentem secare, quàm sinistri

F brachij basilicam contra me contendebant: quia venula illa iecur magis respiciebat, & quod ita à præceptoribus suis acceperant clamabant: prævaluêre tandem contra me duo illi, quia (ut in proverbio est) Nec Hercules quidem contra duos: ægrè tamen ferens ipse, quum sciam in morbo universum corpus occupante, perinde esse venam basilicam dextri brachij, ac sinistri secare, quum æquè à vena puteali, cava dicta, hauri-

G ant, & eo magis, quia nec iecur, nec viscus aliquod particulare imbecille, aut malè affectum erat: cuius causa à ramulo illo potius quàm à trunco, sanguinẽ evacuare debebamus. Item, quia nec nostra erat intentio retractione aliqua uti, in qua villorum, aut fibrarum servari rectitudo solet: utcunque tamen sanguis demeretur, ipsum ægrotum intra paucos dies à morbo liberum fore, coram omnibus assistentibus prædixi, quod ita evenisse, omnes postea non sine artis decore, viderunt.

H

Curatio LXXXVIIII. de parotidibus, id est, abscessibus in adenis iuxta aures nascentibus.

CLara uxor Proxenetæ, quum malè haberet, ad eam perveni, quam boni habitus, ætatis triginta quinq; anno-

sed ingenti febri correptam comperio, quæ una cum parotidibus, hoc est, abscessibus post aures nascentibus, & cordarum ac nervorum colli retractione invasit, quæsita tandem causa, unde morbus evenire poterat, se ignorare respondet. Ego vero anxius noscens alioqui, nisi morb. hic à causa procatarctica originem traxisset, lethalis & pestifer futurus erat, illico à soluta per clysterem alvo, cephalicam dextri lateris apperire iussi, sanguinemq. ad unc. 6. fluere, parotides porrò & colli retractiones ex oleo rosaceo, & camæmelino inũgi fecimus: nocte vero sequenti, victus regimine subtilissimo instituto, clysterem refrigerantem immittere mandavimus, quo soluta alvus fuit: mane vero conspecto lotio, in eo coctio apparebat: sed febris omnino intense perseverabat, de qua multum quærebatur: sed ecce, hæc inter confabulandum addit, possibile esse morbum hunc originem traxisse à vento frigido caput percutiente, quod ad fenestram pectinaret: quo audito, morbum non adeo solutu difficilem esse (ut apparebat) prædixi. Multum sane ad morborum cognitionem causæ procatarcticæ faciunt, & consequenter ad eorum præsagia, quanquam sæpe cũ Galeno dixerimus, ab illis curativa indicatio non desumatur: quod intelligẽdum velim primariè, secus autem secũdariè: tunc vero cucurbitulis cum scarificatione scapulis admotis melius habuit, & parotides cum ipsa febri remitti cœperunt: ubi tamen abcessus fuerãt, illic signa rubra quædam relicta fuere, quæ ignem esse quis diceret: quibus postea crustæ quædam lenes superadditæ sunt, quæ ex albo camphorato unguento illita, brevi fuere solutæ & illa sanitati restituta.



Curatio nonagesima de dolore coxendico, & radice chinarum.

GRæcus Proxeneta coxendicis dolore quodam antiquo vexari solebat, pro quo propulsando ad Patavinas balneas olim iam advolaverat, & nihil profecit: postea ad guaiaci decoctum pervenit, & peius habuit: tandem meo consilio decocto radicis chinarum per viginti quinque dies usus est, & optime sensit, ac ab illo dolore liber perseverat.

SCHOLIA.

SVperioribus annis radix quadam similis in totum radici cannarum a Lusitanis nostris, qui ad Indiam & Regnum Sinarũ, & ultra navigant, in Lusitaniam afferri cœpit, qua incolæ regni Sinarum, unde potissimum nascitur, & unde nomen traxit, ad multas ægritudines utũtur, præcipue morbum Gallicũ, & sudoris evacuationem: mirum enim in modum radix hæc exsiccat, & sudorem provocat: de qua quum huiusque a paucis quod sciam, parum aut nihil traditum sit, placet sermonem agere: & eo magis quia Andreas Vesalius superioribus diebus libellum quendam in lucem emisit, cui titulum fecit de radice chinarum, in quo (bona viri pace dixerim) nihil in eo præter titulum quod ad radicem Sinarum agat, reperitur: totus enim anatomicus libellus est, pro quo intelligendo Oedipo coniectore opus est. Doctissimus enim Vesalius est, ac anatomicus insignis, Latinæ linguæ satis peritus, durũ tamen in scriptis suis servans stylum, potissimũ in eo libello, in quo multa præclara & scitu digna ad anatomiã facientia leguntur: ad radicem igitur accedentes dicamus, quod quia ex regno Sinarum advehitur, radix Sinarum dicĩtur. Quam primus in Lusitaniam Vincentius Gilius à Tristanis, rerum maritimarum maximus explorator, & apud Indos frequẽs negotiator adduxit: ex qua, quũ maximum quæstũ faceret, mercatores non solum Occidẽtales, sed Oriẽtales eam in universam Europam postea traxerunt: quam tamen Turcæ & Orientales afferunt mercatores, Occidentalium anteferre radici decet, quum magis gravitet, & præstatior viribus sit, quo factum est, ut Orientalis hęc triplo carius, quam quę per navigationes Occidentales affertur, publice in pharmacopoliis vendatur. Est enim radix hęc, ut dixi, similis omnino radici cannarum, quę facile sicceſsit, & vires suas amittit, cuius color in superficie subruber est, intus vero magis albescit: præstantior, quæ magis gravitare cẽsetur. Quãtũ vero ad eius temperaturam attinet, si quis eius odorem, saporem, cõsistentiam, ac cætera pernecessaria, quæ ad medicamentorum temperaturam

venandum faciunt, recte observaverit, illam in activis qualitatibus temperatam dicet: in passivis vero precipue in siccitate superexcedentem, ut tertium fere obtineat gradum non dubitamus. Est igitur radix hęc Sinarum tertium fere ordinem siccitatis attingens, cuius officium ac natura est humores dissolvere, eliquare, & subtiliter, ac in halitum & sudorem eos deducere, & consequēter corpus exsiccare, unde mirum non est si morbo Gallico, destillationibus, catharris, articulorum doloribus, ac pituitosioribus morbis conveniat. Cæterū præstat qui huius radicis decocto uti debet, hoc vitæ regimine utatur: primo in cubiculo, aut conclavi immunis a vēto maneat decet, qua de re in lectulo morali prudētius est, interea a vino abstineat quantū possibile sit. Huius decocti potator ab omni venere alienetur, quin & cōcoctu difficilia fugiat, veluti omnia acerba, acida, salita, salē & acetum: sit illi cibus levis, panis albus bene subactus, & optime coctus, ut qui ad siccū magis declinet, cui semen anisi, vel fœniculi, aut cari adiectum est, caro vero capi sit oportet, vel gallinæ, aut phasiani, sed perdicis, mea sententia, præ cæteris in hoc casu primatum obtinet, utpote ad siccum declinātis: veluti omnium montanarum avicularū carnes sunt, quę assæ ad ignē potissimum cōmendātur: aquæ vero coctæ non adeo, nisi radicis decocto incoquantur. Sit vero prandium cœna maius, quod claudet parum diacydonitis saccharo parati, vel pirum saccharo conditum, aut coriandrum saccharo incrustatum: sit tamen pro victu regula hæc, ut semper post cibum sumptum, appetitus ad cibum maneat, nec satur à mensa discedat. Uva passa, amygdala, vel mel, ac eo vel saccharo condita liberaliter gustare potest, qualia sunt a nobis dicta, & alia varia, modo cōcoctu facillima sint: & illis stomachus non gravetur, aromatibus quoque temperatè uti poterit. Cætera vero a nobis silentio præter missa, in hac curatione in totum abnegata sint, intelligi volumus. Iis igitur in ordinem dispositis, ac corpore, ut decet, evacuato, modum servandum in hoc decocto describamus. Primo igitur in aurora radices in assulas tenues rotundas per transversum incidantur: quarum uncia una in libris duodecim aquæ ponitur in vase testaceo capaci librarum sexdecim, ac igne lento ad consumptionem tertiæ partis coquuntur, cuius decocti uncię decem vel duodecim calidę in aurora bibendæ dantur: reliquū vero vini loco potandum servatur. Parari autē decoctum hoc debet singulis diebus, quia si in alterum diem servatur, facile acescit, & vires amittit: post potum autem decocti in aurora, ut dixi, sudaret per duas vel tres horas in lectulo

E *oportet. Si tamen in lectulo perdurare post sudorem non poterit, surgat, & pannis optimè coopertus in cubili maneat, ne tamen aeri exponatur caveat, nisi saltem post septem dies. Cęterū dātur toti curationi dies quinque & viginti, ita ut uncijs quinque & viginti tota curatio expleatur. At mea sententia, pondus hoc non semper servandum est. Morbis enim gravioribus radicis huius maius pondus uncia una libris duodecim aquę incoqui debere putarem: immo plus aquæ quoque adderet, si ea ægrotus indiguerit, & multum biberit: nec minus de termino dierum mihi dicendum videtur. Nam alicui viginti dies sufficient: alijs vero ad trigessimum pervenire necessarium erit: nos vero huic, de quo agimus, ęgroto per vigintiquinq dies decoctum dedimus, & sanitati restitutus fuit.* F

Curatio nonagesimaprima de tertiana continua, & an febribus biliosis sanguinis extractio per venæ sectionem conveniat: simul an syrupi frigidi illis merito dentur: demum, an in die critico pharmacum dari possit.

ALPHANDARINVS Thessalonicensis mercator, natus annos trigintaquatuor, natura biliosus, fortis & robustus, vigente canicula, tertiana cōtinua corripi cœpit, ad quē accedentes medici, primo sanguinem per venæ sectionem in brachij flexura extraxerūt, & syrupos refrigerantes illi dederūt: demum quum alvum lubricam haberet initio septimi diei, tres vel quatuor habuit secessus, & bene habebat. At medici hoc parum animadvertentes in eodem septimo die posthabitos secessus, pharmacum illi propinarunt, quo multa egesit, & male habere cœpit. Ad quē vocatus ipse universum eius corpus exterius refrigerari, angustiari, & pulsus omnino retrahi inveni, adeo ut difficillime arteriæ perciperentur. Cæterū corporis magna erat in potentia, quā paraphrenesis comitabatur: demū nono die sequēti, ab initio ægritudinis

compu-

computando diem suum obijt: agebatur enim dies duodecimus mensis Augusti, M.D.XLIX.

SCHOLIA.

TRia pro hac complenda curatione, in dubium revocantur. Primum, an biliosis febribus, sanguinis missio per venę sectionem cōveniat. Secundum, an prædictis biliosis febribus laborantibus, syrupi frigidi recte propinentur. Tertiū, an in die critico pharmacū tuto ægrotanti dari possit. Primæ dubitationis causa Avicen. fuit, atq. omnes eius collegę, qui ardentissimas febres venæ sectione non esse curandas, earū effervescentiam pertimentes contendūt: ita enim Avicen. Fen 4. primi, capite de Phlebotomia tradit: In febribus autē à minutione cavendum est, scilicet in ijs, quæ vehementis sunt calefactionis, & inflammationis: cujus sententiæ rationem, etsi inibi clare non reddat, ea tamen est, quam paulo inferius signavit, ne videlicet bilis effervescat, ut ijs verbis sequentibus apparet: quum dicat, Cavę ne ægrum ad unam duarum perducas rerum, scilicet humorum cholericorū ebullitionē, & frigidorum cruditatem, quā Avicennæ positionem omnes hucusq scribentes secuti sunt: veluti multi nostri temporis, qui se Aesculapios prædicāt, nulla alia permoti ratione, quam quia ita Avicenna dixit, Sunt autem ij adeo sanguisugi, ut prius ægrum mori sinant quam hoc auxilium admittant, non recordati Gal. verborum libro Therapeutices nono, Pauperes ditioribus citius & ocyus sanescere, hac pręcipue de causa, quod ex quo divites in delitijs ac desidem degunt vitam, plurimum sanguinis aggerare necesse est: qua propter venæ sectione indigent: quam tamen formidant, ac tremiscunt: quod potissimum in omnibus nostri temporis proponi posset, quū ampliori utantur victu, quibus maxime venæ sectio convenit Vnde Galenus concludit. Inter initia in febribus misso sanguine non pauperibus modo, verum etiam divitum servis, plurimis quidem 5. aliquibus 7. crisis contigit, nemini serius. At divites qui & sanguinis copiam & excrementorum plusquam pauperes & servi habent, quum sanguinis mittendi prætermisere remedium, ac quotidie tum calido oleo perfundantur, tum laxantibus cataplasmatibus utantur, phlegmone nimirum aliquam vel iecinore, vel ventriculo, vel reliquorum ist hic viscerum aliquo contrahunt, Alij in quarto, alij in quinto omnes plane iu sexto. At ut in totum ij cum Avicenna in hac parte convincantur, Galen. medicorum diligētissimus,

A *ac sapientissims accedat, cui adversari aliud*
non est, quam universam subverteret medicinam. Is igitur libro primo Aphoris. adeo in ar
dentissimis febribus sanguinis missionem, per
venæ sectionem commendat, ut ægrum usque
ad animi defectionem ducere non pertinescat.
Eius enim ita habentur verba, enarratione vi-
gesimatertia. In ardentissimis febribus si usq.
ad animi defectionem sanguis mittatur, statim
totius corporis habitus refrigeratur, & febris
extinguitur Hæc G. Quo bono nullum melius
dari potest: quib. consentiunt eiusdem verba un
decimo libro de Morbis curandis, quē Metho-
dum medendi appellamus, ad istum modū, Salu
berrimum autem, ut prædiximus, est in febrib.
venam incidere, non continuis modo, verū etiā
B *omnibus quas putrescens humor concitat: ubi*
præsertim nec ætas, nec vires prohibent. Leva-
ta namq quę corpus nostrum regit natura, exo
nerataq eo quo velut sarcina præmitur, non æ-
grè quod reliquum est vincet: itaq. proprij mu-
neris haud oblita & coquet quod concoqui
est habile, & excernet, quod potest excerni:
quibus nihil clarius aut lucidius dici potest.
Iis quoq. suffragatur Hippocrates libro quarto
de Ratione victus in morbis acutis, cuius ver-
ba ita habentur. In acutis morbis sanguinem
detrahes, si vehemens morbus videatur, flo-
C *ruerit q. ægrotantis ętas & virium adfuerit ro-*
bur quæ sané verba ibidem enarrans Galenus,
ita inquit. Qui autem omnē de sanguinis missio
ne historiā intelligere voluerit, legere tū no-
stros, tū reliquorū medicorū libros potest. Nunc
vero summam ipsam in paucos tandem relatā
scopos audi, sanguinē etenim primum detrahes,
si magnus tibi videatur morbus. Tali autem
remedio utitur propter vehementes affectus.
Hæc ex multis Hippoc. & Gal. locis sufficiant,
per quę satis indicatur, quod biliosis febrib. san
guinis missio per venæ sectionem conveniat.
Non est igitur quod Avicenna ac eius secta-
tores illis contrarientur, & eo magis quia eo-
rum ratiocinatio corrupta, ac invalida est.
D *Quum sanguinē inculpabilem secta vena va-*
cuari, bile putrescente in venis remanente, sup
ponere videantur. Quod falsum esse cordatus
medicus novit, quum bilis mixtæ cum sangui-
ne intra venas comperitur, nec ullibi per se
pręter quam in fellea vesica consistat, nisi ca-
su quopiam ab impultrice vi in partem aliquā
pellatur, unde erysipelas, aut herpes oritur: ve
luti si ad universam cutim morbus regius pul-
lulat, quanquam & in decretorio sudore
eam expelli comperiatur: quanto magis
iuxta Galeni mentem, quando bilem putres-
cere, aut in corpore dominari vidimus, bilio-
sum sanguinē concipere debemus, cū pro bilioso

ſanguine bilem uſurpamus. Quum igitur bilis, & ſanguis una conſiſtant, ut difficulter à natura unum ab altero ſecerni queat: admiratione dignum eſt, ſi ſecta vena ſimul quoque non exeant, & conſequenter adhuc eadem remanebit humorum proportio: effervescentia vero minor, quum ſanguis, quaſi ebulliens, evacuatus ſit. At ſi aſſerat quis oppoſitum illi videri: quum ſanguis, veluti biliosi humoris frænum ſit, quo depoſito effervescentia maior redditur, & conſequenter corpus calidius & ſiccius, dico id falſum eſſe, quum vacuato ſanguine, qui una cum bile effervebat, corpus refrigeratum manere neceſſum eſt, & conſequenter natura ſic refrigerata, ac alleviata, reſiduum edomare, ac per notas vias pellere poterit, ſicut iam diximus, & Galenus ſæpe opere obſervavit. Cæterum ne ſic in Avicennam debacchemur nec illum (ut in proverbio eſt) de ponte deiiciamus, quum vir Philoſophus fuerit, ac medicus doctiſsimus, operæ pretium erit viam invenire, qua illum a calumnia liberemus, & eo magis quia ſe primum Galeni ſagaciſsimum ſectatorem pollicetur: unde illi adverſari in hac re minime credendum eſt, quum quando Galeno adverſari contendit, id aperta fronte faciat: inquit igitur Avicenna, Febribus ardentiſsimis, ac bilioſis morbis periculoſum eſſe ſanguinem per venæ ſectionem extrahere. Quod axioma non ſic in totum reiiciendum puto, quũ in ſe veritatem contineat. Nam febris ardens plerunque æſtus tempore aut poſt elapſos maximos labores gignitur, quo in tempore ex ambientis aeris effervescentia inanitæ venæ ad ſe ſe ſuccum bilioſum attrahunt: immo tum temporis, ut Hippocrati & Galeno placet libro 4. de Ratione victus in morbis acutis, multum prædicti bilioſi humoris in extima gignitur carne, quæ omnia venæ ſectionem prohibent, & eo magis quia in hoc tempore corpora ſunt diſſoluta, & minime ſanguinis extractionem ferunt, quód ſi exequatur, & venæ ſectio fiat, bilioſi humores extra venas fluitantes, intra trahuntur: unde febres magis intendũtur, & ægri in vitæ diſcrimen veniunt, & hęc eſt ratio, ò viri prudentiſsimi, propter quam Avicenna, ac poſt eum medici omnes docti tantopere ſanguinis extractionem ijs febribus timent, præcipue quando urina cernitur ſubtilis citrina bilẽ vigentem omnino arguens. HIERONYMVS. Non igitur in ijs febribus bilioſis, primo ſanguinem per venæ ſectionem extrahere debemus? AMATVS. Ita Avicennam velle intelligo, & eo magis quando urina ſubtilis citrina apparet, quę bilem prædominari arguit, in quo caſu, ſi venam ſecamus, bilis evocationem ad intra venas, quæ ſanguinis fervorem facit,

E timemus: quo malo nullum maius dari poteſt. HIERON. Quid igitur agere debemus, ó Amate, quum in has inciderimus febres cholericas? AMAT. Primo, minorans dictum medicamentum propinabimus: ut fluitãtem bilem extra venas evacuemus, quę parata eſt, dum vena pertunditur, ad venas revocari. Nã ea depoſita, timor non eſt poſt venæ ſectionẽ, de humorum ebullitione effervescentiave. HIERONYM. Ea de cauſa ante venę ſectionem, omnium medicorum conſilio, clyſterem immittendum iubemus. AMAT. Ita fit: ſed minorans hoc medicamentũ validius & potentius eſt, & magis rei propoſitæ deſervit. HIERONYM. Quum ex Avicenna, ut humorum ebullitionem fugiamus, primo minorandum aſtruis, abs te ſcire vellem, Amate
F amiciſsime, ubinam apud eum hoc ita agendũ lectitaveris. AMAT. Capite de Cauſone, ubi ita operandum clariſsime docet, quum dicat. Et non phlebotometur: forte enim inflammabit eos, & forte iuvabit eos, ſi fuerit illic turbiditas & rubedo (& ſubdit) Et indiget lenificatione in principio fortiori, & curatione diligentiore quam alteri febrium acutarũ conveniat. Per quæ verba ſatis monet, quod qui bilioſa febri laborat, lenitione magis indiget, quam qui altera acutarum febrium vexari ſolet: quia tumor eſt bilis ebullitionis, id eſt, atractionis bilis extra venas ad intra venas: quam medendi rationem ipſe per longum tempus ſervatam habeo, & bene mihi ſemper
G ſucceſsit. HIERON. Nam & apud Indos, ubi diu artem Medicam exerceo, quum primum in iſtos bilioſis febribus laborantes incido, ſic exordium curationis præpono: quo maximam gloriam mihi comparavi, ac quæſtum non vulgarem: nec unquam Arnaldum Villanovanum ſecutus ſum, qui in ſimilibus febribus tanquam timidus phlebotomiam trium vel quatuor unciarum ſanguinis, quam refrigeratoriam vocat, admittit. Secundum dubium propoſitum fuit, an bilioſis febribus laborantibus ſyrupi refrigerantes tuto propinari poſſint? cui quæſito breviter reſpondemus, quód ſic, non ea tamen intentione, ut bilem, ſubtilem humorem, craſsiorem reddamus, quum
H Galenus nunquam hoc voluit: ſed hac potius, ut ſyruporum refrigerantium qualitate refracta membrorum caliditas ac natura inde validior facta, expellat humores, de novo alios non gignat. Cæterum Avicen. in hac parte perperam dixiſſe prætermittimus, veluti multa alia, quę ad hanc rem faciunt. Tertiũ dubiũ eſt: ex eo quod ij medici 7. die ęgritudinis, pharmacũ ęgrotanti propinarũt, num in die critico pharmacum tuto ægrotanti dari poſsit. Cui dubio

dubio, nos brevitatem in hoc opere desiderãtes respondemus, quod Hippocra. libris de Morbis populariter vagãtibus, pharmacum die quarto, septimo, quartodecimo, & vigesimo prabet, quod Galenus non dubitat: immo varijs in locis illis patrocinatur, non solùm pharmacum prædictis diebus judicatorijs prabendo, sed sanguinis missionem admittendo: ut lib. quarto de Ratione victus in morbis acutis, in quo pharmacum quarto die concedit, non minus libro Artis curativæ per venæ sectionem ad animæ usque defectionem sanguinem misisse eodem die meminit, sed clarius libro nono Methodi medendi, ubi sanguinem esse quovis die mittendũ, etiam septimo, si id morbus atque vires suadeant, jubet: modò tamen in ijs crisimis diebus judicium non expectetur: tunc enim securè & purgatio & venæ sectio fieri poterit. At si crisimis ijs diebus natura judicium tentare videatur, tunc omnimoda artificialis evacuatio evitanda est. proinde quum ægrotus hic de quo agimus, septimo decretorio die, à natura judicium per secessum habuerit, toto cœlo aberrârunt medici in pharmaco dando: quum inde certa illi mors subsecuta fuerit, virium nimirum prostrationem imbecillitati addendo.

Curatio nonagesimasecunda de ventriculi antiqua erosione, & capitis destillatione, ac tussi ingenti sicca, & nonnullis alijs, quæ ægrotam ad obitum traxerunt.

CAtherina filia magnifici, & generosi Ioannis Gondulani patritij Racusini, pulcherrima virgo, ætatis septemdecim annorum: quum a teneris annis apud monachas D. Bartholomæi ageret, non ea intentione, ut ipsa monacha futura esset, sed pater illi maritum virum probum affectans, interim apud illas commorari statuit. Hæc igitur quũ apud illas ageret circa os ventriculi erosiones persentire cœpit, non eo tamen ut ex illis ingens perciperet nocumentum: grandior tandem facta, ægrius erosiones ferebat, quia magis ingravescebant, & caliditatem ingentem circa ipsum ventriculum, cum morsibus illis patiebatur. Mala igitur qualitate per tam

A longum tempus in ventriculo impressa, necessarium erat inde alias per communionem quandam oriri, veluti fuit a capite destillationem in stomachũ ipsum, unde dolores intensiores facti sunt, & ad pectoris regionem, unde tussis sicca, & ingens oriebatur: demum, ut paucis concludam, ob impressam malam intẽperiem in ipso ventriculo, ob otium, mœrorem, quia tanquam carceribus retenta manebat, seminis retentionem & jecur calidum, pituita salsa orta est, ut in Scholijs indicabitur, quæ in caput obrepens, & per continuum adscensum debilius factum, pituitam ipsam discutere
B non valebat: unde ad pectoris cavitatem per asperam arteriam, brõchium dictã, destillans, tussim siccam concitabat, & febrim quotidie per duas, vel tres horas cum quodam membrorum tepore movebat. Nam tussis frequentissima, ut dixi, erat & illa quidem sicca, ex salso humore exasperante membranam asperã arteriam intrinsecus ambiẽtem, ex qua timor erat venæ rumpendæ, ita ut postea ita evenit, cum quibus, & ingens capitis dolor erat & membrorum gravi-
C tas, & sitis cum salso sapore continua, quinimmò parum dormiebat, & in stomacho intensam caliditatem, febris tempore sentiebat: & eo tempore quo non tussiebat, pectoris magnam constrictionem incurrebat, & difficulter spirabat, quod non aliunde evenire certus eram, quàm a multo humore destillante, asperam arteriam repletam, & coarctatam habente: hic enim est tantorum morborum & affectionum variarum concatenatio, cum quibus menses semper cursum suum solito tempore habuerunt. Pro quibus curandis varij medici acces-
D siti sunt, quorum primus Guidus, qui nunc apud Fulginates ex conducto medicus agit, sanguinem per venæ sectionem illi extrahere fecit, cui ipse ac Federicus Severinus superadditi sumus, per duos longos annos in eadem perseverantes curatione, quartus Ioannes Lucensis Reverendissimi Cardinalis de Sancto Angelo medicus doctissimus: quintus Hieronymus Fulginas, qui & nũc apud

Anconi-

Anconitanos agit. Quia igitur morbus
ex ore ventriculi originem habere cœ-
pit, circa eum primò animum adverte-
re cæteris non despectis opus erat, qui ut
multis indicijs percepimus, a multa pi-
tuita viscida crassa & tenace tenebatur:
proinde ad oxymel, & hieram Galeni
simplicem, ex septem rebus compositã
confugimus, quæ etsi Galeni dicatur, ea
potius tamen Andromacho tribuenda
est, ut ab illo 8. lib. de Compositione me
dicamentorum secundum locos colligi-
tur, imò Andromachum ex Themiso-
ne viro Prisco, & Asclepiadis discipulo
eam accepisse, Aetius refert, & Galenus
non negat. Habet igitur hiera hæc Ga-
leni simplex dicta ad istum modum. R.
Aloes Indicæ drach. 90. mastiches, cin-
namomi, assari, croci, spicæ Indicæ, xylo
balsami, ana drach. vj. misce, & cum
melle despumato fiat hiera picra sim-
plex dicta, cujus drachmam unam cum
agarici scrupulo & oxymelite, catapo-
tia parare faciebamus: quibus plerunq;
post attenuatam cum oxymelite mate-
riam, utebatur: quanquam & scammo-
nium & fortiora nonnunquam prædi-
ctæ hieræ adjungebamus medicamẽta:
renitens enim humor hic erat, ac solutu
difficilis, ut ad scillinum oxymel deve-
nire sæpe quoque opus fuerit. Cæterùm,
quia a capite facta destillatio, multum
urgebat, quia ex ea stomachi affectio
magis intendebatur, & tussis ingens sic-
ca oriebatur, & in somnis ægrotus perse
verabat, circa eam multum soliciti quo
que eramus, & eo magis quia humor de
stillans acutus & salsus erat. Syrupum
igitur hunc descripsimus. R. Syrupi vio-
lacei, jujubini añ. unc. sem. papaveris
unc. j. aquæ lactucæ unc. iij. misce, qua-
tuor igitur interpositis diebus, in qui-
bus jejuno stomacho in aurora, & quan
do ibat dormitum ebibit, ac de ventris
respondentia habita solicitudine, phar-
macum hoc propinavimus, quod ha-
bet. R. pulpæ cassiæ noviter extractæ un
ciam unam, agarici boni noviter parati
drach. j. & sem. syrupi rosati solutivi
unc. j. decoctionis senæ unc. iiij. misce,
fiat potus unus, detur in aurora, & desu-
E per dormiat per horam, quo tum per su
periora & inferiora multa ejecit, post
hanc cæterum evacuationem, frictioni-
bus, retractionibus, & ligaturis per lon-
gum tempus usi sumus: veluti cucurbitu
lis, errhinis medicamentis, & alijs simi-
libus: sed quum hæc agebantur, medica
menta materiam inspissantia per os da-
bamus, qualia sunt, diacodion, syrupus
de papavere, de violis compositus juju-
binus, diatragacanthum cum bolo Ar-
meno ad formam lupinorum redactũ,
est enim, ut obiter hoc dicam, bolus Ar-
menus officinarum vera terra Lemnia
F apud Galenum descripta. Nam vero bo
lo Armeno nos carere dubium non est,
dictis medicamentis addimus pilulas be
chicas, quas Gal. sub lingua quousq. dis-
solvantur, ut in asperam transeant arte-
riam tenere commendat, savoneam, cu
jus descriptio hæc brevis est. R. amyli
unc. iiij. sacchari libram unam, aquæ
violarum unc. ij. ad ignem, ut decet, fiat
savonea, non minus hoc conditum per
plures dies deglutiebat. Rec. Sacchari
violacei unc. j. loch de altæa sine spec.
drach. iij. diatragacanthæ frig. unc. sem.
sacchari candidi, violacei drac. iij. syru-
G pi de papavere unc. iij. misce, fiat condi-
tum, quo utatur ad lubitum: post cœnã
quoque duas horas, ut somnum conci-
liaremus, syrupum de papavere conce-
debamus, aliquando verò diacodium,
nonnunquam autẽ pilulas de cynoglos-
sa, veluti alia varia arteriaca medicamẽ
ta: ut verò materia fluxa, & in pectore
contenta facilius rejectaretur extra pe-
ctus inungi faciebamus hoc, vel simili
unguento. R. Olei violacei, amygdala-
rum dulcium añ. unc. j. butyri recentis,
axungiæ gallinæ, añ. unc. s. ad ignem
misce, fiat unguentum, quo pectus illine
H batur: veluti sæpe oleo ex amygdalis dul
cibus solo. Cæterùm, ne in hujus morbi
descriptione amplius discurramus, scire
decet, ut cætera omnia optimè disposita
erant: ita cibus, qui huic juveni offereba
tur, optimi erat nutrimenti: veluti pul-
lorum carnes, perdicis, phasiani, & hœ-
di, lactucis, aut cichoreæ, aut papaveris
albo semine aqua incoctæ: veluti ex
amylo

amylo parata panatella,& hordeacea ptisana: sed vesperi cœna: prandio minor semper fuit, quam veluti & prandium, caro cydoniorum cum saccharo parata semper claudebat. A vino porrò nunquam eam abstinuimus,quia a parvis annis eo semper in potu usa fuit,quod mirũ apud Lusitanicas mulieres dixerim, quæ ac si illis per religionem vetitum esset, a vino abstinent, nec nisi tempore parturitionis ex illis perpaucæ illud gustant. Nam earum virgines adeo antiquorum Romanorum morum servatrices sunt, ut malent mori, quàm vinum olfacere,ne dicã bibere,pura enim aqua contentæ evadunt. Vtebatur igitur puella hęc in potu vino non nisi aqua ex coriandri decocto parata,diluto,& eo quidem in parva quantitate. Cæterùm, dictis per longum tempus,usa fuit: quæ nihilominus eisdem citatis affectionibus vexabatur,scilicet ventriculi morsibus, continua a capite destillatione,tussi frequenti,capitis dolore,membrorum gravedine & febricula dicta: vigebat autem tunc quũ hæc agebantur rigida hyems: sed quum hæc dicta medicamenta parũ conferre videbãtur,ad vesicatorium medicamentum prope nucham admotum devenimus,quod habet. R. Euphorbij, drach. s. cantharidum drach. 1. aceti parum,cum massa fiat mixtio, ex qua nucis semiputamen plenum,loco per rasorium ex pilis glabro facto, admotum est: sequenti verò die disrupta vesica, cicer intus indidimus,ut ulcus altius penetraret, & humor ad illum currendo retraheretur: ijs autem tribus diebus, tussis diminuta est, & febris remissa: sed postea invaluit ut prius,& symptomata gravissima sunt facta,cõtra quæ ut decebat occurrebamus, modò unum,modo alterum præbendo medicamento, sæpe tamen syrupos & pharmaca repetendo: tandem 45. die tussis adeò puellam istã infestavit, ut sanguinem subitò excreaverit, spumosum, rubrum humiditati cuidam admixtum: quanquam ultimo paucus vividus, nulli rei admixtus exiverit, quem ex vena pulmonis vel prope pulmonem existentem,effluxisse du-

A bitabam, assidua enim humoris destillatione a capite in pectus vena quoquo modo corosa ingenti illa tussi aperta fuit,unde sanguis ille effluxit, juxta illud proverbiale carmen.

Assiduo illisu durum cavat undula saxum.

Tunc vero pro ipso sistendo sanguine, ac claudẽdo orificio venæ disruptæ,hoc in nocte usa fuit syrupo.R. syrupi myrtini, papaveris, ana unc. j. boli Armeni orientalis drach. se. misce, in qua nocte nihil screavit,sed aliquantulum dormivit. At in aurora sanguinem per nares B concretum emisit:unde aliquis suspicari posset, sanguinem illum totum per os emissum a capite fluxisse, non verò ex pectore: sed non ita se res habet, quum impetu tussis prædictę sanguis ad caput ejectus fuerit:& postea per nares concretus emissus,ut quoq; Ferrariæ in juvene quodam percepimus: cujus curam unà cum Brasavola habebamus:sed pauculo interposito tẽpore,puella hæc cum tussi verum sanguinem excreavit & majorẽ persensit in thoracis medio dolorẽ: qua de re syrupum prædictum iterare fecimus, ut cochleari elambẽdo deglutiret, C & exterius locus unguento de comitissa, vel de castanearum corticibus inungebatur: porrò in jure capi amylum, & semen plantaginis infundi faciebamus, quod pro victu accipiebat. Cæterùm,videtis puellam hanc in phthisim & hecticam descendere paratam, & eo magis quia post hanc sanguinis rejectionem, præter febrem putridam intermittentem,quem pati diximus,altera de novo in nocte affligens illi supervenit,quę cũ ingenti rigore,& impetu alternis noctibus invadebat, ut difficilem admodum tantorum morborum nexum quis dicere debeat: quia putridæ febres aperientibus indigent, destillatio verò & venæ D rupturo constringentibus: hucusque tamen menses consueto tempore respondebant. Cæterum febris nocturna illa quæ alternis noctibus affligebat,& præter aliam diurnam supervenit, tertiana appellanda est, cujus cum prima febri pituitosæ naturam sapiẽte complicatio, hemitritæus,febris orta est; quam semi-

tertianam

tertianam Romani appellant: ex quotidiana enim sive pituitosa febri, & biliosa tertiana hemitritæus resultat febris, quæ proculdubio malum portendit: tūc verò tantam humorum exuberantiam animadvertentes, eos quoquo modo ad expulsionem parare decrevimus, præcipuè syrupis bilem & pituitam respicientibus, hoc modo. R. Syrupi violacei unc. 1. oxymelitis sim. syrupi de endivia an. un. sem. aquarum destillatiriarum vice, hoc decocto diluantur. R. Radicum endiviæ, petroselini an. m. sem. capill. Veneris m. 1. prunorum Damascenorum nu. 12. hordei pug. 1. passularum absq; seminibus unc. 2. in libris duabus aquæ fiat decoctio secundum artem, cujus un. 3. prędicto syrupo pro vice infundantur, & misce: ebibitis tandem nonnullis ex ijs dictis syrupis, pharmacum ex rhabarbaro & agarico compositum obtulimus: sed non propterea pernecans morbus hic, ac carnifex cursum suum permutavit: sed indies magis ingravescebat, præcipuè tussis sicca illa, quæ nunquam separabatur, ut credere pareret in pulmone ulcusculū aliquod esse: quamquàm sputa, si quæ erant, nullam indicabant saniem, quia ubi est ulcus, ibi necesse est sit pus: immo sputa in aqua mersa supernabant & fundum non petebāt. Elapsis tandem novem mensibus, intentione habita ad destillationem, febrem & corporis ariditatem, sequens decoctum paravimus. R. Testudinum nemoralium num. 2. bulliant in aqua ferventissima demptis corticibus, deinde laventur vino, ac postea aqua hordei, vel rosacea, tandem interanea pulpamenta dicta cū infrascriptis rebus coquātur. R. Florum boraginis, capillorū Veneris, seminum melonis, lactucæ, an. unc. s. radicum petroselini, boraginis, an un. 1. tragacāthi, gūmi Arabici, amyli, glycyrrhizæ, an. drac. sem. pinearum mūdatarum, amygdalarum albarum, pistaciorum mundatorum, an. drac. 2. bulliant in libris sex aquæ, ad consumptionem medietatis, & colentur: cujus uncias quinque cum una syrupi violacei, quolibet die in aurora jejuno stomacho bibat: spinam porrò

E inungi ac renes costarùmve regionem hoc unguento de lacte dicto fecimus, quod habet. R. Gummi tragacanthi, gūmi Arabici, an. drac. 1. infundantur in aqua rosacea per diem & noctem: & addatur olei violacei unc. 1. & s. butyri recentis unc. s. camphoræ drac. 1. misce, & in mortario cum lacte muliebri fiat unguentum: hoc enim unguentum optimum est, nec quicquam fœtet ut aliud in quod medullæ ossium vituli, aut pinguedines ingrediuntur, quod ex lacte asinino, vel caprino parari posset: post ebibitum verò syrupum totum, floris

F cassiæ noviter extracti drachmas decē, in pulli jure dissolutas, per horam ante prandiū dedimus, & bene contulit: quia febres nocturnæ dictæ, quæ plerunq. nullum servabant ordinē, remissæ fuerunt, ita ut ex toto eradicatæ visæ sint: sed tussis gravior & frequētior est facta: sed id in causam vertebram quòd de obturatis meatibus a syrupo aperiēte febres remissæ sunt: sed subtiliata materia magis fluebat & distillabat, ac tussim frequentius movebat: at quia tunc thoracis strictura maximè urgebat, fomentum sequens paravimus, quod habet. R. Rosarum rubrarum, chamæmeli, meliloti,

G matrum violarum, radicum altææ, an. ma. 1. seminis lini, fœni Græci, an. pug. 1. in libris decē aquæ fiat decoctio, facta decoctione & colatura, adde olei amygdalarum dulcium, lib. sem. misce, in qua filtrum imbibitū, ac optimè expressum, calidum pectori applicetur, & sæpe innovetur, ne sua frigiditate obstruat, ac pectori noceat, ut suadet Hippo. lib. de Rat. victus in morb. acut. secūdo & quarto, ubi de pleuritide agit. At interpositis nonnullis diebus, in quibus ægroto jejuno stomacho nihil præter jus capi cum pauco saccharo bibēdum dabamus, cas-

H siam Aegyptiacam saccharo conditam, provt ab Alexādria, & Chairo civitate affertur, pro ventre movendo concedebamus: sed cum ijs morborum complicatio omnino perseverabat. Nam tres febres inter noctem, & diem ægrotum invadebāt & symptomata cætera aucta erant, pro quibus varia quotidie machinabantur,

nabantur, præcipuè elambetinum hoc, quod interdiu deglutiebat,& ita habet. R. Amygdalarum dulcium, seminis anguriæ, an. unc. 2. iridis Illyricæ drach. 2. cinnamomi scrup. 1. succi violarum recentium unc. 3. sacchari unc. 6. & ut decet paretur. Modus autem parandi talis est, primò sequens conficiatur decoctū. R. Hyssopi siccæ drach. 6. tussilaginis, id est, farfaræ unc. 1. & s. liquiritiæ, drac. 3. in libra una aquæ fiat decoctio ad medias, & colaturæ adde prædictum succū violarum & saccharum & ad ignem lentum ferveat, quousq; & decoctum, & succus consumantur: postea verò adde semina, & amygdalas optimè pistas, & ultimò cinnamomum ac pulveris radicis iridis Illyricæ, & misce ac fiat lambetinum: successu tamen temporis ilium dolor illi supervenit, unde dubium ortum inter medicos fuit, an ulcus in pulmone haberet vel potius in pectoris regione, vel nullum horum haberet, & tuberculū in intercostalibus musculis pateretur, vel forsan empyematica esset: non enim rationes unicuique pro sua astruenda opinione deficiebant: perseverabant tamen tres dictæ febres, quæ interdiu & noctu cum tempore, & rigore affligebant: contra quas sæpe pharmaca & potiones paravimus, frustra tamen. Non minus abrasis capillis capiti ceratum hoc admovimus, quod habet. R. Pulveris rosarum rubrarum, farinæ hordei an. un. 3. santalorum, an. unc. se. seminis hyoscyami, lactucæ, an. drach. 3. pulveris baccarum cupressi, verbenæ, foliorum myrti an. unc. 2. croci scrup. 1. mastiches, resinæ terebinthinæ, ceræ, an. q. suf. misce, & ad ignem fiat ceratum molle, cujus sufficiens quantitas in aluta extendatur, & sincipiti admoveatur: propositum nanque fuerat de cauterio admovendo in commissura coronali, vel potius in brachio, quod negligentia prætermissum fuit: nec enim errores silere decet, quando Hippocrates divinus se aberrasse in futurarum cognitione fateatur, ut apud ipsum est legere libro quinto de morbis populariter vagātibus Historia Autonomi in Omilo. Demum suppresis

A mensibus hæc pejus semper habuit, mense tamen Februarij 1549. febrium rigores minui cœperunt, & symptomata solita: sed ecce tussis gravissima similis primæ supervenit, & ita intensa ut pectus dirumpi videretur: vigesimo tandem die ejusdem dicti mensis menstrua, quæ jam diu & per plures menses suppressa erant, fluere cœperunt, & ea quidem in bona quantitate, nigerrima tamen: auctis tandem omnibus prædictis morbis, ac decumbentibus viribus diem suum obijt 28. die mensis Iulij anni prædicti, B millesimi quingentesimi quadragesimi noni.

SCHOLIA.

Destillatio, a qua potissimùm puella hæc obijt, salsa erat: proinde quomodo humor salsus in corpore fiat, enarratione hic scire erit, ut praxi theoremata conjungamus: fit igitur humor salsus, authore Galeno lib. 2. de Differētijs febrium, & libris de Facultatibus simpl. medic. duobus modis: altero, ob humorum putrefactionem: altero verò ob mixtionem serosæ humiditatis cum humore: ob humorum putrefactionem, quia illa ebullitione partes quadam C *terrestriores redditæ humorem totum salsum reddunt. Sic enim puteales quadam aquæ ex longa ebullitione salsæ evadunt: ob serosam verò humiditatem humori conjunctam, quia serosa hæc humiditas præter quatuor humores in corpore reperta natura sua salsa est: ut in urina percipitur, quam salsedinem humori, cui miscetur impertitur & salsus evadit: sed hanc secundam salsedinis causam Gentilis de Fulgineo, apud Galen. non rectè novit, ut ex suis verbis facillimè quis percipere poterit, quum Galenū præter rationē lancinet. Avicenna tamen hunc secundum modum generandi humoris salsi ad mixtionem bilis cum pituita redegit, qui sanè modus a Galeni citato non multum abhorret, modò per pituitam, sive phlegma serosum, hanc humiditatem intelligat, vel ut Avicenna a vi-* D *tilitigatorum morsibus defendatur, dicamus, quòd quum bilis amara pituitæ mixtione quadum determinata a calore nostri corporis misceatur, inde necesse erit salsus conflatur sapor, ut Augustinus Niphus libris Meteororum, pro Avicennę defensione, adnotavit: unde Manardi experimentum contra Avicennam adductum nullius esse valoris, bonus Philosophus deprehendet. Inquit enim Manardus epistola quinta decimioctavi libri suarum epistolarum, quum exiguam*

exiguam aloes amaræ portionem, aquæ misceret, inde aquã illam non salsam, sed potius amarum resultasse. Ficulneum enim experimentum hoc est, quia, ut diximus, non quævis: sed determinata potius a calore (ut salsus inde generetur sapor) commixtio requiritur. Maris porrò salsedo consurgit a quodam adusto terrestri illi admixto subtili a calore solis exhalato, quamquàm non desint alij, qui mari salsedinem tribuant, ob salis montes, in ipso Oceano marium patre repertos, quum videant alibi mare dulcibus aquis, & non salsis ornatum: sed hæc in præsenti dixisse sit satis. Cæterùm, dubium non vulgare occurrit, & ad rationem curandi non parum faciens. Vtrum pituita salsa, calida sit, an potius frigida? Cui dubio nos respondemus, quòd Galenus quandoque eam calidam dicit, quandoque verò frigidam: sed id absq; contrarietate aliqua, quum pituita salsa, sive humor salsus, sua natura calidus, siccus, mordax, & acutus est, & eò calidior, mordacior, & acutior dicendus est, quò salsior fuerit: unde lib. de Facult. simp. med. & tertio lib. Aphor. humorem salsum calidum absolutè esse dixit: quum verò humor salsus parum salsus reperitur, parum calidus dicendus est: & ita parum calidus, ut eum Galenus quandoque frigidum dixerit, ut libro quarto de Ratione victus in morbis acutis, & secundo de Virtutibus naturalibus. Muriam enim parum salsam frigidam dicimus, nimis autem salsam, in qua ovum supernatat, calidissimam: hoc tamen semper verum est, quod quantò magis humor salsus est, tanto crassior est, & calidior.

Curatio XCIII. de ani procidentia, & sedis hæmorrhoidibus, ac pudendorum tumefactione.

MVlier nobilis Anconitana geminos pueros peperit, quorum pondere & labore partus tempore, ut plerunque partum difficilem habentibus evenit, in ani procidentiam, sive ani exitũ devenit: veluti in hæmorrhoides, ac pudẽdorum tumefactionem. Primo igitur de ano ad suum locum reducendo solici ti fuimus, quod opus facillimè adepti sumus: primò eum vino calido lavando, ac sebaceo impellendo, quo reducto emplastrum sequens desuper admovimus. R.

E Masticℏes, thuris, sumachiorum, rosarũ rubrarum, corticum granatorum, an. un. sem. balaustiorum, myrtillorum, an. m. sem. omnia, ut decet, pistetur & vino rubro styptico excepta, ac calida ano applicentur: libera enim ijs ab hac fuit affectione: postea verò nos vertimus ad pudendorum tumefactionem, quæ cataplasmate composito ex chamæmelo, meliloto, fœnu Græco, semine lini, hordeo, ac lentium farina discussa fuit: adjectis tamẽ oleis, ut fieri solet, chamæmelino, ac completo rosaceo. Restabant autem hæmorrhoides cæcæ magnum inducentes dolorem: qui ita sedatus fuit. R. Ma-
F trum violarum, rosarum siccarum, chamæmeli, meliloti, fœni Græci, se. lini, phlomes, malvæ an. m. 2. in libris decem aquæ fiat decoctio, & mulier pannis bene circundata in sęlla regia sedens suffitum recipiat. At dum multum vexabatur dolore, hoc illinebatur medicamento, quod habet. Recip. Opij scrup. j. butyri recentis unc. unam, vitelli ovi, nu. 1. olei rosarum parum, misce in mortario plumbeo & fiat linimentũ: alteri verò cui hæmorrhoides apertæ erant, hoc usi sumus unguento. R. Pulveris plumbi loti drach. tres, vitelli ovi num. 1. olei rosacei, ceræ, an. parum, fiat unguen-
G tum.

Curatio XCIV. De quodam asthmatico, suspirioso dicto.

SImon juvenis triginta annorum, natura asthmaticus, dictus anhelosus, sive suspiriosus, olim Gallica scabie in-
H fectus fuit, qui præter volas manuum, & pedum plantas, quas scabritie infectas habebat, nullũ in capite, aut alia totius corporis parte tuberculum, aut dolorẽ, scabièmque patiebatur: plerunque tamẽ gravissima ex asthmate incurrebat symptomata: at quum febri continua corriperetur, cum qua multa expuebat: die quinto deficientibus viribus nihil amplius expuit, tandem initio septimi obijt,

obijt,non sine patrum & amicorum suorum dolore. Fuit autem dies obitus decimustertius, mensis Februarij, millesimi quingentesimi quadragesiminoni, quatuor horis ante auroram.

Curatio XCV. De dolore pedum.

IVvenis Alutarius robustus, natus annos 25. pedum dolore corripiebatur, ita ut ambulare non posset: quum ad eũ accederem, & causam unde morbus evenire poterat interrogarem, respondet. Apud Illyricum in Zara civitate coria parasse hoc sequenti modo. Primò in aqua marina diu pro eluendis corijs & pellibus morabatur: postea inde subito ad aquam dulcem tepidam se cõferebat pro eisdem concinnandis pellibus, unde morbum originẽ traxisse suspicabatur: & meritò sanè, quia ob motum & exercitium, ac tepentes aquas humores constricti marina aqua dissolvebãtur: unde quædam unitatis dissolutio fiebat, & dolor oriebatur. Ab ipso igitur morbo curandi indicationem sumentes, primò sanguinem emisimus per venæ sectionẽ in brachij curvatura: deinde levi exhibito pharmaco ad balneũ ex marina aqua paratum, eum traximus, quo pedes & crura lavabat, & ex toto intra decem dies sanitati fuit restitutus.

Curatio XCVI. Vbinam deficientibus brachialibus, arteriarum pulsus pro deprehendenda febri tangi a medico debeant.

CApitaneo ob facinus commissum publicè Venetijs manus ambæ per brachialia abscissæ fuerunt, ita ut cum postea ægrotaret, pulsus arteriarum in ipsis brachialibus deprehendi non poterant: quæsitum tandem inter medicos præsentes, ubinam arteria tangi debe- A ret? Variè responsum fuit: altero propè cor asseverante, altero verò in temporibus: demum cum Galeno conclusum fuit, quòd ubi pulsus carpi occultatur, tarsi arteria tangenda est, id est, arteria in pede ad secundum digitum post maximum sitam: unde rectè eos medicos facere mihi visum est, qui quum de obitu, aut virium prostratione suspicantur, ad illam tangendam arteriam accedũt: quum cæteris pulsatilibus, prima deficiat, quia longinquior a fornacis calore sit. Sic enim doctissimus Galenus libro tertio de Anatomicis administrationibus inquit. Id autem inde liquido constat, quòd carnosis nusquam in crure pulsus appareat, nisi in tarso id rectè ad secundum digitum post maximum: tangimus itaque subinde arteriam inibi sitã, B cum ea, quæ brachiali subest, attingere non potuerimus.

Curatio XCVII. De carbunculo nato in oculi palpebra inferiori.

C QVi ex Antibari Anconã venit mercator, carbunculum, Græcis anthracem dictum, in oculi palpebra inferiori passus est: tumebat autem non solum universa ipsius affecti oculi particula: sed alterius quoq; universa regio, & collum, ac pectus, contra quem morbũ atrocem, ac lethalẽ incedentes, illico sanguinis librã integram ex cephalica, capitali dicta vena, ejusdem lateris extrahere fecimus. (Nam ad animi defectionẽm usq; Galenus lib. Methodi medendi, 14. & 2. ad Glauconem non timet) & ea de D causa, cum vires optimè constarent, alteram ex eodem loco sanguinis libram fluere permisi, quum primum tamẽ prima sanguinis extractio facta fuit: ad crustæ & totius ulceris scarificationem nos divertimus, profundis ut locus ferebat plagis, quas incisiones, aqua salsa calente, perfundere feci: & desuper hoc admovere emplastrum. Rec. Malvarum, violarum,

violarum, radicum altheæ, ana manipulum unum, in aqua fiat decoctio, cui adde farinæ lentiũ, hordei, orobi, ana unc. tres, butyri recentis unc. 2. salis un. sem. vitellorum ovorum num. ij. oxymelitis quantum ad spissitudinem mediocrem sufficiat, fiat emplastrum: porrò particulæ circumjacentes ex unguento de bolo Armeno illinebantur: emplastrum tamen de arnoglossa a recẽtioribus in hoc casu multùm laudatur, quod habet. Recip. Arnoglossi, lentium, panis furnacei ana partes æquales, coquantur in aqua, & mea sententia, in oxymelite satius esset. Avicenna tamen gallas prædicto addidit emplastro, qui in eodem quoque casu, emplastrum probat, quod ex duobus constat malis granatis, aceto, vel aqua acetosa coctis: remedium sanè a Paulo decerptum, quod ego parti laboranti nunquam admoverem, ni impetũ multarum materierum oculum ad perniciẽ trahentium timerem: in hoc porrò casu, factis scarificationibus, Ægyptiacum quandoque imponebamus, ac desuper emplastrum prædictum, quibus ex toto crustacea ulcera decisa sunt: & postea paucis alijs medicametis cicatrici locus reductus, non absque tamen fœdatione: nam depressa palpebra mansit, ut invitè oculus lachrymare. Cæterùm quum morbus hic sævissimus sit, ac intra paucas horas, ne dicam dies, opus suum compleat, celeriter nulla interposita mora illi obviandum est, præcipuè extremis remedijs, quibus illico ejus venenum extirpat, inter quæ cauterium ex candente ferro laudare est, ac ex arsenico paratum, modò locus aut membrum id genus remediorum absq; læsione ferre possit. Cæterùm, quum hæc scribimus in mentem venit medicus quidã, qui quum in ægrotum quendam carbunculo prope genu laborantem incideret, illi sanguinem per venæ sectionem in brachio extraxit, ex qua venæ sectione illico æger in obitum devenit: ob raptũ enim sanguinis venenosi, & in carbone obtrusi mors subsecuta, ut videtis, fuit. Fit autem, ut obiter hoc dicamus, carbunculus, ex influente sanguine, nigro, crasso- E que, ac fœculento, eodemque fervente, atque impense calido, qui semper cum crusta exoritur: aliquando verò cum pustulis, ac vesicis similibus ambustis, quæ ex tenui quadam humiditate admixta oriuntur, & inde carbunculus cum pustula appellatur: ut in hoc casu intervenit, & frequentissimè contingit: nostro tamen ægrotãti syrupos ex nenuphare, & citri acetositate ad contemperandam supremam caliditatem illico in principio dedimus.

F

Curatio XCVIII. De admotione remediorum circa os ventriculi malè affecti.

ARchãgela uxor strenui militis Edobardi, quum malè cibũ concoqueret, & ob imbecillitatem stomachi, in vomitum prona semper esset: nos rogat G medicamentum illi demus, quo sana, & ab affuctione dicta, libera evadat, cui ob temperans, multa machinati sumus, & an emplastra admovẽda essent parti anteriori & posteriori ventriculi, in dubiũ a medicis assistentibus versum fuit. Cui quæsito ipse cum neotericis affirmativè respondi: alij verò anteriori parti admovendum cerotum vel emplastrum, aut quodvis alium medicamentum tantum contendebant, quia Galenus (ut illi dicunt) nunquam pro ore ventriculi roborando medicamenta dorso applicuit: secus autem pro stomacho, gula, sive œsophago dicto, qui dorsi spinæ secundum H latus dextrum alligatur, & ea de causa undecimo spondyli dorsi linimentum, aut ceratum rectè applicari ad Galeni intẽtionem lib. 16. de Vsu partium posset: undecimo spondyli, diximus, septem colli computando, thoracis autem quatuor: cui loco stomachus subjacet, & os ventriculi continuatur. Locus autẽ Galeni, quo illi fulciebantur dicere, affecto stomacho, sive gula, aut œsophago dicto, cataplasmata, sive linimenta dorso spinæ

ſpinæ eſſe ponenda:non verò ipſius ſto-
machi ori patiẽti,ut lib.13. Methodi me
dendi habetur:quem,mea ſententia, nõ
intelligunt:ita enim cap.17.prædicti li-
bri,textus inquit. Voco hoc loco ſtoma
chum gulam, quam propriè Græci ſto-
machum appellant:nonnunquam enim
ita etiam vocant os ventriculi: veluti
quum ſtomachicè anima linqui aliquos
dicunt, verùm in gula,quæ propriè vo-
catur ſtomachus,cataplaſmata ſuper ſpi
nam dorſi imponimus,non autem ad pe
ctus, vel ut altera habet litera, non au-
tem anteriori parti. Idem facimus, &
quum os ventriculi phlegmone urge-
tur,ſi quidem ſpinæ gulæ ſuperjacet per
collum,& pectus deorſum uſque ad ven
triculum porrecta. Hactenus Galeni ver
ba, quibus medici illi contra me mordi
cus contendebant,nullatenus dorſo ſpi-
næ emplaſtrum unum,vel alterum affe
cto ipſo ore ventriculi imponendum eſ-
ſe:ſed fruſtra ſanè,quum Galenum non
intelligant, quia tantum abeſt, ut hoc
quod ipſi intelligunt, Galenus dicat, ut
potius contrarium, ſi quis penitius ejus
ſenſum perceperit,eum dicere inveniet:
inquit enim Galenus,quod affecta gula,
quæ propriè ſtomachus vocatur, cata-
plaſmata dorſi ſpinæ imponenda ſunt,
quemadmodum facimus,quum os ven-
tris phlegmone urgetur: nec in hoc du-
bium aliquod eſt, ſed ij quum perfidia
ſua omnia evertere conantur,Galeni lo
cos pertinaciter interpretãtur:nec enim
me latent, quæ Cornarius Commenta-
rijs ſuis in libris de Compoſitione me-
dicamentorum ſecundum locos, ſuper
hac re ſcripſerit: quum revera hæc no-
ſtra indubitata ſit ſententia. Sed jam age
quòd Galenus nunquam de hac re ver-
bum fecerit: nònne ratio ad hoc agen-
dum nos invitat? HIERON. Maximè
ſanè, quia prædicto loco ſpinæ, ut dixi-
mus, os ventris copulatur, & continua-
tur:ut ex corporum diſſectione percipi-
mus. AMAT. Quum igitur vẽtriculus
membrum in corpore præcipuum ſit,ut
Qu.Serenus cum totius corporis regem
deſcribere non vereatur,conſonum eſt,
ut quum male ſit affectus, ad ejus reſti-

A tuendum robur duplici in loco inunga-
tur,anteriori ſcilicet,& poſteriori, & eo
magis, ut duplici illa inunctione mem-
bra, quæ illum circundant, ut perito-
næum,omentum,& membra ipſum cir
cummunientia quoq. recrehentur,a qui
bus adjutus,ac inſtauratus, validior red-
datur ad ſuperandos, qui ipſum infeſtãt
morbos. HIERON. Ita fit, & quando
mihi aliquis ventriculum debilem ha-
bens occurrit, ſemper auxilia anteriori
parti ventriculi ad ſcuti formam,& po-
ſteriori thoracis ſpondyli quinto admo
B veo. AMAT. Miſerrimi mea ſententia
dicendi ſunt medici illi, qui alteri tan-
tùm parti remedia applicant:quum utri
que etiam ad Galeni mentẽ admovere
ea debeant,ut ex Aëtio, & Cornelio Cel
ſo quoque quiſque percipere poterit.

Curatio XCIX. De podagra, & chi- ragra, & nonnullis, quæ ad venæ sectionem faciunt.

C

AMbroſius Cratander Spoletanus
vir ſingularis doctrinæ,& qui cum
eloquentia conjunctam ſapientiam ha-
bet, anno ſexageſimo ætatis ſuæ, quum
aliâs articulari morbo laboraſſet, in chi
ragram, hoc eſt manus inflationem,
& dolorem incidit. Solet enim mor-
bus hic plerunque ab humore calido
& frigido ex capite præcipuè diſtillan
te oriri, ut Hippocrates adnotavit. Si
enim ad pedes deſcendit, podagra dici-
tur: ſi verò ad manus, chiragra: ſi verò
ad univerſum corpus,arthritis morbus,
id eſt, articularis abſolutè appellitatur,
quem pati vidimus Antuerpię nobilem
D quendam virum juſtitiæ protectorem,
quem vulgò Burgimagiſtrum appel-
lãt. Quum igitur nobilis hic vir,de quo
agimus, poſt multam remediorum ap-
plicationem, œdematoſo tumore ma-
num occupante, liber evaſiſſet, in fe-
brem quandam incidit,quam comitaba
tur capitis dolor: membrorũ laxitas, ac

totius corporis pigrities quædam: pro quibus omnibus sanguinem in cubiti fle xu extraximus, & illico melius habuit: omnino tamen querebatur, & meritò sanè, quia multa pituita in intestinis pu trescebat, ut ex excrementis percipieba mus, quæ non nisi pituitosa, & mucosa semper erant: tandem pharmaco propinato, universum corpus evacuante, & nonnullis adhibitis, malam capitis temperiem, & jecinoris emendantibus, sanitati integræ fuit restitutus.

SCHOLIA.

Quum varijs de causis articularis morbus oriri soleat: sic rarò pauperes invadere ipsum videmus, unde rectè Græcus Poëta podagram, deam μισοπτωχὸν*, id est, odio habentem pauperes appellat: quia ad eos nunquam vel rarò accedat: accidit quippe, ac sæpe ad divites, & otio viventes visitat, unde quidam disticho hoc eleganter podagræ originem describẽs, ita dixit.*

Λυσιμελοῦς Βάκχου καὶ λυσιμελοῦς, ἀφροδίτης
Γεννᾶται θυγάτηρ λυσιμελὴς ποδάγρα.

Quæ sic ad verbum verti possunt,
Solvere membra solet Bacchus, solet & Venus ipsa.
Solvere, & ex illis nata podagra solet.

G *Ita ut ex Baccho deo membrorum dissolutore, & Venere dea membrorum dißolutrice, filia podagra nascatur, membrorum dissolutrix. Cæterùm, quum in corona doctorum hominum essemus, & docto huic viro vena secaretur, in dubium versum fuit num pertusa vena illico digitum liceat super imponere, & sanguinis fluxum per paululum tempus cohibere. Secundò, an fluente sanguine, tutò potus aquæ ægroto concedi possit, vel saltem illico post sanguinis missionem, demum ut omnes circa primum absolvendum convenêre, ita circa secundum non parva orta fuit altercatio: quum enim secta vena est, vulneri digitum superimponere optimum esse omnes astruunt: quia virtus discernens deteriorem sanguinem ad sectionem transmittit.*
H *Sed potissimùm hoc fiat consulerẽ, quando ægrotus metu, terrore, vel stomachi demorsu in lipothymiam incidit, vel paratus est incidere. intercepto enim fluore virtus recreatur, & exinde evacuatio completa subsequitur: nec enim hoc tantùm in principio fieri debet, sed ipso fluente sanguine, modo virium imbecillitatẽ timemus, proinde ijs quibus vires debiles sunt hac uti cautela in venæ sectione sanum semper erit consi-*
E *lium. Ad secundum verò dubium, quod est an medio sanguinis cursu aquam ægroto bibendam tutò dare possimus. Respondemus, quòd si non urget necessitas, nec æger in lipothymiam paratus est incidere, quòd tunc nec aqua aut alterius rei potus offerendus est, immo ex toto abnegandus: quia eo forté fluor interciperetur, sed in hoc major dubij vis consistit, an facta venæ sectione: & fluxione cohibita, continuò febricitantibus cõvenit dare frigidæ potum: quia multi ex hodiernis medicis, id tanquam ægrotis convenientissimum moliuntur, & in praxim ducunt, hac fulti ratione, quia quum bonum sit, sanguinem & humores intra venas contentos refrigerare, aqua in stomachum ingesta, a venis sanguinis missione inanitis, attrahitur, & sic*
F *humores refrigerat: qui verò oppositum agendum contendunt Galen. adducunt libro nono Methodi medendi, & alibi dicentem. Cui sanguis extrahitur, interpositis duabus horis, cibus & potus non nisi exhibendus est. At mea sententia: qui febricitantibus aquæ potum a sanguinis missione concedunt, multa sunt laude digni: nimirum, quia ratiocinatione verissima utuntur, & a Galeni mente non aliena. Cæterum, quum in præsenti de chiragra sermo incideret: in mentem venit Ludovicus Vives Valentinus, vir omnium suffragijs doctissimus, ut ejus attestantur monumenta, præcipué commentaria illa quæ super D. Augustini librum de Civitate Dei edidit, qui quum apud Antuerpienses ageret, ac chiragra laboraret, ab eo fui ac-*
G *cersitus ad ipsius bonam recuperandam valetudinem: tophaceas enim durities in manus articulis habebat, quas decoctum ligni guaiaci non rectè exhibitum firmaverat. Natura enim biliosus hic vir erat, qui ob contumacissimas durities illas, quas Græci poros, Latini tophos appellant, calamum ad scribendum vix arripere poterat: & ea de causa quum præsens essem lachrymis perfusus, decoctũ guaiaci deplorabat, & eo magis, quia post ejus haustum, quæ ipse commentarijs meis prioribus super Dioscoridem in lucem editis de guaiaci natura, & temperamento scripseram, legerat: mirum enim in modum guaiacum exiccat: quo fit, temperatura siccis, multum obest, non igitur omnibus indiscretè guaiaci decoctum, præcipuè ex vino con-*
H *fectum offerendum est, quia inde insanabiles ægritudines oriuntur: quare hic lubentissimè admonerem, ut qui complexiones calidas & siccas habent habitudines extenuatas, materiam morbi adustionem, ab hoc potu abstinerẽt: qui verò crassi sunt, natura pituitosi, humores lentos & frigidos habentes, securè eo uti possunt.*

Curatio

Curatio C. De angina occupante laringem, & æsophagum, simulq. quòd per clysteres injecta juscula nutrire possunt.

MVlier nobilis angina vexabatur, ita ut nec loqui nec cibum deglutire esset posibile, unde laringen bronchi, sive tracheæ arteriæ caput dictum, affecta esse, simul ac œsophagi orificiũ, certum est: unde quum sic ac emortua permaneret, per octo dies eam injectis per anũ jusculis, & ptisana servavimus: nec enim bonus medicus in hac re dubium committere debet, an in alvum per anum injecta nutrimenta in corporis substantiam verti posint: novimus enim nos, non ex sophismatibus propositis, aut argumẽtis pro hac re adductis: sed ex ipsa corporis dissectione, quòd nutrimenta clysmatibus per anum injecta optimè nutrire possunt, ut in hac percepimus muliere, quia ex ipso jecinore ad crassiora intestina venulæ quædã propagantur, per quas indigentiæ tempore jecur ipsum ad se nutrimentum per anum injectum ex ipsis crassioribus intestinis attrahere potest, quod noscens Cornelius Celsus lib. 3. suæ medicinæ, cap. 19. minimè de hac re dubitavit, veluti post eum Abinzoar gloriosus, ac cæteri Mauritani, nec Galenus unquam hæc, si non astruxit, saltem negavit, ut libro secundo de Composit. medic. se-A cũdum locos, capite de Cephaleæ cura, & tertio de Symptomatum causis percipi potest. Cæterùm, quum de clysteribus loquor, memoriæ occurrit, quòd quum probus quidam vir ileum, sive iliacum morbum (quem recentiores medici Miserere mei Deus, Latiniores autem Volvulum appellant) pateretur, & per superiora multa evomeret: per inferiora verò nulla remitteret, post plures injectos clysteres, ac oblongas glandulas, quas B Hippoc. longitudinis decem digitorum in latitudine, quãdoque immitti suadet, quibus nihil egesit, ad hoc artificium devenimus, quo scopum obtinuimus, & ægrum ab orci faucibus liberavimus: ita enim artificium habet, follem fabrilem, quo pasim ignem accendimus, optimè concinnatum ano indidimus, & eo flatum in ventrem immisimus, quo extracto infusum emolliens cum trochiscis C alãdahal paratum, per clysterem æneũ, syringam dictam, subitò ejaculari fecimus, quo stercora illico dissoluta, ac colliquata fuere & demum educta: sic enim in hoc morbo operandum suadet Hippocrates libr. 3. de Morbis, cap. 15. quem legere ne pigeat oro: sunt enim pulchra ibi ab eo scripta & ad rem medicam utilisima: & sic primæ centuriæ est finis.

Anconæ Anno M.D.XLIX. kalen.
D Decembris, Romana Sede
Pastore vacante, & Carolo Quinto Cæsare
imperante.

FINIS PRIMÆ CENTVRIÆ.

AMATI LVSITANI MEDICI PRÆSTANTISSIMI CVRATIONVM MEDICINALIVM.

CENTVRIA SECVNDA.

Curatio I. In qua agitur, de destillatione calida.

ILLVSTRISSIMA Domina Iacoba de Monte Iulij tertij Summi Pontificis soror dignissima Anconę destillatione calida laboravit. Testabantur autem notæ multæ destillationẽ hanc ab humore pendere calido & subtili: prima, quia quum a capite humor descendebat, palatum, fauces, guttur, laringem, hoc est tracheæ arteriæ caput, & ijs reliquas affines particulas urebat, exasperabat, vexabat, ac mordebat. Et igneum quoddam excorians descendisse aliquando lamentabatur. Secunda, humoris citrinitas, qui color bilem attestatur: tertia salsus sapor, quem in ore percipiebat non adeo tamen intensum, caliditatem utcunq; præ se ferens. Quarta febricula illam interdum detinens. Quæ omnia, ut nostis, caliditatem & humoris acuitatem arguunt. Porrò humori subtili bilioso, crassiusculus pituitosus erat mixtus, ut ex ipsius humoris substantia per sputum dejecti videbatur. Quin & ejus ætas ita esse clamabat: duos enim supra sexaginta ætatis suæ annos agebat, dominabatur tamẽ (ut dixi) humor

E biliosus, subtilis, qui per palatum in fauces & stomachum defluens, cibum in eo sæpe corrumpebat, quem posteà aciditate infectum evomebat. Qui descensus Græcis catarrhus, Latinis vero propriè destillatio dicitur, nec minus humor hic in asperam arteriam destillabat, qui maximam ac infestam concitabat tussim, quem defluxum Græci branchum, Lati

F ni verò raucedinem appellare solẽt. Hujus quoque humoris portiuncula in nares currebat, aliarum affectionum salubris sanè defluxus, & quem Græci Corizam vocant: latiniores verò Gravedinem. Cæterum, morbus hic a mala cerebri intemperie calida materiali pendentiam habet, pro qua extirpanda removẽdàve sãguinis extractione opus erat;

G præcipuè ex vena cubiti exteriore, quã cephalicam vocamus. Sed quum nonnulla impedimento essent, eam prætermisimus, cujus vice cucurbitulas scapulis admovere fecimus, & ipsis sanguinẽ per vulnuscula extrahere.

Errhinorum medicamentorum vice, aqua violarum erat, quæ nares dilatat,

H & viam reddit liberam materiæ per eas effluxuræ.

Humores quoq; exuberantes a capite deorsum

deorsum delati ac retracti fuêre extremitatum frictionibus,& ligaturis.

Syrupus excellentissimæ huic dominæ oblatus, violaceus erat & jujubinus, cum aqua violarum & hordeacea dilutus,quo crassiuscula facta est materia,quam pilulis,aureis & aggregativis purgavimus,veluti postea manna, cassia fistulari,& alijs similibus. At postea diatragacanthum cum bolo armeno illi offerebamus. In nocte vero pro conciliando somno ac crassiori reddenda materia, syrupum papaveris pondere duarum unciarum cum totidem aquarum lactucæ uncijs bibebat :aliquando vero syrupi huius vice,diacodion solidiori forma paratum in ore tenebat ut oris caliditate eliquatum per asperam arteriam laberetur supine cubando.Nã alio in tempore præsertim somni,supinum decubitum fugere oportet : dormire autem in ventrem magis, ut catarrhus innares defluat expedit,ijs annectere est pilulas bechicas,saccharum Candum,violaceum,diatragacanthum frigidum , præcipue eo modo , quo in Italia album trochiscorum modo concinnatur, & esus apparat⁹ ita habet,R. Gummi tragacanthi boni,unc.2. gummi Arabici unc.1.& drac.2.amyli drac. 4.liquiritiæ mundæ drac.2.omnia subtiliter pulverizentur, & libris quatuor sacchari optimè cocti clarificati, adjiciantur.Postea in mortario marmoreo tam sæpe tractentur cum farina amyli quoad massa fiat apta,ut ex ea trochisci sigillati formari possint. Hoc enim diatragacanthum vulgare universæ Italiæ est,quod albissimum ac ægrotis placidum admodum est,secus autem illud alterum coloris cineritij a Nicholao in suo Antidotario descriptum : tametsi majoris efficaciæ esse non sit diffitendum.

Conditum quoque delicatissimum citare est,quod ex succo violarum ac floribus ipsis violarum contusis, & saccharo exceptis componitur.Paratur autem ad ignem ac rotularum figura redigitur,quod & in ore,ut cætera arthetiaca tenetur.

A Sed & decoctum sputum facilitans interdum sorbebat,quod ex zyzyphis, id est,iuiubis,myxarijs (sebesten hodie officinæ vocant) floribus violarum,hordeo mundo , capillo veneris, glycyrrhiza,uva Sole exiccata , seminibus frigidis,& ijs similibus aqua incoctis constabat : adiectis tamen penidijs ac saccharo,cuius vice , aqua hordeacea saccharata interdum usurpabatur , quum multum existat pectoralis, sicuti iulep violatum,quæ omnia cochleari sumi debent,& paulatim deglutiri ut portio eius assumpti in asperam arteriam deerret.Eodem facit eclegma sequens,quod

B habet, R.Mannæ electæ unc.1.penidiarum unc. 1. & sem.olei amygdalarum dulc.drachm.6. oxymelitis sim. syrupi violacei an.quantum sufficit,misce,fiat electuarium,in formam loch,& hoc sequens,R.Butyri recentis,drachm.2.syrupi violacei compositi quantum ad spissitudinem & formam loch sufficit, misce,& elambendo ut cætera accipiat. At thorax foris oleo violaceo,aut butyro recenti,vel oleo amygdalarum dulcium inungebatur, nec ad emplastra,

C aut cataplasmata ex mucillaginibus seminis lini,fœnigræci,cum malvis & matribus violarum , adiectis oleis prædictis,ut parari solent,devenire opus fuit. Sed dum hæc tractabantur, illustrissima domina male habebat,& morbus graviter eam affligebat, & fluxio sive destillatio perseverabat , ex qua tussis, ut dixi,oboriebatur contumax ac dificilis,pro quibus amovendis curandisve propositum à medicis fuit,aceratum ex tapsia concinnatum: vel emplastrum de stercore columbino,aut emplastrum rubricans ut synapismum , aut huiusmo

D di alterum capiti admovere esset optimum,de qua re Scholia legere est. Cibus huic oblatus capi contusum cum ptisanæ optime concinnatæ parte dimidia:veluti amygdalatum seminibus frigidis paratum.

Potus , vinum subdulce hordeacea aqua dilutum erat , cuius vice , sæpe aqua mellis utebatur. Sed morbo iam inclinante, inter cibos porrum unum vel

vel alterum adnumerare est, quod aqua coctum, ac recenti butyro exceptum, acetarij vice concedebabus. Eo enim multum se delectari aiebat. Nam porrum nimium pectori valere, omnes authores astruunt: quod & Nero Imperator olim non negabat, qui quum bene cantaret, porris multum debere se fatebatur, ut memoriæ commendavit Platina libro suo de Obsonijs, sive de Honesta voluptate. Qua de re hodierni medici porrorum decoctum tanquā pectorale ad multa concinnanda arteriaca medicamenta usurpant. Sed & fabas illi offerre inter nos conventum fuit: præcipue quum iam meliusculè haberet, & materiam spueret. Sed quum dissidium ortum esset, an cum cortice, vel sine eo fabæ coctæ dandæ essent, ideo ab eis abstinuimus, pro qua re investiganda paulisper hìc immorari non pigebit, & eo magis quia hæ sunt res de quibus scire iustum est.

SCHOLIA.

DVo in hac curatione desiderātur: primū, an laboranti catarrho ab humore subtili pendente, emplastrum de tapsia, vel ex stercore columbino confectum, aut huius classis rubricans aliud, admoveri secure eius capiti debeat vel possit? Cui dubio Galenus respondet, quod quando ab humore subtili calido destillante venæ ruptura timetur, vel hominis suffocatio, aut pulmonum exulceratio, vel horum aliud simile malum, tunc illico in principio ceratum ex tapsia vel medicamen, quod ex palumbium stercore constat, capiti apponendum est: ut ex historia libri quinti Methodi medendi quisque percipere poterit, cap. præcipuè 13. ubi de curatione quā Romę in splendida muliere peregit, tractat. Hoc enim remediorum genere nititur Galenus materiam destillantem sursum retrahere, ut sæpe in universa eius doctrina legere est. Institutum enim à nobis est, in hoc scribendi ordine, non authoritates aggerare: prout hodie multi ad doctrinæ ostentationem faciunt, sed res uno vel altero loco signare, ut studiosi postea maiori cum otio eas investigent.

In Galenum porro Alexander Trallianus, vir gravissimus debacchatur. Qui libro secundo suæ medicinę, capite quinto, in quo curationem eorum, qui ob acres humores sanguinem
E *spuunt, percurrit, ita inquit. Nec possum non demirari, quod Galenus mirificus ac summus medicus, inter medelas huius mali, nihil frigorificum, nihil item eorum quę humectant recensuit, sed contraria omnia fecit. Nam intra initium confestim calorificis, siccificisq. usus est: quibus mali causam magis inflammavit, magisque exicavit: pulchre nimirum excretionē sanguinis ab erosione ortam gnarus: proinde rebus ita se habentibus, præstat illico frigorifica & humectantia adhibere potius quam intendendę qualitati causæ insistere quod si ampliorem κακοχυμίαν subesse coniectaveris facienda est evacuatio, qua fiat humorum maximè acrium & biliosorum evulsio, ne intemperie sua & caput, & pectus maiore acrimonia ad-*
F *ficiant. Radebat ille ægri caput, & imponebat medicamen ex stercore agrestium columborū, ducens in laconicem & balneum siccum languentem exhibuitq. theriacam & tapsiam (illam nōnunquam, quum petendus esset somnus.) Neque permittebat olei quicquam, neque capiti, neque pectori, neque reliquo corpori perfundi. Quæ sane omnia ampliorem acredinem inducunt, & abrosionem longè spaciosiorem efficiunt. Nec enim placant, & fluentem materiam sedes vellicando corrodendovè non prohibent. quum tamen satius sit acredinem tempe-*
G *rare, sedare, & quicquid fluit reprimere. Quin etiam tussis, quę sanguinem quoque extundit, mitiganda est, & omnium preterea membrorū temperamentum bonum (quo non est aliud prestantius adminiculum) studiose tueri expedit. Quibus omnibus ad unguem observatis, utendum est his, quæ desiccandi vi cicatricem contrahunt: mea utique opera complures ad pristinam statim reversi sunt valitudinem, nulla adhibita, neque theriaca, neque alijs quibusdam antidotis: usi perpetuo non vellicantibus medicamētis: pracipue vero concinnatis è lapide hematite. Hactenus Alexander. Qui paulo post subdit: Docuimus autem hic, qui propter abrosionem ex distillatione, quam κατάῤῥουν Græci di-*
H *cunt factam, vel ob calidam intemperaturam sanguinem proijciunt, minime utendum esse calfacientibus & exiccantibus, vel aliqua acrimonia præditis medicaminum præsidijs, sed cōtra, ijs potius, quæ nihil, neque acredinis, neque mordacitatis in se continent medicaminibus curationem esse machinandum, & eventum fœlicissimè conatibus respondere. In cujus utique penuria succenturietur lapis armenicus. Ex ijs igitur Alexandri verbis, quæ sic in longum citare placluit, satis claret, eius animum esse in catarrho frigido periculum minante, optimū esse & ceratum de tapsia, & medicamen ex stercore columborum agrestium, capiti appone-*

re:

re, veluti alia calida attrahentia medicamina: secus autem in catarrho à calida & subtili pendente materia. In quam sententiam Aetiũ quoque ire audimus, qui contra Galen. subobscure sermone octavo suæ medicinæ, cap 53. ita loquitur. Melius autem erat, mea quidem sententia, velut fontem malorum exscindere sanato videlicet capite: quod si impossibile sit facere ob vehementiam naturalis intemperiei, omnino tamen eius saluti consulere oportet. Indicatione ex figura ipsius accepta quomodo ei subvenire possit. Non enim mox veluti aliqui medici omnibus capitibus semper ex tapsia & sinapi cataplasmata adhibent, sic & te facere volo. Etenim si a calida intemperie caput vexatur, omnia calida pharmaca nociva existunt, oportet itaq. ipsos balneis multis calidis, potabilium & dulcium aquarum cõsolari, simulq. generatos in capite vapores calidos discutere, & temperaturam omnem in melius mutare. Nocivus autem est eis usus aquarum natura sua calidarum, &c. Hæc Aetius. Qui eodẽ octavo sermone, capite autem 60. in quo eorũ pertractat curationem qui ob distillationem sanguinem expuunt, non aliis quam Galeni utitur verbis a nobis ex lib. 5. Methodi medendi superius adductis: à quibus nec Paulus Aegineta quicquam, ut solet, dissidet, ubi de cruẽtis sputis, libro suo tertio sermonem facit, capite scilicet 31. quibus verbis. Avicenna, ut solet, adstipulatur Fen decima libri tertii sui Canonis, tractatu tertio, capite sexto. Ubi ut obiter hoc attingam inepte admodum interpres, pro tapsia, rutam sylvestrem vertit. Cæterum, nos tametsi periculum esse novimus inter tam graves ac præcipuos authores iudiciũ facere id tamen quod longa experientia observatum habemus, referre minime gravabimur. Ubi enim catarrhi materia est frigida, intemperiem cerebri frigidam corrigimus, eumque sacculis ex salvia, maiorana, stœcade, betonica, origano, pulegio, milio, thure sale, melanthio, & similibus, roboramus: quin & id lavare mandamus vino aromatico vel malvatico, adiectis caryophyllis, nuce muschata, utroque cardamo, & galanga, immo & lexivio capitabilibus plantaginis apparato: quod si votis non responderit, ad synapismum, vel ceratum ex tapsia, aut medicamentum confectum ex fimo columborum agrestium devenimus: modo morbus nobis inducias det: quod si a principio illico periculum secum trahat, nulla interposita mora, ad hæc dicta confugimus medicamenta, veluti ad vesicatoria & candes ferramentum, cauterium dictum, commissuræ coronali imponendo. At si catarrhus à materia calida, subtili, & acri, eveniat, a qua suffocatio-

A nis periculum impendet, aut excoriatio vel venæ ruptura cum tussi aspera, & insomnia, tunc omnibus machinamentis materiam expellere solicitamur, & eam refrenare, ac frigidis & humidis medicamentis crassiorem reddere: ad pilulas de cynoglossa, & opiata medicamenta usq. deveniendo: exterius vero olea frigida, & unguenta refrigeratoria admovendo: quod si non profuerint, aut morbus non remittetur, tũc ad vesicatorium sincipiti ad summum devenimus, cerata & emplastra calida omnino fugiẽtes. Si morbus tamen inducias præbet, in brachio, primo non procul a capite corvi loco humero insito, cauteriũ affigimus, in eo præcipuè brachio, versus quod partem capitis catarrhus magis affligit. Nonnunquam vero apertionem post aures facimus. Cauterium vero commissuræ coronali raro in calida affectione admittimus: quanquam Arculanus, ac fere omnes prab
B cticì indiscriminatim in utroq. catarrho tã frigido, quam calido, cauterium hoc summe laudant: præcipue si per longum tempus apertum ulcus dimittatur, quia per id copiosa & multa materia vacuatur: mea tamen sententia in calido catarrho cauterium fugiendum est: quia membrum magis inflammat, & materiam fluxibiliorem, & acutiorem, ac magis acrem reddit, quod experientia comprobatum habemus. Et Alexander Trallianus non siluit libro secundo suæ medicinæ, capite quinto; ubi ita inquit: Cognovimus vero quempiam, qui propter
C mali & noxii humoris fluxum in pectus (frigida intemperie) hoc malum incurrit, cauterii caput inussisse, atq. omnibus illico symptomatis caruisse: ita sane ut ipsa qua tenebatur humorum officium facientium plenitudine penitus exhausta, tussique sublata, exulcerationibusq. exustionis beneficio fluxu destitutis, sanitatem recuperarit. Ita porro affectis thermæ summo remedio sunt, quemadmodum contra qui ex calida intemperatura in morbum incidunt: his calorifica sunt aliena, & frigida expediunt, ex quibus Alexandri verbis satis manifestum evadit, quam pueriliter Hieronymus Cardanus, medicus Mediolanensis in suo de Malo medendi usu libello errat: quum absolute nulla habita caliditatis aut frigiditatis ratione, in destilla-
D tionibus actualia cauteria prohibet: absq. enim hoc remediorum genere clarissima hęc domina intra dies triginta ad sanitatem integram fuit restituta. Nunc demum secundum dubium restat. An fabæ excreationibus pectoris & pulmonis conveniant. Secundo, an cum cortice, dandæ sint fabæ. Pro quo absolvendo, primo notum omnibus esse arbitror, fabam (de sicca enim loquimur) frigidam & siccam fere in primo gradu esse, ut tradit Galenus lib. 7 de Facultatibus

cultatibus simplicium medicamentorum, ex qua edulium adeo flatulentum paratur, ipsam flatulentam arguens, ut si per tres dies quis eã coxerit, nunquam ab hoc flatu expolliabitur, ut reffert Galenus lib. 1. de Victus ratione in morbis acutis enarratione decimaoctava, dicens, Ptisanam si valde coxeris, cibum haudquaquam flatuosum efficies, κύαμος autem fabaceum, (ita Græci vocant) neq; si tribus coxeris diebus, flatu viduum orbatùmque reddideris: nempe ex propria substantia, quod flatuosum est, habet, non autem ob diminutam coctionem veluti ptisana: eodem pertinent quæ ipse libro de Attenuante victus ratione, capite de fabis, tradit, inquiens. Fabæ coctu sunt difficiles & multum flatulentę proinde gladiatoribus olim cibus erat, ut meminit lib. 1 de Aliment. facul. ijs enim de fabis præscitis quod difficilis concoctionis sint, ac nimis flatulentæ, ad dubium revertamur. An pectoris & pulmonis excreationibus conveniãt faba? Cui dubio, omnes tam Græci, quam Arabes respondent, quod sic, nimirum docente id primo Galeno lib. 7. citati voluminis ubi ita inquit. Porrò, ut edulium flatuẽtum est faba, ac coctu difficile, si quid aliud: ita excreationibus ex pectore & pulmone idonea, & cætera. Sed an cum corticibus vel sine eis coquendæ sint, ut excreationibus prosint, hoc opus hic labor est. Gal. citato lib. 7. de Facultatibus simpl. medic. inquit Caro eius paulum quoq; abstergentis facultatis continet sicut putamen non nihil abstringentis. Qua de causa, medicorum nonnulli totam fabam cum oxycrato decoctam dysentericis, cœliacis, vomentibus, quos λυϊεντικοὺς nominant, exhibuerunt. Ex quibus verbis satis constat carnem fabarum depositis putaminibus coquendam esse, ac pectoris affectionibus & vitijs laborantibus propinandã esse. Quod Galenus ipse ita faciendum præcipit lib. 7. de Compositione medicamentorum secundum locos, cap. 1. in quo de affectionibus circa partes respirationis contingentibus agit. Inibi enim inter reliqua pectori convenientia, fabam fresam elixam, numerat: est autem faba fresa, absq; corticibus fracta, albaque reddita: prout hodie varijs in locis venalis habetur. In quam Gal. sententiã Avicenna vadit, ac post eũ omnes practicas scribentes. At Paulus Aegineta, ut solet, lib. 7. suæ Medicinæ Gal. subscribit, libro tamen tertio, capite de Raucitatis curatione, longe dissidet, quum fabas suis corticibus elixas, tanquã valentius abstergentes concedat. Hæc enim sunt Pauli verba. At si humor in particulas se receperit, transeundũ est ad ea, quę valentius abstergunt: cuiusmodi est faba cum corticibus suis elixa, & quæ ex melle preparantur. Ob hæc autem Pauli verba

E *dubium hoc a nobis propositum fuit, quę ex directo omnibus authoribus adversantur. Immo sibi Paulus contradixit lib. 7. ubi Gal. verbis subscribit. Proinde, ut paucis rem absolvam, non aliud certe crediderim quam mendam subesse huic Pauli textui, aut potius Græco exemplari, quum pro ea locutione, cuiusmodi est faba absq; corticib. suis elixa, dixerit, cum corticibus suis elixa. Non me latet tamen hodie ex fabarum corticibus aquam per campanam extillari, quę summopere urinam ciet & apprime diuretica est: quod opus potius abstertionẽ quã constrictionem arguit: quanquam eos cortices, utpote astringentes in unguento de corticibus, castanearum dicto, & de comitissa, ingredi nos non lateat. Si quis tamen meliora adduxerit,*
F *non gravabor sententiam mutare.*



Curatio secunda, in qua agitur de occipitio fracto.

PVER natus annos sex per scalam cecidit, & in occipite ita fortiter percussus fuit, ut illico evomuerit, ac tanquam mortuus per dimidiam horam prostratus iacuerit, ad quem accersitus, iubeo chirurgũ in ea occipitis par-
G te, magnam in crucem facere apertionem; indicabant enim prædicta symptomata calvariam dissectam esse, ac cerebrum læsionem pati: quæ omnia, secunda curatione ita esse apparuerunt, non sine tamen assistentium omnium admiratione: erat enim occipitis os, quod densissimum & firmissimum est, maximam rimam a medio lambdoeidis commissuræ incipientem versus pri-
H mam vertebram habens: quam rimam assistentes chirurgi suturam existimabant, ignorantes alioquin quod sicut sagittalis sutura è medio lambdoeides aliquando ad nares usque, tam in masculis, quam in fœminis, protendi visa est, ita à medio lambdoiedes versus primã vertebram, nunquam nec in valde puerulis: sed esto quod sutura esset, per eam sanguinem ingredi credere par erat, qui postea putrefit, & egrum ad obitũ

trahit:

trahit: ob quam causam, inibi craniũ perforare ad duram usque meningem perforare opus erat, nec vereri est, quod Hippocrates libro de Capitis vulneribus, agendum suadet, scilicet quod suturas ipsas perforare non debemus, sed secedendo in propinquo osse perforationẽ faciamus. Nam tametsi vera ac indubitata hæc Hippocratis sit doctrina, ob duram suspensam meningem: plerunq. tamen cogimur, quum sutura plus iusto aperta est, super eam radere pericraneum primo: inde unguibus, vel ut melius fieri poterit, separando, à qua operatione nullum malum oriri hucusque vidimus, sed magis mortem nonnullis supervenisse, ob id quod super suturam aperire chirurgi timebant, observavimus. Vidimus autem nos Ferrariæ magnifici Antonij Luceij medici illustrissimæ Renatæ Ducis Ferrariæ uxorem, quæ cum é plaustro cum prædicta illustrissima domina caderet, in capite vulnere uno vel altero affecta fuit, præcipue circa squamosam sive mendosam suturam. Pro cuius curatione, quum varij medici & chirurgi præsentes essent, nos resonante voce squamosam illam plus iusto disiunctam esse diximus: per quam apertionem sanguinis portiunculam subintrasse timebamus, idcirco rasorio, aut scalpro ad duram usq. meningem cranium perforare, quum inde nihil nisi faustum & bonum evenire poterat, contendebamus. Quod si non fieret, multa inde mala oriri posse, prout postea evenerunt, testati sumus: in gravissima autem symptomata magnifica hæc Domina incidit, ex quib. illi mors subsecuta est. Rimam igitur in puero de quo agimus, conspectam, secundum profunditatem ad duram usq. meningẽ perforare fecimus, terebellum fugientes, ac oleo omphacino, & ovi vitello ad aliquot dies utentes, ad mel rosaceũ collatitium devenimus, superadditis unguentis necessarijs, quibus intra quadraginta dies sanitati fuit restitutus. Solidescit autem calvaria fracta plerunque trigintaquinq. diebus.

SCHOLIA.

CVM omni capitis osse robustius sit os occipitis, mirari est quomodo ex casu fissurã adeptum sit. Item quum pueri esset os, quomodo non plicatum fuit, non vero diruptum, aut scissum. Quibus dubijs respondemus. Primo raro contingere occipitium ob sui duritiam frangi, quia tamen obnoxium, ut cætera ossa erat, frangi non est mirari: quibus addimus, quod quia durum est, scissum fuit. Nam si molle, ut sincipitis esset, forè plicaretur: nec rimam aut fracturam pateretur, ut alijs evenisse visum est puerulis, & nos Centuria prima harum medicarum curationum meminimus. Porrò de cranij fracturis, legito Galenum, libro sexto Methodi medendi.

Curatio tertia, in qua agitur de quodam, qui ob capparum multorum esum, in quædam symptomata gravia devenit.

MONACHVS Recinensis, qui apud cœnobium divi Dominici, pedagogi officio fungebatur, quũ morbo ex meatuum circa iecur obstructione iandiu laboraret, medicorum consilio, in prandio & cœna nullo alio acetario quam oxelæo paratis capparibus utebatur. Ile vero credens citius ab affectione illa se iri liberatum, si plures in cibo acciperet, scutellam capparibus plenam præcipue in cœna esitabat. Ex quibus succus, quidam genitus fuit ipsum in stomachi rosiones, & insomnia quædam trahens. Qui quum sic per aliquot noctes in somnis afflictus, absq. febri tamen, perseveraret, ad me venit, medicamentum, quo morbum profligaret, petens. Porrò quum de victu, & cibarijs uti solitis ab eo quærerem, plures cappares singulis diebus comedisse me monuit: à quibus humorem illum salsuginosum, ac porri virorem referentem, ortum traxisse coniector: id quod ita esse postea inveni, ab eis enim ut in totum

tum abstineret suasi. Demum expulso humore illo, per bolum ex cassia fistula ri, & pauculo agarico confectum, ab illis affectionibus liber, & immunis evasit, nec amplius in easdem rediit.

SCHOLIA.

TAMETSI capparis radicis cortex, & eius fructus, virium proportione respondeant, ad omnia tamen cortex quam fructus & folia, potentior est. Ceterum capparis ex diversis pugnantibusq. constat facultatibus, ut meminit Galenus lib. 7. de Facul. simp. med. Nam sua amaritudine capparis extergit, purgat & incidit: acrimonia vero excalfacit, incidit, ac degerit: porro acerbitate contrahit, densat, ac constringit. Unde lieni indurato, ac iecinori obstructo maximè opitulatur. Præterea ad collapsam appetentiam incitandam cappares accõmodatissimæ sunt, quibus ut medicamento verius, quam alimento sale (ut ad nos importari solẽt) cõspersis uti solemus: oxelæo tñ, aut oxymelite paratis. Siquis tñ illis liberalius, quã deceat, utatur, & vice cibi eisdẽ vescatur, ex eisdẽ serosum, vel biliosum, aut melancholicũ gigni humorem certum est, ut nostro intervenit ęgroto, & Galenus confirmat libro de Cibis boni & mali succi, capite secundo in hunc modũ dicens. Necesse est enim crudos, crassosq. humores, vel concoqui, vertiq in sanguinem, vel in F *putredinem labi, non secus ac quæ calidis in locis diutius manserint. Quamobrem inventa á medicis medicamenta sunt, quæ salubria appellantur, tenuãdi scilicet vim habentia. Ea namque adstrictos meatus abstructionibus liberãt: ac si quid lenti humoris infixum vasis, hærensque fuerit abstergunt: crassasq. humiditates attenuant, ac dissecant. Quod si eis quispiam uberius utatur, ea vel serosum, vel biliosum, vel melancholicum procedente tempore efficiunt sanguinem. Hęc Galen. Per quæ satis constant cappares hoc efficere posse. Nam Avicenna authore, cappares secundo gradu calidæ & siccæ sunt, quæ inter salubria citata medicamenta merito reponi debent. Nam sua acuitate sanguinem biliosum, & melancholicum, iis qui uberius eis vescuntur, efficiunt. Quinetiam eorum substantia salis causa parvum præbet nutrimentum: quod in totum dixerim biliosum, & salsuginosum, ex quo aucto, non nisi intestinorũ et ventriculi rosiones nascuntur. Capitis dolor: per universum corpus proritus, ac urinę difficultas, ob quæ insomnis homo plerumq. evadit. Animadvertãt igitur medici, qui princi-* E *pum curam habẽt, ne liberalius quam deceat, capparibus eos vesci permittant. Parce enim cappares comedi debent: & (ut Galenus tradit) medicinæ tantum ratione, quia medicinæ cibalis dicuntur. Quæ omnia de asparagis, & crethamo, fœniculo dicto marino, dicta puta to. Nam plus iusto comesti, prasinam bilem gignunt, ut nos ipsi experientia compertum habemus, & plures frequenter observaverunt.*

Curatio quarta, in qua agitur de quodam, qui ob errorem commissum in pleuritide mortuus fuit.

QVIDAM Anconitanus natus annos quinque supra viginti, fortis & robustus, pleuritide correptus fuit: ad quem vocatus, illico ex axillari vena eiusdem lateris, ubi dolor erat, sanguinem extrahere feci, quem postea ægri resumptis viribus, ex eodem loco fluere feci, ita ut intra quartum diem, dolor ex toto sublatus fuerit, & æger post multum sputi reiectionem se sanum di- G ceret. Sequenti vero nocte, quum suo & aliorum iudicio bene valeret, cum uxore rem habuit, unde dolor intensissimus, & symptomata gravissima illum denuo invaserunt, adeo ut intra biduum eum interfecerint, obiit autem ultimo sexti diei.

Curatio quinta, in qua agitur de coccyge osse, cauda dicto, recurvo, ac inflammatione prope ipsum oborta. H

IOHANNES Cordella, Anconitanus, natus annos vigintiseptem, inflammatione cum ingenti dolore circa podicem

podicem laborabat, ex qua & febricitabat, & ita quærebatur, ut remediorũ applicationé omnino pertimesceret, nec quicquã super eum locum admitteret: clavum enim, aut spinam inibi infixã se habere clamabat. Ego vero causã unde morb. oriri poterat perquirens, cum Gallis iter fecisse, ac eorũ more succussatore equo equitasse, respondit, quo audito in menté venit, forte fortuna huic coccygem os, quod communiter caudã dicunt, plicatum, ac fere confractũ fuisse, quod aliquando evenire solet iis, qui ex alto cadunt, vel qui plus iusto concutiuntur, ut ab equis, qui concutiẽdo sessorem gradiuntur gradarijs oppositis, sæpe fit, potissimũ iis, qui extra consuetudiné talibus equis utuntur. Apposito igitur maturante medicamento, ac disrupta phlegmone, & multo ex ea pure deposito æger melius habuit. Protinus igitur assistens chirurgus, nostro consilio indicem digitum manus sinistræ per ægrotantis anũ immisit, ac (ut præ dixeramus) coccygem male affectum inveniens, in suum locum dextra manu reduxit. Et paucis postea admotis idoneis medicamentis, intra paucos dies sanitati fuit restitutus.

SCHOLIA.

Coccyx os est cauda dictum, ab osse sacro ortum habens, quod tam hominib. quam simijs, tribus constat ossiculis chartilagineis, potius quã osseis. In quo G libro de Ossibus, nonnulla paria nervorum reperiri, ac per id disseminari tradit, quod verum esse in simijs sciatis velim, secus autem in homine, quum nulli in eo videantur, nec foramina percipiantur illa, per quæ nervi propagari, aut disseminari aliqui possint. Quibus addere est, quod spinalis medulla ossi sacro terminatur, nec ad coccygem descendit, a qua nervi originem (ut nostis) trahunt. Proinde in homine coccygem nullis ornari nervis certissimum est: nec minus, ut obiter hoc attingam, de osse sacro a Galeno dicta intelligi debent. Ex tribus enim particulis os sacrum construi capite undecimo dixit. Quod in simijs verificari novimus. Nam humanum os sacrum ex sex constructum est ossibus. Porro coccygis male affecti curationem breviter, sed doctissimè, ac

A *artificiosissime attingit Paulus Aegineta libri sui sexti, capite 98. a quo nos in hac curatione edocti sumus. Sed unum præterire non licet, quod inibi quando de osse sacro loquitur, proprie de coccyge sermonem facit, quum dicat. Cæterum osse sacro contracto index sinistræ manus digitus in anũ demittendus est, &c.*

Curatio sexta, in qua agitur de puero comitiali morbo laborante, quem Epilepsiam vocamus.

B PVER natus annos undecim, ulcus in crure habebat, quod quum diligentia pluribus elapsis mensibus curaret, & ad sanitatem reduceret, in Epilepsiã morbum comitialem dictum, incidit. Qui cum ad me veniret, & consilium de propulsando morbo peteret, inter cætera insinuat, morbum ortum post ulceris sanationem esse. At ipse quęrens, an antea quum malo corriperetur, & in paroxysmum deveniret,
C aliquid per corpus obrepens sentiret? Ille illico respondet. A crure prope ulcus auram, seu spiritum frigidũ sursum ferri, ac caput petere, persensisse. Qui quum caput attingebat, illico in terrã concidebat, nec mente constabat. Quibus auditis, morbum per consensum fieri, & eius curationem in ulceris antiqui apertione consistere, in mentem subvenit. Proinde habitis syrupis pituitam respicientibus, universum eius corpus purgavimus, ac supra ulcus erodens, sive causticum dictum medicamentum admovimus, per quod adapertum sa-
D nies, & ichores retenti, olim soliti descendere, fluere cœperunt. Demum ligato crure, & vinculis parte in superiore intercepto, ac constricto, instituto optimo victus ordine, puerum intra duos menses in pristinam reddidimus valetudinem.

SCHOLIA.

HANC pueri curationem Galeno acceptā referimus lib. 3. de Locis affectis cap. 5. & Rasi Arabum facile principi libro suo nono ad Regem Almansorem dicato, capite undecimo, quos per otium legito.

Curatio septima in qua agitur de Paralysi, id est, nervorum resolutione & spasmo, id est, convulsione, ac oris distortione.

MVlier ob sui pulchritudinem ab omnib. formosa vocata, quum utero gereret, oris tortura, ac nervorum retractione corripi cœpit, quæ indies magis, ac magis vexabatur, & accessione quotidie pluries detinebatur. Hæc puellam optime peperit, & menstrua, ut decet, responderunt. Paucis tamen interiectis diebus paralysi oppressa fuit, adeo ut eius brachium, & dextrum crus immo totum illud latus, non moveret. Cōtra quam ægritudinem nos varijs remedijs pituitam, caput, & nervorum originem infestantem respicientibus, usi sumus. Eam primo extenuando, & incidendo sequenti potu, R. Mellis rosati colati, unc. 1. oxymelitis simpl. unc. 1. aquarum betonicæ, salviæ an. unc. 1. & semis, Misce, fiat syrupus. Quatuor vero ebibitis, catapotia hæc deglutiēda dedimus, quæ ita habēt, R. Pilularū de hiera, scrup. 2. de agarico, asseieret. ā. scru. 1. diagridij gra. 3. cum melle rosato formentur pilulæ quinq. & eas deglutiat quatuor horis post cœnam. Sic enim paralysi affecti leviter tractandi sunt, præsertim quando morb. dat inducias. Postea tribus interpositis diebus, in quib. & antea, quod alvus responderet clysteri vel balano admodum soliciti eram⁹, potum istum concessimus. R. Betonicę, E salviæ, stœchados, hyssopi, maioranæ, satureiæ, chamæpitys, an. manip. semis, polypodij quercini recentis unc. 1. uvarum passarum absq. granis, unc. 3. seminis anisi, feniculi an. drac. 2. in libris sex aquæ fiat decoctio ad medias, & coletur, tunc R. prædicti decocti unc. 4. syrupi de betonica, de stœchade ana unc. 1. Misce, fiat syrupus, & sexies iteretur. Postea vero iis catapotijs alvus subducta fuit, quæ habent, Pilu. fœtidarum Mesuæ, cocciarum Rasis ana scrupu. 2. diagridij gran. tria, cum syrupo de betonica formentur pilulæ quinque, & F inauratas hora prædicta deglutiat, post quas melius habere cœpit. At quum morbus diuturnus, & longus est, repetita evacuatione opus habet. Qua de causa iteratis syrupis, ad prædictas pilulas devenimus, veluti de sagapeno (serapinum officinarum mangones appellant) de opopanaco, non omittentes tamen agaricum in pasta recens paratum. Nā trochiscatum, quod officinis prostat, plerunque vetus est, & si recens paratum est, suas quoque in præparatione amit- G tit vires. Sed unum scire tyrones decet, quod in paralysi & affectibus partium remotarum, pilularis forma aptior est, quia sua in ventriculo longiore mora pilulæ à remotis partibus attrahunt. Itē scire decet, quod etsi acetum crassam pituitam tenuet, & lentam incidat, quæ paralysis mater est, quia tamen nervis maxime obest, quorum affectus paralysis dicitur, eius usus abnegandus est, veluti omnium frigidorum, & mordacium. Si tamen acetum cōcedi debeat, melli rosaceo admixtum esse debet, H quum mel rosatum eius infringat noxas, vel saltem quod passulis parari solet, & acetum passulatum dicitur, quod & ad intinctus usurpari posset.

Sed interim dū hæc agebantur, materiam per exterius digerebamus, hoc est resolvebamus, & cerebrum nervorum originem, ac spinalem medullam, veluti, partes ab hac materia læsas roborabamus. Primis igitur diebus, mitia exploravimus, ut oleū chamæmelinum, anethinum, de vermibus, liliaceum,

irinum. Deinceps ad valentiora accessimus, ut vulpinũ, costinũ, rutaceum, laurinũ, de castoreo, de laterib. sive saxo, & philosophorũ hodie dicto, de piperib. de euphorbio, de terebinthina, quibus addere est aquam vitæ, & similia, vice quorum unguenta quoque apponebantur, & unguentum Agrippæ, marciatũ, aragon, vel hoc à nobis paratum, quod habet ita, Recipe Summitatum rutæ, savinæ, cucumeris asinini, maioranæ, salviæ, menthæ, roris marini, hyssopi, ebulorũ an. manipulũ semis, radicis brioniæ, cucumeris sylvestris asinini dicti, ireos ana unc. I. syleris montani, stœchados, betonicæ, chamæpitys, chamædrys ana pugillum I. olei anethini libras tres, rutacei libras duas, axungiæ gallinæ, anatis, taxi ana unc. semis, vini quantum sufficit, omnibus triturãdis trituratis, fiat unguentum molle ad ignem, secundum artis ministerium cũ sufficienti cera. Hoc enim & predictis membra inungebantur, manibusque fricabantur, quæ postea lana succida operiebantur: sed caput & cervix pelle vulpina fasciabantur. At post multas totius corporis evacuationes, inter quas hirudines ano amotas numerare est, pluribus diversionib. usi sumus, materiam, quæ ad spinalem medullam defluebat, avertẽtibus, ut frictionib. errhinis, sternutatorijs, apophlegmatismis, gargarismatis, & huiuscemodi alijs. Victus ratio in universum calida & sicca erat, ac attenuatoria. Erant autem cibi boni succi & concoctu faciles, potius assi, quam aqua cocti, potissimum aviculárum montanarum carnes, perdicum, phasianorum, & similium. Cæterum ova sorbilia, amygdalas, y pini nucleos, ac uvam passam, & ex oleribus fœniculum, petroselinum, hyssopum, maioranam, salviam, mentam, cherefolium & satureiam, in usu habebat, non minus quam cappares & asparagos, fructus porro frigidos, & humidos ac pisces illi in totum prohibebamus. A potu eã, quãtum possibile erat, arcebamus, imo sitim quantum ferre posset, sustineret, consulebamus. Erat tamen potus aqua

A mellis: cui salvia aut cinnamomum erat admixtum. Termarum aquæ, hoc est, sulphureæ, aluminosæ, salsuginosæ, & similes, tametsi huic conveniant morbo, eis tamen usi non sumus, quum prædicta sufficerint, ita ut intra duos menses sanitati fuerit restituta. Cæterum, quum bene valeret, & extra domum hinc inde exiret, ac nonnullos fructus virides comederet, in eundem morbũ relapsa est, & ita ab eo affligebatur, ut omnibus esset admirationi. Nam decies & amplius paroxysmo in die apprehenB debatur, in quo corpus è cubili fere elevabatur, & membra omnia contra naturam movebantur, convellebãtur, ac in contrariam partem trahebantur. Nã os in totum contorquebatur, & spumãs ad nucham fere venire percipiebatur. Quin & oculi ita sedes suas occupabãt, ut eos foras posilire assistentes timerent. Morbus rarus is est, & a paucis visus. Multi porro assistentium, à dæmone malo agitari contendebant, & ob id nullis proficientibus idoneis adhibitis præsidijs, Religiosis fuit commissa. Quę C postea paucis interiectis diebus diem suum obijt. Quum tamen paroxysmus eam invadere vellet, misere acclamabat, persentiens nonnunquam à pede uno vel altero, aliquando à manibus auram ad caput ascendentem, raro tamen à particulari loco, quod à medico summopere animadvertendum esse Galenus commendat.

SCHOLIA.

D *Eodem in corpore & paralysim & cõvulsionẽ fieri posse, pro varia nervorum affectione docuit Galenus varijs in locis suæ doctrinæ: præcipué libris de locis affectis, ab eadem tamen materia pituitosa & frigida uterque morbus originem suam trahit. Sed in paralysi nervorum fit dissolutio, sive resolutio, in convulsione vero eorum fit retractio, sive ob repletionem, sive inanitionem fieri cõtingat, ut exẽpla passim adducta satis testantur. Cæterum cavendum est, in paralysis initio fluente scilicet materia, calfacientibus multũ, ne materiã colliquemus, & eã per vias à calore eodem latiores redditas, magis fluxibilem facia-*

faciamus. Sed dubium hic occurrit, cuinam parti oris torturæ medicamenta admoveri debeant? quod etsi a nonnullis propositum sit (a nemine tamen, quod sciam) hucusque satis discussum est. Proinde nos paucis rem habendam secundum Galeni dogmata, & veritatem ipsam nunc edocere conabimur. Oris distortio duplici modo fieri solet, aut paralysi, aut convulsione, spasmo dicto. Quando enim paralysi oris distortio oborta est, tunc nervorum resolutio præcessit in parte præcipue opposita: verbi gratia. Dissolvuntur & laxantur nervi, & musculi labri dextri: tunc necessum est nervos & musculos sinistri labri retractionem facere, ut refert Galen. libro quarto de Locis affectis, capite de Faciei affectionibus. Cuius rei causam retulit libro de Motu musculorum, quem oro per otium legatis. Difficile sane quæsitum videtur. Si universum corpus in duas dissectum est partes, secundum duorum ventriculorum cerebri divisionem: & in unaquaque parte nervi suum munus obeunt, hoc est dextri in dextra parte, & sinistri in sinistra, cur resolutis nervis & musculis labri dextri non fit retractio ex eadem dextra parte, & non ex adversa, ut tradit Galenus? Nos Galeni doctrina muniti, huic dupliciter respondemus: primo quum nervi, & musculi in faciei, aut labri parte altera resolvuntur, ex eadem parte ob ipsam nervorum resolutionem attractio fieri non potest: quia in totum nervi resoluti, laxati, ac exangues sunt facti. Secundo respondemus, quod nervi utriq. parti faciei inserti, ipsam faciem rectam stare faciunt: non minus ac freni habenæ æquales, equum recto capite ambulare sinunt. Nam si earum alteram dissolvi, aut laxari, vel disrumpi contingat, ad contrariam partem caput equi retrahi necessum erit. Proinde quum altera faciei in parte nervus resolvitur, oppositæ partis nervus retractionem omnino faciet. Nec minus in brachio hoc evenire videmus. Si enim interni brachij musculi, & nervi sunt incisi, in sylvestrem partem brachium labitur, non tantum sui pondere, quantum nervorum & musculorum sylvestrium retractione. Si vero sylvestris partis brachij musculos & nervos præscindi contingat, tunc ad interiorem partem, domesticam dictam, brachium flectetur, interni nervi, & musculi ad se brachium trahunt, ut Galenus latius libro a nobis citato, de Musculorum motu, meminit. Sed ijs præscitis, ad institutum sermonem redeamus. Oris tortura a paralysi, id est, nervorum dissolutione orta, duas habet notatu dignas partes, alteram dissolutam, laxatam & suis functionibus de-

E stitutam, quæ omnino remedium exposcit, alteram attrahentem, in quam tortura tendit, cui etsi remedia admoveri debeant, non ea tamen diligentia, qua dissolutæ parti prædictæ. Quando vero oris tortura ab spasmo convulsione dicta, quę plerunque evenire solet, originem trahit, tunc parte attrahenti medicamen præcipue applicandum erit. In utraque tamen affectione nervorum origo roboranda, ac instauranda est. Sed quęret diligens medicus, & qui ægros sic affectos prę manibus habet. Quomodo discernere sciam facile torturam evenientem à paralysi, ab ea quæ per convulsionem fit? Cui nos respondentes dicimus, Easdem fere inter utrasque has affectiones, dissimilitudines reperiri, F quæ inter apoplexiam & epilesiam reperiuntur. Nam paralysis particularis est apoplexia, in qua cerebrum magis patitur & consequenter nervus magis læditur: ita ut plerunque, cum adest paralysis, motum membri affecti, aut sensum, interdum utrumque deperdi contingat. Quum igitur torturam à nervorum solutione paralysi dicta evenire contingit, in ea potissimum parte quę resoluta est, & affici non apparet, alterum trium (ut dixi) reperiri necesse est, aut sensus, aut motus, aut utriusque amissionem: ut refert Galen. libro primo de Symptomatum causis, capite quarto, & libro tertio G de locis affectis, capite penultimo. In ea vero tortura, quæ ab spasmo sive convulsione fit, nullum horum trium deperdi necesse est. Propterea hæc exercitato medico opus habent, ut qui quoque consideret, an affectiones hæ per primigeniam affectionem, vel potius per consensum fiant.

Curatio octava, in qua ostenditur, quomodo dignosci debeat imbecillitas virium per oppressionem fa-H cta, ab ea, quæ per dissolutionem contingit.

PAulus Racanus nobilis Anconitanus, ætatis suæ anno secundo supra sexagesimum, causonide laborare cœpit. Ad quē quū accederemus, & alij pręsentes essent medici propositū fuit de

de virium vitalium imbecillitate, in
quã ille intra duos dies inciderat. An per
oppresſionẽ morbi gravationem passe,
ut multi dicunt, vel potius per ipsarum
solutionem & disſipationem imbecil-
les factæ essent? Cũ in hoc totius cura-
tionis scopus cõsisteret, non quod a viri
bus indicatio desumpta in curatricũ in-
dicationum numerũ ingrediatur, quũ
ab effectib. ipsis, medici primo medẽdi
indicationem sumere debeant, viribus
tamen non neglectis. Ita enim Galen.
libro nono Methodi medendi capite
tertiodecimo inquit. Prima omnium
indicatio est, quæ à virtute sumitur. Ve
rum non sic prima, ut quæ curationem
doceat, quum ex numero curatricum in
dicationum non sit: sed (ut ita dixerim)
vitalium, sive quæ ad vitæ custodiam
pertinent. Nam neque, ut valeamus,
nec ut à morbis liberemur, ab ea quic-
quam primum desumimus: sed ut viva
mus. Additum autem in sermone est il-
lud primum, quod ex accidenti aliquã-
do virtutis roboratio ad affect⁹ curatio
nem conducit. Hæc Galenus. Quæ ad
institutum nostrum facere videntur.
Ex medicis igitur assistentibus, alter vi
rium imbecillitatem per solutionem si
ve dissipationem esse nimirum homi-
nis ætatem senilem, ac morbi maligni-
tatem, quam contemplaretur factam, di
xit: Alter vero per oppresſionem, sive
morbi gravationem potius ortam con-
tendebat, quia tametsi homo in ea con-
stitutus esset ætate dicta, optimi tamen
habitus erat, & robustus. Vnde cre-
dere par erat hominem, tam parvo
temporis tractu, non ita valenter re-
solvi potuisse: sed magis ob morbi a-
cumen, & materierum multitudinem,
virium imbecillitatem contigisse. Præ-
valuit tandem hic, qui ob oppresſionẽ,
virium imbecillitatem subortam esse
acriter contendebat. Ac tenui adhibita
victus ratione, & factis debitis evacua-
tionibus, ex forti causonide tertiana
continua non admodum acris reddi-
ta est. Tãdem intra quatuordecim dies
morbus ex toto solutus fuit, & æger ad
pristinam valetudinem regressus. Elap

A so vero anno, quum simili morbo, me
absente, torqueretur, obiit.

SCHOLIA.

*DERIDET Hippocrates sui temporis
medicos, ut qui virium imbecillitates dis
cernere nescirent libro secũdo de Ratione vi-
ctus in morbis acutis, textu quadragesimoocta
vo. Ex quo virium robur tripliciter imbecilli-
tari deprehenditur. Vno modo per inanitionẽ,
hoc est, post largas habitas evacuationes, ut
sanguinis undecunque ex corpore fluentis, al-
vi excrementorum, vomitus, sudoris, & alias:
quibus inediam adiungere est, sed quæ per ha-*
B *litum fieri contingit, veluti ea quæ ex morbis
longinquis & diuturnis oriri solet, quibus
spiritus delitescunt, & resolvuntur. Secundo
modo, ob morbi malignitatem, qui spiritus
lancinat, ac brevi ipsos in halitum dissolvit:
qui modus ad primum imbecillitatis ordinem
reduci meretur, quum in utraq. imbecillitate
spirituum maxima contingat dissolutio, & ob
id refectione sic affecti indigere, ac cibari quã
celerrime expostulant. Tertio modo virium ro
bur imbecille evenit per oppresſionem, seu
morbi gravamen. Id quod ex pletora, vel hu-
morum multitudine sæpe fieri deprehendimus,*
C *quę virium imbecillitas evacuatione maxi-
mè indiget, & curatur. Vnde Galen hæc enar
rans, citato libro, enarratione 49. succincte ad-
modum tres hos imbecillitatis modos comple-
xus est. Vbi (ut obiter hoc attingam) ab Hip
pocrate & Galeno ipso conclusum est, quod
medicus imbecilles vires ob dolorem, ac mor-
bi acumen, seu per oppresſionem dictas haben-
ti, victum copiosiorem, quam decet si porrexe
ris, arbitratus imbecillitatem illam per solu-
tionem, ac inanitionẽ evenisse, gravius er-
rat, quam si imbecillas vires ob inanitionem
& dissolutionem habenti, putans per oppresſio
nem factas, inediam permiseri. In utroque
enim casu error committitur: sed in primo gra
vior, quia quod plus est, oblasiones interdum*
D *inevitabiles facit, quia eius, quod ingestum
est, superfluitatẽ auferre difficile est. Nec est in
manu nostra eã expellere, & eo magis, in mor-
bis acutis. In altero vero casu, ubi min⁹ quã o-
pus erat offerebatur, & vires labi videbatur,
nõ ita difficulter error emẽdatur, immo malũ
hoc facile corrigitur, imbecilli facto nutrimẽ-
tum tribuendo. Quãquã errores commisſi in hoc
secundo casu graviores ab Hippocrate censen
tur, quam ij, qui in primo casu contingunt: ut
laxius libro primo Aphoris. quinto differitur.*

Cæterum quærunt medici, quibus notis imbecillitas una ab altera dignosci possitę Cui quæsito respondent aliqui, quod imbecillitas per dissolutionem facta in longo plerunque fit tempore, quæ vero per oppressionenem sive virium gravationem, evenit brevi & quasi subito fit. Sed mea sententia responsum hoc tametsi verum sit, in universum non arridet: quia vel pinguis Minervæ medicus, imbecillitatem ex longo morbo contractam, aut ob aliquam notatu dignam evacuationem ortam, dignoscet, & eam quomodo tractare debeat, sciet. Sed longe quæsitum nostrum aliud est, in quo proponitur, si febri acuta laboranti, vires brevi, & repente imbecilles sunt redditæ, quibus notis dignoscemus imbecillitatem illam esse factam per oppressionem, vel potius per dissolutionem: quia in hoc totius curationis scopus consistat. Nam si imbecillitas per dissolutionem & spirituum resolutionem ob morbi malignitatem facta sit, spiritus victu, & potu quam cito refici postulat: & ab evacuatione omnimoda recedamus, clamant: præsertim dum vires resectæ non fuerint. At si virium imbecillitas ob dolorem, sive morbi acumen, hoc est, per oppressionem contingat, tunc a cibariis, & eduliis quam maxime abstinendum erit. Et circa molliendas evacuationes universa medendi cura dirigi debet. Sed quia Hippocrates summus medicus, citato libro de ratione victus in morbis acutis, nec alibi (quod sciamus) hæc non distinxerit, librum alioqui promitens de morbis acutis, in quo hæc ad amussim ab eo edoceri deberent, qui & si forte ab eo incriptus fuit, ad nos tamen non pervenit, nec hodie extat: idcirco veras & indubitatas notas hucusque medici plures non tenent, quibus saltem imbecillitatem unam ab altera discernere queant. Nec Galenus medicinæ ditissimus Oceanus, inibi, aut enarrator aliquis vera signa per quæ dissimilitudo, aut disparilitas inter unam & alteram imbecillitatem deprehendi posset, unquam memorię evocavit. Propterea nos lectori gratum facere putantes, minime gravabimur ad presens signa hæc, quibus virium hæ imbecillitates discernuntur, paucis exponere: quum vera & indubitata, utpotè ex Galenianis dogmatibus decerpta sint libro suę introductionis in pulsus: ubi potissimum de causis pulsuum agit. In quo ita pro epitome, inquit. Porrò causarum omnium præter naturam, aliæ quidem vires vitales veluti solvunt, & dissipant, aliæ autem veluti præmunt, & gravant, ac solvunt quidem alimenti inopia, morborum malignitas, eorumq. aut diuturnitas, aut vehemētia. Prętereà affectus animi immodici, necnon

E vacuationes immoderatę. Opprimunt autem tum ipsa materiæ copia, tum instrumentorum affectus, inflammationes videlicet, scirrhi, tumorum moles, abcessus, & corruptiones variæ. Solutæ itaq. vires parvum, languidum ac frequentem pulsum efficiunt. Presse vero pulsas mutant, quum in reliquam omnem in æqualitatem, & ordinis confusionem, tum in eam quæ in vehementia spectatur & magnitudine. Nā inæqualitates hæ oppressarum virium maxime propriæ existunt. Quinetiam in eiusmodi affectibus, motus quidem funditus pereunt, aut intercidunt. Cæterum qui intercidunt, minorē, qui pereunt, maiorem lesionem indicant, &c. Hactenus Galenus. Qui paucis iis citatis verbis rem ex toto comprehendit, indicatq. ubi virium imbecillitas ob dissipationem, ac resolu-
F tionem est facta, quod tunc pulsus continuus est parvus, languidus, ac valde frequens: ubi vero virium imbecillitas ob oppressionem, sivę gravationem comperitur, tunc pulsus varius est, ac confusus, quia aliquando funditus perit, aliquando sublevatur: nec minus illi evenit, quā baiulo onus ferenti, qui quum plus a pondere, quam pro virium suarum ratione gravatur, aliquando opprimitur, aliquando intercedit, aliquando sublevatur: interdum in varios torquetur motus. Hęc enim sunt signa, quibus mediantibus prædicta discerni debent imbecillitates. Quæ diligens ac exercitatus medicus ante oculos signata habere debet. Cæteras vero notas huic rei facientes, tum ex ipso morbo, tum ex egrotantis corporis raritate, aut dēsitudine decerptas cōsulto prætermitto. Quæ
G & si fallaces non sint à pulsu tamen desumptæ, quam verissimæ & indubitatæ, firmę. & ratæ habentur. Porro quum de virium vitalium robore cum doctissimo Galeno hactenus tantum locuti sumus sic, operæ precium est, quum primum ad ægrotantem accedit medicus, & naturales & animales vires maxime contempletur.

H

Curatio nona, in qua agitur de quadam spasmi, sive convulsionis specie, Emprosthotonos dicta.

VIr quinquagenarius ad me venit, qui caput & cervicem in pectus ita

ita contracta habebat, ut ea attollere, vel ad unum, vel alterum latus movere non erat posſibile. Dicitur autem morbus hic Græcis Σπασμὸς ἐμπροσθότονος, Latinioribus verò tenſio, ſive ad interiora cõvulſio. Qui quum remedium peteret, eum alijs cõmiſimus medicis. Iter enim in Florentiam parabamus, ubi primam harum medicarum curationum noſtrarum centuriam typis excudendam dedimus. Cæterùm, morbum hunc nunquã antea, ut ingenue fatear, videram: cui eadem, quæ ſpaſmo, id eſt convulſioni curatio debetur.

SCHOLIA.

SPaſmus ſive convulſio is morbus dicitur, quum nervi ac muſculi, præter voluntatem convelluntur, in eamque diſpoſitionem veniũt, quam & in motibus ſecundum arbitrium factis aſſumpſerunt. Cujus tres ſunt ſpecies, prima τέτανος dicta, quam Latini diſtentionem vocãt: Celſus verò rigorem. Et eſt quum cervix una cum reliquo corpore immobilis manet, & in neutram inflectitur, ſed juxta in utranque partem recta intenditur. Secũda ſpecies ὀπισθότονος vocatur: Latinis verò tenſio ad poſteriora. Tertia, de qua agimus, eſt ἐμπροσθότονος dicta, quum caput, cervix reliquumque corpus in pectus cõtrahitur, quam Latini tenſionem ad anteriora appellare ſolent. De quibus, quum dabitur occaſio, plura dicenda ſunt. Sed ecce, quum hæc ſcribimus, Racanatenſis quidam vir ad me venit conſilium pro quodam ſimilem morbum patiente, petens, nam ad thermas eum mittere contendebat.

Curatio X. In qua agitur de quadam muliere per vulvam ſtercus emittente.

VXor nobilis viri Antonij Brindizes, quum per quatuor annos cum lotio & ſtercore ſanguinem emitteret, ac parum de hac re ſolicita eſſet, quia nullum inde dolorem perſentiret: tandem corroſis inteſtinis, ac perforatis, per vulvã ſtercora miſerè emittere cœpit: quæ ſic nullo præſidio conferente, fœdè

A conſpurcata lõgam vitam duxit, & tandem obijt.

SCHOLIA.

MOrborum initijs obſiſtere neceſſariũ eſt. Nam quum morbi ſuas complantarunt radices, difficulter a medicis avelluntur, ut ſæpe Galenus monuit. Fuit enim morbus hic, ex quo mulier hæc deceſſit, diuturna dyſenteria: quã Latiniores inteſtinorum tormina appellare ſolent. Proinde credere par eſt, inteſtinorum erodentia ulcera, non ſolùm inteſtina ipſa depaſta eſſe, ſed etiam urinæ vias, ex quibus quoque ſanguis affluebat.

B

Curatio undecima, in qua agitur de quodam, qui ob lapſum urinam retinere non poterat.

QVI cupreſſum arborem altam aſcendit juvenis, ut ex ea baccas pro decocto colligeret, ex ea cecidit. At quũ graviter ex lapſu ipſo affligaretur, & multa pati diceret, inter cætera, urinam

C continere non poſſe meminit. Cui occurrens, ſubitò venam mediam nigram brachij dictam pertundere, & ſanguinẽ fluere ad uncias octo feci. Sed quum ad dies aliquot bene haberet: lotium tamẽ retinere non poſſe cõquerebatur. Quam affectionem cùm intimius adverterem, menti occurrit, quòd quia ſuper ſpinam juvenis hic lapſus eſt, ejus ultima vertebra malè fuit affecta: a qua nervus veſicam conſtringendi vim habens originẽ ducit: qui attritus, ac laxatus fuit. Vnde conſequens fuit ob nervum iſtum attritum ac laxatum, veſicam quoque laxari, & urinam nõ retineri. Debitis igitur medicamentis vertebram, ac laxatum

D nervum roborantibus applicitis, paulatim cõvaleſcere cœpit, donec integram conſecutus fuit ſanitatem.

SCHOLIA.

HVic ſimilem hiſtoriam citat Antonius Benevenius Florentinus, libello ſuo de Abditis morborum cauſis: quam in muliere confeciſſe quadam tradit.

Curatio

Curatio decimasecunda in qua agitur de imbecillitatis ventriculi curatione.

IVVENIS natus annos 25. ab omnibus, ob ejus raras dotes, in pretio habitus: nam trium linguarum peritissimus erat, & cum eloquentia ipsa sapientiam conjunctam habebat, in stomachi debilitatem, ac dissolutionem (ut sæpe studiosis evenire contingit) incidit. In eo plerunque dolorem sentiebat, parum concoquebat, nauseabundus perseverabat, & cibum, ut unico concludam verbo, rarò capiebat, adeò ut in atrophiam ipsum devenire timor esset. At quem quum cõvenissemus, illi per plures dies mel rosaceum colatitium, cum æquali mivæ cydoneorum completæ portione, absque alicujus rei alterius mixtione propinavimus. Tandem triplicata purgatione per hieram picram Galeni, assiduo potu vini ex absinthio confecti, & nonnullis foris admotis, stomachum roborantibus medicamentis, integræ sanitati, intra mensem fuit restitutus.

SCHOLIA.

Familiaris admodum studiosis stomachi imbecillitas est, quæ ipsos plerunque insequitur, ut umbra corpus. Ad quam consequuntur ciborum cruditas, ructus acidi, nausea, vomitus nidorosi, fastidium, & atrophia, id est totius corporis summa macies, morbus. Quam stomachi imbecillitatem non aliter Galenus, quam in præsenti nos describimus, curat, ut ex lib. de Locis affectis, quinto capite, de oris ventriculi affectionibus, & libello de Theriaca ad Pisonem in curatione Arriæ cujusdam sibi charissimæ, ac Platonica philosophiæ maximè deditæ mulieris, colligi poterit.

E

Curatio XIII. in qua agitur de quodam, qui ob suppressum sanguinis fluxum per hæmorrhoides consuetum, in sanguinis screationem, αἱμοπτυεῖν Græci dicunt, devenit.

PEr hæmorrhoides probus & singularis doctrinæ vir Angelus de Piato sanguinem copiosum emittere solebat,
F cui quum multa peracta essent remedia, & sanguis ex toto cohibitus: consequens fuit sanguinis rejectatio veris statuto die illi superveniret. Qui quum graviter morbum ferret, & phthisis adventum timeret: nos ad se accersiri fecit, remedium pro hac curanda affectione inquirens. Cui nos mox multa contemplantes, sanguinẽ extrahere ex interna brachij vena fecimus: & bene habuit. Cæterùm singulis sequentibus annis, antequã morbus ipsum invaderet, venis ani hæ-
G morrhoidalibus dictis, hirudines nostro consilio admovere faciebat, ac sanguinẽ per eas, quoad hirudines deciderent, & sanguis ex se cohiberetur, fluere, nobis persuadentibus, permittebat. Qua sanè diversiva evacuatione, homo absq; sanguinis ex pectore rejectione sanus & incolumis perseverabat.

SCHOLIA.

HVIC similes affectiones Galenus curasse meminit, ut libris de vena sectione, & Methodi medendi: veluti quinto de locis affe-
H *ctis capite primo, apud ipsum legere est.*

Curatio decimaquarta, in qua agitur de Catalepsi, id est, congelationis morbo.

QVasi in somnum solutus decumbebat iuvenis, ad quem celeres invisendum, accessimus. Cujus oculi patebant,

bant, & eorum cilia immota ac rigida permanebant. Nec ab assidentibus inci tatus respõdebat, aut movebatur: immo immotus & inconniventibus oculis (ut dixi) manebat. Totus rigidus ac congelatus stabat: ut meritò juvenem hunc ca talepsi, hoc est, congelatione premi dice re consentaneum sit. Anxius igitur pro hoc ad salutem reducendo juvene, in mentem subit, morbum hunc, Galeni sententia, ab intemperie cerebri frigida sicca fieri. Et ea de causa, calidis modera tè & humectantibus sumptis, & admotis curari: veluti inunctione olei sesamini, sambucini, lilini, & chamęmelini, ad jecta interdum in singulis horum libris, uncia una euphorbij, aut castorei, aut ex his confectis oleis, prædictis admixtis: ut rutaceo quoque, ex spica confecto, costino, laurino, & similibus. Item, quia morbus hic capitis posteriores potissimùm occupat partes, illis subvenire maximè soliciti eramus. Depositis igitur capillis, universum ejus caput prę dictis oleis inungi fecimus, a debilioribus initium sumẽtes, præcipuè à lilino, quod proprietate sua innatum calidum vivificat, & contra morbum istum singularem vim obtinet. Deinde verò ad decocta pro fotu, ex stœchade, salvia, rore marino, majorana, meliloto, & chamæmelo, in vino parata devenimus. Quæ omnia antecesserant frictiones & cucurbitulæ prope nucham, & scapulas admotæ. Nam & naribus castoreum vino malvatico dissolutum, applicabatur. Quibus ad se redijt: & tãquam mortuus revixit. Cui postea conditum hoc propinavimus, & ita habet. Recip. Specierũ, pliri sarcotici, aromatici rosati, diacinnamomi, diambræ, lætificantis Galeni, ana scrup. unũ, piperis longi, nucis moschatæ, caryophyllorum, ana drach. semis. Cum tribus uncijs sacchari, in aqua roris marini dissolutis, fiant orbiculi, ro tulæ dictæ. De quibus in aurora, & inter diu gustet: & desuper vinum malvaticũ, aut potẽs aliquod fulvum, aut pallidum bibat. Testatur autem Galenus libro tertio Simpl. cap. 19. hujuscemodi vini potum, catalepsi laboranti summopere cõ-

A venire: quod vinum Græcis κιῤῥὸν dicitur. Et id Avicenna, capite de venenis frigidis commendat: quum vim quandam vivificandi obtinere tradat. Cæterùm is quum bene habere cœpit: eum ne in comitialem morbum caderet, eo modo quo melancholici curãtur, tractavimus: & securè perseveravit.

SCHOLIA.

Catalepsis Latinioribus detentio, & deprehensio dici potest: a recentioribus congelatio appellatus morbus: qui subitò evenit, & mentis & corporis sensum & motum privat: ac in eadem figura ægrum sinere permittit, in qua ante accessionem erat. Verbi gratia, si prius æger sedebat, sedens permanet: si genua flexa
B *habebat, genibus flexis permanet: si os apertum habebat, apertum manet: plerunque tamen oculis apertis æger manet, quia musculus crassus, palpebram superiorem aperiens, contractus, ac rigidus, & gelatus est redditus. Quippe animalis spiritus concretus intemperie frigida & sicca, non solùm in cerebro, sed omnibus corporis partibus efficitur, quo fit, ut universum corpus sensu & motu privetur, quia quum concretus sit, ineptus ad illustranda nervosa corpora est redditus. Et hæc est causa, ob quam somnus in hac affectione non fit. Quia spiritus animalis a*
C *nervis in cerebrum non revocatur: cæterùm manet in hac affectione veluti in caro subetica passione dicta, respirandi quædam facultas, ab illęsis adhuc spiritibus quibusdam, ob vitæ necessitatem respirationi potissimum servientibus. Convenit igitur affectio hæc cum apoplexia in hoc, quòd communem sensus & motus privationem habent. Sed differunt, quia in hac, de qua agimus affectione, spiritus concreti ac congelati ob intemperiem frigidam & siccam fiunt: & proprijs suis locis intercipiuntur, ac quieti manent: immo ad sensum & motum præhendum ineptissimi. Unde membra rigida ac stupore affecta evadunt: & eundem servant situm, ac figuram, quam ante accessionem habebant. In apoplexia verò nervorum fit obstru-*
D *ctio, & obstaculum quoddam: ob quæ spiritus ipsi quasi carcere detinentur: unde ad corpora nervosa permeare non possunt: & consequenter nervi laxantur, & resolvuntur: ac movendi, & sentiendi membra facultatem amittunt. Utcunque tamen in apoplexia detenti spiritus, integri nulla concretione affecti sunt, unde corpus alterum situm, & figuram, ab ea, quam in accessione habebat, desumere poterit. Solet autem affectio hæc in morbum comitialem, Epilepsiam dictum,*

dictum, aut hoc graviorem apoplexiam terminari, quæ affectio quia ab intemperie frigida sicca, ut Galeno libro secundo, Aphorismo tertio placet, fit, hoc morbo correpti tanquam melancholici tractandi sunt, ut in hoc molitum fuit juvene.

Curatio decimaquinta, in qua agitur de catocho, id est, sopore vigilante, sive dormitione vigilante dicto morbo.

PEropportunè hic occurrit Nicolai mulier facie venusta, octo supra decem nata annos, quæ quum febri maligna & pestilenti affligeretur medicorum judicio, catochos morbus illi supervenit. Nã & dormiebat, & vigilabat, clausos nanque habebat oculos, & interdum interrogata eos aperiebat, ac turbulenter loquebatur, nec rectè respondebat. Sed quicquid primum in buccam occurrebat, effutiebat. Ejus pulsus frequens, celer, ac parvus erat: lotium verò turbulentum jumentorum lotij similitudine. Cui pro ejus recuperanda valetudine, quater sanguis extractus fuit, & cucurbitulæ scapulis admotæ, veluti propinata medicamenta tum alterãtia, tum purgantia, ac roborantia. Quibus omnibus ac varijs admotis topicis medicamẽtis, intra viginti dies sanitati fuit restituta.

SCHOLIA.

TAmetsi catalepsis & catoche Græcæ voces, communi utriusque significatione deprehensionem, sive mentis detentionem indicẽt: morbi tamen inter se satis sunt differentes. Est enim catalepsis morbus, quem juniores medici congelationem appellant: de quo superiori curatione sermo habitus est, & de eo Paulus Aegineta lib. 3 suæ medicinæ, cap. 10. ad hunc modum tradit. Dicunt etiam privatim, diversumq a vigilis comate catochon fieri, cum simplicem non mixtam habebit causam, nimirum frigidiorem sicciorémq; materiam, quæ posteriore cerebri ventriculo repleto malum hoc excitarit: quo qui corripitur repentè, in illo permanet habitu, quo correptus est: stans scilicet, vel

E *sedens, clausis oculis, aut respiciens. Quam ob causam antiquiores Græci hoc detentos morbo catochos, vel catechomenos, quasi dicat occupatos, deprehensosq. nominaverunt. Recentiores affectum fœminino genere catochen, & catalepsim, veluti detentionem & deprehensionem, & cætera. Galenus porrò hac laboranti affectione, in Isagoge, sive in pulsus introductione, talem describit pulsum, quum dicat. Pulsus κατοχων (Veteres enim τυς καθεχομενυς, id est irretitos ac detentos κατόχυς appellabant. Iuniores autem affectum ipsum nominant κατοχην καί κατάληψιν) cætera quidem lethargicis sunt similes, magnitudine, tarditate, ac raritate: quemadmodum & totus affectus a lethargi specie non multum discrepat, κατοχων tamen pulsus non imbecilli, nec molles: sed in ijs vel multũ dissident.*
F *Quemadmodum certè & quòd in lethargicis quidem totus habitus est solutus, ac tumens: catochis verò constrictus ac coactus. Simili modo & inæqualitate, ac æqualitate inter se discrepant. Nã κατοχων pulsus est æqualis: lethargicorum verò inæqualis. Archigenes autem ait, locum arteriæ peculiariter in ipsis calidiorem inveniri: quomodo in ijs, qui cum cataphora convulsionẽ sunt incursuri. Hæc enim Galeni in totum catalepsi, hoc est, congelationi morbo recentioribus dicto, conveniunt. Vnde Andreas Lacuna, Secobiensis, contemporaneus noster, vir omnium votis doctissimus, ac ingeniosissimus, in Galeno a se in Epitomen verso prudentius fecisset, si huic catalepsi morbo, congelationi dicto convenientia dicasset, quàm catocho, hoc est vigili comati. Primo enim Galenus libello citato, ac libro*
G *quarto de Causis pulsuum, de catocho, id est comate vigili, sive dormitione vigilante sermone facit: deinceps verò ad catalepsim, sive congelationem morbum accedit. Cui tamen ipse Lacuna in totum adversatur, alterum pro altero describens morbum: ut quisque marginales annotationes suas legens facilé deprehendere poterit. Sed errorem hunc, ut ingenuè fatear, typographi potius incuria, quàm tanti viri negligentia irrepsisse putarem. Facilis autem lapsus est, quæ uni debentur loco, alteri collocare: præ*
H *sertim in marginalibus annotationibus. Cæterum catoche, vel catocha, coma vigilans, ut dixi, interpretatur: vel, ut alijs placet, dormitio vigilans: morbus in quo æger & dormit, & vigilat, quia ex duobus contrarijs conflatur morbis, lethargo scilicet, & phrenitide, ut testatur Hippocrates libro quarto de Morbis popularibus non longè a principio: ubi morbum hunc stupidam insomniam appellat. Quippe a bile flava largiore cum pituita etiam largiore in cerebro permistis fit. Quarum illa, quum calida sit & sicca vigilias inducit: hæc verò quum frigida*

gida & humida somnum conciliat magis & A
minus, pro vincentis materiæ quantitate &
qualitate. Potissimum autem in utroque hoc
morbo catalepsi & catoche, posteriora cerebri
magis molestantur, ut tradit Galenus lib. quarto de locis affectis. Qui sæpe pestis tempore evenit. Et ab Italis malum de mazucho appellatur: ab Hispanis verò malum de modorra, aut modorilla. Medius est enim morbus hic (ut dixi) inter phrenitim & lethargum morbum. Nam quum lethargi morbi materia superat, sopor vigilans morbus dicitur, Græci catoche: quum verò phrenitidis, vigilans sopor appellabitur: a Græcis verò ἀγρυπνον κῶμα. At si æqué utraque materia patientis cerebrum afficiat, nomen novum excogitare decet: quum nullum hucusque nec a Græcis, nec Latinis illi impositum sit. Ple
runq. tamen in hoc morbo urinæ apparent per- B
turbatæ, quales sunt jumentorum, ut refert Hippoc. libro quarto Aphorismor. septuagesimo. Hoc tamen morbo affectis, pulsus tales insunt, quales Galenus libris citatis describit, quũ tradat. Iam etiam alius est affectus, qui sive medio loco ponendus sit inter lethargũ & phrenitim, ut qui cum neutro in totum conveniat, sive communis esse ambobus existimandus, ut ex phrenitidis speciebus, & lethargi mixtus, suo loco considerabimus. Nam de ejus hic pulsibus agemus. At ne quasi ænigma quoddam propositum sit, per signa, quæ cum eo sunt connexa, eum ob
oculos ponam: connivent ferè oculis: somnolenti C
sunt: atque stertunt: rursus oculis fixis, ac inconniventibus diutissimè, ut catochi (intellige ut catalepsi affecti) intuentur, & si quid roges, atque ad colloquium compellas, difficiles sunt, & tardi ad respondendum. Plerunque etiam stultè loquuntur, nec rectè respondent, ac temerè nugantur. Is est affectus quem dico, qui ex signis sibi adjunctis deffectu proprij nominis cognoscitur. Pulsus ejus celeres sunt, & crebri perinde ut phreniticorum: minus tamen. Et roboris item minus, ac illi obtinent. Lati autem sunt & breves, externum motum non habent subitò truncatum: sed alio modo veluti introˋ se proripientes subterfugiunt, ac concitant contractionem, & quasi suffurantur distentionem: ve-
rùm in ea pulsui phreniticorum nõ sunt similes, D
quòd truncatione illa careant. Hæc ergo Galeni signa in totum respondent illis, quæ juvenis in hoc patiebatur morbo. Cæterùm Leonardus Fuchsius Germanus in sua de Curandis ægritudinibus praxi, de catalepsi & catochæ, magna inadvertentia, sub eodem capite, quasi de uno tantum morbo agens, sermonem commisit. Sunt enim revera longe diversi morbi, ut ex dictis liquido constat.

Curatio decimasexta, in qua agitur de quodam, qui quum à scabie per linimentum curatus fuit, in quandam faciei & labiorum incidit fœdam affectionem, simulq. de propinanda aqua lactis.

PVER natus annos quinque, quum scabie scateret, ejus mater ipsum linimento quodam inunxit, à qua inunctione quum mũdus, & scabie liber evasisset, ad ejus faciem humor quidam calidus ruere cœpit, ipsam unà cum labijs, & narium parte, inflatam & tumore levatam reddens. Quæ inflatio sæpe pustula prope nares oborta delitescebat. Sed postea interposito tẽpore, repullulabat. Nullis igitur adjutus præsidijs, sic hac affectione ad juventutem usque molestus pervenit. Qui quum ad nos accederet, & remedium contra morbum diuturnum, faciem fœdantẽ peteret, ipsum temperatura biliosum notavimus. Ac multis jam usum pro morbo propulsan do medicamentis, inter quæ & guaiaci decoctum citabat, & thermarum aquas, veluti plures sanguinis missiones, ut cucurbitulas scapulis admotas, ano hirudines, masticatoria, errhina medicamenta, & hujusmodi diversiones alias. Protinus igitur ad opus accedentes, hunc servavimus ordinem, quem in mediũ afferre non gravabimur, ut deinceps alij pro similibus deponendis affectionibus exẽplum habeant. Instabat autem veris initium, quum hæc moliebamur, & optimo victus ordine instituto sic incepimus. Rec. syrupi endiviæ, cichoreæ, lupulorum ana unc. semis. Decoctionis senæ unc. 4. misce, fiat syrupus, quem in aurora bibat. Ebibitis autem tribus syrupis, sanguinis ex vena nigra brachij dextra ad uncias octo mittatur. A qua sanguinis missione, singulis tribus diebus sequentibus singulos quoque syrupos iteret, ac sequentem bolum die sequenti deglutiat: qui habet. Recipe floris

ris casiæ recens extractæ un.1.& semis, E cum saccharo fiat bolus, quem jejuno stomacho ante prandium per horam cũ dimidia comedat: post hæc verò ad aquam lactis devenimus, in cujus propinatione hũc servavimus ordinem. Rec. Aquæ lactis caprini unciã 1. syrupi acetosi multæ acetositatis uncias 3. Misce. Et ebulliat ebullitione una, quam manè postquàm è lecto exiverit, & omni superfluitate expurgatus fuerit, deambulãdo per integram horam paulatim, more aquarum medicatarum sumat: & cibum ad quatuor horas tardet. Singulis diebus prædictam quantitatem sumendo. Elapsis verò quinque prioribus diebus à seri potu computando, cephalica dextri lateris secetur, & ad libram mediam sanguinem fluere permittito, ac ad decimumquintũ diem in hujus seri potu perseveret, in fine quorum, prædictum casiæ bolum eo modo dicto repetat. Et post purgationem, totam jecinoris regionem, ac lumbos secundum longitudinem, unguento rosato recẽti ejusdem anni inungat. Item per totum annum condito rhodosaccharo, & buglo- G saccharo ad unciã unã in aurora utatur. Et quanto frequentius assumpserit, eo melius erit. Non minus rhabarbaro semel in hebdomada saltem utatur, ipsum mandendo, ac deglutiendo pondere semidrachmæ. At initio Augusti ad balneas ipsum misimus, ex aquis potissimũ frigidis ferreis, quales sunt Lucences, ac Calderij, in agro Veronẽsi. Sed Septembri mense purgatio, ac lactis aquæ propinatio, repetitæ fuerunt. Quibus omnibus, intra duos annos sanitati fuit restitutus, nec amplius in hanc fœdam incidit affectionem. H

SCHOLIA.

Inter ea medicamenta, quibus olim antiquitas pro cienda alvo usus est, aqua lactis adnumeratur, cujus dosis ad heminas, hoc est libras quinq; accedebat. Proinde mirari non est, si nos hodie quoque ad Priscorum imitationem, pro hac levanda affectione, & corporis mala intemperie domanda, ea dicto modo usi simus, habita ægrotantis ætate, cæli temperie, affectione, ac temperatura. Valet autem aqua lactis ad inveteratos papulas, & varos lividos, & vitiatos sub cute humores, velut lepras, scabies, ulcera vetera & efferata. Quæ & puero, & mulieri, & seni, citra omne periculum exhibetur. Et in caniculæ æstibus intrepide datur: quia natura sua lenis, ac frigida est, ut in nostro abunde diximus Dioscoride. Cæterum aqua lactis varijs alijs modis contra cutaneas affectiones parata ebibitur, ut floribus fumiterræ, borraginis, buglossæ, senæ, lupulorum, rhabarbaro & similibus admista. Sed potissimum aëri nocturno exposita, in qua Galenus scammonium immittebat&, clanculum invitos homines purgabat, & sanabat: ut lib. decimoquarto Methodi medendi, capite septimodecimo legitur.

Curatio XVII. in qua agitur de muliere enixa, quæ sanguinem menstruum per nares, & os emittebat.

Vxor hominis Germani, qui ad tabernam habitat, uterum gerebat, septimo mense magno capitis dolore cruciabatur: pro quo levando, cucurbitulas scapulis cum scarificatione affigi fecimus. Sed vesperi puerum peperit, & febris ardens illam invasit. Nihil purgabat, multum sitiebat, anxie agebat, res in dubio erat. Sequenti verò die, quum saphena pedis vena secta esset, & sanguis exiret, interpositis paucis horis, per os & nares sanguis menstruus illi copiosissimè effluxit. Post cujus fluorem capitis dolor remitti cœpit, & symptomata omnia minui. Sequenti verò die cucurbitulis, feminibus admotis, & syrupo de bisantijs sine aceto, sæpe ebibito, ac alijs retractionibus adhibitis, sanguis diverti & retrahi cœpit, ac sic rectam viam secutus fuit. Quum verò menses fluerent, se sanam dixit, & basilicè perseveravit: at ejus puer obijt.

Curatio

Curatio decimaoctava, in qua agitur de quodam, qui re Venerea uti non poterat.

SAlaphatinus Hebræus natus annos quadraginta boni habitus vir, ex Bruzia propè Constantinopolim incly ta civitate Anconam venit, remedium quærens, quo potissimum liberis operam dare posset. Cùm uxore etenim, ob genitalium membrorum imbecillitatem, rem jandiu non habere quereba tur: & eo magis quia liberis carebat, quos summopere optabat. Insita enim unicuique est animali sibi simile quasi à natura ad perpetuandam speciē & propagandam sobolem instigatio, producere, sed potissimum hominibus, & ex ijs, Iudæis, qui in hac re, ut varijs alijs, superstitiosissimi sunt: credentes utiq. eorum animas post obitum, salvas fieri nō posse, nisi masculos dimiserint, qui ad Deum optimum maximum preces fundant, ut parētum animas in cœlum evehere dignetur. Huic igitur, ut suum assequeretur scopū, hanc illi præscripsimus methodum. Primò per pharmacum corpus optimè purgetur, & optimis utatur cibarijs & potu commēdavimus. Nam absque Cerere & Baccho Venerem frigere omnes norunt. Vtatur capis, gallinis, fasianis, turdis, merula, pullis gallinaceis, aviculis sylvestribus. Sed potissimùm passerculis salacibus, quos Græci sua lingua πυργίτας appellant, ex quibus cerebella, ac quæ propè renes partes sunt, primatum obtinent. Ex quadrupedibus hœdus, & vervex præcipuè numerantur. Sed & pisces in lege admissos concedimus, modò tamen calidos & bene paratos comedat: quanquàm multi corio tecti, veluti testa cooperti libidinem idcitent. Sed quia huic per religionem vetiti sunt, eos silentio præterire satius est. Cicer ex leguminibus ad rem multum facit, veluti ex herbis menta, rapa sativa, eruca, porrum, cepa, nasturtiam, orminum, satyriones, urtica, crocus,

A carduus, pinea, scolimos dictus, cujus tam radix, quam calyx chichophilos dicta expetitur, bulbus esculentus de quo Martialis dicere solebat.

Cū sit anus conjux, & sint tibi mortua mēbra;
Nihil aliud bulbis quam satur esse potes.

Quibus addere est erisimum, cephalionem encephalum dictum, nostris palmitem, vel palmæ caput, de quo capite de Elate in nostro legito Dioscoride. Ex fructibus verò, quos illi concedebamus, sunt vua, ficus, amygdalæ, pistacia, pini nuclei, uva sole exiccata, nux Indica, & alij plures silentio prætermissi. Sed ex conditis hoc potissimū parare fecimus, multum ad rem faciens & ita habet. B Recipe amygdalarum albarum libram semis, pinearum recentium albarum uncias 3. carnis scincorum renes amplectētis unc. 2. Radicum testiculorum canis, & vulpis in aqua primò coctarum uncias 3. seminis erucæ uncias 2. piperis longi, cardamomi, ana drachmas 2. mellis quantum suffecerit, ad ignem secundum artis ministerium fiat conditum molle, & cum drachmis duabus specierum diamoschi aromatizetur. Cujus se- C miunciam, quando vadit dormitum, comedat, & desuper parum vini malvatici ebibat. Sed & membra debiliora facta, hoc inungebat unguento. R. olei lilini unc. 6. pulveris stellionis unc. 1. castorei scrup. 1. nucis moschatę, piperis lōgi ana unciam semis, ceræ citrinæ, quantū pro ratione linimenti suffecerit, misce, & ad ignem, ut decet, paretur. Cæterū multa, & varia pro hac complenda operatione excogitari possunt, tā condita, quàm unguenta. Ex conditis autem prostat in officinis confectio diasatyrion dicta, quæ recèns parata primas in hoc loco D tenet. Sed ex citatis simplicibus, marsipanes parari possunt. Veluti rotulę, conservæ, electuaria, & hujusmodi alia, de quibus & inunctionibus varijs, si quis multa scire desiderat, legat Aetium, sermone undecimo suæ medicinæ, capite trigesimoquinto, cui titulus est, de ijs qui re Venerea uti non possunt. Et Avicennā Fen. vigesima libri tertij, cap. 15.

&16. & 17. & 18. & 19. & vigesimo. At hodie Turcæ libidinosi suo amphione ad incitandam libidinem, in cibo fabæ magnitudine utuntur, qui succus herbæ cujusdam est, nõ verò papaveris, ut quidam putant. Citat Theophrastus herbã quandam, veræ libidinis irritamentum vocatam, de qua nos quoque olim mentionem fecimus. Sed Indi nostros Lusitanos docuerunt chrysocollam (boracem officinis dictam) ciceris magnitudine in ovo sorbili ebibitam, hominem in priapismum trahere, & tentiginem ciere. Prædictus enim Iudæus hic (ut qui ad nos ex Constantinopoli rediêrũt, testati sunt) filios genuit, & hilariter cũ uxore agit.

Curatio decimanona, in qua agitur de quodam, qui ex lapid a scala cecidit, & illi brachium & sinistrum crus absque motu permanserunt.

EX scala lapidea cecidit puer obesulus, Brudorum viduæ filius, natus annos quinque. Qui quũ super dorsum caderet, nucham, & spinam malè affecit. Vnde & nervos malè affici credendum erat. Is verò a lapsu, veterno, hoc est profundissimo somno, per noctem & diem oppressus est. Cui occurrens medicus quidam, dextri brachij venã tundere & sanguinẽ extrahere, ac brachio & cruri malè affectis medicamenta admovere fecit. Sed quum puer ad quinq. dies cum illis admotis medicamentis nullum juvamen persentiret: sed potius absque motu prædicta membra manerent, ad eum invisendum sum vocatus. Cui præsens considero, huic nullum inesse vulnus, nullum tumorem, nullam membri fracturam, aut lividitatem. Quibus de causis, in mentem revoco similes a Galeno casus citatos, quibus mediantibus doctus evado, judicãs huic

E nervos, & musculos malè esse affectos: & ita malè affectos, ut per eos spiritus motum præbentes permeare non possent, quum transitus, & via illis intercepta esset. Proinde ad nervorum originẽ occurrens, caput, occiput, & universam spinam ipsam hoc linimento illini fecimus. Et intra quinque dies, membra motum recuperarunt, & paucis alijs interpositis, integrã adeptus fuit sanitatem. Habet autem linimentum sic. Recipe Olei chamæmelini, vulpini, vermium terrestrium ana unc. 2. Pulveris vermiũ terrestrium unc. 1. ceræ parvum: ad ignem fiat linimentum, quo nervorum
F origo & spina inungatur, & desuper pellis vulpina imponatur.

SCHOLIA.

NON multum ab isto casu abhorret historia Galeni de Pausania Syro Sophista, quam lib. 3. de locis affectis, cap. 10. citat. Et paulo antea lib. 1. cap. 6. Proinde decet medicum in Galeni doctrina optimè esse versatũ: quia omnia, quæ contingere possunt, in eo faci-
G *limé est invenire.*

Curatio XX. in qua agitur de impostura quadam, videlicet quod medicus quidam leni quodam clystere, puellam interfecerit.

LEo Hebræus pedagogus, quum multos sanctam linguam doceret, me-
H dicus quidam cognomento Calaphurra, ut linguam quoque calleret, ad eum accedebat. Cæterùm huic Leoni filia erat annos nata circiter octo, quæ sæpe ventriculi & intestinorum erosionibus cruciabatur. Is quum semel natam afflictam animadverteret, medicũ præsentem rogat præsidium facile paratu, quo filiam à symptomate liberet, excogitasset. At medicus magistro obtemperans officio suo fungi cœpit, doctè sanè puellæ temperaturam nativam, tũ æta-

tivam

tivam considerans. Quæ dubio procul pituitosa erat, quibus addebat tempus hybernum ac rigidam hyemem præsentem, in qua ætate, & cœli constitutione, morbi frigidi plerunque nascuntur. Vnde conjectari cœpit morbum hunc ab humore frigido, & flatuoso ortum trahere, qui per circuitus quum movebatur, non continuo, sed interpolatim puellam affligebat. Sed conjecturam suam firmabat, quod tortiones illæ, ac ventriculi murmura nullam secum febrim trahebant. Quæ omnia, quum universaliter morbum frigidum indicent ac testentur, potissima tamen ac indubitata in ægrotante Hebrea sunt, quia Hebræi melancholicis & flatuosis, ac actu frigidis vescuntur cibarijs, a quibus humor gignitur quidam frigidus flatuosus, cholicas affectiones plerunque producere natus, quæ res indicio est, quòd Hebræi ob hunc aggestum humorem in cholicum affectum sæpe incidunt. Hoc igitur ratiocinio usus, doctè medicus contra hanc affectionem hunc descripsit clysterem, qui habet. R. Chamæmeli, anethi, an. m. 1. rutæ m. semissem. cumini pug. medium, in libris tribus aquæ fiat decoctio quousq; maneant libræ duæ. Facta decoctione, & colatura, decoctis adde oleorum chamæmeli, rutæ, anethi an. unc. 1. Vini parum misce, & ter ex prædicto decocto & oleis ac vino mixtis clysteres parentur. Ita ut quilibet clyster decem tantum contineat uncias. Ab injecto verò primo clystere puella angi cœpit, ac intra horam mortua fuit: conqueruntur parentes: medicum detestantur: populum conuocant: ad judicem currunt: obitus vindictam quærunt. Tandem prædictum medicum in vincula conjiciūt, & sub judice lis pendet: Anconam gubernante illustrissimo Vincentio de Nobilibus, Iulij tertij Summi Pontificis, ex sorore nepote, ac locum tenente. Quæritur an puella ob clysterem injectum obierit, an ab aliqua alia causa mors illi supervenerit? Primò quòd ab infuso mors subsecuta non fuit, ipsum componentia satis testantur, quum om-

A nia ferè quotidie in victus usu homines habebant a chamæmelo herba sic dicta, quod mali odorem referat, incipientes, quam Aegyptiorum sapientissimi ob raras ejus dotes Soli consecrabant, ut testatur Galenus libro tertio de Facult. simpl. med. cap. 9. De cujus temperatura ac viribus sic lib. 6. prædicti voluminis idem dixit, Anthemis, id est, chamæmelon calfacit, & desiccat in primo ordine, estq; tenuium partium. Ac proinde digerendi, laxandi, ac rarefaciendi vim obtinet. Hæc Galen. cui omnes
B hucusque medici subscribunt. Non est igitur quod ob chamæmelum vel chamæmalum dictum, infusum hoc noxiū aliquid contraxerit, quis dicat. Veluti nec a bene olente anetho, quod pro ornandis ollis, ac præparando acetario cū linis familiare est. Excalfacit autem in fine secundi gradus & exiccat in ejusdem initio: & ob id in oleo decoctum digerit: dolorem sedat: somnum conciliat, & crudos humores concoquit. Quæ omnia de sicco intelligenda veniunt: nam viride humidius, & minus
C calidum est. Itaque magis concoquit, & somnum conciliat, sed minus discutit. Sed & ruta a multis conservanda sanitate, & morbis profligandis frigidis, ac interficiendis vermibus, sæpe manditur, quæ Galeno authore, capite de vitice, seu agno casto, calfactoria & exiccatoria tertio in gradu est. Cujus oleum auxiliatur ijs, quos tortiones ac cholicus dolor a frigido humore ortus discruciat, ut meminit Galenus in fine libri 12. Methodi medendi, veluti sexcentis alijs suæ doctrinæ locis, præcipuè ubi
D de seipso historiam narrat, quibus affectionibus cuminum multum quoq; valere omnes norunt, quum spiritum flatuosum dissolvat, & ipsum in halitum reddat, ac ob id ex medicinis ventositates carminantibus, practici ipsum primatum obtinere contendant. Non est igitur quòd quis contumax, aut cervicosus insciusve, audeat dicere, ob clysmum componentia ornātiàve, obitum puellæ superventum esse, quum, tametsi potentiora essent medicamenta, eorum

vires in aquæ coctura infrigeretur. Nec
enim subterfugere est ad vinum, quum
per se solum similes curat morbos, ut
Gal. sæpe testatur, & Angelus Politia-
nus vir nunquam sine honoris titulo no
minandus lib. suarum Epistolarum illi
suffragatur, quum locum quendam de-
pravatum apud Plinium, ubi de cicuta
agit, restituat. In idem valet infusi ipsius
parva quantitas, quæ quum decem ad
summũ uncias contineret, vix sufficiens
erat secũdum ex crassioribus attingere
intestinum. Nunquam enim infusa per
clysteres ad intestina ventriculo proxi-
ma perveniunt, ut memoriæ commen-
dauit Galenus lib. quinto Methodi me-
dendi, & ejusdẽ voluminis 13. nec enim
ignoro, apud ipsum Galenum, lib. sexto
de Symptomatum causis legi, nonnul-
lis clysteres adeò ascendisse, ut ipsos po-
stea vomitione reijcerent, quemadmo-
dum stercus per lethales volvulos emit-
ti solet, quum id ventriculi attrahere
non est, sed duntaxat suscipere ea quæ
ob intestinorum compressionem violẽ
ter sursum feruntur. Sed de ijs satis, quũ
multo plura huic rei facientia Centu-
ria prima medicarum cura. nostrarum,
ad illustrissimum Cosmum Medicem
secundum Florentinorum Ducem di-
cata dixerimus. Vt igitur receptui cana
mus, luce meridiana clarius claret, clys-
mum hunc nullam noxam aut vim, ne-
dum mortem, huic afferre posse. Est
enim clysterium, ut Avicennæ placet,
medicamentum nobile, quod ideo no-
bile dicitur (ut mea fert opinio) quia se-
curum, nullum præcipuum membrum,
quod vellicare possit attingens: a crassio
ribus enim intestinis potissimùm mate
riam deponit, non verò universaliter ab
omni corpore, ut doctè admodum An-
tonius Musa Brasavola nobis pyladæá
amicitia conjunctus, Galenum in pristi
num nitorem reddens, Aphor. secundo
libri quarti Apho. adnotavit. Sed ne le-
ctori nauseam in re tam facili sermonẽ
in longum ducendo moveamus, unde
mors huic puellæ subsecuta fuerit, bre-
viter dicamus. Primò scire licet, quòd
puerorum substãtia omnium facillimè

E digeritur, ac dissipatur, ut testatur Ga-
len. libr. nono Methodi medendi. Prop
terea quòd est omnium humidissima,
ob quam humiditatem, ac concretos in
eis frigidos humores somnolenti maxi-
mè sunt, & veterno, hoc est, sopore ac
profundiori somno maximè apprehen
duntur. Quum igitur puella hæc plu-
ribus hujuscemodi humoribus frigidio
ribus scateret, ac cœli status rigidus &
nivosus esset, consequens erat, ut non
solùm stomachi & intestinorum rosio-
nibus obnoxia esset, sed quod magis est,
catalepsi, id est, congelationi, & apople-
F xia. Fortè enim fortuna prædicti humo
res caput præcipuè eo tempore occupa
bant, ac in eo sedem habebant, qui ad
cerebri obturandos meatus paratissimi
erant: unde credere erat puellam vel
nullo remedio aut præsidio adhibito,
intra paucas horas morituram: sed
quum clysmus dissolvendi ac rarefa-
ciendi vim haberet, factum est, quòd eo
materiæ illæ fluxibiliores redditę cere-
bri meatus implerent ac coarctarent:
unde apoplexia orta est, morbus sanè
perniciosus, ac lethalis, a quo puella hęc
G mortem traxit. Non est igitur quòd
medico imputetur hujus obitus, quan-
do non sit in medico (ut ingeniosus
Poëta Ovidius ait) semper relevetur
ut æger. Quum interdum bonam ar-
tem prævaleat malum: immo nonnulli
sæpe reperiuntur morbi necessario in-
terficientes, inter quos hunc a quo puel
la decessit, adnumerare est: non erat igi
tur medicus ob hanc rem accusandus,
nec invitè ad judicium deducẽdus, quo-
niam post deum Aesculapium, quem
in serpentis formam ad pestem sedan-
dam, Romam decem Legati ex Epi-
H dauro traxerunt, medicis concessum
fuit, ut inviti in judicium deduci non
debeant, ut habetur apud legem, Medi-
cos. C. de profes. & med. Obijt igitur,
ut ijs finem imponamus, puella prædi-
cta apoplexia detenta, quum, ut assis-
tentes testabantur, tota rigida post obi-
tum mansit: nec est quòd quis in hac re
amplius dubitet anceps ve sit: ita enim
sentio ego Amatus Doctor medicus
Castelli

Castelli albi Lusitanus, in quorum fidē hæc scripsimus. Anconæ decimoseptimo die mensis Maij 1550.

Curatio XXI. in qua agitur de muliere quadam, per mammas sanguinem menstruum emittente.

MVlier nobilis, quum puerum lactaret & ut fieri solet, longo tempore menses suppressos haberet, ecce per mãmas sanguis illi effluere cœpit copiosissimus, a quo præter fluxionis tædium, nullum capitis dolorem aut noxam percipiebat. Facta tandem ex saphena pedis vena, sanguinis copiosa extractione, ex mammis sanguis illico retractus fuit, & mulier ab hac fœda affectione libera, quæ medicorum judicio in insaniã ventura esset, juxta Hippocratis dictũ libro quinto Aphoris. quadragesimo, quod habet. Quibuscunque mulieribus ad mammas sanguis colligitur, furorem significat.

SCHOLIA.

TAmetsi Galenus hoc nunquam vidisse testetur, nos tamen cum Hippocrate, sanguinem per mammarum papillas effluere in duabus nobilibus, altera Lusitana, altera vero Itala hucusque servatum habemus, quarum nulla in furorem, aut insaniam devenit: sed potius sanguine ex saphena misso, illico sanitati restitutæ fuerunt. Cæterùm Antonius Musa Brasavola refert à se mulierem visam, cui sanguis per ubera fluebat, quę gemellos nutriebat, qui cum vehementer exugerent, sanguinē in lac converti nō sinebant. Et ita huic cōtingebat, ut ijs qui nimio utuntur coitu, quibus sanguis exit, qui in semē cōverti nō potuit, ut citato habetur Apho.

Curatio XXII. in qua agitur de papulis quibusdã circa brachialia, & manus, ac utriusque pedis astragalum, Talum dictum, repente erumpentibus.

SEnex Abenaser quinque supra sexaginta natus annos, boni habitus & sanguineus, quum Maij tempore veste pellibus fulcita vestiretur, & cothurnis ac ocreis ex suberis cortice paratis, calciatus incederet, scabiosus ille aeris ac vestium caliditate, de pedum nimio calore querebatur, ita ut intra crepidas eos continere non posse sæpe inculcaret: huic igitur calore extraneo affecto, & jecur supra modum calefactum habenti, repente papulæ quædam nigerrimæ manus præcipuè & brachialia ac pedum astragalum inficiẽtes supervenere, quæ natura sua pruritum excitabant, & carnem corrodebant, utpote ex sanguine superassato, & atrabiliario reddito ortũ trahentes. Cui malo occurrens, depositis per balanum fecibus, sanguinis uncias sex secta dextra basilica, fluere fecimus, qui in totum ater ac putredine affectus erat, qua de causa vesperi, ex sinistro brachio sanguinis extractio ad uncias 8. repetita fuit. Sed ad jecoris, & membrorum interiorum rectificationem syrupum hunc in dies bibebat, qui ita habet. R. Syrupi rosati, cichoreæ s. endiviæ, an. un. s. aquarum cichoreæ, endiviæ, boraginis, buglossæ ana unc. 1. Misce. Cæterùm papulas, quia ex excedentium erant genere, scarificare fecimus, ex quibus sanguis ater effluxit, quas tunc marina aqua lavari fecimus. Nam in herpetas devenire timor erat. Sed postea ichores citrini cum quadam nigritie inde exhibant. Super quas unguentum hoc admovere fecimus, quod habet. Vitelli ovi num. 2. olei rosacei, butyri recentis, ſucci duorum limonum, an. unc. 2. sublimati drach. s. Misce. Fiat linimentum, quo papulæ prædictæ exiccatæ fuerunt: & ipse leni pharmaco epoto, intra paucos dies bene habuit. Sanitati tamen colophonem addidit, quum per octo sequentes dies conservam hanc gustavit: & desuper aquam hanc destillatitiam subscribendã bibebat. Habet autem conserva, sive conditum sic. Recip. Conservæ ex floribus herbæ sumi terræ cum saccharo paratæ unc. 1. De boragine, de rosis, de buglosso ana un. 1. & s. cum miva cydoniorum absque speciebus, fiat conditum, & folio

lio auri inauretur, quod in sex partiatur partes, & jejuno stomacho, singulis diebus (ut dixi) portiunculam comedat, super quam aquam sequentem ebibat. Recip. Aquæ cichoreæ, endiviæ, lupulorum ana unciam unam. Misce.

SCHOLIA.

Decet autem medicum, ægrotantis opulentiam, vel pauperiem perpendere: quum secundum ægrotantis possessionem, ita a medico pretiosa, vel parui valoris medicamenta parari debeant, ut commendat Galenus libro sexto de compos. med. per loca, ad hunc modum dicens. Quemadmodum enim pauperes, medici exilem apparatum laudant: sic oportet etiam divitibus permittere, ut confectiones pharmacorum pro opulentia sue dignitate comparent. Satis enim scio etiam ipse non solùm pauperes esse medicos, sed & qui ab ipsis curantur. Quibus satis est, ubi ægrotant, aliçam cum aqua mulsa accipere, & mundum panem habere, aut aliquam farinam utilem ad cataplasma. Verùm eum qui curandi tractationem scribit, omnis materiæ meminisse operæ pretium est: quo tum divitibus copia sit ipsis artificiosé utendi, tum pauperibus electio sit illarum tantùm, quibus unusquisque pro opportunitate abundet.

Curatio vigesimatertia, in qua agitur de vermium curatione.

Pveri ad quos divertimus, vermium morsu lancinabantur: nam caput dolebant, tremore corripiebantur, & frigore, ac inordinata febri affligebantur. Ex quibus nonnulli nares scalpebant: digitos in os mittebant: & quæ comedebãt, evomebant: omnes verò sanitati restituti sunt sequenti ordine describendo: ij præcipuè qui aliquid jam comedebant. Alij vero lactentes tantum alia excogitata via incolumes quoque perseverarunt. Primis igitur semen lumbricorũ sacchato incrustatum pondere dimidiæ unciæ comedẽdum dabamus: cum quo non febricitantibus, vinum pauxillum, & generosum bibendum dabamus. Febricitantibus verò aquam portulacæ,

E graminis, aut in qua coriandri semen incoctum fuit. Postea vero media interposita hora, singulis singulas semuncias diasebestẽ in bolo, aut rhabarbari scrypulum unum, vel alterũ propinabamus. Quibus medicamentis omnes per secessum emittebant vermes, & sanitati pueri omnes restituebantur. Qui verò lac tantum sugebant, eorũ nutricibus prædictas dabamus medicinas, citato ordine, sed aucto pondere: ut ad lac earum vires utcunque potentes accederent. Sic enim nos docuit Hippocr. lib. 6. Epidemiorum, dicens: Mulier, capra, cucumerem agrestem comedentes, pueris pur-

F gatio. Cui postea subscripsit Galenus lib. 3. Alimentorum, cap. 14. & lib. 5. de tuenda valetudine. A quibus omnes postea medici mutuati sunt, & libris suis inseruerunt.

Curatio vigesimaquarta, in qua agitur de erysipelate phlegmonoso.

Pist, orqui juxta diversorium, cui serpens pro symbolo & insigni est, habitabat, erysipelate phlegmonoso in manu sinistra versus cubitũ corripi cœpit.

G Ad quem, quum quidam ex ijs, qui omnia quinta essentia, & oleis per sublimationem extractis, curare profitentur, divertisset, ipsum scorpij ictu percussum fuisse contestabatur, occasionem alioqui quærens, ut sua experiretur olea: sed nõ utinam hominis vitæ dispendio. Quum enim prædicto morbo sua superadderet olea, quæ non minus erant, quàm igni addere ignem, factum est, ut in-

H tra tres dies in insaniam, ac rabiem ægrum duxerit. Qui, & si postea a doctis medicis invisus fuit, omnia morbo remedia convenientia adaptando, nihilominus tamen in fine sexti vitam cum morte commutavit. Videant igitur ægrotantes quibus se cõcredant medicis, ne dicam carnificibus. Nam ut artificiali conjectura, quæ media est inter exactam scientiam, & omnimodam ignora-

ignorationem, uti medicus debet pro interni affectionibus dignoscendis, ita pro externis & ijs quæ sensui subjiciũtur curandis, firma & indubitata medẽdi methodo utatur necessarium est. At hodie, ut Plinius ait libro vigesimono noNaturalis suæ historiæ, capite primo. Nulla est lex, quæ puniat inscitiam capitalem medicorum, nullum exemplũ vindictæ. Discunt periculis nostris, & experientia per mortes agunt, Medicoque tantum hominem occidisse summa impunitas est, quando hercule in hac artium sola eveniat, ut unicuique medicum se profitenti statim credatur, &c. Quę Plinius ex magni Hippocratis lege in suum opus mutuatus est.

SCHOLIA.

ELAPSIS quindecim diebus ab obitu prædicti pistoris, Spatarius quidam simili morbo, & in eadem corporis parte afflictus fuit, ad quem quum prædictus medicus convenisset, & vsitatis medicamentis usus esset, intra septem dies ipsum interfecit. Novit autem hæc universa Ancona, noveruntq. doctissimi tres medici assistentes, Hieronymus Fulginas, Federicus Severinus, ac Iul. Pergul. Sed hæc & similia, non aliunde eveniunt, quam ob gubernatorum & rectorum inadvertentiam, qui omnes Agyrtas, circumforaneos nugivendulos, ac barbitonsores promiscuè humanæ salutis curam habere permittunt.

Curatio vigesimaquinta, in qua agitur de erysipelate puro apud Auicennam Spina dicto.

VICINVS meus vir probus, & cui filium piratæ in navi immaniter interfecerunt, erysipelas in crure passus est, ignitam scilicet rubedinem per crus diffusam cum dolore, quam comitabantur febres & rigores de tertio in tertium affligentes, cui illico occurrens

A optimo prius instituto victus ordine ad frigidum & humidum declinante ac ex toto vino abnegato, super ipsam ignitam rubedinem succos ex pluribus & varijs herbis expressis apponi, ac sæpe commutari fecimus. Sunt autem herbæ hæ, sempervivum, lactuca, portulaca, endivia, tarraxacon, umbilicus Veneris, lenticula aquę, solanum, plantago, cucurbita, utrunque nenuphar, & huius temperaturæ & rationis similes herbæ. At quia purum erysipelas hoc videbatur, cutis solam superficiem oc-

B cupans, à venæ sectione Galeni consilio abstinuimus & medicamentum bilem purgans, Græcis cholagogon dictum bibendum dedimus. Quibus, intra quinque dies sanitati fuit restitutus, ut canonicus sancti Ciriaci, & alij. Solent autem morbi ij potius alterantibus, quã purgantibus medicamentis sæpe curari. Quo fit, ut Avicenna aquæ frigidæ perfusionem, irrigationemve summopere laudet.

SCHOLIA.

C *ERYSIPELAS Latinioribus sacer ignis dicitur, purum tamen apud Avicennam spina appellatur. Quod ex bile flava vel sanguine fervido & subtili, ac consistentia tenui ortum habet per solam cutem se diffundens, nihil inferiorem carnem molestans, ignitam quandam rubedinem præ se ferens, quam Hispani colubrillam, quasi colubrum diminutiva voce appellitare solent: alij vero Amonte morbũ, quod est iustitum, videlicet immanem, nostri præcipue Lusitani vocant. Fit igitur erysipelas exquisitum ex flava bile naturali, quam sanguinem subtilem ac consistentia tenuem medici*

D *vocamus. Vnde Galenus libr. 2. ad Glauc. cap. 1. Erysipelas exquisitum, & verum ex sanguine tenui & fervente fieri tradit. Libro vero primo Aphorism. 2. ex flava bile gigni dixit, veluti sexcentis alijs locis. Cæterum si bilis prędicta pura & simplex, utpote naturæ suę limites transcendens, nulli alteri humori mixta sit, & membro hęserit, tunc herpetes faciet, quos recentiores pustulas, malas colericas appellant. Si vero prędicta bilis cõcretior, & pro ratione sua crassior, ac maiori acrimonia fuerit prædita, tunc altius ad suppositam usq. carnem exulcerat, appellaturque affectus hic*

hic herpes esthiomenus, id est, herpes exedens, neotericis vero exulceratum erysipelas. Quale pistor ille, de quo supra mentionem fecimus, passus fuit, qui primo erysipelate phlegmonoso laboravit, & medicorum imperitia in herpetem esthiomenum lapsus fuit, a quo, ut diximus, obijt. Solent autem curari huiuscemodi ulcerationes unguento albo, unguẽto de lithargyro, de plumbo, ac alijs varijs pro ratione loci, & morbi, exiccantibus tamen, non vero humectãtibus, ut Avicenna putat, & neoterici in vulgatis Avicennæ erroribus notarunt. Si vero bilis minus calida & acris quam dicta fuerit, exiguas pustulas milij granis similes in superficie cutis excitat, nominaturq. morbus hic herpes miliaris.. At ut ad erysipelas revertamur, scire decet, quod quando bilis sanguini miscetur, & membrum obsidet, si bilis prævalet, erysipelas phlegmonodes, sive phlegmonosum dicitur: si vero sanguis excellit, phlegmone erysipelatosa appellabitur. At si æqualiter bilem & sanguinem commisceri contingat, tunc vitium hoc, medium quoddam particeps phlegmonis et erysipelatis vocabitur. Si vero bilis pituitæ misceatur, tunc erysipelas œdematodes affectus nominabitur. Si autem atræ bili, tunc erysipelas scyrrhodes, seu scirrhosum vocabitur. Ab humore autem in mixtione exuperante prævalescentève vitio nomen dandum est. Plura vero si quis de ijs rebus scire cupit, legat Galenum lib 2. artis medicinalis ad Glauconem, & decimoquarto methodi medendi, ac Tagaultiũ institutionis suæ chirurgicæ libro primo, cap. 8. Quo nullus hucusq. quem noverim, nec copiosius, nec doctius de hac re literis mandavit.

Curatio vigesima sexta, in qua agitur de Caro, id est, veterno morbo, quem Arabes Subet appellant.

AEthiopissa, quæ quatuor supra triginta annos inservierat, & sæpe in capite percutiebatur, lenta febri laborare cœpit, cum qua somno profundissimo & gravi ita opprimebatur, ut stimulata (etsi sentiebat) nihil tamẽ dicebat, nec oculos aperiebat, qui affectus Caros Græcis dicitur, Latiniori- E bus vero Veternus. Arabes autem sua lingua hunc ipsum Subet morbum appellare solent. Qui plerunque à frigido, crasso, aut omnino viscido fieri solet humore. Cæterum hæc quum eius parva cura fuit habita, intra paucos dies obijt. Huius tamen morbi curatio eadẽ fere est, quæ apoplexiæ, aut cephalalgiæ pituitosæ debetur.

F *Curatio vigesimaseptima, in qua agitur de comate febrem sanguineam commitante.*

AB obitu prædictæ Æthiopissæ tres dies, eius domina Michaelis Musici mater, febri sanguinea correpta fuit, quam insequebatur inevitabilis dormiendi cupiditas, quæ vocata utcunque respondebat, sed iterum oculos claude- G bat, & ad soporem revertebatur. Affectus sane coma dictus, qui a vaporibus calidis & humidis ex sanguine putrido ad caput delatis, & ipsum implentibus, originem ducebat. Proinde rebus in ordinem dispositis, a sanguinis missione orsi sumus. At quia dextri brachij venæ latebant, ad sinistrum nos divertimus, & internam secare fecimus, ex qua integram sanguinis libram fluere permisimus. Qui quum ater & corruptione affectus appareret, & vires utcunque constarent, sequenti die ex eodem facto vulnere octo uncias extrahere fe- H cimus. Sed interdum sincipiti oxyrhodinum admovebatur, & cordi epithemata refrigerantia, & roborantia. Cæterum ptisanam, & amygdalatum pro victu huic porrigebamus. Sed ut alvus responderet, per clysteres refrigerantes procurabamus. Tertio vero die post frictiones adhibitas, cucurbitulæ quatuor scapulis profundiorib. vulnusculis scarificatis affixæ fuerunt. At syrupos & hordeaceam aquam non gustabat, sed fontanam tantum pro potu ad extinguendam

guendam sitim, qua maxime cruciabatur, admittebat. Quarto vero die rigore se affligi, ac sua membra refrigerari dixit: sed rigor ille illigo evanuit. Sed quinto pharmacum hoc illi vel invite dedimus, quod habet, Recipe Syrupi rosati solutivi uncias 3. rhabarbari boni drachm. 1. diapheniconis drachm. 3. spicæ celticæ gran. 3. decoctionis florum & fructuum cordialium uncias tres, misce, fiat potus, quo multa egessit. Si quæ enim rhabarbaro spica adiungenda est, celtica sit oportet, ut in nostro diximus Diosc. At septimo die rigor illi intensissimus per duas & amplius durãs horas supervenit, quem febris parva secuta fuit, in qua aquam ad satietatem ebibit, postquam quum parũ evomuit, universum eius corpus copiosissimo sudore irrigatum fuit, postquem sudorẽ, a febri immunis permansit. Sed octavo in ventris fluorem levem incidit, & sana fuit, veluti eius filia decem nata annos, quę simul cum matre in eundem lapsa fuit morbum. Quum tamen puella aquam acetosæ & boraginis, in quibus olei vitrioli guttas tres infundi fecimus, ebiberet, per inferiora vermes quatuor eiecit, & sana facta est. Putredini autem hoc oleum sic exhibitum adversatur, & membra omnia roborat, ac vermes interficit, & calorem febrilem infringit.

SCHOLIA.

PASSIM in libris medicorum voces hæ leguntur somnum significantes, scilicet cataphora, coma, caros, lethargos, quas Galenus in libris Prorrhetici abunde exposuit. Et nos ad præsens prosequemur, citabimusque. Est igitur cataphora delatio, sive in somnum inclinatio, verbum de luctum ab eo, quod qui sopiuntur καταφέρονται, *id est, deorsum ferũtur, quoniam dormientium caput deorsum fertur, & inclinatur. Medici tamen in malam partẽ cataphoram semper accipiunt, verbumq. hoc tanquam genus, ad malum somnum constituũt. Vnde ipse Galenus libro definitionum sibi adscripto, & in isagogis, veluti, eius simia Paulus Aegineta, & Aetius lethargum per cataphoram definiunt, quum dicant, Lethargos est*

A *cataphora, id est, inclinatio in somnum inexpugnabilis cum discoloratione & tumore ventoso, cum debilitate ipsarum solidarum partiũ, & pulsatilis spiritus facta omnino in debili & maligna febre. Vnde satis claret cataphoram genus esse ad alias affectiones somniculosas. At coma intensa est somni deprehensio, vel Galeno teste libello de comate. Coma profundum soporem & diuturnum significat, aut vigiliam imaginatione frequenti obturbante, ac interpellãte somnum: ita tñ, ut ea affecti surgere nequeant. Et quãdo soporẽ profundum significat, tunc simpliter coma nominant. Si autẽ, vigiliã tunc* ἄγρυπνον κῶμα, *id est, vigilans coma appellant, de quo supra mentionem fecimus. Vt tamen Aetio ex Posidonij authoritate placet, accidens hoc consequens sanguineam febrem coma dicetur, ut apud ipsum quivis legere poterit Sermone suo sexto eiusdem numeri capite.*

B *Nec sane immerito, quum,* κῶμα *communi æstimatione, ut poetis placet, dormitionem significat, ut vero Græcis medicis immensam somni deprehensionem. Et ideo coma in malum quietem semper accipiunt. Caros vero profundissimus somnus est, quo oppressus, & si stimulatus fuerit, nec oculos aperit, nec sentit, nec respondet. Vocant autem affectum hunc Romani Veternum, Arabes vero Subet, qui a pituita & lentis humoribus caput occupantibus sæpe fit. Et ipsum lenta quædam febricula, ut Aetio placet, semper comitatur, quem Cornel. Celsus capite de Lethargo, torporem post longas febres*

C *accidentem (ut ego sentio) vocat, nam alibi de caro mentionem non fecisse puto. Hoc nostrum iudicium ex Paulo Aegineta corroboramus, qui caron post præcedentes vehementes febres evenire tradit. Cuius sententia ab ea quam Corn. Cels. de torpore tradit, non multum abhorret. Nam præcedentibus diuturnis, aut vehementibus febribus caros, si supervenerit, ipsum tamen imitabitur febricula quædam lẽta, ut Aetius optimè sane dixit. Vocant autem morbum istum Latiniores, ut dixi, Veternum, & eo correptos veternosos, de qua re alibi contra Grammaticos satis diximus. Lethargos morbus cerebri est, phrenitidi contrarius. Qui ideo lethargus dicitur, quod oblivionem inducat.*

D *Ab eadem autem materia qua caros fit, evenit, & in eodem loco situm habet. Lethargus tamen remissior est, quia eo morbo affecti lethargici dicti, interrogati oculos aperiunt, & respondent, & ad inexpugnabilem somnum revertuntur. Vnde lethargus a Galeno ita definitur. Profundus sopor, & inexpugnabilis pene dormiendi necessitas est. Cuius Aetius aliorum relatione, duas facit species: alteram per primogeniam affectionem factam, alteram vero*

vero per consensum. De reliquis vero vocibus somniculosas affectiones significantibus supra (ut reor) a nobis abunde scriptum est.

Curatio vigesimaoctava, in qua agitur de Erysipelate in iecore orto.

VXOR Azizæ proxenetæ nata an nos tres supra quadraginta, boni habitus mulier, & quæ nunquam nisi partus tempore menses videbat, tertiana continua laborare cœpit. Cui occurrens medicus, primò minorãs, quod aiunt, medicamentum purgatorium propinavit, ac postea demisso sanguine per venæ sectionem, quarto die menses illi copiosi fluxerunt, demum præsidiis idoneis adjuta natura, intra decem dies hæc sanitati fuit restituta. Cæterũ interpositis decem diebus, iterum in morbum lapsa est. Nam acuta febri affligebatur, siti intensissima cum linguæ ariditate, & nigredine cruciabatur. Stomachi subversionem maximã absque vomitu patiebatur, totam noctem insomnis transfigebat, cibum non gustabat, sed avidissimè gelidam bibebat. Quibus omnibus comprehensis judicatum fuit, hanc in jecore inflammationem pati, & illam quidem erysipelas dictam, nam quum supra jecur manum admovebamus, magnãmibi percipiebamus caliditatem, & ægrotans dolorem, de quo potissimum quętebatur. Nullus tamen inibi erat tumor, aut inflatio aliqua, sed iecur male affectum vicinitatis consortio, ac per consensum stomacho morbum impartiebatur. Vnde in continua erat subversione. Sed nihil vomebat: paucus autem humor peccans erat, sed biliosus, acutus malignitatem quandam pręse ferens. Qua ratione alterantibus potius, quam evacuãtibus uti consentaneum erat. Protinus igitur eam secare fecimus venam, quæ inter digitum annularem, & parvum E mediat, ex qua sanguinẽ fluere permisimus ad uncias quinque. Ac ægrotanti syrupum hunc ebibere dedimus, qui habet. Emulsionis seminis melonis cum aqua cichoreæ extractæ unci. 3. syrup. cichoreæ unciam 1. nenupharis unc. semis, misce. Vt verò interdiu aliquid gustaret, sic descriptum fuit, Recipe Conserve de acetositate citri unc. 3. ex qua ad lubitum gustet. Itẽ ut sitim effugiat, & calorem febrilem extinguat, Recipe Aquarum cichoreæ libram 1. endiviæ, lib. semis, acetosæ, portulacæ ana unc. 3. syrupi de acetositate citri, unc. 1. & semis, iulep violacei unc. 1. Misce, & cum F succo granatorum acetosorum, clarificetur, & cũ pulvere santalorũ citr. aromatizetur. At iecori, circa quod universi conatus nostri dirigebantur, sic exterius consultum fuit, Recipe Succi lactucæ, portulacæ, sempervivæ, endiviæ, cichoreę ana libram semis aceti rosati uncias 2. Misce, & in eis pannus lineus intinctus iecori admoveatur, & tepidus sæpe immutetur. Sed ultimo emplastrũ hoc illi super imposuimus, quo universa clausa fuit curatio, Recipe Farinę hordeaceæ unc. 2. santali albi, santali rubri ana unc. semis, herbæ lichenis unc. 1. summitatum absinthij sicci, rosarum G rubearum, mastichis ana drach. 1. Omnia pistentur, vino granatorum acetosorum excipiantur, & fiat cataplasma, postea in panno lineo, aut rubro zendalo tepidum iecori applicetur, & sępe innovetur. Sed pro ventriculo sic scriptũ fuit, Recipe Olei rosacei, cotoneorum, myrtillorum ana unc. 1. Misce, & fiat Inunctio in ipsa oris veltriculi regione. At pro somno consiliando sic apparatũ fuit, Reci. Vnguenti populeonis uncias H duas. Quo inungantur tempora, frons, nares, & brachialia. Quo vice aliorum præsidiorum dictorum, si iecur illitum esset, optimum sane pro inflammatione domanda esset. Sed ijs quinto die in sudorem copiosissimum incidit, & sana evasit. Cibus huic ptisana colata cum lacte seminum melonis fuit, cui postea ius pulli semine citri, & acetosæ, ac uva spina, alternatim admiscebatur. Sed po

tus

tus hordeacea ex mundo hordeo parata erat, in qua interdum thamarindi infundebantur.

SCHOLIA.

NVLLA corporis interior pars est, in qua erysipelas non fiat, potissimum tamen affectio hæc iecur, cerebrum, anum, ac mulierum uterum occupat.

Curatio vigesimanona, in qua agitur de Lichene impetigine dicta.

MONACVLVS divi Dominici natus annos duodecim, impetiginem lichenem dictam, indicem digitum ad os usque exedentem habebat. Cui nostro consilio, quum unguentum de plumbo optime concinnatum super imponeret, intra quindecim dies sanus factus est.

SCHOLIA.

*LICHENES omnium doctorũ votis impetigines sunt, & rectè sane, quum Plinius lib. 20. Nat. suæ hist. capite primo, in quo de cucumere sylvestri, & elaterio agit, inquit. Eius radicem aridam cum resina impetiginem, & scabiem quam psoram, & lichenas vocant, sanare. Ex quibus verbis satis clarum evadit, lichenas impetigines, esse veluti psoram, scabiem. Sed unum animadvertentia dignum apud Plinium ipsum existimo, quod lichenes libro 26. cap. 1. ab eo descriptæ, longè à lichenibus impetiginibus dictis sunt diversæ, quia lichenes impetigines dictæ Græcis & Romanis semper cognitę, cutaneæ affectiones fuerunt. Illę verò lichenes, de quibus lib. 26 tractat, nunquam ante Tiberium Claudium Cęsarem visæ fuerunt. Quam luem Latini mentagram ioculari nomine, quoniam per osculum à mẽto fere oriebatur, appellarunt, & hodie iam nõ extat, sed illius vice morbus Gallicus subintravit, quem mentagram esse nonnulli contestati sunt, ut apud Leonicenũ libello suo de morbo Gallico diffusè legitur. At labes dira illa mentagra di*A *cta, quæ non nisi causticis curabatur, lichenas medici appellavere, quia cum Græcorum lichenibus similitudinem & affinitatem habebat. Ex utriusq. autem in morbis squamæ decidunt cutaneæ, quales crustosæ squamæ ex fictilibus diu salsuginosa servantibus decidere solent. Propriè tamen mentagra, prurigo morbus est, quem volaticam nonnulli appellare solent. Cæterum impetigines, ut Galeno placet lib. 5. de compositione med. per loca capite quinto, ex mixto quopiam generantur humore, serosis nimirum ac tenuibus & acribus succis, cum crassis permixtis. Quapropter etiam facilè in psoram, ac lepram transit affectio hęc. Indi-*B *getq. etiam ipsa pharmacis fortiter resiccantibus. Postquam vero in psorã, aut lepram transierit, ultra hoc, quod resicãtibus indiget pharmacis, & repugnantia, & extersoria quoque expostulat. Quibus Gal. verbis & Aetius, & Paulus, ac omnes post eum medici subscripserunt. Vnde rectè, mea sententia, Corn. Celsus libro quinto suæ medicinæ, cap. 28. Sciens impetiginem cutis infectionem esse, eius quatuor est ausus describere genera, tametsi Græci homines lichenibus suis nunquam tot genera tribuerint quę vos apud ipsum legite. Vtcunq tamen Gal. in Introductorio sive medico libro sibi adscripto, impetiginis duas facit species, quæ cutem molestant, quarum una tollerabilis, mitiorq. est, altera fera, agrestis, difficulter eradica-*C *bilis, quæ tum smegmatis foris adhibitis, cum intus pituitam evacuantibus medicamentis adiuvatur. Cuius generis lichenas apud Plinium libro vigesimosexto descriptas, & licentiori vocabulo mentagram dictas, Manardus esse credidit, ut apud ipsum quis legere poterit lib. decimooctavo suarũ Epist. Epist. 3. Qui, ut obiter quoq. hoc attingam, pruriginẽ proprie mentagram infectionem dictam, vulgo volaticam appellatam, impetiginem levem inibi facit: quã vel sola saliva multi depellere conantur. Cæterum hæc de qua sermo noster agitur, & monaculi digitum fœdabat, exedens erat, profunda, squamulas ex se mittens, prædicto unguento tantum domita, & ex toto extirpata. Porrò duplicis illius impetiginis a nobis ex Galeno,*D *citatæ, C. Celsus lib. 5. suę Medicinæ, postquam de impetiginibus tractavit, sub papularum nõmine mentionem facit, ut cuiq. conferenti notũ evadet, unius quidem levioris, quæ si ieiuna saliva quotidie defricatur, sanescit, alterius maioris, in qua cutis magis exasperatur exulceraturq. ac vehementius & rodit & rubet, difficiliusq. sanescit, quam agriam, id est, feram à Græcis appellari contendit. Vtriq. tamen generi minus vitij, quam impetiginibus inesse tradit, adeo ut id quod difficilius sanescit, nisi sublatum*

blatum sit, in impetiginem verti, ac transire E *affirmet. Cuius sententia à Galeni dictis multum abesse videtur, quum secunda eius impetiginis species ita gravis & difficilis curatu erat, ut non nisi causticis evelleretur. Adeo ut Manardus Ferrariensis firmare ausus sit, lichenas mentagram vocatam, illius esse speciei, ut supra à nobis notatum est. At nos ne multorum sententia varia hinc inde adducta, rem sic indiscussam, ac ut potius confusam dixerimus, relinquamus, Galeni genuinum sensum ex proprijs & germanis libris eius decerptum, in præsenti proponemus, ne quis deinceps amplius inquirendo fatigetur, sed rei summam paucis potius habeat. Meminit, igitur Galen. libr. 5. de comp. med. per loca cap. 5. lichenes, id est, im-* F *petigines facilè in psoram, & lepram transire, proinde sic habeto. Si lichenes sola leviori cutis aspredine & pruritu manserint, impetiginis nomen retinent. Si autem manifestas squamas excitaverint, & altius cutem depastæ fuerint, tunc propriè lepra dicetur. At si per extimam tantum superficiem extensę fuerint, & corpora surfuracea emiserint, psora à Græcis appellabitur, a nostris vero scabies, quãquam scabiei nomen vulgo medicorum latius longè pateat, qui omne cutis vitium scabiem nominant. A quibus infectionibus, quum humores profundiùs, & altiùs carnes depascuntur, pustulæ, ulcera, & huius farinæ reliqua vitia nascuntur. Cæterum, lichen herba quoq. est dicta,* G *quæ lapidibus in humectis locis hęret, & lichenib. & iecoris calidis affectionibus convenit, ac inde ab aliquib. iecoraria appellata.*

Curatio trigesima, in qua agitur de Aethiopibus marasmo consumptis.

AETHIOPES, qui ex Lusitania Anconam venerunt, rheumatismo omnes ferè ex capite in pectus cum gravi tussi descendente laborarunt, at quibus illico secta fuit vena & copiosè sanguis extractus evaserunt, cæteri verò marasmoide affecti, ac consumpti interierunt.

SCHOLIA.

AETHIOPES ij ex populis, qui sub æquinoctiali habitant, sunt colore nigri, & quibus capilli torridi, crispi, piperis modo rotundi insunt. Facillimè autem homines ij senescunt, ut vix sexagesimum ætatis suæ annum attingant. Quod memoriæ Galen. commendavit libro de Historia philosopholica capite ultimo. Calida enim plus iusto regio æquinoctiali subiacens est, ex gemina videlicet singulis annis contingente ad verticem directione, & ad perpendiculum radij iaculatione, fereq. angulo carente reflexione, ut Manardus fœliciter ad modum contra multorum vota indicavit lib. 7. suarum Epist. Epistola. 1. ad Ciglerium missa. Cæterum Aetiopes ij servi pecunijs empti sunt, quos Neophyti ex Lusitania iuxta Hispaniã, in Italiam ob inquisitiones illic factas, venientes traxerunt. Voco autem hic Neophytos, Divi Pauli usus verbo, eos, qui ex Iudaismo in Christi religionem deducti sunt.

Curatio trigesimaprima, in qua agitur de Methodo & vera regulæ propinandi decoctum radicis Cynarum, pro Iulio tertio Pontifice Maximo, ad Illustrissimum, ac iuxta humanissimum Dominum Vincentium de Nobilibus, Anconæ æquissimum Præsidem.

QVEMADMODVM novi morbi indies oriuntur varias mortalibus pœnas afferentes, Vincenti Princeps H Illustrissime, & Iulij tertij Pontificis maximi ex sorore nepos dignissime, ita Dei Opt. Max. nutu medicamenta quædam pro illis arcendis inveniuntur, & a finibus orbis in Europam mũdi regiam partem transvehuntur. Inter quæ multorum votis Cynarum radix, tanquam primatum obtinens, adnumeratur, & inter ea, tanquam Deorum dono, ad salutem humanã conservandã reponi-

reponitur, quæ quia in Sinarum regio- A
ne, finib. Indiæ contermina nascatur, ad
quã Lusitani nostri cõtinuo mercium
exercendarum gratia, confluunt, & in-
de eam afferunt, Cynarum nomen sibi
merito vendicavit. Est enim Cyna, vel
Sina (ut Cosmographis placet) Indiæ
trans Gangem, quæ ad Sericam termi-
natur, contermina regio. Nã India trãs
Gangem ab occasu alterã habet Indiã,
& Gãgem fluvium, à Septentrione Scy
thiam, & Sericam, ab ortu Sinarum re
gionem, a meridie Indicum pelagus: et
ut nostris placet Lusitanis testibus ocu-
latis, quorum (ut apud Plautũ est) plus
valet unus, quam decem auriti. Cyna-
rum hæc regio Scythiæ cõtermina est.
Cuius incolæ albi, subrufi, proceri, Ger- B
manis similes sunt. Qui, ut cæteri mor-
tales, quum multis obnoxij sint morbis,
quos paulo post enarraturi sumus, ad
hãc se cõvertũt radicẽ, & ad eam, tãquã
spectatissimã salutẽ ac sacram anchorã
naufragij tẽmpore cõfugiunt. Quam ex
cannarum quodã genere apud littora
maris nascente, effodiunt, quod ita esse
radicis ipsius figura ostendit, quũ canna
rum communium nostrarum radicib.
similis sit, fungosa, nodis cincta, intus C
cum rufo colore albescens, nam exte-
rius rubescit. Recens prefertur, quæ val
de est gravis, & ponderosa, undique so
lida, non corrosa, sed vivido quodam
fulgore foris cum quadam lenitate ru
bricata, quam Turcæ, lucri etiam avidi,
inter rhabarbarum nunc in Italiam
venalem afferre incipiunt. Gustu tamẽ
insipida est, quandam præ se ferens un-
ctuositatem. Ex quibus omnibus iũctis
eius duntaxat effectibus, iudicandum D
est radicem hanc siccã prope tertiũ gra
dũ esse: humiditate vero primi metas nõ
trãscẽdere cõsẽtaneũ est dicere. In acti-
vis enim qualitatib. symmetra & tẽpe-
rata ab eo, qui in G. regia via instruct⁹
incesserit, cõstituetur. Si ad earũ tñ ali-
quã accedit, ad caliditatẽ dicendũ arbi-
tror. Valet autẽ radix hæc, ut ad illu-
strissimum Cosmam Medicẽ secundũ
Thuscorum ducem scripsimus, corpo-
ris malo habitui cachexiæ dicto, hydro

pisi aquosæ, quã Græci Asciten dicunt,
vertigini, hemicraniæ, destillationibus
à pituita & crassiori bile ortis, catar-
rhis dictis, podagræ, chiragræ, arthriti-
di, coxendicum dolorib. febribus pitui-
tosis, morbo Gallico, lepræ, scabiei. Itẽ
stomachi & oris ventriculi humidita-
tes cõsumit, & earum vitia emẽdat. Pro
inde studiosis, & mente occupatis unicè
opitulatur, ac cõducit. Cholicas effectio
nes mirifice curat, & matricis vitia cor
rigit. Membrorũ diuturnos dolores, &
inveteratas fistulas, ac scirrosos tumo-
res & contumacissimas strumas sanat.
Elephantiasi prodest. Sudorem unicè ex
citat, & sanguinẽ mũdificat ac senes re-
puerascere facit: & macilentos obesulos
reddit. Vrinam cit & calculũ frãgit. Ad
hæc paralysi, hoc est, laxatis nervis, &
cõvulsioni, hoc est, nervis retractis mul
tũ prodesse novim⁹. Saluberrima enim
medicina hæc est & laude digna, quum
prædictis prosit morbis, & varijs alijs
ortum a pituita, & bile crassiori trahẽ
tib. ut experientia ratione firmata de-
prehensum est, & indies magis confir-
matur. Vtuntur quippe medici Cyna-
rum radice ista contra citatos morbos,
quos maxime depellere, ac in totum cõ
vellere, tum ipsi, tum Lusitani nostri,
qui magna cum gloria illic versantur,
& hodie regionem illam frequentant,
ac cum incolis maximum commerciũ
habent, aperte testantur. Nec sane abs
re, quum radix hæc sicca pauco calori
iuncta (ut diximus) sit, quibus qualita-
tibus, omnibus, citatis affectionibus con
ducit, & auxiliatur. Sed non solum (ut
scioli quidam putant) qualitatibus pri-
mis radix hæc tantum opitulatur, sed
specifica & propria potius quadam vir
tute prædita, aliter unũquodq. simplex
medicamẽtũ tẽperatura exacte siccum,
paucula quandã caliditatem coniunctã
habens, easdem, aut similes operationes
cõsequeretur. Quod falsũ esse omnes do
cti norunt. Decocti igitur hujus radi-
cis modum cõficiendi, ac ægrotis exhi
bendi, iam nunc tempus erit aggre-
diamur, ne in longum rem ducamus.
Nam de hac radice libellum edere
O para-

paramus, ubi adamussim hæc diffusius differentur, & latius describētur. Nunc sit hoc quasi operis præludium maioris, etsi Vesalius Cæsaris doctus medicus, & anatomicus insignis, huius radicis dotes libello suo, quē de Radice Cynarum inscripsit, tractavit, quas tamen omnes nō videtur fœliciter prosecutus, parcat vir anatomicus, & German⁹, cui merito quoq. parcendū est, quū à Cynis & Lusitanis, qui cū eis frequenter versantur, & in Europam huius radicis usum traxerunt, verus, genuinus, ac proprius propinandi eā modus petendus sit, quē nos Olissipponæ, Antuerpiæ, Ferrariæ, Venetijs, Anconæ & Romæ, lōgo temporis tractu in praxim traximus, plures radicis huius effectus considerantes. Sed ne iā de nobis lectores, ac ægrotantes querantur, ad methodū & verā regulam huius radicis ęgrotātib. propinādi decocti accedamus. In primis, qui prędictæ radicis decoctum ebibere decreverit, multis antea dieb. optimo uti victu, & à venere quam maxime abstinere debet. Et nō minus etiam perdurante curationis tēpore, & post ipsam per actā curationē, saltem per mēsem. Aliter autē ad hanc curationem non accedat, nec huiusce concredat radici. Consilio deinde alicui⁹ docti, & experti medici, qui decoctum ebibere voluerit, secundum morbi exigentiā, syrup. aut decoctis ad rem facientibus, prius ebibitis, purgabitur. Quod si sanguinem minuere expedierit, id quoq. ut exequatur maxime convenit, sive opus hoc per venæ sectionem, aut cucurbitulas cute scarificata, aut per hirudines ani venis admotas conficiatur, imo bis, & ter evacuationes, modo expediat, repetere, si virtus constiterit, minime formidandum est. Corpore igitur bene evacuato, solent cōmunes medici huius radicis pondus ad quatuor supra viginti unc. quatuor & viginti diebus dicatas tantum admittere, quod opus pauperibus levioribus morbis oppressis (mea sententia) circunscribi posset. Secus autem regibus, aut principibus, aut ijs, qui divitijs abundant & gravioribւ vitijs torquen-

E tur, quum ijs maior radicis quantitas admittenda sit, & cura longiori tempore sit proroganda, quum graves ac diuturni morbi paucis diebus ex toto eradicari, ac extirpari non posśint. Expedit igitur ad trigesimum quintū diem, & quadragesimum & amplius, si morb. postulaverit, & vires constiterint, in hoc dando decocto accedere. Nec enim ob hæc verus tradendi ordo pervertitur, aut immutatur, quum is verus, & ab incolis Sinarum in usu sit habitus. Vidimus autem nos quendam Iacobum ab Olanda Lusitanū fistula quadam laborantē,

F qui quum apud Indos, & Cynas diu versatus esset, & contra morbum radicis huius decoctum suo modo appararet, nō unam tantum radicis unciam pro vice in aqua macerabat, & incoquebat, sed potius duas, & tres, ut fieri ab ipsis Indis, & Cynæ incolis animadverterat. Irridebat autem is nostros Europeos homines, qui radicis tā exiguā portiunculā in tanta aquæ quātitate coquebāt, atque inde non nisi decoctum dilutisśimum resultare merito contēdebat. Sed

G ratio tam parvę quantitatis coquendæ & causa hæc est. In Europa enim radix hęc primū caro & magno pretio vendi cæpit, quo factū est, ut homines tā magnū pecuniarū fugerent dispēdiū, singulis dieb. ad singulas unc. se astrinxerint. Sed nunc, quum sit ipsius fœlicior proventus & copia, eius pondus augere possunt, minori enim pretio nunc habetur. Sed ea maximè quæ in Lusitaniā advehitur, quæ plerunque vetus ac corrosa est, ad hæc evanida, levis, virium magnam partem deperditam habens,

H quum per septem vel octo continuos menses prospero etiam flante vēto per mare naui portetur. Cuius humiditate suas amittere vires creditu est facile. Illa vero, quam in Italiam Turcæ terra, & in camelis nunc afferre incipiūt, perfectisśima est, gravisśima, succosa, quę singularibus medicinis cōparari potest. Sed age, consuetū modum pro exemplo admittamus: quem quum in pręsenti examinaverimus, verum amplum, & apud Cynas in consuetudinē

repertum

repertum, exponemus. Iubeat igitur qui A decoctum hoc ebibere voluerit quinq. vel sex terrea vasa, et si fieri posset, intus vitreata parare, sexdecim aquæ librarum unumquodq. capax, quæ ollas quis potius appellaret, ore angusto. Non minus quoque tripodem ferreum prunas ἀκάπνους id est, fumum non expirantes, & carbones continentem paratū habeat, qualem aromatarij, & pharmacopolæ in officinis habere solent. Vnciam igitur unam radicis huius, aut, ut nos cupimus & Cynicolæ moliuntur, duas & tres in tenuissimas tabellas orbiculares B numismatis figura, acutiori cultro diligenter incidi faciemus, quas ollæ duodecim libras aquæ fontanæ, & puræ continenti, infundi iubebimus, & eas macerari per viginti quatuor horas permittemus. Postea vero ollę orificio optime obturato, prædicto igni olla admovebitur, ut lente ebulliendo ad consumptionem tertiæ partis aqua deveniat. Etenim olla sexdecim librarum aquæ est capax in qua duodecim tātum imittimus, ne fervore intumescente decoctū per ollę os exiliret, & vires amitteret. Deposita igitur ab igne olla, cineribus C calidis optime pannis obvoluta admoveri debet, ut frigore non alteretur. Quum enim diem unum vel alterum ad plus decoctio transcendit, illico acescit, ut quisq. experiri poterit, & auxilij loco magnum affert nocumentum. Curabit igitur quisque decoctum hoc parare, nocte præcedēti eū diē, in quo ebibere id decreverit: ita tamen ut quū un. unā decoxerit, alterā aquæ submersam, ac infusam habeat. Singulis enim dieb. recens (ut dixi) decoctū hoc D parari debet. Cuius libram plus minus per colum lineum densum, vel (ut dicunt) manicam traiectam apprime calidam, ægrotus, quantum eius caliditatē ferre potuerit, in cubili ieiuno stomacho bibiturus est, & optime lodicib. coopert⁹ sudorem evocare, quem per duas horas ferre curabit. Calidis vero linteis postea sudore absterso, linea, sive subucula recenti calefacta vestitus, ad victum accedet, de quo infra dicturi sumus. Est enim decoctum hoc gustui gratum, vel saltem non displicens: à prandio verò sex interpositis horis ante cœnam idem decocti pondus eo dicto modo, calidum ebibet, à quo, ut superius, sudorem provocare curabit, omnia (ut dixi) faciendo. Sunt tamē nonnulli, qui quatuor à cœna horis quādo alii vadunt dormitum, decoctū hoc ægrotis bibendum tradant. Quibus sane minimè ipse adversarer, quū profundiori somno sudor copiosior illiciatur. Primū tamen ebibendi modū Cynæ, utpotè à maiorib. suis traditum, in usu habent. Porrò decocti parati residuum, in prandio & cœna ac interdiu ebibitur calidū, illi semper pro vice sacchari fini unciam unam vel alteram miscēdo: & quò plus ejus bibitur, eò melius est, modò à natura bene gubernetur, nec in stomacho fluitet: multum enim saccharum hoc ad rē facit. Cuius vulgares, & ii, qui de huius radicis decocto notitiam habent, nullam penitus mentionē fecerunt. Abstergit quippe saccharū hoc, & alvū lubricā reddit, quod unū pro summo in hoc propinādo decocto habendū est, ut experientia compertū habeo: quum decoctū hoc ventrē natura sua constringat, & alvū restrictā faciat. Hoc enim citato modo ægrotantes, ut iis, qui hactenus illis imperârūt, placuit, ad 24. diem accedebant, quibus duodecim alteros addebant, & cocta frustula ad umbram exiccabant, ex eis secundū parātes decoctum, quod in illis ebibebant diebus. Sed mea sententia, ex primo decocto remanentib. frustulis octo aquæ libræ superinfundi debent, & ad ignē coqui, quousq. earum quinq. maneant: quod secundum decoctum ad clysmos parandos, & ut in eo gallina, sive capus elixetur accōmodatissimū erit, ut paulò pòst dicemus. Primo tn̄ decocto, si quæ sunt pustulæ, aut ulcera eo lavanda sunt. Sed victum, ac eius sumendi ordinem jam nunc describere tempestivum erit. Qui igitur ad hoc ebibendum decoctū accesserit, quod potissimùm à mēse Marci ad Septembrē erit, modò magna non urgeat

necesſitas, conclave à vento immune, ac calidum habendum curabit: in quo per totum tempus manere optimum ſane eſſet. Sin autem, poſt elapſos quindecim priores dies, veſte pellibus fulcita, aut pãnis optime coopertus & indutus exeat. Parcitas tamen cibi in hoc regimine ſumme commendatur. Nam quanto quis magis à victu abſtinuerit, eo melius erit, ut ex regimine guaiaci ligni deprehendere quis poterit. A ſale igitur & rebus ſalitis ſummopere abſtineat æger, decet: ſimiliter ab aceto, rebus acidis, & acribus. Parcus ſit oportet æger, & (ut dixi) paucis cõtentus. Cui panis optime ſubactus ſit, & abſq. ſale piſtus, vel, ut res poſtulat ipſa, biſcoctus, nauticus dictus, ſed ſaccharo paratus, prout Venetijs, & Piſis, & alibi parari ſolet. Vinum tamen in totum fugiat, & illius vice, hoc (ut dixi) decoctum ebibat. Si a vino tamen abſtinere non potuerit, ſaltem decocto optimè dilutum ipſum bibat. Carnes vero ſint gallinarum optimarum, veluti Patavinarum, non vero Antuerpientiũ, quarũ carnes caprinis ſunt duriores, & ſuccum peſsimum adgenerantes, aut caponum, perdicis, phaſiani, aut avicularum in dumetis vigẽtium, quæ aqua elixæ potius, quam ad ignẽ coctæ abſq. mica ſalis hucuſq. cõcedebãtur: hac præcipue de cauſa, quia decoctum hoc maxime exiccat, conſtringit, ac alvum cohibet: res, quas aſſæ carnes magis augẽt, & ideo aqua coctæ laudãtur, ſed (ut mea fert opinio) aſſæ carnes magis ad rẽ faciunt, ut experientia quoq. comprobatum habemus, nec quicquã lædũt, quia ſaccharum decocto, vice potus in prandio & cœna, ac interdiu venienti mixtum (ut dixi) ventrem facilem reddit. In curationis tamen ſucceſſu liberalius aſſæ carnes admittuntur. Sed plus in prandio comedat, parcius autem in cœna, etſi aliter ſentiant Curtij ſequaces. Sit igitur in prandio contẽtus paucula gallinæ carne, aut aviũ prædictarũ aliqua, ſecundo apparata decocto, ut inferius latius: in cœna vero amygdalis dealbatis, aut uva ſole exiccata pro obſo- E nio cõtentus evadat. Si carnib. tñ veſci debet, aſſæ ſint potius, quã aqua coctæ. Claudat tñ cibum ſemper diacitonitẽ ſaccharo confectum, aut coriandrum ſaccharo incruſtatum. Sed & mel coctũ ſummopere in hoc regimine commendatur. Cætera vero hic a nobis ſilentio prætermiſſa, tanquam à nobis denegata, putato. Cæterum ſi carnes aqua coqui debeant, meo quidem conſilio in decocto ſecundo ex remanentib. taleolis apparato (ut dixi) elixari debent. Quod ius etiampotus vice admitti poterit, quũ antea nullum carnium ius concedebatur. F Ex quo quoq. ſecundo decocto, ſi alvus non reſponderit, clyſteres parari debent, adiecto oleo chamæmelino, aut vulgari, & ſalis paucolo, cum unciola una, aut duabus cocti mellis. Si vero alvus omnino reſtricta fuerit & non rectè reſponderit, imo nihil deiecerit, pharmaco leniori in medio curationis uti optimum erit, veluti in curationis fine ſemper fieri ſolet. Hæc breuiter & raptim, Princeps illuſtriſsime, nobis de radice Cynarum ſe offerunt, quæ tanquam præludium ad libellum de hac G re a nobis propediem ſcribendum Excellentiæ tuę dicantur, quæ, ſi tibi placere cognovero, ad maiora alacriter me accingam. Tu interea bene vale, & Amatum amplitudinis tuæ amantiſsimum, famulitio tuo adſcribere ne dedignare, iterum vale.

Curatio trigeſimaſecunda, in qua agitur de cholera morbo, ſimulque de axiomate hoc, Raphanus digerit & non dige- H ritur.

GAſpar de Robertis, & genere nobilis, & opum affluentia inſignis, vigente æſtate, quum in cœna radiculis, quibus interdum delectari maximè ſolebat, veſceretur, quinta hora noctis in choleram morbum lapſus eſt. Simul autem

autem & vomebat,& egerebat. In auro- A
ra verò ingressus ad illum,eum adhuc
cholericas has bilis sursum ac deorsum
eruptiones pati comperi,qui de ventri-
culi gravedine,ac in eo erosionibus per
ceptis quoque conquerebatur. Quibus
auditis,aquam tepidam bibendam illi
dedimus.Qua multa mucosa,pituitosa,
nidorosa,inter quæ incocta quædam,&
semicruda videbantur,evomuit.Repe-
tita verò eadem tepida aqua,nihil præ-
ter aquam ipsam evomuit, aut deor-
sum egesit.Qua de re,ad ventriculum B
roborandum,& somnum conciliandū
nos divertimus,quum duo hæc satis ad
universam conficiendam curationem
esse nobis videbantur. Extrinsecus igi-
tur stomachus sic roboratus est. Recipe
Olei nardini,mastichini, de absinthio,
ana unc. s. Misce,fiat linimentum. So-
lent autem ad hanc complendam intē-
tionem,scuta parari stomachalia, quo-
rum exemplum, sic habetur. R. Lada-
ni puri & boni unc.s. masticbes,cinna-
momi,caryophyllorum, ligni aloes,mē
tæ siccę absinthij,nucis moschatæ, ana
drach. 1.resinæ,terebinthinæ,an.q. suf-
ficit. Ad ignem fiat ceratū secundū artē C
& in panno laneo cocco infecto,ad scu
ti figuram redacto extendatur, & fiat
scutum stomachale,cui addi posset gal-
læ moschatæ odoriferæ drac.med.pos-
sent quoq.non minus ex prędictis sim-
plicib.parari unguēta,fomenta,cerata,
inunctiones, linimenta, & similia. Sed
prædictis oleis inunctio satis,pro hoc cō
plēda operatione, fuit. Per ea verò, quę
intro sumūtur,ventriculus quoq.ita ro
boratur,& primo, R. Mivæ cydonioru
cum specieb. unc.2. specierum diamos-
chi,scrup.s. Misc.& frigidū bibat. Æsta
te enim syru.& huiescemodi potus fri- D
gidi ebibi debent:ut memoriæ commē
davit Gal.& nos Centuria prima harū
Med. curat. adnotavimus. Postea ve
rò panis biscoctus saccharo paratus, ge
neroso quodam vino astrictionis parti
cipe irroratus illi oblatus fuit, ac postea
capus affus cinnamomi pulvere resper-
sus. A iuribus verò, utpote stomachum
laxantibus,tunc abstinuimus, veluti a
rebus duris,concoctu difficilibus. Sed à
cibo illitiones cum soporiferis circa frō
tem,tempora,& nares facta sunt,& som
nus cōciliatus fuit. Postquem se sanum,
non sine artis medicæ laude, esse dixit.
Cæterum nos non remediorum sylvā
unicuique morbo facientium describi-
mus, sed ea potius quibus tantum usi
sumus. Decretum autem a nobis est,
morbos,prout nobis se offerunt,& quę
illis adhibemus medicamenta, tantum
citare. Aliud enim est casus, & mor-
borum historias describere, aliud ve-
ro practicas inculcare.

SCHOLIA.

*CHOLERA morbus,quem practica-
rum authores cholericam passionem ap-
pellant, immodica ventriculi perturbatio su-
pra, infraque erumpens est. Quum enim cum
vomitu & deiectione deijciuntur biliosa,
tunc cholera morbus appellatur. De quo A-
lexāder Grecus libro tertio suæ medicinæ cap.
quartodecimo ita doctissimè admodum tradit.
Nemo vero credat* χολέραν *appellari à Græcis
ob bilis,ut vulgus putat,abundantiam,& cho
lerica nominari biliosa. sed a multo bileę ma-
teriæ fluxu,qui per inferna & superna fit, hoc
est,intestina, ventrem, & os. Prisci namque
Græci* χολάδας *intestina laxiora, quod in ea*
χολὴ *fundatur,appellant. Et inde hunc morbū
cholericum,hoc est, intestinorum affectionem,
gens eadem cognominavit,& cætera. Cęterum
morbus is ob id, quod magno impetu &
syncope,ac virium prostratione sæpe irruat,
ab Hippocrate & medicis inter acutos morbos
reponitur. Oritur enim morbus hic, eodem Hip
pocra. authore lib. 7. de Morbis popularibus,
& sepe alibi, plerunque in ęstate, ex carnis esu,
maxime suillæ crudioris, ex cicere & ebrieta-
te vini odorati veteris & insolatione, & sepijs,
& locustis, & gāmaris, & ex olerum esu, ma
xime porri, & ceparum. Insuper & à lactu-
cis coctis, & brassica, & rumicis crudiorib. &
a placētis, ac dulciarijs, & mellitis libis, &
à fructib. pomorū, & cucumere, pepone, & vi-
no lactei teporis, et eruo, & polēta recēti, quib.
nos addimus, ab esu raphanorum, quos Hippo-
crates hic silentio præterivit, quia suo tēpore
non dum in victus usum eos homines traxerāt,
sed ipsis tantum pro vomitu proritando utebā-
tur, quos radices, vel radiculas absolute lib. 2.*

de Morbis muliebribus appellat. Qui procul dubio ventriculum perturbant, & cibum ex eo incoctum descendere faciunt, & vomitum maxime provocant. Quo fit, ut Galenus, quum hæc raphano inesse noverit, libro de Cibis boni & mali succi, inter olerum radices acrimoniā habentium & malum succum gignentium, eum connumerarit. Quin & libro secundo de Alimētorum facult. cap. 70. eos medicos, ac idiotas carpit, qui post cænam concoctionis iuvandæ gratia, raphanos, sive radiculas crudas ipsas esitant, firmantes alioqui rem hanc experiētia satis ipsis exploratam esse, quum tamen ij, qui ipsos sunt imitati, omnes læsi fuerunt. Ex ijs vero, quos Galenus taxat, Dioscorides est, qui libro 2. suæ medicæ materię, cap. 103. raphanos à cibo edendos suadet, quum sic ingesti digestioni magis conferant. Præsumpti enim cibum in stomacho supra se suspendunt, & vomitiones concitant. Quibus verbis subscripsit Avicenna lib. 2. sui Canonicis, capite de Raphano, quum dicat. Est malus stomacho, faciēs eructare, & post cibum lenit ventrem, & facit cibum penetrare, & ante cibum facit natare cibum, & non quiescit, & propter hoc facilem efficit vomitum, præcipuè cortex eius cum oxymelite. Nos vero olim, quum Dioscoridem Commentarijs nostris clariorem reddidissemus, Galenum cum eo unanimem, ac concordem redigere in hac re pro viribus laboravimus. Demum post multa hinc inde quæsita in quendam Simeonem Sethi incidimus, ex quo concordiam deprompsimus, quæ ita habet. Si ventriculus calidus sit, & facile fluat, nec ad flatum gignēdum aptus sit, tunc radiculæ edendæ sunt in cænæ initio. Si vero ventriculus contrario modo habuerit, post cænam potius vectitandę sunt. Iis enim Dioscoridem cum Galeno conciliatum iri pro tunc putabamus. At nunc rem penitus advertentes, nihil discriminis & discordiæ inter Galenum & Dioscoridem in hac re reperiri iudicamus. Inquit autem Galenus citato loco, Radicula, radix ex ijs est, quibus assiduè vescimur, estq. obsonium magis quam alimentum, & quam crudam urbani homines, ut plurimum, ante alios cibos cum garo alvi deijciendæ gratia mandunt. In quo capite eos detestatur, qui post cænam concoctionis iuvandæ gratia, crudas radiculas ipsas esitant. Nec enim unquam Galenus ipse imbi, aut alibi (quod meminerim) radiculis tribuit concoquendi vires. Imo potius in eos debacchatur, qui ipsis pro iuvanda concoctione usi sunt, quū experientia deprehensum habeat, ipsas potius concoctioni obesse, quam prodesse. Ipsis tamen ille (veluti sui temporis homines) pro obsonio ad incitandam deiectam appetentiam, & citā-

E dam alvum, in cæna cum garo pauculo, quandoque aceto admixto, in cibi initio utebatur. Quę omnia Dioscoridi minimé adversantur, ut legenti manifestum evadet. Inquit autem Diosco. Radicula stomacho parum accomodata est, ructus & urinam cit, bonam itidem facit alvum. Sed oportet à cibo eam sumere, sic magis digestioni conferentem. His enim verbis Dioscorides nunquam radiculam concoctioni prodesse dixit, sed magis oppositum, quū stomacho eam parum accomodatam dixerit. Quæ enim stomacho accomodata non sunt, sed illi potiùs adversantur, ex dubio procul tantum absunt, ut concoctionem iuvent, ut eam potius mirum in modum impediant ac corrumpant. Digestioni tamē prodesse dixit, ob quæ verba mul- F ti decepti sunt, credentes per digestionem, concoctionem Dioscor. intellexisse. Quum tamen digestio, distributio sit, & digerere, distribuere. Præsuponit autem digestio concoctionem. Nam, ut optima fiat distributio, digestio dicta, optima concoctio primo fiat opus est. Vt igitur cibus in prandio sumptus ante cænam distribuatur, & ex ventriculo, si quæ sunt eius remanentes partes, per pilorum, & gracilia intestina, ac meseraicas ad iecur, & inde per venas in universum corpus relegentur, suadet Dioscorides post cibum radiculas esse edendas, quum earum hoc sit munus conficere. Quod Gal. advertens suadet, monetq. nequis radiculas post cænam comedat, sed ipsas potius ad conficiēdam distributionem ante cænam esitet. Novit enim Gal radiculas digerendi, hoc est, distribuendi vires habere, quæ illico, si post cibū G comedantur, cibum ante concoctionē ex stomacho incoctum detrudent, unde crudi humores oriuntur, a quibus meatuum obstructiones, stomachi perturbationes & variæ aliæ affectiones gignuntur, quemadmodum experientia comprobatum Gal. contra nonnullorum medicorum & idiotarum usum habuit. Quæ omnia Arabes considerantes, nunquam radiculis ausi sunt cōcoquendi vires tribuere: sed eas potius, quas Gal. & Dioscor. illis tantum donaverant, scilicet quod dirigendi facultatem habeant. H Vnde ab Averroe, vel eo aliquo priore dictum est, Raphanus digerit, & non digeritur, hoc est, distribuit, & non distribuitur. Distribuit quippe sua acuitate cortici superiori hærente, non distribuitur vero, quia ex ijs sit cibarijs, quæ difficulter concoquuntur, & diu in stomacho manent. Arabum tamen asseclæ verbum hoc Digerere, pro concoquere semper accipiunt, ignorātes alioqui verbum hoc Digerere, tametsi apud ipsos Arabas pro cōcoquere accipiatur, aliquādo tamen sua propria significatione pro distribuere cōperiatur, ut in hoc evenit axioma-

axiomate, Raphanus digerit, & non digeritur. Significat autem verbum hoc Digerere idem quòd distribuere, seu ordinare, vel distinguere, aut disponere, & Digestio idem quòd distributio, distinctio, seu ordinata compositio. Quā Galenus libro Diffinitionum sibi adscripto, ita describit. Digestio est concocti, ac confecti alimenti. & in sanguinem conversi, in corporis particulas omnes attractio, quam nativus calor molitur. Ex quibus verbis satis clarum evadit digestionem hanc, seu distributionem á concoctione differentem esse. Id quod lucidius Galen. ipse exposuit, libro secundo de Facult. natur. quum digestionem sive distributionem hanc, ab expultrice & attractrice simul: coctionem à concoctrice facultate confici dixerit. Non minus quam quòd alia extant medicamenta digestioni, sive alimentorum distributioni facientia, & alia concoctioni: quæ per varia tempora quoque tribui debeant, ut quarto de Sanitate tuenda libro legitur. Sed clarius hoc, libello illo, cui titulus est. Quòd animi mores corporis temperaturam sequuntur elicitur quū de vino agit, dicens. Revera si commode eo utaris, & concoctioni, & digestioni, & sanguinis generationi, & nutritioni confert abunde. Sed de ijs satis, & ut rei, de qua agitur, finem imponamus, dicimus, quòd radiculæ concoctionē potius impediunt, quam illi commodū aliquod afferant, quia stomacho adversantur, & contradicunt, eum subvertendo, & perturbando, ut ex eis putidis obortis ructibus percipitur. Exemplum est, quòd raphanus aqua maceratus, ipsam aquam facillime corrumpit & inficit. Vnde mirari non est, si ob ejus abundantiorem esum, ægrotus noster in choleram morbum lapsus fuerit. Nam raphanus vomitum irritat, stomachum pervertit, cephalalgiam inducit, caput gravat, destillationes potissimum gignit. A quibus podagra, chiragra, & graves aliæ affectiones ortum trahunt. Proinde qui sanitatem conservare voluerit, ab eo, quantum fieri potest, abstineat, suaderem. Si comedi tamen omnino debeat, cum Galeno cœnæ initio comedatur, consulerem, quia ciborum appetentiam facit, & alvum lubricam reddit, & urinam cit, & alimentorum distributionem, digestionem dictam, complet. Quibus addere est quòd in cibi initio raphanus comestus suas sæpe putidas occultat eructationes: quas politicus homo coercere, ac fugere pro viribus debet. A cœna verò ingestus, præter quod concoctionem non juvat, quum concoctio á solo calido innato conficiatur, alimentum sane ineptū pro concoctrice juvanda facultate reputari debet, quum ei nulla insit aromaticitas, quæ ventriculo roboranda commoda sit, sed acredo potius quædam magnæ flatuositati conjuncta, quibus concoctionem perturbat & incoctum a ventriculo cibum descendere facit. Quod unum ab eo, qui sanitatem vult conservare summè cavendum est. Paulatim enim (ut dixi) cruditates ab ingestis eis radiculis fiunt, quæ temporis tractu, quum auctæ sunt, meatus obstruunt, ad quorum obstructiones putrefactio oritur, & morbi gravissimi, ac lethales nascuntur. Nec enim minus huic rei evenit, quam guttæ lapidem excavanti, juxta illud sæpe a Galeno citatum.

Assiduo illisu durū cavat ūdula saxū

Radicularum porrò folia apprime diuretica, & aperientia sunt, ut omnes norunt.

Curatio trigesimatertia in qua agitur de quodam, qui ex unguento illito supra scabiem, intra noctem obijt.

IVvenis quidam Florentinus, quum scabie universum ejus corpus occupante fœdaretur, ex unguento, cui arsenicum mixtum erat, præter medicorū consilium, se illevit, ac eum in aurora lecto decumbentem mortuum domestici invenerunt. Alterum novimus, qui ob similem factam inunctionem in insaniam devenit, adeò ut ipsum vinciri oportuerit. At quum quodam die, absentibus famulis, se a vinculis extricasset, furens impetuosè per fenestram saltavit & alterum crus fregit. Sed postea remedijs adjutus ab utroq; malo sanus factus est. Sed alterum novimus, cui ob illitionem similem tubercula quædam exorta sunt, sanatu difficilima. Nam & plures observavimus, qui ob hæc in febres inciderunt letales.

Curatio trigesimaquarta, in qua agitur de Elephantia Avicennæ.

QVVM ex conducto simus medici apud cœnobium Divi Augustini, ad

ad nos binatim monachi cucurrerunt. Sed unus Augustinus nomine, facie tumida, corpore procero, præpostere gradu plusquam testudineo ad me pervenit. Qui quum affectiones suas inveteratas ac diuturnas enarrare cœpisset, pedes verè elephanticos, hoc est, ad genu usque tumentes, ut saccos quis diceret plenos, nobis indicat. Super quos crustæ eminebant quædam rubigine affectæ, quas interpolatis diebus, ex decocto emolliēte, madefactas deponebat. Nam aliter pruritu & ingēti vellicatione perdurare nequibat. Quos quum intuerer, & universum ejus corpus exactè perpēderem, hunc Elephantiam, apud Avicendam & Arabas descriptam, pati deprehendi. Sic enim Avicenna Fen vigesimasecunda libri tertij sui Canonis tractatu primo, elephantiam suam describit. Elephantia est additio in pedibus secundum modum, qui accidit in venis varicum, quare incrassat pedem cum æqualitate sua, & plerunque fit propter melancholicum humorem, & aliquando ob phlegma crassum. Rasis preterea, libro nono suo de Morbis curandis ad regem Almansorem, cap. 93. non aliter elephantiam describit, quàm crurium cum varicibus intumescentiam cum totius corporis habitu colore atro perfuso. Qui affectus interea dum recens est, debitis applicitis præsidijs restitui utcūque poterit, vel saltem quod non invalescat, aut augeatur, intercipi. Quum verò penitus radices infixas habuerit, tunc curationem nunquam malum hoc admittit. Is enim monachus, de quo sermo agitur, malum hoc inveteratum cum totius corporis quadā præternaturali obesitate, ac prurigines patiebatur. Qui sudore resolutus, à consortio fratrum discessit, & ad patres suos migravit, non sine tamen cœnobij commodo. Dives nanque erat & opulentus, omnia sua bona illi relinquens. Proximum hic erit citare Petrum Simonem Anconitanū, qui præter varices, quas in utroque patitur crure, œdematosos tumores in ipsis pedibus habet. Quos pedū tumores, cū varicibus Arabes dubio procul Ele-
E phantiam appellarūt. At is cùm optimè per pharmaca purgatus esset, & ad opus manuale condescēdere decreveramus, curationem renuit, & incuratus mansit, veluti Caio Mario ex altero tantū crure curato evenit: ut citat Plinius libro undecimo, cap. 45. & ante eum Cicero libro Tusculanarum quæstionum.

SCHOLIA.

IAM enim videtis elephantiam Arabum longè à Græcorum & Romanorum elephantiasi differre. Etenim (ut diximus) Arabum elephantia pedum cum varicibus tumor est. Græ-
F *corum verò elephantiasis is morbus est, quem Christicolę Sācti Lazari, vel vulgares Lepram appellant, & eo infectos Lazaros vel leprosos vocant. Qui sane morbus dirus & truculentus est: adhæc crudelis, membra usque ad ossa rodens, ex quo infectos passim apud Gallos, & inferiores Germanos, vel invite videre est, qui promiscuè nulla habita ratione, aut victus ordine, pisces, fructus, legumina cum lecte, & lacticinijs comedunt. Olim autem (testante Galeno) in Germania raro morbus is videbatur: in Alexādria verò admodum familiaris erat,*
G *ut apud ipsum legitur libro secundo Artis curativa ad Glauconem cap. decimo. Sed hodie in Germania universa, præcipue inferiori dicta, & universa Gallia, passim morbo isto infectos, qui regiones illas lustraverunt, quamplures viderunt: quum familiaris admodum Belgis, & Gallis morbus hic sit, ut per lōgum tempus aput eos agentes, observavimus. Nunc verò, quod Alexandrinis, & aput Chairum, & totā Aegyptum habitatoribus, morbus hic peculiaris non sit, satis sumus conscij. Olim autē plurimum gignebatur ex cibarijs, quę Alexandrei homines sumebant. Comedebant autem farinam elixatam, & lentem, & cochleas, & plura salita, & nonnulli ex ipsis carnes asini-*
H *nas, & alia quædam, quæ crassum & atrabiliarium humorem generant. Nam quum circunstans aer calidus sit, motus humorum agitur versus cutem, ita ut à bile atra morbum hunc fieri tradat, ac ipsum cācrum universalem per universum corpus disseminatum, tum ipse, tum cæteri graves medici definiant. Ita enim Gal. lib. 2. de Morborum causis cap. septimo de Elephantiasi tradit. Elephantiasis, seu morbus, qui Elephas nominatur, planè formam immutat. Etenim nasus simus, labra crassa, aures acuminatæ videntur. Nomen autem Elephantiasis tractum est a similitudine elephantis. Quoniam, ut alibi quoq; ait, qui hoc morbo laborant, car-*

nem

nem habent nigram, & tuberibus plenam: ita ut elephantum corio videatur prorsus assimilis. Missum facio Paulum Aeginetam, Galeni simiam, & ad Celsum accedamus, qui lib. 3. suæ medicinæ, cap. 25. de Elephantia ita loquitur. Ignotus autem penè in Italia, frequentissimus in quibusdam regionibus is morbus est, quem ἐλεφαντίαν Græci vocant, isque longis annumeratur, totum corpus afficitur, ita ut ossa quoque vitiari dicantur. Summa pars corporis crebras maculas, crebrosq; tumores habet, rubor harum paulatim in atrum colorem convertitur, summa cutis inæqualiter crassa, tenuis, dura, mollisque, quasi squamis quibusdam exasperatur, corpus emacrescit, os, suræ, pedes intumescunt. A quo Plinius nihil quicquam dissidet: imò (ut mea fert opinio) præ cæteris tam Græcis quàm Latinis elephantiasim morbum, longè melius describit, quum à facie & naribus plerunque oriri tradat. Quod verum esse tum ipse, tum alij plures, longa experientia observatum habemus. Ita enim libro vigesimosexto, capite 1. tradit. Diximus elephantiasim, ante Pompeij Magni ætatem, non accidisse in Italia, & ipsam à facie sæpius incipientem, in nare prima veluti lenticula: mox invalescente per totum corpus maculosa, varijs coloribus, & inæquali cute, alibi crassa, alibi tenui, dura ceu scabie aspera, ad postremum verò nigrescente, & ad ossa carnes opprimente, intumescentibus digitis in pedibus, manibusque, Aegypti peculiare hoc malum & cætera. Hunc porro morbum Galen. dextrè carnibus viperinis curari memoriæ reliquit, citato libro Artis curat. ad Glauc. & lib. 11. de Facult. simp. med. apud quem notatu dignas historias legere quis poterit. Quæ omnia hucusq. de elephantiasi dicta in universum ijs, quæ de lepra ab Avicenna, & cæteris Arabibus dicta sunt, respondent: ut firmiter dicendum sit, elephantiasim Græcorum, lepram apud Arabas descriptam esse, ut conferenti notum evadet. Nam lepra Græcorum, ut in hoc diximus libro, levis morbus est, à psora, id est scabie parum differens, altius enim lepra cutem erodit, quàm scabies. Vnde Græcorum lepra cutis fœdatio potius, quàm morbus dici meretur. Quam Hippoc. libro tertio Aphoris. Aph. vigesimo inter eos morbos qui veris tempore contingere solēt, & sine periculo sunt, adnumerat. Cæterùm lepra, de qua in Levitico & Evangelio legitur, morbus non est ex ijs, qui ob errorem in sex rebus non naturalibus commissum contingere solent: quum re vera affectio quædam sit ex ira Dei producta. Nam pro ratione peccati, lepra hęc contingere olim solebat, quæ Sarabath Hebrais appellatur. Quia si peccatum parvum erat, in parietibus domus maculę quędam pullulabant: si vero majus, in vestibus percipiebantur: si vero maximum, peccantis corpus ejusdem fœdabatur, qua lepra infecti quatuordecim in diebus à sacerdote summo judicabantur, an extra consortium hominum relegandi essent, vel non. Nec enim pro ea deponenda humana manus sufficiebat, sed divina potius opus erat, quum nulla medicamenta, nulla præsidia, aut remedia illi applicata conferebant: sed Dei optimi maximi voluntas. Quæ omnia hodie, ut plura alia, non extant, ut dici merito possit. Omnium rerum vicissitudo est. Fœdatio enim cutis magis, quam morbus corporis, Lepra hęc dici merebatur. Quo factum est, ut à Divo Augustino rectè (mea sententia) definitum sit, Lepram coloris & cutis vitium esse, non vero valetudinis, aut integritatis sensum atq. membrorum.

Curatio trigesimaquinta, in qua agitur de psora, & lepra Græcorum.

IOannes ab Antiquis, nobilis Anconitanus, & Venetorum consul dignissimus, quum quinquagesimum ætatis suę annum attingeret, totus psora, id est scabie humidiori, & lepra scatebat. Pro quibus deponendis affectionibus, quum varia, sed frustra, experiretur remedia, nostro consilio, decoctum radicis Cynarum ebibit, à quo liber ab ea corporis fœdatione evasit, nec amplius in eandem recidit.

SCHOLIA.

SAlubris autem & encomio digna radix Cynarum hæc est, ut curatione trigesimaprima hujus Cēturiæ diximus. Cęterum lepra hęc, qua fœdabatur nobilis hic vir, parum ab scabie differebat, ut latius a nobis proditum est.

Curatio trigesimasexta, in qua agitur de quodam, qui ob rosæ odorem, continuò in syncopem & animi deliquium incurrebat.

PLures novimus, qui ab esu carnium in totum abhorrebant. Alios quibus

caseus non solùm comestus, sed odoratus pro veneno habebatur. Sed & alium novimus, qui nunquam pisces gustaverat: at quum semel ab amico ad cœnam vocatus, data opera piscem siccum optimè pistum ovis obvolutum ederet, in animi angustias & cordis pressuras cum vomitu & secessu devenit, ita ut propè fuerit, ut ex toto spiritus illi deficeret & moreretur. Erat autem huic nomen Stephanus Surdaster, natione Hispanus, patria Toletanus. At casus ij, tanquã ubiq; cõmunes, pro nihilo forte habebuntur. Ea de causa casum rarò visum, imò huc usque nefando auditum describere aggrediar. Monachum quendã novimus ex Dominicorum ordine, non nisi nobilem, Venetum, & ex Berberigorum prosapia, qui quum rosæ odorem persentiebat, aut ex longinquo eam videbat, ilico in animi deliquium, & syncopem incidebat, & tanquam mortuus, humi prostratus jacebat. Proinde à medicis consulebatur, ut eo tẽpore, quo rosæ vigebant, domi maneret, nec extra prodiret, ut tantum malum fugeret, & in vitæ discrimen non veniret.

SCHOLIA.

CVM igitur is ægrotabat, quod rarò contingebat, à syrupo rosaceo, & conditis in quibus rosa ingrediebatur, medicorum consilio abstinebat, non minus, quam a cassiæ fistularis comestione ij, quibus in odio cassia ipsa erat, quod plerunque contingit & exercitati norût. Decet igitur medicum ægrotantis non solùm universalem, ad rectè curandum, naturam tenere: sed etiam particularem, ut suadet Gale. initio Artis curativæ ad Glauconem & sexcentis alijs locis, ut Centuria tertia latè docetur. Animadvertãt igitur medici, qui absentes per consilia ægrotantes curare contendunt.



Curatio trigesimaseptima, in qua agitur de herpete miliari.

IVvenis, qui præerat diversorio extra civitatem ad hortos, herpetem miliarem in femore patiebatur. Erat enim

E rubedo quædam vivida, ut in erysipelate, cutis tantùm superficiem præhendẽs multis pustulis, granis milij similibus, fœdata, à quibus affectus hic Herpes miliaris dictus est. Fit autem, Galeno autore libro secũdo Artis cura. ad Glaucon. à bile quidem non admodum calida & acri, vel, ut Oribasio placet, ex flava bile pituitæ mixta, de quibus legito Curationem 25. hujus Centuriæ, & inferius in scholia. Nunc verò curationem huic juveni adhibitam, pro hac deponenda affectione prosequamur. Nam quum affectio hæc ex bile subtili, pauca interveniente pituita, orta sit, per ea medica-

F menta, quæ bilem purgant & aliquantulum pituitam respiciunt, sic affecti evacuandi sunt. Item, quia humor subtilis, & biliosus est, nulla expectata concoctione deponendus videtur. Illico igitur, quum ad eũ pervenimus, pharmacũ hoc illi propinavimus. Rec. Syrupi rosati solutivi uncias quatuor, diaphœnicos drachmas tres, infusionis tamarindorum unc. 3. Misce, fiat potus, quem in aurora bibat: quo multa liquida biliosa egessit. Succedente verò tempore, syrupos alterantes calidam intemperiem descripsimus, & ita habent. R. Sirupi rosati, unc. 1. cichoreæ, s. unc. 1.

G aquarũ endiviæ, & cichoreæ an. unc. 2. misce, quos per aliquot dies continuet. At topica medicamenta primò sic applicatã sunt. R. Succi plantaginis, solani an. libr. s. aceti rosati unc. 2. Misce. In quibus pannus lineus intinctus superponatur malo, & sæpe innovetur, sed quũ malum perseveraret, cataplasma hoc applicatum fuit, quod habet. R. Plantaginis, rosarum, solani, caudæ equinæ an. m. 1. In sufficienti aqua fiat decoctio.

H Facta decoctione & colatura, prædictas herbas in mortario tere, quibus adde farinæ hordei, lentium, an. uncias tres, Vini granatorum acetosorum uncias tres, prædicti decocti, quantum ad spissitudinem mediocrem sufficit, misce, fiat cataplasma, & desuper ponatur. At quũ exulceratæ pustulæ fuerunt, ad unguentum de plumbo devenimus, quo sanus exactè factus fuit. Suadet nãque Paulus

in

in hac curatione, utpote pustulosis herpetis, lib. 4. cap. 20. recremento plumbi ex vino austero lęvigato utamur. Super quo plantaginis folia indidimus, & basilicê habuit. Nec enim ad sanguinis missionem devenimus, quam etsi Galenus, & cæteri eum sequentes medici pro hac curanda affectione non admittant, neotericorum tamen consilio, præcipuè Matthæi de Grado, avertendi gratia ex basilica ejusdem lateris fieri poterit, ut in curatione phrenitidis apud ipsum legitur. Suadet autem Gentilis de Fulgineo nobilis Avicennæ enarrator, ne bilis furiat, in vera phrenitide sanguinis extractio non fiat, veluti quoque in puro erysipelate; & herpete hoc miliari, quod ex bile quoque subtili originem trahit. Cui Matthæus de Grado adstipulatur, præsertim in sanguinis missione, quæ evacuandi gratia fit. Secus autem in ea, quæ avertēdi ratione admittitur, quum hæc tantum abest, ut noceat, aut bilem in furorem & acredinem trahat, ut eam potius refrigeret, & domet, ac ægroto magnum afferat juvamen. Parca autem diversiva hæc sanguinis missio est, nec ita copiosa, ut ea, quæ evacuādi gratia fit.

SCHOLIA.

Herpes duplex à Galeno & cæteris medicis notatur, alter herpes esthiomenos, id est excedens, vel depascens dictus, qui in ea de causâ ulcerosus nominatur, & absolutè ab Hippocrate, & Galeno postea libro quartodecimo Methodi medēdi Herpes appellatur. Fit autem eodem Galeno teste, libro de Tumoribus præter naturam, quando fluxio biliosa exquisita nulla alterius humoris interveniente mistione in aliquod membrum decubit, ac consistit. Tunc enim acrior reddita & crassior, quum propriam, & sibi à natura insitam humiditatem amissam habeat, totam exulcerat cutem ad suppositam usque carnem. Ferè enim affectio hæc cum erysipelate ulceroso esse videtur. Sed differt, testante id Galeno, libro quartodecimo Methodi medendi, quia herpes esthiomenos à subtiliori gignitur bile, quam erysipelas ulceratum. Item quod herpes esthiomenos solâ cutem depascitur exulcerative, erysipelas verò ulcerosum præter cutim subjectam quoque carnem occupat, erodit-

A *ve: utcunque tamen, ut Galeno placet, & res ipsa indicat, utraque hac affectio ejusdem sunt generis, quibus curatio communi debetur. Vocat autem (ut obiter hoc dicam) Avicenna herpetem ulcerosum, formicam corrosivā, ut apud ipsum legere quis poterit Fen tertia, libri quarti tractat. primo, capitulo sexto. Alter autem herpes miliaris sive* κεγχρίας *dicitur, de quo cũ ratio nostra agitur, qui* κεγχρίας *ideo appellatur, quòd* κέγχρος *Græcis milium est. Affectio hæc multas exiguas in cute eminentias milij modo habet, quæ non protinus ulcus faciunt: sed procedente tempore quum disrumpuntur, in ulcus abeunt. Aliquando tamen evanescunt:*
B *sed cutis duriuscula evadit, ut quandoque notavimus. Sed quandoque ipsis evanidis duriusculi tumores membro affecto manserunt, ut experientia deprehensum quoque habemus, qui postea medicamentis emollientibus & digerentibus discussi sunt, & resoluti. Fit autem herpes miliaris hic ex bile non admodum acri, & calida, pituitæ mixta, ut Paulus ex Oribasio adnotat, & Galenus non siluit libro de Tumoribus præter naturam, quum dicat. Mihi verò hujusmodi fluxioni pituita admixta esse videtur. Cæterùm hunc Avicenna citato loco formicam miliarem appellat. In quo capite fœdè Avicenna ipse myrmecias, id est formicas, genus quoddam verrucarum, cum herpetibus confundit, ut apud ipsum legenti manifestum evadet.*
C *Cæterùm quantum ad harum affectionum curationem spectat, Galenum audiamus, qui libro secundo Artis curat. ad Glauc. ita docet, Herpetes autem, quantum ad totius corporis evacuationem attinet, ut erysipelata curare oportet. Quantum verò ad ipsius particulæ patientis locum, non omnibus similis cura adhibetur. Nam qui excedentes sunt, refrigerari quidem desiderant, quemadmodum alij herpetes, & erysipelata, non tamen ea ferunt medicamenta, quæ præter id quòd refrigerāt, etiam humectare natura apta sunt: sed sola admittunt refrigerantia, quæ etiam maximè possunt exiccare. Non igitur lactucam, vel polygonum, neque ex stagnis lentem, aut palustrem lotum, vel psyllion, vel portulacam, vel serim, vel sempervivum, vel tale aliquid, quod refrigerare*
D *possit atque humectare apponendum, quæ erysipelatibus erat opportuna. Super imponere igitur ipsis oportet (subdit) ab initio quidem ex vite capreolos, & folia rubi, & rubi canini, & arnoglossi. Post hæc verò & lentem adjungere oportet, & aliquando mel, & farinam hordeaceam, &, quod antea scripsimus, ad inflammationes, quæ ex fluxione eveniunt cataplasma, dempto ab eo sempervivo. Ipsa verò loca exulcerata inunge medicamentis, quæ ad herpetas*

in libris Pharmaceuticis descripta sunt. Quæ quidem, ut pro compendio dicamus, ubi uti volueris, ex vino dulci, aut tenui & albo, & subaustero, minimè tamen acri, liquefacere oportet. Quod si posca aquosa vice horum aliquando usus fueris, nihil deterius feceris. At inveteratis ulceribus & in longum tempus protractis, tunc vina austera conveniunt, præcipue nigra. Quo tempore ipsis etiam medicamenta congruunt, quę ad Polyidam, Pasionem, Musam, & Andronem relata extant. Hactenus de herpete ulceroso. Herpetas verò, qui summa tantummodo exulcerant, nisi diu perduraverint, nullum horum inungere oportet. Adurunt enim fortiter, & vehementer exiccant. Verum istis sufficiunt quęcunque vim glaucij habent medicamenta, quę quidem aqua diluenda sunt, vel aceto, si nihil ex aqua profecerint. Quod si etiam solani succo intinxeris, vel arnoglossi, plus etiam conferes. In summa verò omne ulcus exiccari poscit, idq; medicamento neutiquā irritante, nisi malignum putrilaginosumq; ipsum ulcus fuerit. Talia siquidem acriora medicamina postulant, & quæ igneas vires possideant, quale est mysi, chalcitis, arsenicū, calx, atque sandaracha. Sæpe verò, ubi ista cesserint, admovemus ignem. Hactenus Gal. Qui (ut paucis constringam) inquit, purgantia medicamenta, quę erysipelatibus conveniunt, herpete quoque laborantibus danda sunt. Quæ in universum cholagoga, id est, bilem purgantia sunt. Secus autem in herpete miliari, in quo bilis, & pituita (ut Galeno decimoquarto Methodi medendi placet) purgari debent. Item quod sicut erysipelatibus topica medicamenta frigida & humida esse debent, ita, quæ herpetibus admoventur frigida, & exiccantia sint decet, plus minus pro ulceris ratione. Vlcus enim, inquantum ulcus exiccationem postulat. Proinde qui Avicennæ lectioni pro curandis ægritudinibus maximè sunt dediti, animadvertant decet, quando in hac herpetum, vel (ut ille ait) formicarum curatione, medicamina frigida & humida admittant, non sine tamen (ut dixi) ægrotantium periculo.

Curatio XXXVIII. In qua agitur de verrucarum curatione.

FAmulus meus, quum utranq; manū, ob verrucarum multitudinem in eis disseminatarum, satis fœdatas haberet, jubeo sarmentis ignitis optimè verru- E cas urat, ac sic succedentibus quinque, vel sex diebus continuet, à qua ustione interpositis octo diebus omnes suppuratæ deciderunt verrucæ, nec ex eis vestigium aliquod relictum fuit. Hac enim vitium siccarum ignitarum ustione plures verrucis fœdatos decoravimus, nec alio remediorum genere pro illis deponendis, & eradicandis unquam, quod verum fatear, usus sum.

SCHOLIA.

F *VErrucæ, excrescentiæ monticulorum instar in cute eminentes sunt, quibus ita inditum est nomen, quòd Latinioribus verruca montis editior pars sit, quas vulgus Porra nuncupat, quia fila quædam porrorum radicibus non dissimilia, intra eas contineri animadvertat. Gręci nomen generale universum genus verrucarum comprehendens non habēt: sed unāquanque speciem proprio nomine appellant. Quæ tales habentur, Myrmecia, acrochordones, helos, thymium. Sunt autem myrmeciæ, hoc est, formiculas, sic dictæ, quia dum attractantur morsui formicarum similem inferunt dolorem. Verrucæ ad cutim latiore basi, super autem tenues, quanquam cum summa cute sæpe æquales prorsus comperiantur.* G *Sessiles autem à figura & formatione verrucæ hę dicuntur, quę in inferioribus partibus pedum & manuum palmis plerunque nascuntur, ut Celsus est autor. At nos eas in manibus & alijs corporis totius varijs partibus oriri ad summam lupinorum amplitudinem, nec ampliorem quotidie percipimus, à quibus paucus sanguis, aut nullus, etsi attrectētur, ob earum altas complantatas radices effluit emitturve. Acrochordones vero contrario modo se habentes verrucæ sunt, utpotè ad cutem, imam partem angustam tenentes, sic dictæ quod chordæ nexu suspensę pendere videantur, quæ raro fabæ magnitudinem excedunt. Avicennæ clavi dictæ, quanquàm Latinis clavi appellantur verrucę albæ, rotundæ clavorum capiti similes, qui in digitis & pedum plā-* H *tis maximè contingunt, quos Gręci Helos: Avicenna verò sua lingua Almismar appellare solent. At thymion vel thymon Celso, & universę Græciæ, verrucula est, eo modo eminens quo acrochordon, videlicet supra lata, sed sub dura peraspera, colorem floris thymi representans, unde ei nomen inditum est, ima verò parte ad cutem tenuis. Quod genus verrucæ Avicenna Tersetum appellat. Iis addere est, aliud genus ab Avicenna cornua dicta, eo quod oblōga,*

cornuum instar recurva videntur. Sed clavis similes sunt calli, quos Græci τολλυς nominant, ex calciamentorum attritu plerunque geniti, & ex labore obdurata cute. Cæterum verrucarum amplam curationem legito apud Galenum decimoquarto Methodi medendi libro, & Tagaultium libro primo Institutionum chirurgicarum, capite nono.

CuratioXXXIX. In qua agitur de puella quadam in virum versa.

IN oppido Esgueira novem leucis à Conybrica, nobili apud Lusitanos civitate, puella quædam genere nobilis erat, cui nomen (si rectè teneo) Maria Pacheca erat, quæ quũ ad ætatem pervenisset, in qua mulieres menstrua primum emittere solent, vice mensiũ priapũ vsque ad id tempus intus latitantem extra ejecit. Et sic ex fœmina factus est masculus & virili toga indutus, Manuel fuit vocatus. Qui ad Indos perveniens, & dives ac clarus factus, postea ad suos redijt, & uxorem duxit, sed an liberos genuerit non satis compertum habeo. Conscij tamen sumus, imberbem hunc semper mansisse.

SCHOLIA.

EX fœminis mutari in mares non est fabulosum. Tradit Plinius libro septimo Nat. suę Histor. cap. 4. Invenimus in annalibus P. Licinio Craßo, C. Cassio Longino Coss. Casini puerum factum ex virgine sub parẽtibus, jussuq; Aruspicum deportatum in insulam desertam. Licinius Mutianus prodidit visum a se Argis Arescontem, cui nomen Arescussæ fuisset, nupsisse etiam, mox barbam & virilitatem provenisse, uxoremq. duxisse. Ejusdem sortis, & Smyrnæ puerum a se visum. Ipse in Africa vidi mutatum in marem nuptiarũ die L. Cossicium, civem Tisdritanum. Hæc Plinius. A cujus historijs non multum absunt, quæ Hip. prædixerat libro sexto de Morbis popularibus, ad hunc modum. In Abderis Phetusa Pytheæ uxor priore quidem tempore fœcunda erat, quum autem maritus ipsius in exilium abijsset, menses multo tempore suppressi sunt, postea dolores, & rubores ad articulos oborti sunt. Hæc autem ubi cõtigissent, & corpus virile factum est, & hirsuta penitus evasit, & barbam produxit, & vox asperafacta est, & subdit. Idem hoc contigit etiam Namysiæ Gorgippi uxori in Thaso.



Curatio quadragesima, in qua agitur de puero qui per inferiora vesiculam vermibus plenam egessit.

CVM puer quatuor natus annos lũbricis affligeretur, totus nauseabũdus, cum appetitus prostratione incedebat, nec in uno loco permanebat, sed hinc inde, tanquam insanus, movebatur. Cui pulsus adeò inæqualis erat, obscurus, deficiens, & recurrens, ut omnes ipsum moriturum prædicerent. Imo nos tentatis omnibus præsidijs ad morbum facientibus, ipsum, tanquam deploratum reliquimus. At quum sic in agone esset, alvus illi citata fuit, & vesiculam pilæ modo rotundã egessit. Quã quum mater coram multis assistẽtibus aperiret, vermium parvorum myriades, non sine admiratione viderunt, ad quos visendos ipse quoq. vocatus, puerum postea paucis vires reficiẽtibus, ad sanitatem reduxi.

SCHOLIA.

HVIC similem vesiculam vermibus refertam, viderunt plures alij, qui vermes omnes concatenati erant, & pro uno a multis judicabantur.

Curatio quadragesimaprima, in qua agitur de vermibus, & signo letifero.

PVella, quæ ad caput montis ægrotavit, vigente æstate, post vermium

tam supra quam infra rejectionem, rem E nigram atramento similem evomuit, & paucis sequentibus obijt.

Curatio XLII. in qua agitur de duobus quartanarijs, quorum alter ob esum melongenarum obijt, alter verò a quartana liber evasit.

DVos juvenes novimus annua quartana laborãtes. Qui quum inter se F mutuò de morbo quererentur, alter alterum ad edulium fovens quartanam invitavit. Nam ejus esu eos à quartana liberari, prout ab alijs acceperat, pro firmo invitans habebat. Erat autem edulium ex melongenis allijs confectum. Ex quo saturi cum nimio vini potu, ut referebant, discesserunt, sed quo successu audi. Nam ambo in ardentissimam febrim illico inciderunt. Ex qua simul G & quartana invitatus copiosissimo sudore respersus evasit. At invitans vitam cum morte commutavit.

SCHOLIA.

QVI quartanam patiuntur, ab ea liberari sperantes vel esu copiosiori piscium salitorum, vel nucum, aut alliorum, aut ficuum, aut rerum adversariarum, sæpe jactari solent. Quod non aliunde evenire puto, nisi quod natura torpens, & fere morbo connaturalis facta, à sua ignavia & pigritia per prædictarum rerum esum excitatur. Quę excitata, materiam longo temporis tractu coctam ac obedientem, per sudorem, aut vomitu, aut secessum, aut sanguinis fluorem, aut halitum transmittit. Si vero cõtingat nondum materiam esse coctam, & expulsioni paratam, inde mors subsequi poterit, ut horum alteri contigit, & alij, qui vinum malvaticum ad internecionem usq. superioribus diebus pro protrudenda quartana ebibit, qui febri intentissima & ardentissima oppressus, intra quinque dies obijt.

Curatio quadragesimatertia, quod theriaca tuto puerulis propinari poterit.

CVm in consortio doctorum hominum heri essemus, ac de puero vermibus laborãte sermo incidisset, propositum à quodam fuit, theriacam summũ antidotum pro pueri valetudine esse, si modo eam vino, aut graminis aqua dilutam ebibisset. Alter verò nullatenus theriacam dandam esse pueris contendebat, & pro sua corroboranda assertione Galenũ adducebat libro de Theriaca ad Pisonem. Vbi Galenus pueris theriaca interdicit, vetàtve, sequenti ordine, dicens. At in pueris omnino medicamentũ est vitandum, quippe cujus magnitudo illorum virtute major sit, & corpus ex facili dissoluat, nativum spiritũ citò extinguat, quemamodum sanè & lucernæ flammã oleum igni copiosius adhibitũ, promptè extinguit. Ego itaq. ex historia memini puellum aliquando ex intempestivo antidoti usu dissolutum. Etenim diuturna febri laborabat, gracili admonum corpore, & viribus imbecillis, ut qui vix multa diligentia posset superesse. Quæ quum ego ex medica ratione conspicerem, etiam vehementer ipsi pharmacũ dari prohibebã. Nam quidam ejus curationi præfectus, qui videlicet patrẽ se esse diceret, & tyrannicam imperãdi facultatem potius haberet, quam ex ratione consilium audiret, & temerè, & violenter admodum H me compulit, ut infanti medicamẽtum exhiberem. Quod jam assumptum concoqui non potuit, fortius videlicet ejus virtute qui ceperat. Verum totũ ipsius habitum dissolvit, alvumque fecit profluentem, atque ita propter irrationalem medicamenti usum noctu infans perijt. Hæc Galenus, cui Aetius subscribit Sermone decimotertio suæ medicinæ, capite nonagesimosexto, & ferè omnis medicorum chorus, quum puerorum innatum calidum facilè dissolui, & spiritum

ſpiritum inſitum citò extingui per the
riacam antidotum calidam tradant. At
nos, quorum eſt has & ſimiles cõpone-
re lites, conſueto more, hoc eſt, brevi di
camus. Theriaca tutò omni ętati conce
di poteſt, & puero, & juveni, & ſeni, &
decrepito, & puerperæ, & utero gerẽti,
non ſolum morbis laborãtibus, ſed præ
ſervationem & cautelam, ne in eos labã
tur procurantibus, attento morbo, ęgro
tantibus viribus, regione, & cœli ſtatu.
Nam puer, de quo ſermo noſter agitur,
lumbricis laborabat, contra quos the-
riacam valere, ita Galenus prodidit, in-
ſuper lumbricis inteſtina occupãtibus.
eoque ſtomacho inſatiabiliter cibũ ap-
petente medicamentum hoc propemo
dum enecatos magna fame fœliciter li
berat. Præterea maximum latumq; hel
minthẽ generatum, id eſt lumbricum,
qui omnem aſſumptum cibum depaſci
tur, eoq; reliquum totum corpus ema-
ciat, mirabiliter ab inteſtinis educit. Ha
ctenus Galenus. Rectè igitur medicus
ille cõtra lumbricos, quos puer patieba
tur, theriacam concedebat, & eo magis,
quia puer non febriebat, & ejus vires
conſtabant. Vbi enim puer ægrotat, &
vires conſtant, & calor febrilis non ad-
modum acris eſt, ſi modo therica cõve-
nit, tutò (mea ſentetia) puero offerri po
terit. Nec enim Galenus hoc unquam,
quod ſciam, vetuit. Nam puer, de quo
hiſtoriam narrat, & illi theriacam abne
gabat, gracilis erat, macilentus, & viri-
bus ob febrem diuturnã proſtratis. Cu-
jus innatum calidum theriaces calidi-
tas ſuperabat. Qua de cauſa Galenus illi
theriacam dandam non eſſe, acriter cõ
tra medicum tyranicè eam imperantẽ
contendebat. Sed, meo judicio, ſimilitu
do illa, quam Gale. adducit, tanto philo
ſopho digna non eſt, ut quem ego poſt
Theophraſtrum inter philoſophos col-
locandum ſemper putavi. Pueris enim
Gal. theriaces exhibitionem vetat, quia
ipſius major eſt facultas, quam vires eo
rum tolerare poſſint, quo fit, ut eorum
corpus facilè diſſolvat, & inſitum ſpiri-
tum citò extinguat, quemadmodum &
lucernę flamma oleum ipſum, ſi ignem

A ſuperet, facilè extinguit. Hæc enim ſi-
militudo eſt illa, quam nos indignam
Galeno notamus, quum theriaca fabæ
Ægyptiæ magnitudine datur, & mino
ri adhuc quantitate, pro viriũ & ætatis
ratione, quũ, ut ille ait, lib. de Theriaca
ad Piſonem, menſura ipſius potus eadẽ
non eſt in omnibus. Quæ qualiſcunque
fuerit a Gal. deſcripta, ſufficiens non eſt
innatum calidum extinguere. Si quod
tamen obnoxium, aut malum, theriaca
inducere eſt potens, id ſua qualitate effi
cere, dicendũ eſt. Vnde ſatius eſſet dice
B re, ac ſimilitudinem afferre, Theriacam
pueris dare non aliud eſſe, quam ignem
igni addere, & flammam flammæ, quũ
id ſua qualitate efficiat, non verò quan-
titate, quæ parva & exigua admodũ eſt.
Deleteria autem medicamenta frigida
ſua quantitate interficiunt, calida verò
ſuis qualitatibus, ut author eſt Gal. lib.
de Facult. ſimpl. med. & Commentarijs
de Temperamentis. Regio quoque pro
danda theriaca, veluti cæteris pharma-
cis ægrotantibus, attendenda eſt, quum
calidiori regione habitantib9, antidoti,
ſive theriaces uſus cavendus ſit. Qua de
C cauſa etiam hominibus primo Solis or
tu degentibus, & multa inde ſiccitate
præditis, medicamẽtum (ut Gal. tradit)
eſt incongruum. Humidiores autem re
giones & frigidiores incolentibus tutò
theriaca cõcedi poteſt, veluti in hyeme,
& tempore frigido. Nam in æſtate ejus
uſus periculoſus admodum eſt. De qua,
veluti purgantibus medicamẽtis, dixit
Hippo. lib. quarto Aphoriſ. ſub cane, &
ante canem difficiles ſunt medicamen-
torum exhibitiones. Quoniam, ut notat
D Gal. febrim hoc potiſsimum tempus ho
minibus advehit. Qua propter & æſta-
te florentibus, & multo naturali calore
præditis, neq. multum, neq. ſæpe exhibe
ri medicamen eſt tutum, quemadmodũ
ijs, qui jam declinant, & plurimum &
crebro non ex aqua, ſed vino magis aſ-
ſumi profuerit, ut corporis virtus jam
emarceſcẽs, & genuinus calor extinct9,
refocillari, accipiq. ipſius poſsit benefi-
cio. Cæterũ quam præſtans hodie in of-
ficinis paretur theriaca omnes norunt.

Curatio XLIIII. in qua agitur de dysenteria, torminibus, sive intestinorum difficultate, morbo dicto.

NObilis miles Grimaldus dysenteria ex bile orta, canicula vigente, laborabat. Ad quem quum primùm pervenimus, ipsum robustum triginta annorum notavimus. Qui vẽtre dolebat, & sæpe egerebat, & cum ijs quoq; febricitabat. Cujus egestiones liquidæ, & biliosæ erant, super quas mucosa quædam cruẽta supernatabant, cernebanturve, & veré dysentericus is apud Galenũ lib. nono de Comp. medi. secundum loca, capite quinto, dicendus sit, quum in intestinis tantum, jecore non patiente, ulcera aphthis, quæ ore nascuntur, similia patiebatur: insita autẽ ulcera hæc crassioribus intestinis, ut excrementorum mixtione percipiebamus, erant. Quo fit per inferiora quàm superiora, medicamẽta ad ulcerum medelam sanationemve, consultius infundebãtur, ut inferius latius hæc patebunt. Hunc igitur morbum curaturus, ad ejus causas, veluti in cæteris morbis, unde ortum trahunt, attendere decet, juxta illud Galeni triviale, libro Artis medicinalis capite octogesimonono. Vnum commune præceptum observabimus, ut unãquanq; prius, quæ efficit causam, rescindamus, deinde ita ad illam, quæ ab eadem causa facta est, ægritudinem accedamus. Quum igitur dysenteria hæc a bile ortum trahebat, ut plerunque (vel Galeno teste) libro quarto Aphoris. enarratione vigesimaquarta, originem ducit, consequens erat, medicamentum bilem purgans, absque mordicatione aliqua huic propinare. Dedimus igitur rhabarbari drachmam unam & mediam sequenti modo apparati. Recipe Rhabarbari acerbi, drach. unam & semis. Pistetur, & infundatur, sive maceretur in uncijs tribus aquæ plantaginis, per aliquot horas, tandẽ facta colatura, & leni expressura rhabarbari prædicta substantia alijs tribus

E uncijs aquæ plantaginis denuo infundatur, quibus pulpæ casiæ noviter extractæ unciam mediam dissolvito, & pharmacum parato, ac ipsum ægroto propinato. Quo multa egessit. Cæterũ, prima infusione rhabarbarum, si quas partes exasperantes, & ulceribus adversas habet, omnino amisit, & mitius ac securius redditur, quam testa ustum, aut assatum, ut multi dare solent. Respondet autem sic paratum rhabarbarum Græcorum rheo, cujus usus apud me frequens pro hac & varijs curandis affectionibus habetur. Post hæc verò ad clysteres non divertimus, lavatorios primò, quorum

F descriptio talis est. Rec. Aquæ hordei libram unam, vitelli ovorum numero duos, sacchari sancti Thomæ, quod rubrum officinæ vocant, un. unam, misce. Est enim clyster hic intestina à bile & muco mordaci lavans, ita præstans, ut interdum curandæ dysenteriæ sufficiat, qui cæteras injectiones antecedere debet, & parũ eum retinere opus est. Post quem ad eos, qui ex emplasticis medicamentis componuntur, internam intestinorum superficiem contra fluentis materiæ morsum, ceu tectorio quodam & crusta armantibus, devenimus, & ita habent. R. Aquę hordei un. decem, albumi

G nis ovi optimè concussi, num. 2 gummi Arabici, adipis caprini, ana un. s. olei rosati, un. 2. boli Armeni, tragacãthæ ana unc. 1. Misce, fiat clysmus, & quantum poterit, eam retineat. At ne suo lentore medicamenta hæc acres materias, tanquam carcere retentas, intestinis affligerent, ad clysmos lavatorios revertebamur. Et sic vicissim ad eos qui ex emplasticis componuntur medicamentis. Est enim hoc aliud clysterium, exemplasticam vim habentibus. R. Iuris pinguis

H carnium, unc. 8. succi plantaginis, unc. duas, butyri recentis insalsi, gummi tragacanthi, gummi Arabici ana unciam unam, albi ovorum num. 2. sepi hircini liquefacti unc. semis. Misce, fiat clyster. At quum fluxus perseverabat, & sanguis copiosè fluebat, ad fluorẽ astringentia non solum per clysterea injecta, sed ea quæ per os manduntur, & vim

glutinandi

glutinandi & cicatricē ducendi habent, quæ Sarcotica dicuntur, devenimus.

Clysteriorū constringentium paradigma. Recipe Gnaphalij herbæ tormentitiæ dictæ, rosarum rubearum siccarum, foliorum symphiti, plātaginis, polygonij, id est corrigiolæ, verbasci, an. manipulum 1. sumachiorum Rhois Grçcis dicti, bursę pastoris, malicorij, balaustiorum, gallarum, orizæ tostæ, ana pugillū 1. radicis symphiti vnciam semis, in aqua pluviali chalybeata, singula decoquantur ad consumptionem tertiæ partis, facta colatura & expressione. Recipe prædicti decocti librā unā, succi plantaginis unciam unam, acacię, hypocisthidis ana drachmas duas, sanguinis draconis, boli Armeni, terræ Lēniæ ania drach. semis, sepi hircini unciam unam, olei rosacei, myrtillorum, ana unciam & semis. Misce, fiat clysterium, quod quantum possibile fuerit, retineat. Sed quum tormina omnino hūc vexabant, & ulcera profunda utcunque gravabant, ut ex eis pus exiens in egestionibus attestabatur, ad ea quæ valentinus abstergebant, veluti post ea, quæ non tantùm obtundunt, sed stuporē inducunt, confugimus. Sic autem abstergentes clysteres parabantur. R. Infusionis furfurum, juris cicerum, ana lib. ſ. mellis rosacei collatitij un. 2. vitelli ovi nu. 2. terebinthinæ decies cum aqua frigida lotæ un. 1. olei rosacei unc. 2. Misce, fiat clyster, quem multi ex muria salsorium piscium, aut olivarum colymbadum parare solebant, adjectis aliquādo ex Arsenico pastillis, quibus hodie pauci utuntur, & meritò sanè. Quum si eis & potentibus alijs medicamentis utēdū sit, eis in longa & diuturna dysenteria potissimùm uti expedit. Quum enim ulcera exactè detersa fuerint, natura per se potens est ea cicatrice tergere & glutinare. Sed, ut promptius fiat, juvatur clysteribus siccantibus & astringētibus supra à nobis commemoratis. Sed nos ab injecto abstergente clystere, ac eo expulso, ad clysterem ex rebus stuporem ducentibus, devenimus, qui ita recipit. Recip. Calycum papaveris nigri cum suo semine, num. 6. seminis hyosciami, drachmas duas, hordei tosti, orizæ tostæ ana vncias duas. In aqua capitum rosarum fiat decoctio ad consumptionem tertiæ partis, cuius colaturæ accipe lib. unā. Cui adde pilulatum de cynoglosso, drach. semis, vitellos oui duos, tragacanthæ, gummi Arabici aā. drachmā unā, terræ Lemniæ unciam semis, olei rosacei un. duas. Misce, fiat clyster. Solent autem ijs misceri opij grana tria, vel quatuor, quorū vice balani ex licio parari solent, ut commendat Rasis, quæ cū filo sedi imponuntur. Veluti quæ ex Athanasia, vel pilulis de cynoglosso, & opio, conficiuntur. At interim, dum hæc parabantur, per os fluorem astringentia dabamus. R. Sacchari rosacei antiqui unc. unam, pulveris corall. rub. & albi drach. unam, trochiscorum de spodio Arabum, drach. semis, cum syrupo rosaceo de rosis siccis fiat eclegma, vel sic. Rec. Mivæ cydoniorum sine speciebus un. 3. trochiscorum de spodio cum semine acetosæ unc. semis. Misce & detur. Vel hoc aliud, ad idem faciens. Caro cydoniorum ex saccharo cōfecta. Vel hoc aliud. Corna saccharo cooperta, prout acria cerasa parari solent. Vel ex eis cōditum apparatum, ut ex mespilis, & sorbis & alijs astringentibus fructibus confici solet. Sed cum hæc parum juvarēt, ut dolor sedaretur, & somnus evocaretur, & materia ipsa fluxioni inepta redderetur, post varios ebibitos syrupos materiam condensantes ac inhibentes, ad Philonium Romanū, & Athanasiam, & recētem theriacam, veluti pilulas de cynoglosso, pondere semidrachmæ, quū vires cōstabat, & dolor vigebat, & æger in somnis agebat confugimus. Sed exterius quoque topicis medicamentis æger adjuvabatur. Primò autem ventri admotum fuit oleum cydoniorum, & myrthinum simul superinsperso pulvere coralli rubri, rosarum, mastiches, boli Armenici, & sanguinis draconis, postea verò ad emplastrum diaphœnicum frigidum Mesues devenimus, veluti emplastrum confectum ex cydoniorū substantia, adjectis constringentibus, quorū

catalogum inferius describemus. Sed & suffumigia sedi adaptanda machinati sumus. Porrò jecinoris cura maxima à nobis quoque erat, cui epithemata, inūctiones, & linimenta ipsum refrigerantia, & roborātia imponebamus. Quibus omnibus, sæpe, ut expediebat, applicatis, intra decem dies sanitati fuit restitutus. Cibus huic oblatus euchymus, & coctu facilis erat, ut ptisana, hepata gallinarum, testes gallinaceorum, aqua carnis, præcipuè perdicis, & pavonis, in quibus frustula quædam cydoniorum, & semina constringentia coquebantur, & vice aromatum semina rhois coriariorum (sumach dicti) optimè pista desuper inspergebantur. Sed orizam tostam in pollinem redactam, cum jure pulli, aut perdicis exceptam quādoque gustabat. At ova sorbilia rarò illi febris ratione concedebamus. Herbas, tametsi authores nonnullas concedant, nos omnibus illi in totum interdiximus, veluti aceto, salsis, & acribus, quia ulceribus inimica & mordacia sunt. Dātur autem cibaria actu frigida, ut nonnullis placet, ad excitandam appetentiam per consensum prostratam, quanquàm multi hujuscemodi cibaria frigida respuant, & medio criter actu calida appetant. Ex quorum numero noster ægrotus est. Nam liquida stomachum laxant, & ventrem leniunt, qua de causa jura in hoc casu abnegantur, veluti dura quæ ægrè concoquuntur, ob ventriculi imbecillam coctricem, & retentricem facultatem. Proinde medium locum tenentia, antea citata concedebantur. Potus verò, aqua decoctionis gnaphalij, tomenti dictæ herbæ erat, quæ ubique vulgaris & cognita est, ex qua vinum coctum contra dysenteriam Dioscorides summopere laudat, libro tertio suæ medicinæ materiæ.

SCHOLIA.

Dysenteria absolutè dicta intestinorum exulceratio est, quam consequuntur dolores, & dejectiones. Unde à Latinis morbus hic Tormina, quod intestina dolore torqueantur, nominatur, quo fit, ut Gal. rectè mea senten-
E *tia, lib. 9. de Composit. med. per loca, cap. 5. quū*
de hac affectione loquitur, de vera dysenteria
agere se tradat. Nam altera dysenteria, hepa-
tica sive jecoraria, in qua sanguis, veluti car-
nium in aqua lavatarum excernitur, appella-
tur, quam cum Galeni omnes postea medici in-
ter jecinoris affectiones reponunt. Proinde a
Galeno cap. citato, sic traditur. De dysentericis
quidem, quæ in universum nosse oportet, jam
anteà dictum est, tum in curādi Methodi libris,
tum etiam nunc in sermone de Hepaticis habi-
to. Reliquum est igitur de vere dysentericis age-
re, in quibus neque hepar affectum est, neque
aliqua alia affectio est, præter intestinorum
ulcerationem, aut nudam, aut cum putrefa-
ctione aliqua obortam, quam medici, consue-
F *to vocabulo, νομὴν appellant. Cui faciunt ea, quæ*
ipse libro sexto de Locis affectis, capite secun-
do, tradit, quæ brevitati consulentes, omitti-
mus. Hanc cæterum intestinorum ulcerationem
cum putrefactione obortā, ægrotus noster pas-
sus est. Cui nos rhabarbarum, eo dicto modo ap-
paratum, dedimus. Et nonnunquam similem
morbum patientibus myrobalanos cōcedimus,
veluti rheon Græcorum nobis satis cognitum
& familiare medicamentū. Quanquam non ig-
noramus multos esse, qui hoc detestantur, vitu-
perentve: quos nos, tanquam homines parum
in re medica instructos, relinquimus, postpo-
nimusque. Legerunt quippe ij Galenum, quem
sæpe in operibus suis adducunt, sed non ea cen-
sura, aut animadvertentia, qua probi medicī
artem exercentes, eum legunt. Afferunt sanè
ejus nonnullos locos, in quibus Galenus ipse,
G *pro dysentericorum curatione sua acria, & con-*
sueta detestatur pharmaca. Quæ nos cum offi-
cinarum scammoneatis rejicimus, & ab ipsis
abhorremus. Non ea tamen ratione, in totum
medicamēta morbi causam deponentia a nobis
repudianda sunt, ea potissimum quę Gal. non no-
vit, quæ si novisset, illis pro dysentericis curan-
dis usus esset. Inter quę rhabarbarū & myroba-
lani, nominanda veniunt, quæ materiam morbū
foventem evacuant, & sua adstrictione mem-
bra roborant, & ulceribus prosunt. Iubet au-
H *tem Galenus lib. 2. de Facul. simpl. med. cap. 12*
& decimoquarto, ut humores morsionem facien-
tes prius educantur. Ac postea, quæ morsionē,
sive acredinem tollant, in os dare, & per infe-
riora in alvum indere. Purgat verò Galenus
humores hos morsionem facientes melle. Post
quorum eductionem ad ea devenit, quę acredi-
nem tollunt, tum per os data, tum per sedem
indita, ut chōdrum, ptisanam, adipem, ceratum
dulce, oleum dulce, album ovi, & cætera si-
milia. Laudat quippe Gal. mel, tanquam medi-
camētum materiam morsionem & aspredinem
indu-

inducentem evacuans, quod sanè (tanti viri pa
ce dixerim) non sic facile admittere in nostro
præcipue ægroto, dysenteriam utpote à bile or
tam patiente, quum mel (vel ipso Galeno te-
ste) lib. 3. de alimẽtorum facult. cap. 39. te-
nuium sit partium, agrimoniæ quippiam in se
habens, quæ alvum ad excretionem proritat.
Item calidum & siccum secundo ordine est,
quod facile in biliosis corporibus in bilem ver
titur, ut ex eius historijs experientiæ consonis
deprehenditur. Quæ omnia dysentericis adver
santur, & biliosis ulceribus contradicunt. Qui
bus adde, quod per se solum mel parum purgat,
ut indignum videatur pro intestinorum lavato
rio exhiberi. Nam, nisi prius intestina lavẽtur,
aut aliquo medicamento expurgentur medica-
menta ea quę ἐπικεράστικα, id est temperantia di-
cuntur, si iniiciantur, corrumpuntur & vice iu
vamenti, magnũ ægrotantibus afferunt detri-
mentum. Qua de re consonum rationi videtur,
illico medicamentum aliquod ægroto, quod
morbi causam avertat, & intestina abstergat
potius, quam mel, aut illi simile aliquod dare.
Inter quæ (mea sententia) nullum hodie me-
lius excogitari, aut haberi poterit quam rha-
barbarum, eo modo a nobis paratum, aut my-
robalani sæpe lavati. Nam thamarindi sua ace
tositate mihi semper in ijs ulceribus suspecti
fuerunt. Cõmendat enim Galenus, corpus caco-
chhymum dysenteria affectum medicamento
aliquo, quod acrimoniæ expers sit, ante omnia
inaniatur, quod omnes, Galenum legentes sciũt.
Sed quibus medicamentis opus hoc exequi de-
beant, non norunt. Nec Galenum recte perci-
piunt, imò eius confundunt doctrinam, quum
dicunt opus illud confici debere ad eius men-
tem, cum adipibus, oleo dulci, cerato dulci me
licrato, melle, ptisana & similibus. Quæ omnia
dubio procul contra ipsum Galenum sunt. Ipse
enim libro citato secundo de Facul simpl med.
cap. 12. 13. & 14. tradit. Si dolorem lenientia,
qualia prædicta sunt medicamenta in alvum in
jiciantur antea quam corpus aliquo sit modo
purgatum, quod putrescunt, & humorum ca
cochymiam alunt. Videant igitur qui Galenum
se legisse gloriantur, multum mehercle refert
Galenum legere, vel ipsum intelligere. Putãt
autem hodie multi, vel infinimus pedagogus,
quum quatuor græculas literas novit, & op-
time Latinè factum Galenum legit, eum mordi
cus tenere, & ilico se Medicum appellari pos-
se. Sed longe se res habet. Nam artificiosissima
doctrina instructus, & longo usu sit expertus,
qui ad Galeni mirificam doctrinam accedit, ut
ex ea aliquid depromat, decet. Aliter eius le-
ctione eundem, vel similem questum faciet (pro
firmo habeto) illi quem cribo aquam hauriẽ

A tes habere solent. Sed de ijs satis. Et superiorib.
sermonibus verba nectamus. Iubet sane Gale.
in dysenteria primò corpus evacuemus, deinde
ea, quæ dolores mitigant, iniiciamus. Evacuat
igitur Galen. per iniectiones primo melle, vel
melicrato, vel ptisana, vel aqua lactis, deinde
ad ceratum dulce, tragum, olea dulcia, pin
guedines, amylum, & gummas devenit. Vtitur
quippe Gal. pro evacuantib. medicamentis per
sedem iniectis, melle, melicrato, ptisana, & a-
qua lacti, quæ sufficiẽtia sint pro deponenda ca
cochymia, vel non satis nobis, & legentibus
manifestum evadit, quum sciamus hęc parum
aut nihil evacuare. Ea tamen Gal. admittebat,
quia suo ævo cætera quæ huic rei adaptari po
B terant, fortia, acria, & exasperantia erant me
dicamenta. Cui, si rhabarbarum & myrobala-
ni in usu medico haberentur, dubio procul eis-
dem uteretur, nec tam egregia medicamenta
pro hac curanda affectione prætermitteret, quũ
cacochymiam deponant, & ex vestigio constrin
gant, duo potissima pro hac curanda affectione
desiderata. At quum illi hæc ignota erant, suis
citatis utebatur. Quæ quum debilia pro caco-
chymia deponenda erant, factum est, quod do-
lores sedantia medicamenta, postea iniecta
corrumpebantur & ægri prius habebant, &
consequenter sæpius, quam nunc moriebautur.
Nunc demum quod ars medica multo cultior
sit, quam nunquam fuit, certum est, & benignis
C medicamentis antiquis (si cognitis in usu ta-
men non habitis) utamur. Eisdem primo caco-
chymiam deponimus, postea vero Galeni ab-
stergentibus & lavantibus utimur, post quę do
lorem sedantia iniicimus, quæ quum corpus pur
gatum comperiunt, validius operantur & po-
tentius vires suas imprimunt. Vnde ægroti me-
lius sentiunt & citius evadunt. Conatur autẽ
scioli hodie dysentericos prædictis tantum hoc
est, tragi suco, sepo hircino, & rosaceo cerato,
per inferius indita curare, ignorantes Galeni
præceptiones lib. 12. Methodi medendi, non
procul a principio, quibus nos docet ijs citatis
medicamentis, contra symptoma tantum in dy-
D senteria instare, non vero contra morbum. Ita
enim Galenus citato loco inquit. In dysenteri-
corum deiectionibus, ubi vehementer rodunt,
vel tragi succum, vel hircinum sevum, vel ro-
saceum ceratum per inferius indimus. Quibus
utique præsidijs ipsa exulceratio intestinorum
non sanatur, maxime si putrescens aliquid ha-
beant, sed vires interim conquiescunt, atq. idest
contra symptoma instare, morbo ad id tempus
neglecto. Quibus verbis nihil clarius dici po-
terit. Quum igitur ij morborum principijs ob
sistere possunt, quia viribus constãt ægrotantes:
illi astricti prædictis Græcorum remedijs, dum
deiectionis

deiectiones sequuntur, & ulcera serpunt, & vires indies magis labuntur, adeo ut postea ægros releuare non possint. Quod advertens Galenus, ubi supera, subdit. Vbi virium roboris fiducia est, adeo nunquam contra symptoma pugnamus: ut cotra prorsus per ea nonnunquã præsidia, quæ dolorem afferunt, morbos ipsos curemus: veluti profectò dysenteriæ ipsi, mordentibus maximè medicamentis, tum potissimum medemur, quum utique est gravissima. Hactènus Galenus. Cuius citata verba dicent fortè ij, intelligenda esse in dysenteria diuturna & longa: pro qua curanda & auripigmento, & calce viva, & sandaracha, & similibus potentibus medicamentis medici utuntur. At ipse pro dysẽtericorum principiis, verba hæc potius accommodanda esse contestor, quia tum eorum vires potentes sunt, & ulcera exigua. Quibus si medicementa propinaverimus eo modo a nobis apparata, acrem bilem intestina corrodentem, & alteram paratam fluere deponemus. Qua deposita, ulcera, vel facilimè sanitatem consequentur, & adglutinabuntur, et cicatrice contegentur: tametsi maiora ob materiam super eam transeuntem reddita sint, nocumentũ tamen planè contemnendum: quum iuvamen magnum sit, morbi causam scilicet præscindere. Nam per alteram, viam, quàm per intestina evacuare, non ita facilè medicus potest. Quod si ad intestina corrivantem biliosum & acrem humorem dysenteriam gignentem, medicus per superiora retrahere posset, & eum per vomitum evacuare, dubio procul ineptum esset, et contra Galeni præcepta, libro Artis medicinalis, & Methodi suæ curativæ, per intestina ulceribus scatentia materiam ducere. At quum hoc medicus non sic assequi potest, tametsi tentare pro viribus debeat, consequens est medicamentis purgatorijs id conficiat, præsertim rhabarbaro, quo & Paulus forte usus fuit, & myrobalanis, quæ post purgationem constringũt ac exiccant, ulceribus admodum cõgruæ qualitatos, quibus nonnulli diacatholicum miscent, alij diaphœnicum. Quia sic scammonium & turbith recipit, eorum tamen vires ita á palmulis & cæteris ingredientibus infringuntur, ut eius operationes ac vires iecur non accendant: nec aliunde attrahat, quam a sibi propinquissimis particulis. Sed biliosum hunc humorem per ea medicamenta quoque diuretica dicta, quæ frigidiuscula sunt, ut consueta semina quatuor, ad urinæ vias derivamus. Quam operam evidentius consequimur post universum corpus purgatum. Nam diuretica potentia & fortia, quæ sua natura calida & sicca sunt medicamenta, Cornelius Celsus vituperat, ut fœniculum, absintium, asarum, & similia. Quia si

E humorem dysenteriam facientem ad urinæ meatus non derivent, vice iuvandi, multum nocebunt, & suis qualitatibus eum acriorem reddent, & ulcera magis irritabunt. Hoc nostrum indicium de propinandis purgatorijs medicamentis supra citatis, in dysenteriæ initio, firmat Avicenna Fen decimasexta tertij tractatu secundo capite septimo, dices. Et si fuerit necessaria evacuatio propter malitiam humorum, fac eam cum timore & cautela, & stude ut sit solutivum, non vehemens, nocivum acredini & ulceri, imo sit sicut myrobalani, &c. Pro qua complenda operatione, eodem capite, rhabarbarum maxime extollit, & laudat, quòd in universum communi officinarum rhabarbaro prædicto modo à nobis apparato (ut di-

F xi) respondet. Porro memoriæ in præsenti evocare decet, id quod commentariis nostris in Dioscoridem editis diximus, scilicet quod rhabarbarum ustum, aut exacte assum nullatenus dysentericis dandum est. Nam si aliquo modo ustum dandum est, id super ignitam tegulam parum ustulatum dandũ est, quum sic apparatũ Græcorum rheopontico respondeat, quod natura sua constringit. Sed, mea sententia, rhabarbarum ex primo infuso extractum, ut nostro dedimus ægrotanti, securius est, & melius operatur, prçcipue in disenteriæ initio, in quo ma-

G teriam retinere plerunq. periculosum est. Ac lac in hoc nostro casu, tanquam noxium prætermisimus. Biliosæ enim deiectiones febri coniunctæ sunt. Quibus laborantibus Hippocrates lib. 5. Aphorism. 64. id interdicit, quum dicat. Lac caput dolentibus dare, malum, & febricitantibus, & quibus hippochõdria suspensa murmurant, & siticulosis. Malum autem & quibus in febribus acutis biliosę sunt deiectiones. Quę verba enarrans Galenus, inquit, non solum lac obesse deiectionibus biliosis, acutis frebribus complicatis, sed absolutè biliosis deiectionibus, etiam absq; febre repertis, & seorsum etiã acutis febribus iunctis. Ratio verò est, quia acutæ febres ex bile fiunt, á qua materia biliosæ

H quoque deiectiones pendent, in quam lac facilè transmutatur, qua aucta, febres intenduntur, & profluviũ crescit: imo, ut Oribasio placet, eo maior fit relaxatio, & consequenter fluxus copiosor evadit. Vel dicendum, Nocet lac, quia evaporat, & á bile humore calido in evaporationem deducitur: vnde febres cum deiectionibus acrieres evadunt, Animaduertant igitur hodierni medicam artem exercentes, qui quum ad dysentericos accedunt, nullo discrimine facto, lac tanquam rem securissimam, ac supremum remedium dare cum eiectionibus, tum per os illico mandant. Quod quàm periculosum sit, ex iam dictis clarum evadit. Et eo magis

quia.

quia Gal. deiectionibus biliosis, etiam absque febre compertis, lac noxium esse tradit. Quib. adde, quod dysenteria, ut meminimus, & ex Galeno lib. 4. aphorism adduximus, plerumque à bile ortum trahit, quia plerumq. in æstate fit, & regione calida. Cornelius Celsus adeo lactis usum in corpore bilioso timet, ut quum Hippocratis aphoris citatum interpretetur, vice dicẽdi. Deiectionibus biliosis lac malum malum est, dixerit. Vbi urinæ biliosa fuerit, lac dare malũ est. Respondebunt forte ij, qui lac dysentericis continuo porrigunt. Lac crudum non esse dandum: sed vel recens mulctum, & calidum ab uberibus protinus effusum aut lapidibus ignitis, aut candente ferro coctum, ut suadet Gal. & post eum omnes medici, quia intestina colluit, & ulcera abstergit, & pinguiori parte ulceribus collinitur, veluti pinguedo, adeps, atq. ovi albumen. Quibus omnibus, ab accribus humoribus natas mordicationes mittigat. At nos Hippocra. & Galen. genuinum & verum sensum servantes, cum prædictis medicis, lac sic paratum deiectionibus dysentericis convenire fatemur: modo tamen febris non adsit. Quę si præsens fuerit, ipsum tanquam præsens venenum damnamus. Vt quoque idem firmavit Hippocrates lib. 4. de Ratione victus in morbis acutis, textu centesimo decimoquinto, quum dicat. Si vero febris non fuerit, vexentq. tormina, primum quidem lactis asinæ calidi pauxillum, deinde sensim paulatimq. plus bibat. Suadet autem Gal. si febris non fuerit, & tormina vexẽt, tunc lac dandum esse, quasi volens, si febris afflixerit cum torminibus, tunc a lacte abstinere æger debet, ut in Aphorism. scriptum est. Et Aetius sermone nono suæ Medicinæ subscripsit, quum dicat. In principio igitur post tertium diem (permittentibus febribus) lacte recens mulcto adhuc calido, utendum est, &c. Secundo respondemus, Galenum summopere lac eo dicto modo apparatum in deiectionibus dysentericis laudare, modo non sint biliosæ. Si enim deiectiones dysentericæ, quæ plerunque biliosæ esse solent, biliosæ fuerint, etiam quod febris nõ ad sit, eis afflictis lac dandum non est, quia eo dato multa oriri solent incommoda, ut ex dictis luce clarius evadit. Et nos longa experientia, ita evenire sæpe observatũ habemus. Nec enim obstat, quod Hippocrates lib. 7. de Morbis popularibus Eratolai filio, veluti alijs, qui dysenteria biliosa cum febri laborabant, lac silice candefacta immissa, dabat, quum multa in eis libris ab Hippocrate sint dicta a quibus, ut falsis, & male in usum tractis, se retraxit, ut alibi quoque dictum habemus. In summa igitur canus. Dysentericis febrientibus, lac dandum non est. Item dysentericis deiectiones biliosas habentibus, lac dandum non est. Quæ duo summopere a medicis animadversa vellem, quum morbus is perniciosissimus sit & mortifer, à qua ubique plusquam ab alio morbo ægrotantes decedunt, & moriuntur.

Curatio quadragesimaquinta, in qua agitur de dysenteria ab atra-bile orta.

LAZARVS Græcus, vir boni habitus, quadragenarius, vel circa ex Neapoli civitate, quę hodie Turcarũ imperio subiacet, oriundus, dysenteria, ab atra bile orta, torqueri cœpit. In qua rationes ventris altam partem potissimum occupant, prehendebantve, & deiectiones nigrę splendentes, fusę, & non concretæ, cum quadam lividitate erant, quibus sanguis promiscue immistus erat, ut grancilioribus intæstinis ulcera insita esse quisque sensatus medicus dicere debeat. Nam deictiones quum terram attingebant, aceti acerrimi modo respersi ebuliebant, & ipsam abrodebant & fermentabant, ut nõ mirandum sit à tam acri & mordaci, ac exedente humore genito morbo, si ęgrotus hic intra quinque dies è vira decesserit.

SCHOLIA.

HIPPOCRATES libro quarto Aphoris. textu vigesimoquarto inquit. Difficultas intestinorum si ab atra bile incœperit, letalis est. Fit auto dysenteria a mordaci, & acri, ac rodente humore semper, ut bile, flava, pituita salsa, & atra bile. Quæ enim dysenteria ex bile, vel salsa pituita evenit, plerunque sanatur. At quæ ab atra bile fit, insanabilis est, quum humor hic non solum intestina abrodat, & ea exedat, ut acres cæteri humores faciunt, sed ulcera cancro ulcerato intestina depascentia, & ea erodentia, similia gignat, ex quibus mors certa sequitur. Plerumq. autem

autem æstatis fine aut autumni initio morbus E hic fit: sed potissimum in regionibus calidis, ut Aegypto, apud Chairum civitatem, Arabia, Africa, & India, in quibus sæpius Lusitani nostri hoc morbo, quam altero alio torquentur, & moriuntur. Gignitur quippe in corporibus calidissimam regionem incolentibus humor acris, torridus, exassatus quidam, qui quum varias affectiones gignere natus sit, in India potissimum, & AEgypto, intestina repit & dysenteriam causat. Quia homines illic carnibus vescuntur animalium, quibus cassia fistularis purgatoria pro pastu, & cibo est. Firmatur hoc nostrum indicium, quia in India raro phrenitici, & pleuritici comperiuntur, morbi ab acribus ijs humo F ribus gigni soliti. Quod non aliunde evenit, nisi quia nutrimentum ex prædictis carnibus purgatoriam vim habentibus, humorem torridum & acrem ad intestina derivat & divertit. Vnde homines dysenterici plerunque fiunt. Quorum si contingat, ut aliquis evadat, is certe sero & magno cum labore ad sanitatem revertitur. Vidimus autem nos quendam militem robustum, & fortem prædicta dysenteria afflictum, qui quum, Dei gratia, per manus nostras a tam sævo & truculento morbo evasit, vix intra annum ad solitas vires reverti potuit.

G

Curatio quadragesimasexta, in qua agitur de dysenteria biliosa, gelidæ potu curata.

IVVENIS biliosus cum biliosis deiectionibus, vigente æstate, affligi cœpisset, adeo ut intestinorum ramenta iam emitterentur & multum sitiret, H absque medicorum consilio, qui eius curam habebant, copiosiori aquæ frigidæ potu usus fuit, & ilico fluxus restrictus est, & ille à tam sævo morbo liberè vasit.

Curatio quadragesimaseptima, in qua agitur de quodam, qui quum dysenteria cruciabatur, cum muliere coivit, & sanus factus est.

PLVRES epidemica dysenteria affectos curavimus, inter quos, Mulomedicus quidam, Veterinarius dictus, erat, qui quum dysenteria graviter opprimeretur, in nocte, erecta virga ad fœminam sibi proximam se direxit, & & cum ea leniter Hymenæum exercuit, & ilico deiectiones cessarunt & id postea in aurora mihi ad eum accedenti enarravit, inde sanus evasit.

Curatio quadragesimaoctava, in qua agitur, quod dysenteriæ biliosæ sanguinis missio conveniat.

REVERENDVS Abbas Graciolus, dysenteria biliosa cum febri laborabat, vir omnino sanguineus, obesus, & multo vini potui deditus. Qui quum multum ex morbo affligeretur, accersiri me illico ad se fecit. Quem, quum sic dysentericum febrientem pinguem, & subrufum contemplarer, illi internam dextri brachij venam secare feci & ad uncias quinque sanguinem fluere. A qua sanguinis missione melius habuit & paucis adhibitis remedijs, intra paucos dies sanitati fuit restitutus.

SCHOLIA.

CONTENDVNT multi, nullatenus dysentericis sanguinis missionem convenire, &

& pro sua fulcienda hæresi, Galenum adducũt libro Artis curativæ ad Glauconem cap. 14. ubi ait. Sed neq; si fuerit febris cum profluvio ventris, alia est opus evacuatione. Verum hæc sola sufficit, quamvis non sit pro multitudinis ratione Quicunq. enim is plus adimere fore necessarium putantes, aut sanguinem mittere, aut ventrem movere tentarunt, in graviora pericula duxerunt. Hæc Gal. Quibus addunt, quod in dysenteriæ curatione nunquam ipse sanguinis extrahendi mentionem fecit, quod non prĉteriisset, si aliquo modo sanguinis missionem dysentericis convenire credidisset. Item dysenteria á cacochymia evenit, cui potius purgatio quam sanguinis missio convenit. Igitur sanguinis extractio dysentericis admittenda non est. Hæc enim, & similia sunt, quibus ij firmare conantur, venæ sectionem dysentericis fieri non debere, quæ nos facillime evertere in pręsenti conabimur, contrarium indicantes, cum difficultati intestinorum biliosæ sanguinis missio summum sit remedium, præsertim quando febris illi coniungitur, quia febris cor occupantis ratione sanguinis, missio convenit modo, vires, ætas, & cætera ijs annexas, consentiant. Item, quia sanguinis extractio per venę sectionem, materiam ad ulcera corrivantem retrahit, inde fluxus minuitur, & ulcera pristinam sanitatem consequuntur. Quibus adde, in dysenteria ulcera cum tortionibus & doloribus comperiuntur, ad quæ materiæ fluunt, quibus retrahendis venæ sectio summum est remediũ. Hinc enim est, quod dixit Avicenna Fen. 4. lib. 1. cap. de Phlebotomia. Amplius quia phlebotomia, propterea quod ad diversum trahit, naturam secundum plurimum retinet, ut iure dicendum sit, nostram in hoc reverendo Abbate admissam sanguinis missionem, iustam ac methodo quadam curandi certissima firmatam esse, quia sanguinis missione eventatio quædam fit, qua universum corpus refrigerationem quã dam consequitur, & ea mediante, mala membrorum qualitas deponitur, & humorum acredo emendatur. Nec enim Gal. unquam, si quis eius intimius deprehendat animum, in dysenteria venæ sectionem vitavit, ut est videre loco citato libri Artis curat. de Glauc. in quo præ cæteris clarius sanguinis missionem in dysenteria abnegare videtur. Commendat autem inibi Gal. quod quando febri ventris profluviũ copulatur, tunc nec ventris solutio, nec sanguinis missio covenit, non propterea quod sanguinis missio consentientibus virib. non conveniat, quia retractio sursum à partibus inferioribus fiat, & fluxus fluxum curat, & naturam secundum plurimum retinet. Sed hæc potissimum

A de causa, quia quum febris adest, & ventris profluvium supervenit, aut simul ambo invadunt, timet, ut si altera, vel per sanguinis missionem, vel pharmaci exhibitionem evacuatio fiat, quod procedente morbo, æger imbecillis fiat, & succumbat. Proinde hic Gal. potius medicũ attentum reddit, quam illi præceptum tradit, quod alvi profluvio febri coniuncto sanguinis missio, aut ventris purgatio non conveniat, convenit quippe, ubi cætera consentiunt. Sed ea attentione & cautela exercenda est, ut iuvet, & non noceat. Iuvabit autem, quando malam intemperiem materiam gignentem, quæ fluxum fovet, extirpaverit, vel saltem contemperaverit, aut sursum materiam, paratam fluere, retraxerit. Sed hæc ex Gal. adducta, quæ profluvio ventris diarrhœæ dicto morbo, & febri cõplicato dicata sint proponamus, de quib. Gal. tantum eo citato loco loquitur. At sermo noster de dysenteria, ubi ulcera, dolores, & febres sunt, proponitur. Quibus omnibus é directo sanguinis missio convenit, nec Gal. unquam eam negavit, imo Aetius sermone nono suæ medicinæ, dysentericis eam summum esse remedium tradit, dicens. Si vero sanguinis impetus vehementer urgeat, quemadmodum etiam si maxima inflammatio subest, præsertim in his qui plurimo sanguine abundant, vena incidenda, si vires non resistant, & maximè in quibus consueta sanguinis excretio cohibetur. Auferre autem oportet neq. multum, neq. coacervatum, ab utroque enim venter conturbatur. Omnium vero maxime cavebimus, ne animi deliquium fiat. Quare desidenti etiam dysenterico venam secabimus. Hac enim desidentes formam, dum secatur vena, minus reliquis animo linquũtur. Hæc Aetius, quibus annectit sequẽtia, apud nos pro ridiculo habita, & vere tanto viro indigna, quæ ita habent. Secare autem oportet in dextro cubito venam humeralem appellatam, neq enim similiter hac vena incisa vires labefactantur, & insensibiliter quodã modo, furtimq sanguis aufertur; quod si hac non appareat, necessario mediam secamus, inferiorem autem incidere ob subiacentem arteriam, vitãdum. Hæc enim sunt, quæ omnino puerilia diximus, & Aetio indigna iudicamus. Quamquam non nos lateat, pauca in suis extare commentarijs, quæ non ab alijs acceperit, ut ex multis conflatum, & resarcitum opus dici mereatur. Cęterum subdit. Fissuram omnino tenuissimam infligemus: non enim ob multitudinem sanguinis evacuandam, sectionem facimus, sed ut materiam quasi per rivos trãferamus. Tarcus autem sanguinis etiam multo tempore emissus, inflammationem mitigat, & sanguinis ad intestina

intestina delationem revellit, innatumq. calorem sensim refrigerans, somnum magis, quam animi deliquium inducit. Est autem optimum dysentericis remedium somnus. Hactenus Aetij verba. Quæ sane contemplatione sunt digna, quum ad dysentericorum salutem multum faciant, & veram venæ secandæ methodum ac viā in dysenteria morbo doceant. Neq est, quod nobis obtrudat aliquis, Gal. varijs in locis suæ doctrinæ, ex quibus decerpitur, sanguinis missionem tantum abesse, ut ventrem constringat, & ipsius fluxum cohibeat, ut potius ipsum flui dum faciat. Quod verum esse cū illis fatemur, quando ad animi usq. defectionem sanguis mittitur, ut apud ipsum legitur lib. 1. Aphorism. enarratione 23. & 9. Method. medendi, veluti libello de sanguinis missione quæ omnia advertens Aetius, ubi supra dixit. Auferre autē oportet neq multum, neq. coacervatū. Ab utroque enim venter conturbatur, & ultra. Omniū verò maximè cavebimus, ne animi deliquium fiat. Novimus autem nos cum Aetio, & Gal. sicut largæ sanguinis missiones ad animi usque deliquiū factæ corpora refrigerant, & alvum citam faciunt, ita moderatæ sanguinis extractiones eam constringunt, & eiusdem fluxiones cohibent, ut experientia quotidiana indicat, & Avicenna memoriæ commendavit.



Curatio quadragesimanona, in qua agitur de puella ventris profluvio laborante.

NATA magnifici Bartholomæi Gerardi nobilis Elorentini, quum sedecim suæ ætatis menses æquaret, in ventris varium profluvium lapsa est, quæ quum nutrix constringentibus, & optimis cibarijs usa esset, intra paucos dies sola ipsius lactis suctione sanitati restituta fuit.

SCHOLIA.

NON enim puella eius ventris profluviū simile illi est, quo pueri lumbricis affecti corripi solent, pro quo curando, artificio opus est: quum interim dum fluxus pendet, lumbrici corporis altas partes ascendunt, occupā

E *ve, quibus ita hærent, ut difficulter foras protrudi possint.*

Curatio quinquagesima, in qua agitur de iecoraria dysenteria.

BELTRAMVS Neapolitanus Comes illustris, quum ex Ferraria Neapolim hac iter ageret, in duplicē tertianam lapsus est. Qui quum deficiē tibus iam febribus, ad iter accingeretur, illi dysenteria, iecoraria dicta, super F venit, & paucis elapsis diebus, diem suum obijt. Primo autem liquida sanguinolenta, aquis quibus recens caro lota esse videtur, simillima emittere cœpit. Postea ramentosa quædam, ac caruncula sanguinolentas, fœtidas, graveolentes & putidas, ut iecur post amissas eius facultates retentricem & alteratricem, colliquatum esse, & eius carnem in deiectionibus emissam dicendum sit. Quod quandoque fieri meminit Galenus libro octavo de Compo. med. secundum locos, capite sexto, in quo de hepatis affectionibus agit.

G

Curatio quinquagesimaprima, in qua agitur de uterum gerente muliere, dysenteria laborante.

H PRÆGNANS mulier, quum gestationis nonum mensem aggrederetur, dysenteria lethali corripi cœpit, quæ nullis præsidijs domabatur. At quum pareret, illico dysenteria restricta est, & illa paulatim sanitatem consecuta fuit. Alteram novimus prænantem sex mensium, quæ quum dysenteriam patiebatur, abortivit, & sana facta est.

SCO-

SCHOLIA.

DYSCENTERIA ante partum salubris ab Hippocrate iudicata est. Quod verum esse historiæ nostræ testantur: ita enim Hippocrates libro septimo de Morbis popularibus memoriæ commendavit, Epicharmi vxori ante partum dysenteria, dolor, alvi egestiones, subcruentæ, mucosæ, ubi peperisset, statim sana erat, diversionis forte ratione.

Curatio quinquagesimasecunda, in qua agitur de muliere, quæ quum pariebat, in sana & melancholica fiebat.

CArcinatoris uxor venusta, qui ad forum agit, quum optime semper valeat, post partum illico melancholia morbo afficitur, & per mensem insana permanet: sed postea paucis adhibitis præsidijs ad consuetam sanitatem revertitur. Cuius affectionis causa, humor melancholicus commotus parturitionis tempore esse videtur.

Curatio quinquagesimatertia, in qua agitur de puello ob dysenteriam male curatam emortua.

PVella nata annos decem, dysenteria laborare cœpit, & illa quidem crassioribus intestinis insita. Quę ita esse percipiebatur, quia præter deiectiones, quas varias emittebat ramentosa quædam cruenta per se in eis videbantur, & imę ventris parti dolores, & tormina infixa erant. Cui quum nonnulla nostro consilio facta essent remedia, & meliuscule haberet, eius patres nobis præfatiũcula habita, ne amplius ad eam invisendam accederemus, significarunt. Sed an avaritia combusti ignoro.

A AVARITIA. Vt enarras se res habet, & me instigante è domo protrusus es tu. AMATVS. Forte, quia me omniũ maximè petacem noveris. AVARITIA. Absit, immo quia te omnium medicorum modestissimum & liberalissimum, & mihi cõtrarium noverim, ut domo omni data opera excluderers, conata sum. Artem medicam libera liter exerces, & nulla expectata mercede, ad ægros invisendos alacriter accedis, Hippocratem forte imitatus in suo Iureiurando, & epistola illa Senatui populoq. Abderitano dicata, a quo hodier-

B ni medici longe distrahuntur, in quorũ ore frequentes versiculi ij sunt.

Exige, dũ dolore est: nã post quã pœna recessit,
Audebit sanus dicere, Multa dedi.

AMATVS. Ij doctrina tua imbuti necesse est, & illa carmina habeant, quę in omni officina pro symbolo habentur, & ita leguntur,

Medicis in morbis totus promittitur orbis,
Mox fugit a mente medicus morbo recedente.

C AVARITIA. Non hæc tantum tenaciter teneas, sed sæpe ægrotis hodiernis ea objicias ac inculces, modo pecuniolas corradere, aut aliquid extorquere ex eis velles, opus est. AMAT. In tam male feriatos ægrotantes, ut tu impingis, mihi incidere nunquam (quod equidem meminerim) hucusque contigit: tametsi orbis bonam partem perlustraverim, & variarum gentium animos dignoverim, AVARITIA. Mirũ dixeris, si modo verum enarres, quum

D hodie meis seminariis infecta omnia sint, ita ut nulli hodie extent Manlij, nulli Cornelii, aut Scipiones, qui ut curentur, tot elocent sestertia, & ita amplissimis munerib. medicos honestẽt. AMATVS. Nos tenui, ac nostra fortuna cõtenti evadimus, tametsi non semper in Manlios, aut Honorium quartum Põtificem Maxi. aut Ludovicum undecimum Galliarum Regem, incidimus. AVARITIA. Hoc unum nosco, quod est apud Plutarchum libello de Bona

valetudine, & ita habet. Verecundior si fueris, paupertatem turpiter patieris. AMATVS. Hæc missa faciamus, & ad puellam, de qua sermo agitur, revertamur, ad quam post nos alter ingressus est, sub cuius tyrannica potestate intra paucos dies obijt.

SCHOLIA.

TAmetsi ampla medicamentorum sylva dysentericis convenientium comperiatur: nos tamen hic ex eis nonnulla memoriæ evocabimus, ut lector ea in promptu habeat. Primó occurrunt ex eis purgantia, deinde abstergentia, & lavantia, posteà dolorem sedantia, & intestina contegentia, ultimo constringentia. Ex purgatoriis medicamentis dysentericis convenientibus est rhabarbarum parum ustulatum, aut ex primo infuso distractum & secundo infuso datum, myrobalanorum omne genus, & tamarindi.

Abstergentia, & lavantia.

Aqua lactis, aqua mellis, aqua hordei, aqua decocti malvavisci, decoctum furfuris triticei, ius cicerum, decoctum guaiaci, vel rosatum colatitium, saccharum, & eis potentiora, lotium, lixivium, muria piscium salsorum, aut olivarum colymbadum.

Dolorem sedantia.

Dolorem sedantia, & intestina contegentia, ac humores obtundentia, sunt, Adeps caprinus, butyrum recens, album ovi, vitellus ovi, adeps porcinus, hircinus, gallinaceus, & anserinus, amylum, tragacantha, gummi Arabicum, oleum rosaceum, cera alba, ceratum album, quod album Galeni appellamus unguentum, & ex cera alba sæpe elota, & oleo rosaceo componitur, lac coctum, tragus. Et ex stupefacientibus dolorem sedantibus, semen hyoscyami, semen papaveris, opiũ, pilul. de cynoglosso, philonium tantopere a Galeno & medicis decantatum, Athanasia, quorum pondus a drachma una ad scrupula quatuor est, quæ non nisi viribus valentibus propinanda sunt. Ex opio vero, & stuporem inducentibus, paratæ glandes per inferiora, non nisi filo ligatæ immittuntur.

Constringentia.

Polygonium, id est, corrigiola, vel sanguinaria, aut centumnodia dicta herba, gnaphalium, centunculus, vel tomentum dicta herba, herbarijs satis nota, rhus coriariorum, olim obsonijs deserviens, nũc sumach dicta, pre-

E *cipue eius semina rubra, plantago tota, bursa pastoris, rosa rubra sicca, myrtus, thamarix, rubus, suberis cortex, mora acerba, semina uvæ, glandium capita concava, quibus in Italia & universa Græcia coriarij pro præparandis pellibus vtuntur, lapathi semen, galla, malicorium aridum, rubi radix, symphyti, id est, maioris consolidæ radix, folia & semen balaustium, equisetum, id est, cauda equina, hypocistis, folia salicis, altheæ radix, alcea, dicta Vngarica malva, summopere a multis Germanis laudata, præsertim pro dysenteria curanda, ladanum, acacia, coralli, rheon ponticum, hodie multis satis cognitum, coagulum leporis, sanguis draconis, thus, mastix, terra Lemnia,* F *quæ multis laudibus digna est, & hodie sub boli Armeni nomine adfertur, & in officinis venditur, carabe, succinum dictum, cydonia, pira agrestia, corna lapidosa, mespila, oriza tosta, lentes cortice dempto biscoctæ, cortices castanearum, cornu cervinum ustulatum, aqua pluvialis calibeata, vinum nigrum, crassum, acerbum, saccharum rosatum antiquũ. Ex quibus clysteres, inunctiones, unguenta, emplastra, cataplasmata, fomenta, suffumigia, sacculi, potiones, boli, pilulæ, & si qua sunt alia parari possunt: quibus practicarum libri referti sunt. Adfertur tamen hodie ex indie regione arboris cuiusdam liber, sive cortex, dysentericis unicum subsidium, quem Indiæ incolæ sua voce Gargapaum vocant, & eum primo in Lusitaniam attulit doctor Barbosius, medicus longa experientia præditus.*

G

Curatio quinquagesimaquarta, in qua agitur de quodam hectico ad extremam maciem devenien-te, qui postea sanitatem fuit adeptus.

IOannes Maria Marcantonius vir opulẽtus, natus annos quinque supra H triginta, ita marcore & tabe cõfect^9 erat ut omnes eum medici pro hectico confirmato, multis iam tentatis pro eius recuperanda valetudine remedijs, relinquerent. Qui, quum ad nos pervenisset, non quidem ut curaretur (id enim factu imposibile videbatur) sed ut suæ, & amicorum opinioni satisfaceret. Is igitur Dei gratia, paucis machi-

machinamentis, intra sex mensium spatium, sanitati fuit restitutus. Sunt autem ea à nobis parata sequentia. Testudines nemorales accipies, quas Italia Galanas: Lusitania verò juxtà ac Hispania Tartarugas appellat: quas à testis suis denudabis, & optimè eorum carnes lavabis: quas incoquendas in caldario aqua fontana pleno, & multo tritico referto curabis. Cæterùm hoc triticum, ac carnes, & jus posteà pullis gallinaceis edenda dabis, & eisdem eos saginabis. Quibus pullis æger sæpe lacte apparatis vescatur: & aliis non utatur carnibus. Item singulis diebus in aurora jejuno stomacho libram unam lactis asinæ recens emulcti cum pauco saccharo bibebat. Et exterius corpus humectantibus balneis irrigabatur, & oleo violaceo, & amygdalarum dulcium, mixtis inungebatur. Quibus crassus, & obesus, ac sanus intra sex menses (ut dixi) est redditus. At testudines in cibo omnino, velut altera similia abhorrebat, qua de causa ad pullorum prædictam saginationem devenimus.

SCHOLIA.

EST autem (Galeno authore) libro de Tabe capitulo sexto duplex ipsa extenuatorum affectio. Vna quidem, ubi is humor solidorum corporum periit, qui eorum proprium est alimentum: & præterea molliores carnes liquatæ sunt. Altera verò, dum solidiora etiam corpora sunt exiccata: quæ utique & prima, & similaria appellant. Hæc igitur nequit curari: sicuti nec senectus. Altera verò prima, scilicet dicta, periculo quidem non caret, non tamen eo usque, ut nullo modò curari possit: quemadmodum hæc de qua à nobis sermo agitur. Plura verò de hectica, & marasmo legito tertia nostra Centuria, quam, Deo Opt. Maximo favente, propediem in lucem mittemus.

(·.·)

A

Curatio quinquagesimaquinta, in qua agitur de apparatu trochiscorum de vipera theriacam adornantium.

MARSI homines viperarum venatores, quibus viperas pro conficiendis pastillis theriasis commendaveramus, viperas non nisi media æstate B Anconam portarunt. Præcesserat autē ver pluviosum, & frigidum, qua de causa reptilia, non nisi æstate, venari potuerunt. Iubet autem Galenus veris tempore viperas capi, vel saltem æstatis initio, pro prædictis conficiendis pastillis. At quum ver pluviosum, & frigidum (ut dixi) antecesserat, & eas venari, non nisi media æstate, fuit possibile, eisdem uti coacti sumus. A mari autem longe captæ fuerunt. Vt Galen. suadet, nam quæ ad ripas maris versantur viperæ, salsulgine quadam prædita, theriacam sitis conciliatricem C maximè conflant. Quo fit ut ab eis abstinendum iure Galenus suadeat. Exemplum est, quod qui ab ijs viperis, ad ripas maris agentibus, morsi fuerunt, siti ingentissima anhelantes interierūt. Ex Pineto autem Ravennate hę adductę sunt, promiscue masculi & fœminæ recēs captæ, numero duodecim. Quas Albericus dexter pharmacopola, super tabulam interficiebat, unicuique caput & caudā acutissimis duobus cultris, quatuor digitorū quantitate & ma D iori præcidendo. Quarū nonnullas fœtas viperinis catulis ad exitum maturis, offendimus. Erāt autem viperæ omnes hæ post obitum vivaces, & nobiles. Cupit vero Aetius pro ijs theriacis concinādis orbiculis fœminas viperas habere, quas fœtas omnino detestatur Galenus libro primo de Antidotis, quia ut tradit Aetius, seipsis prægnantes magis exasperatæ redduntur. Eis igitur interanea exempta sunt & pellis detracta. Quę in longitudinē apertæ, & optime

aqua lotæ & albæ redditæ, in cacabo aqua pleno, adiecto virente anetho, ita incoctæ sunt quoad spinæ à carnibus separari videbantur. HIERON. Cur micam salis à Gal. desideratam, in hac coctura prætermisisti? AMAT. Quia æstatis tempore viperæ captæ sunt, quarum caro tunc sitis efficax admodum est, unde a Galeno, citato loco traditum est. Iam vero salis iniici debet, si quidem conveniente tempore viperas ceperis, modicum: sin autem æstate, nihil. HIERON. Recte sanè Galenum tenes, quem quoq. aliquando viperis in æstate captis, pro orbiculis ijs componendis usum fuisse, creditu facile est, quum tunc temporis viperas absque sale incoquendas suadeat. AMAT. Id verisimile est, & eo magis, quia nonnulli (ut ille refert) media ęstate viperas venandas esse contendebant, tametsi eorum opinionem refellat. At quia nō semper instituto tempore venari vipere possunt, media ęstate si habētur, ex eis pastilli recte conficiuntur, modo nihil salis, aut panis saliti, aut fermentati, ut a nobis factum est, addatur. Viperas igitur optime coctas ad prunarum ignem ex lebete extraximus, quarum carnes ab spinis optime purgatas mortario indidimus, quibus panis azymi biscocti tantum superaddi fecimus, quātum pro componenda materia, ut recte ex ea pastilli formentur, visum fuit. Nam libello, de Theriaca ad Pamphilianum Galenus tantum panis nitidi arefacti admittit, quantum carnium viperę par pondus est. Democritum fortè secutus, qui tantum panis quantum carnis pro ijs orbiculis fingendis, adiungebat, ut meminit ipse libello, de Theriaca ad Pisonem. Criton tamen, ut idem Galenus meminit ultimis verbis de Theriaca ad Pamphilianum, carnibus viperarum decem, unciam unam panis siliginei, id est, ex farinæ flore parati, admiscendam censet. Porro libro primo de Antidotis Galenus, ubi de hac re perāplè loquitur, inquit. Nonnulli dimidiā ponderis partem ex pane iniiciunt, non nulli vero tertiam. Ego etiam quartam,

E quintamque nonnunquam indidi. Quū igitur Galenum nos hac in re varium contemplaremur, diligenti pharmacopolæ commisimus, tantum biscocti panis misceret, quantum pro formandis pastillis sat esset: qui, ut mihi quærenti postea exposuit, panis tertiam partem ad summum, carnibus pro conficiendis pastillis admiscuit, ut ex carniū pondere aqua lance facto deprehendebat, in qua carnium cum pane mistione, iuris, sive ex viperis decocti paululū miscuerat: tametsi Galenus hoc non admodum laudet, dicens. Qui ante me

F Cæsari antidotum præparabant, viperarum decocto ipsum irrigabant. At ego longo tempore id factitabam, verum postea melius esse existimavi, panem in levorem detritum, ita viperarum carni diligenter prius contritæ, permiscere, citius enim hoc pacto orbiculi siccescunt, arido pane, non humido illis admixto. Hactenus Galen. Ex hac igitur optime efformata massa, trochisci, admodum subtiles & parvi sunt compositi, quos opobalsamo ex Peru, terra superioribus annis noviter reper ta advecto inunctos, ut suadet Galenus, in umbra exiccari fecimus, ita tamen ut singulis diebus eos pharmaco-

G pola bis & ter verteret, ne altera eorum parte exiccata, altera humidior maneret, putredini obnoxia. Continuo igitur ad quindecim dies vertebantur, qui optimè siccati vitreo in vase sūt repositi, & asservati. Perdurant autē ij ad quatuor usque annos, & amplius, qui theriaces fundamentum sunt, & ab eis theriaca nomen contraxit, ut in Scholijs patebit. Valent autem trochisci ij potissimum elephantiasi, & alijs va-

H rijs affectionibus, de quibus, quum dabitur occasio, loquemur.

SCHOLIA.

Vocantur pastilli ij de vipera, sive orbiculi theriaci, aut poti⁹ trochisci de tyro, unde, qui inter trochiscos de vipera & trochiscos de tyro differentiam facere contendunt, omnino hallucinantur. Ex eis autem receptarij

quidam

quidam sunt luminaribus equales, quos cum sua inscitia dimitere satius est. Est autem θηρίον Græcis idem quod Romanis fera, sive reptilium omne genus, unde a vipera, quia fera & therion dicta, Theriaca antidotus appellatur: non vero a tyro animali particulariter sic dicto. Vocant autem Arabes tyrum, viperam, ut ex Serapione facile quis comprehendere poterit, quum quæ Echidnæ Græci tribuunt, ille suo tyro conscripsit. Multi tamen tyrum a vipera diversum animal, & in AEgipto repertum credentes, trochiscos de vipera diversos a trochiscis de tyro faciunt, quum tamen tyrus apud Arabes, & vipera Latinis, idem sit, ut latius Leonicenus in Plinij, B *& medicorum erratis primo aperuit, & post eum Manardus Ferrariensis, ac Leonardus Fuchsius Germanus. Cæterum theriaces apparatum, brevi quum omnia ad manum fuerint, & eam præparaverimus, describemus. Curamus autem nos singula simplicia eam adornantia, vel ex finibus orbis, nullis parcentes sumptibus, selecta habere.*

Curatio quinquagesima sexta, in qua agitur de lienteria.

DOminus Margaretus, nobilis Anconitanus, senio confectus quum per plures dies semicrudũ cibum per secessum emitteret, & multa illum præsidia tentata non juvissent, hoc electuario ultimo refectus fuit, & sanitatẽ obtinuit. Recip. Sacchari rosati Neapolitani antiqui unc. sex, theriaces optimæ drac. sex. cũ miva cydoniorũ completa q. suff. misce, fiat cõditũ: cuius semiunciã singulis auroris jejuno stomacho capiat, & nihil desuper bibat.

Curatio quinquagesima septima, in qua agitur de puero mania correpto.

PVER Hebræus annos natus sedecim, tẽperatura biliosa ad atrã inclinante, per Italiã canicula vigente thura vendebat: qui quũ noctu vivum se sepeliri somniaret, sequẽti die à cibis abstinuit, jejuniũ Hebræorũ more celebrando, in quo & per torridũ solẽ iter faciebat. Ex cuius ustione ac inedia exassati humores caput obrepsére, & puerũ insanum reddiderunt. Nam ad diversoriũ, quum puer is pervenisset, ex puteo aquam hauriebat, & subuculam, qua induebatur, lavare nitebatur, quẽ quum mulieres increparent, qua drantes ex crumena extorsit, & in puteum ejecit. Quo facto, hunc delirantem mulieres judicarunt, & eum in cubiculum subduxerunt, sed posteà Bononiam transmiserunt. Vbi à medicis utcunque gubernatum, illico paucis intermediis diebus Anconam amandarunt. Ad quem accedens ipse, omnia (ut decet) ab asistentibus inquiro. Et hunc primò insania affici, & posteà interposito uno vel altero die, febri vexari deprehendi, qua & nunc corripitur, tertiana scilicet duplici, rarò solita deficere. Cui memoria parũ est læsa, cæteris omnino corruptis duabus potentiis, scilicet imaginatrice, & ratiocinatrice. Huic igitur remedia convenientia adhibiturus, primò sanguinem ex C capitis vena cephalica dicta extrahere facio, cuius missioni, quum præsens essem, nec eum admodum atrum & crassum, imò optimæ consistentiæ, & coloris rubri viderẽ, tribus effluxis unciis, vulnus occludere feci. Et illico hunc ebibit syrupum. Recipe Syrupi de boragine, de violis, nenupharini, ana unciam mediam, aquarum lactucæ, violarum, endiviæ, ana unciam unam, misce, quem in aurora, & vesperi singulis sequentibus diebus capiat: noctu veD rò caput hac embrocha irrigatur, quæ habet R. Foliorum lactucæ, endiviæ, boraginis, hyoscyami, violarum, senæ, ana manipulum I. calycum papaveris nigri cum suo semine, numero 12. florũ boraginis nenupharis, violarũ, buglossæ, rosarũ, ana pug. I. in libris quindecim aquę fiat decoctio sufficiens, facta colatura, adde olei violacei, rosacei ana

ana uncias tres misce, quo infuso per E
dimidiam horam caput irrigetur, ac
absterso, tempora, frons, nasus, & bra-
chialia populeo inungantur, ad somnũ
conciliandum, & malam calidam &
siccam intemperiem eme ndandam.
Dein vero cucurbitulæ spatulis cum
scarificatione admotæ sunt, veluti fri-
ctiones, retractiones, ac derivationes,
quin & hirudines ano admotæ fue-
runt, quibus omnibus melius habere
cœpit. Nam & humorem sæpe per le-
viora quædam pharmaca evacuaba-
mus, veluti syrupum rosatum solutivũ,
decoctum senæ, diacatholicum, diase- F
næ, & similia, porro conditũ, quo sẽper
interdiu utebatur, tale habetur, R. con-
servæ violarum, de borragine, de bu-
glossa ana unciam unam, conservæ flo-
rum nenupharis un. 2. pulveris senæ
unciam semis, cum syrupo de pomis
q. suff. misce, fiat mixtura, & auri folio
inauretur. Is enim intra quinque dies
resipuit, & ab insania evasit. Febris
tamen eo dicto modo horrida singu-
lis diebus eum invadebat. Fuerunt
autem omnes dies insaniæ vigintiquin
que. At febris relicta, ut biliosa tracta- G
ta fuit, quæ fluxu ventris supervenien-
te soluta fuit.

SCHOLIA.

*CVM irrigationes capiti machinabantur,
contendebat quidam medicus ex assisten
tibus, decocto olea non esse admiscenda, sed
lõge melius fore, si post embrochas ex decocto
tantũ factas, olea capiti per se applicarẽtur. Sed
is, mea sententia, omnino extra Galeni men-
tem loquebatur, quum fomentum, sive irriga
tio ex oleo aquis mixto, hydrelæo dicto ma-
gis humectet, quam per se oleum, aut aqua so-
la admota, ut hujus rei est author Galenus* H
*libro secundo de Facul. simpl. med. capite 25.
quia sic mixtum magis hæret quam per se solũ
applicatum. Cæterum cui capitis parti remedia
sint applicanda, si recolo, prima harum medi-
cinalium curationum Centuria diximus, sed
& nunc evidentioris doctrinæ gratia, ex Ga-
leno nonnulla subiungam, quæ apud illum lib.
13. Methodi med. leguntur, & ita habent. In
præsenti eam, quæ à partibus sumpta est, indi-
cationem, propositum est persequi, veluti sta-
tim in ijs, quæ ad caput pertinent, & si non
aliud, saltem illud nosse cuivis est promptum,
obiectam nobis ante cerebrum esse crassam
membranam, quæ costis istis externis sit assi-
milis, post hanc etiam cranium. Itaque resolvi
in densis obicibus & duris, præsidiorum, quæ
imponuntur, vim est necesse, ac nisi suturas in
capitis osse natura ipsa fuisset molita, nihil
adeo æstimandum efficeret pharmacum ullum
extrinsecus impositum. Sed quoniam etiam su-
turæ, & in his præcipue coronaria, non solum
impositi medicamenti qualitates, sed etiam sub
stantiam, si tenuis est, facile intro transmittit,
merito multa circa cerebrum vitia ab extrin-
secus applicatorum remediorum facultate iu-
vantur. Ipse enim in metipso expertus me-
mini, quum infunderetur rosaceum frigidum,
citissime clarissimeque sensisse me in sincipitis
loco eius intro penetrationem. Et subdit, Me-
rito igitur ad hanc coronariam suturam appli-
cant omnes medici capiti infusiones, videlicet
accepta quasi per manus a primis inventori-
bus ratione, ad id opus venientes, &c.*

Curatio quinquagesimaoctava, in qua agitur de puero continuo febriente, qui sola surarum scarificatione sanus evasit.

FILIVS Barbosij natus annos no-
vem, quum febri continua corri-
peretur, & inter medicos consultum es
set pro eius salute de sanguinis missio-
ne, primo à surarũ scarificatione cœp
tum fuit, qua vel tantum illico sanus
est factus.

SCHOLIA.

*QVANTVM crurum, brachiorum scari-
ficatio salubris sit evacuatio, hodie a me
dicis Italiæ, & Germaniæ, Galliæve præ-
termissa, prima harum medicinalium
curationum Centuria diximus, ad
cujus lectionem lectorem
remittimus.*

Curatio

Curatio quinquagesimanona, in qua agitur de utero gerente, muliere dolore affecta.

VXor cujusdam coriarij utero gerebat, caput dolebat, febricitabat, spatularum gravedinem persentiebat, ac de lateris sinistri dolore querebatur. Huic optima victus ratione instituta, ad frigidum inclinãte, cucurbitulas spatulis, cum scarificatione admovere jussimus. Postea verò ex meliloto lateri dolenti ceratum odmovimus. At syrupi vice aquam hordeaceam Iulepo violaceo exceptam, in aurora, jejuno stomacho, dabamus, & intra sex dies sanitatẽ obtinuit.

Curatio sexagesima, in qua agitur de quodam, qui panis, sive bubonibus circa inguina corripiebatur.

FIlius Vincentij coriarij, qui apud fanum Divi Nicolai habitat, quum apud mulierẽ Gallica scabie fœdatam, per dies aliquot moraretur, duobus bubonibus circa inguina correptus fuit. Dicuntur autẽ bubones ij Græcis phymata, Latinioribus verò pani. Nam natura emunctoria sive adenes in corpore, tanquam loca ignobilia, & superfluitatum receptacula, disposuit, ut capiti pone aures, collum membris spiritualibus, alas sub brachijs, naturalibus verò, inguina. Quum igitur caput afficitur & potens est materiam mittere pone aures, dicato sibi emunctorio conatur, loco ubi tubercula parotides fiunt. Quum verò spiritualia membra ad alas. At quia plerunque pestis cor & membra spiritualia invadit, bubones pestis tempore sæpe in alis apparent. Porrò jecore infecto & naturalibus membris (pro

A ut à morbo Gallico infici continuò solẽt) bubones inguinibus dicti pani nasci solent, ut huic iuveni contigit, annos nato viginti. Cæterùm bubones ij, tametsi ab omni possunt gigni humore, potissimùm tamen ab atra bile & pituita fiunt. Circa quorum curationem, optima prius victus ratione instituta, emplastrum, quod aiunt maturans, ut illis apponeretur, descripsimus, quod habet. R. Malvæ, branchæ ursinæ, altheæ, chamæmeli an. m. 1. radicum althæ fac. 2. caricarum nu. 12. In aqua fiat decoctio,

B & colatura, postea verò in mortario omnia optimè pistentur, quibus adde farinæ chamæmeli, fœnugræci, seminis lini, an. unc. 2. vittelli ovi num. 3. croci drach. 1. axungiæ porcinæ libram mediam, olei lilini unc. 3. Et cum prædicto decocto formetur emplastrum, & a chirurgo, ut decet, adponatur. At a sanguinis missione abstinuimus, quia multum ejus per nares effluxerat. Sed quod maximè in hac re advertere decet, est, quòd dũ bubones ij integri & non aperti erant, à corporis purgatione universali abstinuimus: Syrupos tamen alacri-

C ter illi concessimus, qui habent. Recip. Syrupi de fumoterræ unciam unam, de epithymo unc. ſ. decocti senæ uncias 4. Misce, fiat syrupus. Quem jejuno stomacho bibat, & eum assiduet, quoad bubones aperti sint. Quum verò ad suppurationem pervenerunt, & pus ex illis per emissarium factum effluere cœpit, tunc pharmacum illi porreximus, & bubones adapertos per duos menses sic persistere fecimus. Scabie enim scatebat, & ex capite capilli decidebant. Tunc ve-

D rò iterata evacuatione per catapotia ex nitro inungi quinquies eum fecimus, unguento à nobis descripto curat. 74. primæ Centuriæ, mutatis tamen nonnullis pro temporis, ætatis, & temperaturæ ratione, quo optimè sudavit, & post quintum diem multa pegos ejecit & tandem proximis viginti diebus sanitati fuit restitutus.

***

SCHO-

SCHOLIA.

Phymatis nomen æquivocum eße aliàs diximus. Sed nunc phymata, panos esse inguinibus adnatos tumores firmamus, nec enim ignoramus φυγεθλα à nonnullis panos appellari. Sunt quippe φυματα inflammationes erysipelatodes, vel erysipelas cum inflammatione, quæ plerunque inguinibus nascuntur, pani Romanis dicti, quos Hispani incordios aut mulas, Itali verò tinconas, vel Romana servata voce, panochas, a panis appellant. Errant qui apud C. Celsum panes pro panis legunt, quum pani tumores dicti vocentur, & iis temporibus morbi Gallici præsagia sint. Ceterum Galenus libro octavo de Placitis Hippocratis & Platonis per φυματα, virgæ ulcuscula intelligit, parum alioqui interprete advertente. Vt jure dicẽdũ sit phymatis & phygethli nomina latè patere, ita ut per ea omne genus tumorum, & tuberculorum intelligi ab re non sit.



Curatio sexagesimaprima, in qua agitur de ulceribus renibus firmatis.

LEVIORI nephritide corripiebatur apud Anglos Altarasius vir probus, triginta natus annos. Qui lucri gratia, quum Græciam, nunc Turchiam dictam, intrasset, & Anconam se recepisset, ob labores habitos, auctus est morbus, & sanguis illi per integrum annũ cum urina effluxit. Cui malo nũquam curationem aliquam molitus fuit, aut præsidium adhibuit. Cessante verò sanguinis fluxione, lotium crassum, sabulosum, purulentum emittere cœpit, cum quo & obtusum quendam dolorem circa renum regionem persentiebat. Elapso verò nonnullo tempore difficulter is urinam mingere cœpit. Sed postea succedente adhuc morbo, inter anum & testiculos, huic oborta est inflammatio, sive apostema tactu molle urinæ ejaculationem omnino impediens. Sed non ob hæc febricitabat, graviter tamen angebatur. Et meritò sanè, quia morbus periculum minabatur. Immisso igitur cathetere nihil profuit, quũ tamen alijs profuisse videramus. Et ea de causa concesso purgatorio medicamento hoc, ad topica condescendimus auxilia. Habet autem pharmacum sic.

Recipe Syrupi rosati solutivi, unc. 3. decoctionis senæ cum glycyrrhiza, & fructu halicacabi, Alcachẽgios Arabes dicunt, apparatæ, unc. 4. diabenedictæ drach. 3. misce, & jejuno stomacho bibat, & parum, si voluerit, desuper dormiat, quo optimè egesit.

Topicum medicamentum.

Recipe Axungiæ gallinæ parum, desuper ponatur.

Aliud.

Recipe Chamæmeli, malvæ, malvavisci, an. m. 1. in aqua sufficienti fiat decoctio, facta colatura, in mortario prædicta triturentur, quibus adde farinæ chamæmeli, fabarum, hordei, an. pug. 1. & cum prædicto decocto, quantum suffecerit, fiat emplastrum, & in lineo panno admoveatur, & ligatura optimè adaptata, pro loci ratione ligetur. At interim dum hæc fiebant, syrupos sequentes ebibebat.

Recipe Syrupi capillorum Veneris, liquiritiæ, de absinthio, an. unc. ſ. aquarum Alchechẽgi, absinthij, an. unc. 1. & ſ. misce. Postea verò iterum ex pharmaco ab excrementis alleviata alvo, inflãmatio ad suppurationem utcunque pervenit, cujus pus contentum, ne vesicæ collum roderet, illico de illius extractione soliciti fuimus. Sed an candente ferramento, vel frigido incisorio, in dubiũ vertebatur, demum hinc inde pro ratione, adducto cauterio ignito apostema apertum fuit, quod forte contra rationem pro loci positura factum habebitur. Sed ut postea experientia deprehensum est, perinde fuit ut paulò postea dicemus. Nam per prædictam incisionem urina emittebatur, circa quam plura alia foramina, sua spõte aperta sunt, per quæ omnia urina quoque expellebatur, & illa quidem sanie infecta, sabulosa, subalbida, & interdum ad nigritiẽ declinans. Erãt verò inferiora illa adeò flaccida, & corruptione infecta, ut ea ad consoli-

cõsolidationem trahere impoſsibile vi debatur: per dictam tamen inciſionem, ſyringe ejaculatorio, medicamenta abſtergendi & ulcera exiccandi vires habentia emittebãtur. Per quod & tuberculum altero teſticulo inſitum, prædurum, & contumax, diſſolutum fuit. Nec enim unquam mihi animus fuit prædicta ad cicatricẽ trahere foramina, quia timor erat, ſi occluderentur foramina ipſa & via lotio craſſo & ſabuloſo intercipcretur, quod ulcera maligniora fierent & per conſequens ipſum in obitũ traherent. Cæterum quum is per longũ tempus ſic affectus maneret, Ferrariam ſe contulit, ubi medicorum conſilio ad balneas calderias, poſtea ad lucenſes ferreas ivit. Vbi ipſarum medicatarum aquarum potu, urinę clariores, & limpidiores evaſerunt. Sed octo interpoſitis diebus ad conſuetam craſsitiẽ & malignitatem ſunt redditæ. Vnde judicatum fuit, ulcera renibus ſubſtantiæ ſordida infixa eſſe, quæ cõfirmata practici vocant. Contra quæ Ferrarienſes medici multa machinati ſunt, ſed fruſtra. Qua de cauſa Anconam redijt, ubi ab epoto guaiaci decocto paulatim marcore infectus, fluxu ventris ſuperveniente obijt.

Curatio ſexageſimaſecunda, in qua agitur de nonnullis, qui ob potum frigidum mortui ſunt.

ELegans, & optimæ ſtaturæ juvenis Romanus, quum pila luderet, & ſudore reſperſus ac totus madidus, & fatigatus ad puteum pro ſiti arcenda veniſſet, exhauſta frigida recens per caldarium extracta, illico in terram cecidit, & obijt. Alterum novimus ex ijs, qui in campo negotiantur, qui quum non minus corporis totius adapertis poris, madidus domum reverteretur, cyathum frigidioris aquæ ebibit, & mortuus quoque fuit. Sed alterum vidimus, qui quũ domum pervenit, vigente magno æſtu, cellam vinariam ingreſſus fuit, & calicem meracioris vini frigidi exhauſit, & exanimatus cecidit, & vitam cum morte commutavit.

Curatio ſexageſimatertia, in qua agitur de ultimo jam in morbis refrigeratis.

PVlſibus jam deſtitutis & frigidis factis, ad quos divertimus, ægrotantibus ſindone calfacta eos obnolui jubemus, & vitellos ovorum, cum pauco vino generoſo, deglutiendos damus, quorum nonnulli evadunt. Sed ijs & ſimilibus, qui acutiſsimis & malignioribus febribus corripiuntur & ſecum pulicare accidens trahunt, bolum Armenam Orientalem, quã terram Lemniam veram aliàs diximus, cum optimo vino & aqua roſacea vel carnium ſucco, aut hujuſmodi alio liquore mixtam bibendam dabamus, & efficax remedium eſſe plerunque experti ſumus.

Curatio ſexageſimaquarta, in qua agitur de juvene mania affecto.

RAphaelis frater, juvenis robuſtus, quum apud Ariminenſes ageret, febri correptus fuit ubi à medicis utcunque gubernatus Anconam vectus eſt, ubi quum à medicis tractaretur, eo die quo pharmacum purgatorium ebibit, maniam devenit. Ad quem ſequenti die vocatus ipſe, paucis adhibitis, febris manente mania, depoſita eſt. Pro qua levanda mania, ſic orſi ſumus. Recipe Syrupi de pomis ſaporis unc. 1. de epithymo, de fumo terræ, an. unc. ſ. aquarũ boraginis, meliſſæ, de fumo terræ an. unc. 1. Miſce, & clarificatur, & cum ſpeciebus lætificantis Almanſoris aromatizetur.

tizetur. At interea dum syrupos ebibebat, venis hæmorrhoidalibus sanguisugas duas, eo modo à nobis sæpe dicto & usitato, admovere fecimus, & optimis cibarijs illum tractabamus. Post quorũ amplam ebibitionem, pharmacum purgotorium sequens illi obtulimus. Recipe Syrupi rosati solutivi, unciam 3. confectionis de sena, drach. 3. electuarij de psyllio drachi. 2. decocti senæ completi cum paucis myrobalanis Indicis compositi uncias tres, misce, fiat pharmacũ, quod in aurora ebibat, & desuper per horam dormiat. Quo multa biliosa, sub nigra egessit & meliuscule habere cœpit. Nam tunc de brachiorum & humerorum dolore aliquantulum cõquestus est, ob quem cucurbitulas scapulis cum scarificatione admovere jussi, numero quatuor, per quas sanguis pro loci ratione abunde fuit extractus, & humorũ evidens facta retractio. Quibus vanæ imaginationes imminui cœperunt, & jam resipiscere videbatur, & eo magis, quia antea semper irrigationibus caput fovebatur, & ille electuarijs ac conservis reficiebatur. Sic autem habent irrigationes. Recip. Foliorum senæ, folliculorum senæ, chamæmeli, malvarum, menthæ siccæ, melissæ, ana m. 1. florum boraginis, buglossi, violarum, rosarum, verbasci, ana pugil. 1. hordei mũdi pug. 1. & semis. In libris quindecim aquæ fontanæ fiat decoctio sufficiens, & colaturæ adde olei chamæmelini, rosarum ana libram mediam, misce, & fiat ex alto cum spõgia embrocha mane, & vesperi. Sed electuaria quibus utebatur, talia habentur. Recip. Conservæ de boragine, de buglosso, ana uncias tres, de floribus arancij uncias duas, fragmentorũ pretiosorum, drach. 1. margaritarum, corallorum tub. præ. an. scrup. unum, cum syrupo de pomis quantum sufficit, misce, & fiat mixtura, & cum folio auri inauretur, de qua ad placitum pitisset, & sequentes aquas desuper gustet. Recip. Aquarum boraginis, buglossæ, melissæ, ana libram s. Misce. Nam & parũ vini optimi parum diluti interdum illi concedebamus. Eis autem prædictis ite-

E ratis, ac nonnullis alijs de novo adhibitis, is ad sanitatem intra mensem restitutus fuit. Porrò Florentinus miles veteranus, quem ad nos insanum ferreis catenis ligatum attulerunt, veré melãcholicus erat, cujus per duos menses curam habuimus, sed absque successu fœlici. Et ea de causa in patriam eum reduci fecimus, ubi intra sex mẽses ex integro illi intellectus restitutus fuit. Delectabatur autem is cãtilenis, & mimis rerum ridicularum. Cæterum plura huic rei facientia lege apud Rasim libro nono ad regem Almansorem, capite de Me-F lancholia, cui virò (mea sententia) in curandi arte præ cæteris Mauritanis fides præstanda est, tantum enim semper ad Galeni & Græcorum mentem loquitur.

Curatio sexagesimaquinta, in qua agitur de puero, qui epoto arsenico, post elapsum annum obijt.

G

FAmulus Arubas, de quo prima Centuria sermonem fecimus, una cum hero & domina ac eorum filijs arsenicum pullis per famulam clàm inspersum gustavit, qui inde paulatim tabificus ac marcidus factus, intra annum obijt. Erat autem famulus hic puer duodecim ferè natus annos. Nam & prædicti Arubas filiola, quæ quoque pullorum sic arsenico infectorum carnes gustaverat, hodie imbecillis est reddi-H ta, quam famuli, immo universæ carnis viam insequi brevi credendum quoque est.

SCHOLIA.

REperiri venena, quæ intra annum, aut (ut dicitur) ad determinatum tempus interficiant, fabulosum nõ est. Sunt quippe venena, quæ intra mensem opus suum conficiunt, alia citius, alia tardius, pro subjecti ratione, de quibus subticere satius est.

Curatio sexagesimasexta, in qua agitur de Melancholia morbo.

PEtrus Trevisanus, apud Anconitanos procurator, vir tres supra triginta natus annos, melancholia morbo laborabat. Nam mentis alienationem, seu absque febre desipientiam patiebatur, quæ à sanguine melancholico universum corpus, cum cerebri læsione inficiente eveniebat. Cui occurrens ipse, primò ano hirudines duas admovere feci, quas facillimè cuivis corporis particulæ hærere facies, si modò eam animalculi alicujus sanguine inūxeris, vel melius, si mulieris, vel quadrupedis lacte locum irroraveris. Tam enim animal hoc sanguinis & lactis avidum est. Cæterum, sanguinis tantum fuit exactum, quoad sanguisugæ sua spōte ceciderūt, & sanguis absq. adminiculo, & constrictione aliqua restrictus fuit, quæ sanè evacuatio primatum in melancholiæ curatione obtinet, ut sæpe testatus est Hippoc. libris Aphoris. & sexto de Morbis popularibus, cui postea omnes medici facilè subscripserūt. Ab hac verò evacuatione proposita victus optima ratione, præsertim cibariorum boni succi & humectantium, leve hoc pharmacum propinavimus. Reci. Syrupi de epithy. unc. 2. syrupi rosati solutivi unc. 1. confectionis senæ drach. 2. diaphœniconis drach. 1. decocti senæ unc. 3. Misce, fiat potus, quem per duas horas ante cibum capiat, post verò hanc prædictam minorationem ijs usus fuit syrupis. Recip. Syrupi de epithymo, de pomis saporis, ana unciam unam, decocti senæ uncias tres, misce. Elapsis verò octo diebus ægrum catapotijs a Rasi libro nono ad regem Almansorem descriptis capite de Melancholia, purgavimus, quorum descriptio ita legitur. Recip. Epithymi Cretensis, drachmas viginti, polypodij, agarici, utriusq; drachmas decem, ellebori nigri, sacchari ana drach. 5. stœchados drach. septem, pulveris hieræ

A picræ drach. 1. s. Misce, ut expedit formetur massa, & ex ea fingantur catapotia, quorum ad drachmas tres pro virium ratione offeruntur: nos verò scrupulos quatuor, adjectis diagridij granis tribus, ęgroto nostro optimo successu dedimus. Sed interea dum hæc moliebantur, balneis ex aqua potabili cum arietum pinguium capitibus discocta lavabatur, quibus oleum sesaminum, & chamæmelinum adjiciebamus, imò interdum folia senæ & fumariam herbam adjiciebamus, non mirus quoque con-
B dita cordialia, contra atram bilem facientia huic dabamus, ut saccharum borraginatum, buglossatum, aranciatum. Et ex electuarijs offerebantur diamoschus dulcis, diambra, pliris, sarcoticon, lætificans Galeni, lætificans Almansoris, fragmenta lapillorum preciosorum, margaritæ, & cætera, à quibus senæ pulvis, nunquam eliminandus est. Quibus addere est, quod somnus unicè procurabatur, & res illi objiciebantur, quibus maximè exhilarabatur. At quum per mensem hæc concessa fuerint, & alienis suis cogitationibus perseveraret, temporis spatium juxta Rasis documentum, interposuimus, in quo à medicamētorum exhibitione abstinui-
C mus, ut ægrotantis vires interim reficerentur. Sed octo interjectis diebus, ad medicamentorum propinationem reversi sumus. Et primò ad syrupum de elleboro, ex descriptione nostra, maniacis & melācholia affectis salubertimus, cujus descriptio talis est. Recip. Ellebori nigri unc. s. succi pomorum dulcium unc. decem, radicum boraginis, radicū buglossi, polypodij quercini optimi, epithymi, folliculorum senæ, ana unc.
D 1. foliorum senæ, chamæpytheos, stœchados ana drach. sex, florum boraginis, buglossi, fumariæ, ana pug. 2. lupulorum, capillorum. Veneris, sumitterræ, sive fumariæ herbæ, eupatorij veri hodie agrimonij dicti, chamædreos, ana m. 1. schinanti unc. s. Omnia secundum artem tractentur, & in aqua fiat decoctio, quousque maneant libræ duæ. Et colaturæ manenti adde pomorum succum,

cum prædictum, sacchari albi libras duas, & fiat syrupus. Cujus mensura ita habetur. Recip. prædicti syrupi, id est, syrupi de elleboro uncias duas, aquarũ boraginis, melissæ, aranciorum, ana unciam unam, misce. At quia sæpe stillatitiæ aquæ hæ stomacho adversantur, ea de causa vice aquarum herbarum decoctum injiciebamus, immo decoctis ipsis ad rem facientibus syruporum vice utebamur, & quando hęc quoque odio ęgrotanti veniebant, conservas & electuaria melãcholicis, opitulantia cõcedebamus. Sed post aliquot dies ad pilulas de lapide lazuli condescendimus, quæ primas in hoc tenent morbo. Quibus, & citatis repetitis, ac ẽbrochis capiti sæpe adhibitis, intra duos menses paulatim sanitatem fuit adeptus.

Curatio sexagesima septima, in qua agitur de Mania ob occlusum ulcus eveniente.

VIr, qui ulcus antiquum in brachio habebat, ad nos venit præsidium quærens, ne sic fœdatus semper incederet. Cui quum unguentum hoc illi insinuarem, & ulceri applicuisset, intra paucos dies ulcus sanum est factum. Sed paucis interpositis diebus, is in maniam incidit. Quorum parentes, quum postea ad me redirent, & hunc insanum significarent, jussi, ulcus de nouo aperiretur, quo aperto insania evanuit, & pristinæ sanitati, Dei nutu, eum reddidimus. Erat autem unguentum, quo clausum fuit ulcus sequens. Recip. Vnguenti de lithargyrio unciam unam, de plumbo uncias duas, de tutia drachmam unam & s. terebinthinæ optimæ unc. s. Misce, & in mortario plumbeo omnia tractentur, & fiat unguentum.

SCHOLIA.

QVI rerum medicarum cõtemplationi sunt dediti, ij Hippocratem medicorum prin-

E *cipẽ apellare õnino, vel invitè cõstricti sũt. Itaenim ejus dogmata, axiomata, documẽta, ac doctrina veritati cõsona vidẽtur, ut ex tripò de quodam aureo ea de prompta esse non sit desiteri. Quæ vel ijs citandis verbis è libro sexto de Morbis popularibus quisque contumacissimus fateri debet. Scribit autem Hippocrates citato loco, si atra bilis animum infecerit, id est, temperaturam, sive cerebri complexionem contaminaverit, tunc atrabiliarius melancholicus dictus fiet. Si verò prædicta atra bilis cerebri corpus occupaverit, & ejus meatus utcunque occluserit, tunc atrabiliarius comitiali morbo afficietur. Ita enim ejus habentur verba. Atrabiliarij etiam comitiali morbo corripi plerunque solent, & vicissim comitiales fieri solent atrabiliarij. Vterque vero mor-*
F *bus magis fit, prout ad alteram partem inclinaverit. Siquidem enim ad corpus inclinaverit, comitiales fiunt: si vero ad animum atrabiliarij melancholici dicti. Hæc ille. At æger noster, quia atra bilis ejus cerebri temperaturam, quam animum Hippocrates appellat, infecit, & in eum inclinavit, melancholicus factus est.*

Curatio sexagesimaoctava, in qua agitur de Ephemera febre, cum maxima urinæ excretione eveniente.

G

REverendus frater Hieronymus de monte Politiano, ex ordine prædicatorio, Theologus insignis, natus annos duos supra septuaginta, & optimæ temperaturæ vir, elapso anno, quum Ephemera febri corriperetur, per totũ diem & noctem multum urinæ excrevit. At febri nullis adhibitis remedijs, elapsa, humor biliosus ad crus sinistrum
H corruit, ex quo erysipelas phlegmonosum ortum fuit. Quod per tres menses, fortè medicorum negligentia, dolores & gravia inferendo symptomata perdurauit. Nunc vero simili ephemera correptus est, non nisi cum copiosissimæ urinæ solita excretione, ut criticã quandam evacuationem à natura factã hanc quis dicere potest, a qua prędictum crus dolere cœpit, & solito erysipelate tentati.

ri. Quem cùm sic affici videremus, illi- A
co, nulla interposita mora, medicamentum bilis purgatorium illi cōcessimus, quo multa expurgavit, & ita contulit, ut ex toto erysipelas brevi evanidum fuit, & ille sanitati restitutus. Sequenti verò die purgationis, urinam adeò nigram eminxit, ut atramentum eā quis putaret.

SCHOLIA.

Topica medicamenta erysipelati admota, non nisi corpore universo à bile optimè expurgato, suam conferre operationem, vel ex B *Galeni historia manifestum evadit. In qua de illustri Romana muliere herpete affecta loquitur, quam postquam à bilioso humore, vel invite purgavit, ad sanitatem eam reduxit Galenus. Nam aliter in longius tempus morbus paratus erat protrahi, ut apud eum libro decimoquarto Methodi medendi, capite decimoseptimo legitur. Ob inscitiam igitur medicorum, qui elapso anno Reverendi hujus patris curam habuerunt, & pharmacum tandiu postposuerunt, illi morbus ita prorrogatus fuit, & cura ad tres menses protracta. Nunc vero, quia illico bilis, morbi fomentum, per pharmacum deposita fuit, omnis statim cum ea, amotus est langor, & ille sanus factus est.*

Curatio sexagesimanona, in qua agitur de puero devorante numisma quoddam æneum.

DEVORAVIT æneum quoddam numisma, ex ejus genere, quo senes pro computis suis obeundis utun- D tur, puer octo natus annos, & filius illius, qui ex oneraria & potenti navi in mare cecidit, quum ex Syria Venetias navigaret. Qui puer nulla percepta noxa, gracilis redditur, post elapsum annum, numisma prædictum cum excrementis egessit, exiguum tamen, & ita á calido naturali consumptum, ut omnibus admirationi esset.

SCHOLIA.

Puerorum calorem copiosum & validum esse, ut hæc & similia efficere possit, norunt medici. Vidimus autem nos quendam apud Ferrarienses Heluonem, quam hominem potius dicendum, qui coria, testas, & fracta vitrea vasa comedebat, concoquebat, & digerebat, ut eum omnes struthiocamelum appellaverint auem, cui concoquendi sine delectu devorata mira natura inest, ut experientia facta comprobatum apud Antuerpienses habuimus.



Curatio septuagesima, in qua agitur de muliere, quæ vocem amisit ob alterum nervorum recurrentium in collo malè affectum.

MVlier Illyrica, quæ ad caput montis habitat, quum strumam à Gallica scabie originem ducētem, in collo haberet, monachum quendam medici officio fungentem pro sui valetudine accersivit. Qui indiscretè, quum pro ea propulsanda multis usus esset medicamentis, sublimatum, ut ejus resecaret radices, loco indidit. A quo alter ner- C vorum ex pectore recurrentium, qui vocem effingunt, inibi corrosus est. Vnde ipsa paulatim rauca facta, vocem ferè in totum amisit.

SCHOLIA.

OB nervos hos recurrentes in collo læsos, vocis amissionem fieri tradit Galenus varijs in locis, suæ doctrinæ, præcipuè libro de Locis affectis primo, capite sexto, ubi à se nervos hos inventos esse, nec suis magistris antea notos, solita jactantia gloriatur, veluti quod ob chœradas, id est, strumas (scrofulas hodie dicunt) in cervicis profundo incumbentes, à chirurgo unguibus evulsas, nervos ipsos quoque vocales, seu recurrentes dictos, distraxit, unde puerum curavit, sed mutum reliquit. Sicuti de altero subdit, cui alter tantum nervorum læsus fuit, & semimutus evasit, ut huic mulieri Illiricæ, de qua curatio nostra agitur, intervenit. Libro quoque quarto prædicti voluminis, hos nervos sextæ conjugationis partem esse docuit, quos si laqueo intercipias animal mutū reddi li-

bro de Dissectione nervorum meminit, & multò latius, aureo illo libello, cui titulus est, de Præcognitione capite quinto, in quo capillorũ modo tenues eos facit, quum Romæ publicè corporum dissectionem aggrederetur.

Curatio septuagesimaprima, in qua agitur de Enterocele, id est, intestinalis ramicis curatione.

PVeri ramice intestinali ruptura dicta laborãtes omnes, ad quos divertimus sectione inguini facta, & per eam testiculo didymo dicto extracto, & forcipibus in epididymo præciso, ac cãdẽtibus ferramẽtis optimè exusto meatu, & porcina pinguedine obtrectato, lineo filo tamen primò infima in parte ligato sanitati restituti sunt. Nec enim alicui convulsio aut symptomata aliquod supervenit. Quod Sylvius Parisiẽsis vir doctissimus in suo Guatinaria, maximè hac timet castratione. Sed id fortè quia suis sic affectis, in scroti infima parte nullam admittebat sectionẽ, quę pręcipua à nobis in hac habetur curatione. Chirurgum tamen peritũ & apprimè dextrum eligat medicus, pro hac complenda operatione, decet.

SCHOLIA.

EXactum hujus curandi modum describere minimè gravarer, ni putarem id superfluũ esse, quum nullus, quantumcũque doctus, eum, ut in opus mittat, ex libris assequi poterit. Quòd siquis ex lectione tantùm opus hoc aggredi conabitur, is certè non minus, quàm ex commentariolo nauta dicendus est. Oportet igitur, ut medicus juxta Galen. præcepta, post methodum universalem curatoriam, in particularibus se exerceat. Dicitur igitur morbus is, de quo agimus. Græcis κήλη Latinioribus vero Ramex & Hernia, practicas autem barbaras scribentibus, Ruptura. Qui varias secundum ejus varias, unde oritur causas, sortitur appellationes. Si enim peritonæo rupto, aut distensio intestina in scrotum descendunt & devolvuntur, morbus de quo curatio nostra agit, conflatur, Græcis ἐντεροκήλη, Latinis vero Ramex intestinalis dictus, qui sæpe aut ictu, aut saltu, aut clamore, aut ululatu, aut ingentis molis sublatione, contingit, & in Aegypto terra nimirum calida frequenter evenit. Si vero intestina non in scrotum descendant, sed inguinibus hæreant, tũc Inguinalis ramex, βουβωνοκήλη Græcis, oritur. At si lentus humor aliquis in scroti partem colligitur, ramex aquosus Græcis ὑδροκήλη gignitur, qui sępe cum ventositate & flatuositate comperitur, ut in filiolo Ioannis Scacchi nobilis Anconitani vidimus, quem medicamentis & topicis remedijs discutientibus curavimus. Quum autem caro dura intra testiũ tunicas increscit, carnosus ramex vocatur Græcis σαρκοκήλη, quem in olitore percepimus, eo tempore, quo jam gangræna efficiebatur, ex quo plus minus duabus carnis libris præcisis, sanitati fuit restitutus. Cæterum ijs Ramicis generibus, alia addenda sunt, quæ nomina a rebus opplentibus semper accipiunt. Verbi gratia, si omentum in scrotum descendet, omenti ramex nuncupatur, Grecè vero ἐπιπλοκήλη, ubi vero venæ ultra modum replete glomerantur ac dilatantur, κιρσοκήλη, hoc est, varicosus ramex nominatur. De quibus, quum dabitur occasio, sermonem faciemus.

Curatio LXXII. in qua agitur, quomodo medicamentum purget & de actuatione medicamentorum.

CVM æger tertiana notha laborans pharmacũ ebiberet, elapsis duabus horis id in totum evomuit, sed nihilominus optimè posteà egessit. Propositũ itaque fuit, an hæc per inferiora evacuatio, à prædicto pharmaco facta fuerit, vel potius ob motum corporis habitum ante ebibitum medicamentum, vel humorum concitationem. Pro quo diluendo dubio, pauca ex multis, quæ ad medicamentorum actuationem faciunt, in medium afferemus, & eo magis, quum ea sint in quibus Galenus à multis sugillatur, capitur, lancinatur, & pro mendace habetur. Primò igitur, ut altius rem repetamus, scire licet apud Galenũ & medicos hæc reperiri nomina, venenũ, venenosum medicamentũ, nutriens

triens cibus, nutriens medicina, medi-
cina,medicina nutriens,de quibus figu
ram sic habeto. Venenum est, quod
quum corpus intrat permanetque, ip-
sum vincit atque corrumpit,a tota ope
rans substantia, ut viperinum venenũ,
hæmorrhoi basiliscivé,aut dipsadis. Ve
nenosum medicamentum,quod corpus
qualitatibus suis afficit, ut est cicuta,
mandragora, opium. Nutriens cibus,
qui minimum in corpus operatur, sed
omnino patitur,& facilè transmutatur,
ac in nutriti substantiam vertitur, &
ideo impropriè operans a materia nun
cupatur,ut ovorum vitelli, gallinaceo-
rum jecinora, & carnes alituum opti-
marum. Nutriens medicina, quæ, etsi
in corpus qualitatibus agit, optimè ta-
men adsimilatur, ut caricæ, & fructus.
Medicina, quæ in corpus agit, non ta-
men adsimilatur, sed corpori mali pa-
rum affert, ut scammoniũ, carthamus,
agaricus, & ex ijs composita. Medicina
nutriẽs,quę tametsi in corpus agat,post
longas tamen mutationes corpori adsi-
milatur, ut lactuca, cucurbita, allium,
porrum, cæpa,& cætera. Porrò medici
narum sive medicamentorum quędam
energia, id est actu, talia dicuntur, alia
verò potestate. Actu talia medicamen-
ta illa sunt,veluti ignis actu calidus est,
& gelu frigidum. Potestate verò, quæ
imperfecta & futura adhuc dicuntur,
sunt,veluti pyretrum,scammonium,&
similia, quæ ut operentur & in corpus
agant humanum,a calido innato in mi
nimas parteis minui necesse est, tam si
intra,quam extra corpus admoveãtur.
Vocatur autem medicamentorum hæc
comminutio a medicis,medicamento-
rum actuatio, quæ aliud nihil est quam
in tenues parteis medicamentum a ca-
lore nostri corporis comminui. Quæ ta
men rariora medicamenta sunt, citius
quam spissiora actuantur,ut Gal. memi
nit libro primo Simplicium capite un-
decimo,& decimotertio. Sed adverten-
dum duximus, quod medicamenta cali
da vario modo habentur, ut in corpus
agant nostrum,ab eo,quem frigida sor
tiuntur. Nam calida,ut opus suum con-

A ficiãt,prætereа calido innato in tenueis
parteis divisionem acceptam, calido ip
so innato muniuntur, frigida verò,præ
ter divisionem, nihil ultra ab ipso in-
nato calido expostulant, ut Galeno
in universa ejus doctrina placet. Super
cujus placita Gentilis de Fulgineo in
suis extravagantibus dictis quæstioni-
bus, multa commentatur,& in Galenũ
invehitur,& eum lancinat,dicens,Phi-
losophiam hæc nullatenus ferre. Cujus
verba placuit hic citare, ut postea Ga-
lenum non errantem judicemus. Ipsi
B enim in hoc oppugnare aliud nihil est,
quam universam subvertere medici-
nam. In primis igitur Gentilis de Ful-
gineo Galeni sentẽtiam & opinionem
ita citat. Mens ergo & intentio Galeni
in hoc consistit, Medicina calida redu-
citur ad actum a calore nostri corporis:
sic quod ipsa recipit caliditatem ab eo,
per quam agit calfaciendo nos. Sed me
dicinæ frigidæ non recipiunt frigidita-
tem a calore nostri corporis, imò hoc
principium intrinsecum, scilicet frigi-
ditas,per quod infrigidant, ex se habẽt,
ita ut istæ medicinæ frigidæ solum divi
C sionem in minimas parteis recipiant,
quæ divisio est velut impedimentũ tol-
lens, quod erat in ipsa medicina, ad hoc
quod operetur. Hactenus Gentilis Ga-
leni opinionem citans,adversum quam
multis invadit argumentis, sed duobus
præcipuis,& primò ut ipse ait & credit,
insolubiliter concludit. In entibus natu
ralibus non est minoris essentiæ forma
calida, sive principium calfaciendi, quã
forma frigoris, sive principium infrigi
dandi. Sed cõperiuntur res quæ habent
D principium infrigidandi intrinsecum,
sive formam frigoris, per quod princi-
pium possunt nos infrigidare, & non ad
quirunt illam formam frigoris a nobis.
Igitur medicinæ, calidæ non indigent
calore nostri corporis,& per cõsequens
Galeni opinio minimè stare potest. Se-
cundò, nullus dubitavit an caliditas sit
forma positiva potens in operãdo,mul
ti autẽ in in dubiũ traxerũt de frigidita
te,immò nonnulli dicunt,in nullo mix
to reperiri frigiditatẽ. Quum ea quæ à

nobis frigiditas, aut frigus appellatur, remissa sit caliditas, ut opinatus est Galterus Burleus, igitur Galeni opinio falsa est. Eis duobus argumentis fultus Gẽtilis Galenum hallucinatum alta mẽte clamat, & gloriatur. Sed ejus gloria, quum rem attigerimus, in opprobrium vertetur. Ne tamen Fulginates quę buccæ occurrunt, nos tantùm deblaterare asserant, audiant, subsignatis primò Galeni verbis unde tota dubitatio orta est, quæ ita libro tertio de Temperamentis habentur. *Medicamenta frigida, veluti papaveris succus a nostro corpore intus sumpta, nihil demutantur*. Hæc enim paucula sunt verba, ob quæ Gentilis in dubium rem traxit, pro quibus intelligendis, & Gentili satisfaciendo, sic habeto. Medicamẽta frigida veluti & calida dicta, ut actu talia sint, id à calore nostro recipiunt, ea videlicet in tenuia & parva dividendo, ut tertio libro de Temperamentis, & primo Simpl. cap. undecimo, duodecimo, & secundo Simp. cap. vigesimosecundo, & vigesimoquarto, & tertio ejusdem voluminis libro, cap. primo, & decimoseptimo, & decimonono, Galeno, ita scribenti placet. Igitur medicamenta minimè excalfacere valent, priusquã actu talia fiant. At quòd actu talia sint, id à nobis accipiunt, veluti sicci calami ab igne. Et ut de frigidis simul medicamentis loqui lectores intelligãt, subdit. Ita verò & ligna ex sua quidem natura frigida sunt universa, sed quæ sicciora sunt, & gracilliora, ea facile mutantur in ignem. Quæ humidiora sunt, & crassa spatio egent majori. Nihil igitur mirì est, si medicamenta quoque primùm quidem in parva, & tenuia frãgi postulant. Hæc verò adeò clara apud Galenũ sunt, ut monstratore altero non egeant. Medicamenta igitur, ut in corpus agãt nostrum, in tenueis parteis redigantur necesse est, atque ut operentur, calidi innati opera indigent, ea scilicet tam calida, quàm potestate frigida dicta medicamenta, in tenues frangẽdo partes. Nihil tamen medicamenta frigida a corpore nostro demutãtur, intellige nullã præter divisionem, temperaturam aut

E complexionem dictam assumendo. Prę ter enim divisionem, quam medicamẽta potestate frigida a calore nostri corporis recipiunt, nihil quicquam, ut rectè opus suum conficiant, adquirunt. Secus autẽ calida medicamenta, quæ præter divisionem receptam, in suis calidis qualitatibus intensionem quandam à calido innato datam, quam complexionem aut adjumentum appellitant, recipiunt. Sed si roges, cur medicamenta hæc calida adjumentũ magis quàm frigida recipiant, in quo opus & labor est, & dubium consistit omne. Respondeo. Medicamenta calida qualitatibus suis

F calori nostri corporis nõ adversari, sed potius eorum caliditas necessariò intenditur, atque inde ultra divisionem, calidum medicamentum pro sui opera aliquid acquirit. Frigida verò medicamẽta contrariò habent, quum qualitatibus suis maximè calori nostri corporis repugnent, atque inde non nisi divisionẽ a calore acquirunt. Nec enim a caliditate corporea adjuvari quicquam possunt, sed magis impediri, ut suis fungantur operotionibus, quum frigori calor oppositus est. Nec hæc in præsenti altius repetere opus est, quum hodie solidiori doctrina homines contenti evadant. Et admodum, quo prædicta medi-

G camenta purgatoria humores evacuãt, accedamus, præsertim ex Hippo. lib. de Natura hominis, quo nemo verius hęc scripta dimisit. Sed quum Gal. ejusdem fidissimus enarrator lucidius & clarius ea ob oculos nobis posuit, ideo placuit ejus verba subscribere, quæ lib. de Facul. simpl. medica. ita habent. Disseruit autem, inquit, & Hippocrates in opusculo, quod de Natura humana inscribi-

H tur, de ordine qui in istis evacuandis servari solet, ac nunc quoque ne quid huic sermoni desit, dicendum est, etenim si quod pituitam ducat medicamentum exhibeas, prima quidem in superpurgationibus flava, mox atra, tertio loco sanguis ejicitur. At si quod flavã bilẽ detrahat pituita cõsequetur, tertia atra, quartus demum reddetur sanguis. Quin etsi atram bilem purgare sit natũ, eã quidẽ

primam evacuavit, post quam flavam, deinde pituitã, omniumque postremus sequetur sanguis, tanquam ex inanitis jam vasculis effluens, ut quæ summa jã debilitas occupet, & cætera. Hinc autem claret, medicamentum, bilem natura deponens, prius bilem evacuare, mox serosam humiditatem, postea verò insuper purgatione pituitam evacuari, tertio verò loco atram bilem, quarto verò sanguinem. Si verò medicamentũ pituitam natũ est evacuare, ipsam prius deponit, secundo, bilem, tertio, atram, quarto, sanguinem. Ex ijs igitur verbis satis claret, quam perperam Averrois dixerit libro sui Collectorij septimo capite nono, Asclepiadem fortè imitatus. Quòd bilis, quia cæteris humoribus subtilior est, in omni evacuatione primò deponitur. Quæ opinio, quum satis à Galeno libro de Purgantium medicaminum facultate suggilletur, supervacaneum esse arbitramur plura pro Averroi confutando in medium afferre. Scimus satis reprehensum iri, quod falsum esse à multis scitur. Cæterũ horum medicamentorum attractiones perficiuntur, ut Galeno placet, qualitatum quæ in substãtijs sunt virtute, id est specifica proprietate. Quæ medicamentorum attrahentium virtus fortior est, quam humoris attracti. Conatur autem Galenus specificam hanc virtutem, ut optimus Philosophus, ad similitudinem quandã, inter rem attrahentem, & rem attractã compertam reducere, de qua re legito Fracastorium Veronensem, virum mehercle doctissimum, libro de contagione, amicitia, & contrarietate, ubi attractiones has similitudine fieri, exactè probat. Sed ut medicus, sæpe Galenus similitudinem hãc cœlestem, aut occultam quandam proprietatem appellat, ut de lapide sanguinem sistẽte, lib. de Facult. simpl. med. memoriæ commendavit, quem secutus est Mesue exordio sui operis, & varij alij medici post eum scribẽtes. Vt medicamenta humores ad se attrahant, vel ad ipsos potius humores propter similitudinem vadant, varij varia quoq; asserunt. Nam Hippo. citato

A libro, medicamenta humores ad se attrahere tradit, ipse verò crederem medicamenti subtiliores partes ad humores sibi similes virtute totius gubernatrice interveniente, ire. Vnde tametsi post actuatum medicamentum, & ejus jam in universum corpus subtiliores relegatas partes, evomatur, exacta tãmen & perfectissima succedit purgatio, ut in casu nostro intervenit, & quotidie contingit. Quum autem ob similitudinem inter medicamentum purgatorium & humorem evacuãdum repertum, medi-

B camenti ipsius partes subtiliores ad humorem eant, vel potius ad se attrahant, quia medicamenti potentia fortior est, quã humores attracti, fit inde, ut irritata natura, expultrix virtus per apertos meatus eum expellat humorẽ, quanquã sæpe suo frustratur fine medicamentũ, hoc est, non purget, propter humorum evacuandorũ inhabilitatem, quia materia inobediens facultati expultrici existit. Et nõ deponitur, aut propter obstrusos meatus à crassis & viscidis humoribus, aut induratis fæcibus, aut propter ventositatẽ sublevãtẽ medicamentũ ad superiores partes, cujus causa, medicamẽti prohibetur actuatio. Aut quia corpus adeò debile existit, ut medicamẽtũ

C nec cõcoquere, nec expellere valeat, aut quia ta forte & avarum in medicamenti retẽtione, ut id potius in succum vertat & nutriri substantiam, ut latius Mesue tertiæ intentionis, capite primo, Canonum suorum sapiẽtissimè scriptũ dimisit. Sed quum medicamenta hæc à ventriculi concoctrice facultate vincuntur, talem gignunt humorem, qualem trahere, & evacuare nata erant, ut scammonium bilem, turbit, & agaricus, aut

D carthamus in pituitam, semẽ sanctonicum in lũbricos. Meminit autem Gal. lib. de Theriaca ad Pisonem, Phalãgiũ trifolij herbæ speciem, morsibus phalãgij animalis opitulari. Si tamen contingat herbã superimponi loco ab animalculo non infecto, herbam eosdem inducere affectus & symptomata, inquit, quæ animal suo morsu producere est natum, ut mirum nõ videatur, si medi-

camenta, quum per similitudinem operentur, in eosdem, quos respiciunt (ut dixi) humores vertantur. Multoties tamen humores à medicamentis similitudinem secum non habentibus evacuantur, propter tres & præcipuas à Galeno citatas causas, lib. tertio de Facul. simpl. med. cap. vigesimoseptimo, propter vasculorum imbecillitatem, propter osculorum laxitatem, & propter ipsorũ purgantium medicamentorum mordicationẽ, non verò ob infinitas ab Averroi quinto sui Collectorij lib. specificas signatas virtutes, vel, ut Hugo hallucinatur, ob quandam communem cuilibet medicamento insitam virtutem, cum qua præter propriam, quæ sibi dicatum humorem evacuat, reliquos purgare ait.

Curatio septuagesima tertia, in qua agitur de Crustoso ulcere aures & faciem inficiente.

IVvenis illa, quæ est Manfredonia Anconam venit, nata annos sexdecim pulchra facie, post elapsum à conjugio annum ejus aures & faciei pars, ulcere crustoso quodam infecta fuerunt, quod per tempus latitabat, sed postea repullulabat. Pruriebat ulcus hoc, & aures corrodebat. Cujus causam inquirens, comperio ab eo tempore quo morbus invasit, hanc vigente æstate ad Solis radios caput, ut capillos aureos & crispos redderet, apertum & nudum habere. Quo factum est, ut humor biliosus acris factus, extra ad aures & faciei partes attractus, fœdum prædictum ulcus causaret. Quibus addebat, caput ad eundem effectum fortissimo lixivio bis singulis hebdomadis lavare. Pro cujus curativa methodo, parte artis præservativa dicta præsupposita, quæ futurum incommodũ idoneis præsidijs præcavendo prospicit, ad alteram curativam, quæ quod jam factum est delet & eliminat, accedimus. Quanquam in hoc casu hæ duæ artis partes invicem connectuntur. Sublata siquidem causa, ex qua morbus hic fit & factus est, illico quilibet cessabit effectus, & partes infectæ ad naturæ suæ statum revertentur. Erit itaq. præcipua curationis indicatio, biliosi acris & ferè adusti humoris evacuatio, qui crustosũ ulcus hoc gignebat. Secundò capitis malam intemperiem calidam & siccam refrenare, ob quam per intervalla, auctis excrementis, ulcus repullulabat. Ab insolatu igitur, & rebus eam foventibus abstinebat. Postremò ipsius capitis roboratio procurata fuit, & ipsa sanitati restituta. Et, quia capitis affectiones rectè non curantur, nisi universum prius corpus inaniatur, a vacuatione universali universum corpus inaniente, initiũ fecimus, & primò quidem purgatorio hoc medicamẽto. R. Floris cassiæ recens extracti un. 1. confectionis de fœni. drac. 2. Cum saccharo fiat bolus, quem capiat ante prãdium spatio duarum horarum, quo optimé egessit. Sequentibus verò diebus syrupum hunc ebibit. R. Aquæ decoctionis hordei excorticati, un. 4. julep violacei unc. 1. & semis. Misce, post octo verò ebibitos, sic descriptum fuit. R. pilularum cochiarum drach. ſ. aurearum, scrup. 2. de fumoterrę scrup. semis, diagridij gr. 3. cum electuario de succo rosarũ Mesue, formẽtur pilulæ quinq. quas quum vadit dormitum, capiat. Eis autem optimè alvus respondit. Sed interea, dum hæc machinabantur, unguẽtum parti exteriori affectæ admovebatur, quod habet. Recip. Vnguenti de lithargyro unc. 1. populeonis, de plumbo, an. un. ſ. Misce, & in mortario plumbeo cum pistillo plumbeo fiat unguentum. Deposita autem materia pro mala intẽperie calida domanda, ex cubiti exteriori vena (cephalicam medici dicunt) sanguinis uncias sex extrahere fecimus. Sed interpolatis diebus quatuor, ut vires reficerentur, syrupum violaceum cũ prædicta hordeacea per aliquot dies iteravimus, & scapulis cucurbitulas cum scarificatione admovimus & retro aures hirudines. Post quæ omnia, ad catapotia ex nitro secundum Alexandrũ parata

rata devenimus, quæ in eis affectionib. primatum habent, tandem lavacro capiti admoto ex rosis siccis, chamæmelo, myrto, & similibus refrigerantib. & roborantibus confecto, præassumpto condito describendo, & ebibitis destillatitijs aquis sanitati fuit restituta, nec amplius in dictam affectionem lapsa est. At quum menses suo constituto tempore optimè respondebant, de illis nulla in hac curatione mentio facta est.

Conditum, conserva dicta.

Recip. Sacchari boraginati, rosati, buglossati, violacei ana unc. 1. Pulveris santalorum rubeorum, & alborũ, an. drac. 1. & s. cum syrup. rosaceo simplici, misc. fiat mixtura, & folio auri inauretur.

Aquæ desuper ebibendæ.

Recip. Aquarum violarum, boraginis, cichoreæ ana lib. s. Misce. Eis autem clausa fuit curatio, habita victus ratione convenienti, & cæteris huic rei annexis.

SCHOLIA.

HVIC similes affectiones meminit Galenus curasse, lib. primo de compositio. med. secundum locos, quem legere ne pigeat.

Curatio septuagesimaquarta, in qua agitur de pruritu, & scabie universum corpus fœdantibus.

MArinangelus de Estafulo publicus notarius, annum agens quadragesimum octavum, temperaturæ calidæ, & siccę, pruriginosa scabie & sicca per ambitum totius corporis laborabat, & ea quidem perdifficili, ita ut ipsum in elephantiasim pervenire timor esset. Is, quum plures pro sua recuperanda valetudine medicos consuleret, & nullum assequeretur iuvamentum, ad me venit, quem hac fœda lue ita vexari deprehendi, ut nullam diu, noctuque requiem haberet. Gignitur autẽ affectio hæc expræassato & adusto humore, ex iecore tanquam indeficiente fonte scaturiente. Qui ab expultrice virtute a cẽtro & vasis ad circumferentiam expulsus, totum corpus pruritu & scabie sicca, eradicatu difficili, defœdare solet. Contra quam, quum a multis multa tẽtata essent, nos infrascriptis intra ãnnũ sanitati eum restituimus, & vitæ primo optimo regimine constituto, quia sanguis illi sæpe ex cubiti venis extractus erat, phlebotomiam prætermisimus. Cuius vice hirudines ani venis admovere fecimus, imo eas singulis mensib. semel prædicto loco admoveret consuluimus, quum is, antequam in hanc laberetur affectionem, apertas hæmorrhoides, ex quibus sanguis interdum fluebat, patiebatur. Id quod parum Veneti medici animadverterunt, homines alioqui oculatissimi, & doctrina & experientia longè celeberrimi, quorũ Victor Trincavelius, Bartholomæus Labiosus, & Orsatus, nominandi veniũt, qui pro huius viri salute consulti sunt. Hac igitur proposita evacuatione, quæ vel sola pro hac curanda affectione sufficiens est, sic orsi sumus, Recipe Electuarij lenitivi, drach. 10. confectionis hamec drach. 2. Cum saccharo fiat bolus, quem per duas horas ante prandium capiat, quo multa leviter egesit, & virtute potentiori supra residuum facta syrupos hos descripsimus, Recipe Syrupi de fumoterrę, lupulorũ, cichoreæ, s. an. unc. s. aquarum fumiterræ, lupulorum, cichoreæ, boraginis an. unc. 1. Misce. Et per octo dies sequentes iterentur, quibus peractis & noxio iam expulsioni parato humore, pharmacũ hoc illi propinavimus, Recip. Syrupi rosati solutivi unc. 3. electuarij Indi, hamec an. drac. 1. dia phœniconis drach. 3. decoctionis senæ unc. 3. Misce, fiat potus unus, quo plurima deposita sunt excrementa, biliosa, varia, subnigra inter quæ pituitosa videbantur. Interpositis vero tribus diebus, ut ægri vires in eis reficerentur, syrupum hunc postea illi conces-

concessimus, Recip. Syrupi de fumoterræ unc. 1. cichoreæ, unc. ſ. decoctionis ſenæ, unc. 4. Miſce. Fiat ſyrupus, quem per octo continuet dies. In fine quorũ pharmacum ſequens dedimus, Recip. Rhabarbari boni, drac. 1. & ſ. agarici albi. ſcrup. 2. cinnamomi optimi, drach. ſ. Piſtentur, & infundatur in uncijs ſex decocti diaſenæ per totam noctem, & facta expreſsione, & colatura, adde prædicto decocto ſyrupi roſati ſolutivi un. 2. electuarij lenitivi drac. ſex, confectionis hamec drachmas tres, miſce, fiat potus quem hora antelucana ebibat, & deſuper dormiat. Eis enim celebratis evacuationibus, & interiectis nonnullis diebus pro viribus reficiendis, cucurbitulas per univerſum corpus cum ſcarificatione, ut intercutaneus ſanguis expelleretur, adfigi mandavimus, & ſingulis noctibus ſequenti linimento illiniretur, quod eſt, Recipe Terebenthinæ lotę cum aqua fumiterræ unc. 4. ſucci arancij, num. 1. ſalis communis in pollinem redacti, drach. 3. olei roſati, un. 2. & ſ. ceruſæ lotæ drac. 7. Miſce. Fiat unguẽtum, & tandiu eo corpꝰ liniatur, quoad fœda hac lue, corporis ſingulæ partes mundæ evadant, & ſingulis auroris ſequenti lavacro lavetur, quod habet, R. Herbarum fumiterræ, boraginis, malvæ, lapatij, roſarum, chamæmeli, foliorum ſenæ, an. par. æquales. In aqua fontis fiat decoctio, & ut decet utatur. At inter ea dum hæc parabantur, conditũ hoc ieiuno ſtomacho comedebat, Recip. Sacchari boraginati, bugloſſati, roſati, an. unc. 1. & ſ. Pulveris foliculorum ſenæ, drach. 3. corallorum præparatorũ, margaritarum ana. drac. 1. cum ſyrupo de cichorea quantum ſufficit, miſce, fiat eclegma, ſive mixtura, de qua ſingulis auroris ſemi unciam capiat, & aquarũ cichoreæ, boroginis æquas partes ſuper bibat. Hæc vero menſe Martij, Aprilis, & Maij peracta ſunt. Menſe vero Iunij ad lactis aquam propinandam devenimus, qui, quum ſtomachum calidiorẽ haberet, eius magnum & copioſum potum, ad eum modum, quem Græci dare ſolebant, optimè ferebat. Bibebat ita

E que ſingulis diebus quinq. nonunquam vero huius aquæ lactis libras ſex, eo modo quo thermarum aquæ ebibi ſolent, pauculo ſaccharo ei non niſi adiecto, ut alibi in hac Cẽturia latius diximus, ut ſeri propinandi modum ad Græcorum mentem diſſeruimus. Cæterum, quum affectio hæc diuturna, & longa, ac difficilis eradicata eſt, longã curationem expoſtulat, & remediorum iteratione indiget. Proinde Autumno ſequẽti prędicta omnia repetita fuerunt. Æſtivis tamen diebus, poſt ſeri potum, ne homo

F abſq. præſidio aliquo maneret, ex pullis gallinaceis, ius alteratum ieiuno ſtomacho biberet, cõſuluimus: eis præſertim herbis, boragine, acetoſa, meliſſa, hordeo, ſimul coctis. Cuius unciæ octo ad decem uſq. pro vice potus erat. Eis autem intra annum ſanitati reſtitutus fuit & ab hac fœda lue liber, optima & diligenti victus ratione ſervata ſemper & cæteris ad rem facientibus.

Curatio ſeptuageſimaquinta, in qua agitur de duplici tertiana ſolo minorativo eradicata.

G IVVENIS robuſtus pharmacopola, & frater Iohanis Andreæ Mediolanenſis, quum duplici corriperetur tertiana, & diſsidium eſſet inter medicos. An primò ſanguis mittẽdꝰ eſſet, vel potius per minorans pharmacum dictum, evacuatio facienda eſſet, tandem ſupervenientibus nobis, minorans hoc pharmacum propinavimus. Quod ita valuit

H & contulit, ut non altero opus fuerit præſidio, habet autẽ minorans pharmacum ſic. Recip. Pulpæ caſsiæ noviter extractæ, unciam unam, diacatholiconis unc. ſ. Miſce, & cum ſaccharo fiat bolus, quem per duas horas ante prandium ieiuno ſtomcho capiat.

SCHOLIA.

ADvertendum duximus, quod quando hæc minorantia pharmaca largiuntur, & in ea brevi temporis intercapedine, ante acceptum victum, alvum subducere incipiunt, quod tunc æger prorogare victum in longius tem- debet, quum eo accepto, medicamenti opus impediretur. Si tamen intra limitatum, & a medico constitutum tempus medicamentum non dum opus cœpit, nec æger egessit, tunc victum, prout a medica imperatum erit, æger accipere debet. Servari autem regula hæc debet in ijs præcipue (quod aiunt) minorantibus pharmacis, quæ qui vituperant medici, & ipsis nō utuntur, a consortio doctorum hominum elimi B *nādi sunt, ut ex Averroi, & Manardo Ferrariensi, Centuria prima harum curationum abundè diximus.*

Curatio septuagesimasexta, in qua agitur de puella duplici tertiana per subintrantiam, continua dicta laborante, cui caros, morbus veternus dictus, supervenit, quem Arabes Subet appellant.

C

FILIA Doctoris Asola, nata annos quatuordecim, duplici tertiana nunquam deficiente, ac propterea continua, per subintrantiam à practicis dicta, laborabat. Cui quum menses exactè non responderent, pedis vena saphena dicta secta fuit, & sanguis pro viriū robore extractus. Sed alijs subinde præsidijs adhibitis, puella in ciborum fasti- D dium, & corporis inhabilitatem incidit. Quę quum sic per aliquot dies absq. ullo præsidio relicta esset, in carum, sive veternum, aut subeticam passionem dictam lapsa est, quam febricula lenta comitabatur. Pro quo morbo propulsando cucurbitulæ scapulis cum scarificatione applicitæ sunt. Cum quibus, interim dum spargebantur, à profundo somno illo ægrotans libera erat. Sed pauculo interposito tempore, ad eundē

A revertebatur. Proinde ex cubiti interiori vena cephalica dicta sanguinem ad uncias quinq. demere fecimus. Qui quū ob crassitiem, vulnere peramplo facto non exiret, ex altero brachio ipsum demere mandavimus. A qua sanguinis missione meliuscule habere cœpit, & multo melius post embrochas super caput adhibitas, quæ habent, Recip. Chamæmeli, meliloti veri. stœchados, salviæ, maioranæ, betonicæ, hyssopi, ana m. 1. In libris quindecim aquę fiat decoctio sufficiens, & facta colatura, adde olei chamælini, anethini, ana libram mediam, misce, fiat embrocha, capillis tamē primo depositis. Sed & naribus pulveres ij admovebantur. Recipe Piperis nigri drachmam mediam, pyretri scru. duos, ellebori scrup. unum, misce, fiat pulvis, & naribus admoveatur. Porrò cibus huic oblatus, pulli cōtusum amygdalis, & seminibus apparatum erat: cui interdum cinnamomi pulvisculus inspergebatur. Quibus intra 15. dies sanitati fuit restituta.

Curatio septuagesimaseptima, in qua agitur de patiente duplicem tertianam.

NEemias Gallus, vir probus duplici tertiana correptus fuit, cui bis pro illis propulsandis secta fuit vena, sed medicamentis aperientibus & alterantib. exhibitis, ac purgatorio propinato pharmaco bene habuit. At quum mali Punici esu delectaretur, eius multum victitavit, & peius sensit. Proinde eius abnegato usu, quum nimis meatus coarctabat & vias obstruebat, paulatim ad pristinā regressus est valetudinem. Propositum autem fuit. An balneum huic conveniret, de qua re aliàs, quum dabitur occasio, rem ex toto concludemus, ex aqua autem potabili balneum confectum, quæsitum proponebatur.

Curatio

Curatio septuagesimaoctava, in qua agitur de morsu canis

IOhannes Baptista Vccellinus, iuvenis Florentinus doctus, quum navim intrasset, a cane magno Britanno in tibia morsus fuit,& vulnus profundum illi inflictum,pro quo curando,accersito chirurgo iussimus,per mensem saltem,apertum vulnus demitteret. Tametsi enim rabidus is canis non erat, nescio tamen quid malignitatis & virulentiæ canes ij navibus occlusi præ se ferunt,ut ex alijs simili b. morsib. affectis, edocti evasimus. Hac enim cautela liber & sanus est factus.

Curatio septuagesima nona, in qua agitur de elephantici cuiusdam curatione.

VIncentius Stochetus Anconitanus, iuvenis natus annos viginti, iam diu elephantiasi laborat ita fœde,ut omnes corporis partes cum unguibus quoque fœdatas habeat. Nares tamen, quæ plerunque in morbi huius initio corripi solent, intactę hucusque permanserunt. Qui quum varia pro hac propulsanda gravi & fœda ægritudine experiretur, ad me venit. In quo primo ultra cutaneam fœdationem, qua fœdatur, insatiabilem apetitum quendam (quem caninam famem vocamus) pati aliquādo magis,aliquando minus deprehendo. Cæterum quum ad tentata præsidia condescenderemus, quibus doctorum hominum consilio usus fuit, carnium viperarum esum subticet, quum usque ad id tempus de illis nihil noverat. At nos scientes ex earum victu mirabile auxilium subsequi,cum Galeno & cæteris medicis consuluimus,eisdem vescetur, prout nunc vescitur. Quarū apparatū inferius describemus. Sed cutim

E ex viperarum sanie per vitream campanam destillata illinebat, Suadet Galenus theriacam ebibitam,vel cuti illitam hoc morbo laborantibus summopere prodesse. At nos ex viperis destillatitium hoc magis conferre, utpote morbo rebelli,& fere exossatæ elephantiasi dictæ,non sine optimo successu augurati sumus. Primo autem sanies ex viperis dissectis,& vasculis vitreis occlusis, ad ignem lētum destillabat,dein oleum & aqua prodibant, de quibus postea sales concinnari poterant. Cæterum quomodo viperæ parari debeant,

F doceamus.

VIPERARVM APPAratus pro victu elephanticorum, ex Galeno decerptus libro secundo ad Glauconem cap. 2.

VIPERAS quidem ubi caput, caudàmque usq; ad digitos quatuor

G absciderist,excoriaverisq; ac deniq; interanea exemeris,in olla prius aqua lotas coques,donec exquisite molles reddantur. Adjicere tamen debes aquæ, in qua illæ elixantur,porrum anethumq. & olei nonnihil. Cæterum ius hoc primo ebibat decet,deinde carnes comedat,non secus ac vervecis, vel alitum, quæ in prandio quotidie sumuntur. Sed ieiuno stomacho, & in aurora carnes hæ comedi debent, dimidiæ saltem pro vice,& aliquando unius integræ vipe-

H ræ,prout virium robur adfuerit. A quarum esu cibum vel potum, quemcumque,per sex differat horas. Quod si sudaverit,diligenter sudorem servet,maxime expedit. Excoriari autem ægrotantibus cutis solet,ut serpētibus intervenit.

SCHOLIA.

VIPERA mascula & fæmina venenum in vesiculis dentes cooperientibus servatum

tum habent. Reliquæ verò corporis sui partes veneno carent. Præscinditur tamen vipera, pro eius apparatu cauda, non quia venenosa, sed quia ungulosa, & absque carne, sicca & calida reperiatur. Coeunt autem masculus & fœmina caudis & ad medium usque corpus optimè circumvolutis complexi sive, altera verò superiori corporis parte elevata, multis cũ ore osculis daris. Inest verò masculo membrum genitale ea in parte ubi amplexantur, quod intus occultum habet. Fœminæ verò vulva ex directo inest, ut cuivis curioso manifestum evadet. Proinde philosophos & medicos in hac re hucusque errasse, qui per os viperam concipere, & eius viscera in partu à catulis corrodi contendebant, manifestius est, quam a me in hoc loco dici potest.

Curatio LXXX. in qua agitur de puero febre biliosa diuturna laborante,

PVER natos annos quinque, quum febri diuturna & continua, de tertio in tertium affligente laboraret, ad eum pervenimus; quinque enim supra viginti dies agebantur, quibus semper febris hęc illum detinuit. In quibus à medicis multa tentata sunt, nunquam tamen deficiente ipsa: debilior verò redditus puerulus, ac circa ventrem, & hypochődria partes duriores factæ. Sic illum tractare cœpimus (optimo prius victus ordine instituto) & primo ventris & hypochődriorũ duriusculas factas partes sequenti unguento mane & vesperi illini faciebamus, R. Vnguẽti de oppilativi de succis un. 2. unguẽti nostri splenetici un. 1. olei capparũ, parũ mis. fiat linimentũ. Porrò iecori tentionẽ habẽti sic descriptum fuit, R. Vnguenti santalini unc. 1. ſ. rosacei unc. unam. Misce, quo illinatur iecur: ut verò per os ebiberet, sic præparatum fuit. Recip. Iuris pulli gallinacei uncias octo. In ollulam mittantur, & igni admoveantur, cui infunde senæ drac. duas, passularum è Corintho drach. 2. radicis petroselini contusæ drach. 1. omnia non nisi panno lineo rarò, primò excepta, quæ quum parum

A ebullierint, accipe prędicti iuris cyathũ, & in aurora ieiuno stomacho bibendũ præbe. At singulis quinq. dieb. pharmacũ hoc illi propinabatur, R. Syru. rosa. solutivi unc. 1. & ſ. prædicti iuris un. 4. Mis. Aliquando tamem agarici parum per aliquot horas prædicto decocto infundebatur. Sed quia ultimo defixa timor erat, cum lacte ex butyro recenti inungi eum per universum corpus faciebamus, quibus intra viginti dies bene habuit, & protracta ad dies quadraginta curatione, integram adeptus fuis

B sanitatem. Habet autem unguentum de oppilans, sive de oppilativum de succis dictum sic, R. Succi apij, endiviæ, menthæ, absinthij, petroselini vulg. an. un. 3. olei absinthij, menthæ ana lib. ſ. ceræ citrinæ q. sufficit. Misce, & ad ignem fiat unguentum, cui quandoq. additur pulveris calami aromatici, spicæ nardi, an. drac. 1. olei capparum parum misce.

Curatio LXXXI. in qua agitur de electuario ad eiaculandum semen faciente.

C DE nobilibus quidam ex monte Politiano, pro consanguineo Regiensi præsidium quærit, quo riberis operã dare posset. Qui tametsi antea duos vel tres genuerat, nunc tñ genitalia membra debilia ita habet, ut ipsa nec erigi, nec per ea semen eiaculare posit. Iuvenis autem is est ex principibus Italiæ, omnib. bonorum genere affluens. Quũ igitur huic Ceres & Bacchus nő desint, duo potissima Veneris impetus concitantia, paucula hęc optimè concinnata, desiderata obtinuit, & ita habent, R. Pi-

D staciorum præparatorum un. 2. pinearũ mundarum un. 1. carnis scincorũ drac. 6. satyrionum elixatorum, vel iringorũ radicum un. 1. ſe. erucæ hortensis drach. 5. chrysocollæ naturalis drach. 2. piperis longi, & nigri, cardamomi, specierum diamoschi dul. an. drac. sem. cinnamomi electi drac. 4. mellis despumati rutili un. 9. Misce, & fiat electuarium secundum

dum artis miniſterium, ex quo quando
vadit dormitum, ſemunciæ pondere co
medat, & deſuper parum vini generoſi
pitiſſet. Sed & unguento ſequenti geni-
talia membra inungat, quod habet, R.
olei de lilio unc. 2. caudarū ſcinci drac.
3. caſtorei gr. 10. nucis moſchatæ, pipe-
ris longi anſ crup. 4. ceræ albæ, q. ſuff.
miſce, & fiat unguentum molle.

SHOLIA.

HIC adverte, quod vice herbæ teſticulorū
vulpis, aut ſatyrionum radicum, iringij
radices adiecimus, non minus quod in unguen
to, Stellionis vice, ſcincorū caudæ venere cum
ſtellio non ita eo tempore, quo hæc parabātur,
haberi potuit. Cæterum peropportunè erit hic
citare, id quod olim nobili cuidam contigerit,
facetiſsima enim hiſtoria eſt, & propoſito de-
ſerviens. Nam quum nobilis quædam mulier
gallos (exemptis teſticulis) eunuchos redde-
ret, teſticulos, ut optimi ſucci nutrimentū, pro
marito in edulium, adiecto melle & aromati-
bus redegit: quo quum maritus in cœna veſce-
retur, ita in priapiſmon devenit, ut poſt longum
cum uxore concubitum, ipſa iam læpſa virib.
nec amplius laborem ferre valens, a cubili utri
que communi fugam fecit. At maritus furibū
dus pruriente adhuc materia, quum uxorem
perſequeretur, nec ipſam aſſequi valeret, quum
alteri cubiculo occluderetur, ad ancillas tres,
vel quatuor domeſticas ſe direxit, quib. omnib.
apprime ſatisfecit. In aurora vero medico ac-
cerſito (nam etiānum humor titillabat) res in
iocū trahitur, & ſemine viticis cum campho-
ra ebibito, ac ex populeo linimento ſupra re-
nes facto, à furore & Veneris irritamentis li-
ber factus eſt.

Curatio LXXXII. *in qua agitur de*
Scirrhoſo tumore ob caſum ſuppu-
rato, & in ulcus verſo, ex quo
mors ſubſecuta fuit.

PEtrus Ordonius Iulij tertij Pōtificis
maximi muſicus inſignis, tumore
quodam ad ſpinam, coſtam tertiam no
ham reſpicientē, non niſi duro & dolo
ris experte, vexari ſolebat. At quum ſe-

E mel in nocte equitando per urbem Ro
mam alijs adſtrictus commilitonibus
incederet, forte fortuna ex equo cecī-
dit, & loco ubi tuberculum hærebat,
maxime contuſus fuit. Ex qua colliſio-
ne, dolor intēſus inibi ortus fuit. Aucto
vero dolore & tumore peramplo ac ni-
gerrimo facto, chirurgus quidam ad eū
fuit accerſitus, qui quum multum puris
intus latitare comprehenderet, frigido
ſed acuto ferramento locum ſecundum
corporis longitudinem, profundiori in
ciſione aperuit, unde puris maxima, ſed
varij effluxit quantitas. Succedentib. ve
ro curationis duobus menſibus, & ulce
F re fere ad cicatricem ducto, ecce æger
de ilio dextro circa ſpuriam primā co-
ctam conqueri cœpit, ubi tumor, ſed nō
admodum eminens apparebat, & cum
tuſsi æger ſputū, quale ex empyemate
emitti novimus, ſæpe excreabat, quum
tamen antea id nunquam ſpuerat. Ad
quem quum Romam veniſſem, & vo-
catus divertiſſem, rem ex toto contem-
plor. Chirurgos audio. Aderat autem iā
alter inſignis, & fama celebris Iacob. è
Peruſia. Vtroſq. tn̄ ancipites de loco a-
periendo, præcipue ubi tumor apparue
rat, comperio. At nos quū puris ſcreatū
perciperemus, quod ad pulmones tranſ
miſſum per tracheam arteriā foras pel
G lebatur, & locū tangeremus, in quo pus
latitaſſe dignovimus, homines in noſ-
tram traximus ſententiam, ac refectis
cū ſomno medicamentis evocato, tum
edulijs, tum iuſculis ægrotantis virib. in
aurora locū ſecundū coſtarū inceſſum,
ſcalpello incidi fecimus. Per quam inci
ſionem pus furibundè, magna in quan-
titate exivit, quod in pectoris cavita-
te cōtinebatur, erat autem inciſio inter
H primā & ſecūdā ſpuriā coſtā, ſeptū trāſ
verſum ſemper tn̄ cavētes, quia ortū à
prima trahat, turunda tandē ex albo &
ovi luteo optimè contuſis illita cōcinnè
immiſſa, & tertia curatione ex digeſti-
vo intincta, admoveri cœpit: ſed primo
lavacro p orificiū iniecto, & hinc inde
corpore, tanquā cupa lavāda commo-
to, pus cum prædicto lavacro (irritata
tuſsi) foras per orificiū trudebatur. Erat
autem

autem lavacrum, aqua hordei cum rhodomelle, cui quoq. sæpe vinum ex rosis & myrtillo confectum, adiungebatur. tamen internorum membrorum mala intemperies extirparetur, guaiaci decoctum ex uva passa Corinthiaca, & glycyrrhiza apparatū, semel in aurora, singulis diebus dabamus. At cum pus elapsis nonnullis diebus, pigre per orificiū exibat, canulam ex arantij folio, concinnatam immittebamus. Solet autem huiuscemodi cannula, non solum ex arantij, sed hæredæ quoq. folijs apparari, quā quam ex plumbo, & varijs alijs rebus fieri solet. Interiectis tamen nonnullis dieb. quū pus pl⁹ iusto exiret, lavacrum sequens paratum fuit quod per orificium injiciebatur, & ita habet, Recipe hordei libram semissem, lentium fabarum, myrtillorum, rosarum rub. ana pug. 1. thuris, sarcocollæ, myrrhæ, aloes ana unciam unam, in libris octo vini rubri fiat decoctio, quousque maneant lib. 6. & coletur. Cui pro arbitrio mel rosaceum colatitium, & quandoq. hordeacea adiungebatur, quo lavacro (ita enim appellare placet) non nisi calido per orificium iniecto, corpus, ut dixi, lavabatur, eo enim cum pure expulso cannula ex arancij folio, orificio (ut diximus) immittebatur, supra quam lineus pannus aliquando digestivo, nonnunquam vero ex minio unguento illitus admovebatur, & desuper vinum stypticum cum panno, aut spongia exceptum. Sed quū vires labi cœpissent, paulatim consumptus & tabidus factus obiit, elapsis octoginta dieb. a casu prædicto.

Curatio octuagesimatertia, in qua agitur de vulnere inter utrosque cerebri ventriculos penetrante.

CVM in duello duo robustissimi iuvenes extra urbem Romam di-

A gladiarentur, alter alteri per frontem ensem immisit, ex quo vulnere illico læsus in terram concidit, & cum humi prostratum tanquam mortuum vincens dereliquit, occurrentibus, tandem iudicibus, & spectantibus eum utcunque sublevarunt, & à diris cruentisque manibus rapuerunt, qui omnium medicorum, & chirurgorum assistentium consensu paucis horis ipsum expiraturum prædixere. Tam
B enim penetrans dirumque vulnus erat, ut cerebri substantia incisa, perforatave crederetur. Sed contrario evenit, quum nullo fragrante symptomate, intra quinquaginta dies ex toto æger sanus factus est, non sine tamen omnium admiratione, & medicorum pręcipue hæsitatione. Quum ita per vulnus specillum, quod tentoriam astilam vocant, ingredi animadvertebant, ut vulnus cerebri substantiam attigisset, eorum nullus ambigeret, sed ij revera quum vulnus inter duos cerebri ventriculos illatum esse ignorarent, admirabantur. Solet autem gladius inter utrosque cerebri ventriculos multum currere, sępeque
C penetrare, nullam cerebri substantiæ noxam inferendo, tametsi utraque meninx semper afficiatur, ut ægroto nostro evenit, & alij olim a nobis notato.

SCHOLIA.

MEDICVS, *vel Chirurgus qui ad corpus humanum accedit, & id absque membrorum, & particularum exacta*
D *dignotione curare contendit, haud secus reputandus est, quam faber lignarius, qui suffusos oculos habet, & ligna pro conficienda sella incidere tentat. Oportet igitur medicum, vel chirurgum in corporum dissectione apprime instructum esse.*

(†)

S *Curatio*

E

Curatio octuagesima quarta, in qua agitur de Hernia aquosa, ramice humorali dicto.

GAspar de Faria, nobilis Lusitanus, & Balthasaris de Faria, apud Iulium tertium summum Pontificem oratoris vigilantissimi frater, aquoso ramice laborabat, quē ijs notis dignoscebamus. Nam testiculus tumentior apparebat, quem quū comprimebamus, ipsum lucidum conspiciebamus, quo & lavato, ac candela accensa ex adverso conspecto, aquam intus contineri percipiebamus, quam Alfonsus Ferreus, Chirurgus hac ætate insignis, inciso scroto olim iam extraxerat. Solet autem morb. hic sæpe repullulare, prout nunc de novo aggregata aquositate dolorem, & solitam affectionem afferre cœpit. Ad eū igitur devenientes nos, purgatione habita, iterum per incisionem parti admodum scroto declivi factam, eam extrahere permisimus, postea vero iecore, ac internis membris ab intemperie per medicamentorum, & guaiaci decocti ebibitionem restitutis, liber & sanus factus est.

SCHOLIA.

SVadent chirurgi solicite admodum & dextre ut incisio in scroto pro aquoso humore deponendo fiat, & recte mea sententia. At quod non decliniori in parte scroti incisio hac fieri debeat, absurdum mihi videtur. Elevato enim in totum testiculo, incisio parti imæ adhibita securior evadit. Nec inde nocumentum oboriri hucusque animadvertimus. Sic enim in enterocelle, hoc est, ramice intestinali, ruptura vulgo dicta, fieri mandamus, non nisi prospero, & fœlici semper eventu, ut in hac diximus Centuria. Nec est, quod quis dicat, turundam per emissarium decliviori loco factum immissam, testiculum pungere, quum id à chirurgo diligenti cavetur.

(§)

Curatio octuagesimaquinta, in qua agitur de vulnere cuidam inflicto interfurculam & humerum.

PVgionem infixit miles militi ad humerum prope furculam, ad quē curandum cōvenit chirurgus, qui quū pugionem extraheret, & sanguinē concretum videret, ac vulnus pectoris cavitatem attigisse contemplaretur, incisionem inter tertiam, & quartam costam spuriam machinatus est, & docte F sanè. Nam sanguis admodū concretus in pectoris cavitate continebatur, qui per eā tantum de novo factam incisionem, foras fuit extractus, & eger intra quadraginta dies sanitati restitutus.

Curatio octuagesima sexta, in qua agitur de mendosa & falsa pleuritide.

LVdovicus Bobius, vir, ut eius attestantur monumenta, doctissimus, G ætatis suæ anno sexto supra septuagesimum, quum pleuritide falsa affligaretur, lotium lividum & subnigrum, innati calidi extinctionem indicans, mingebat, parum tussiebat, nihil spuebat. Occupabat autem dolor cor à iugulo pendens. At quarto die sternuit, sed nihil sputi, aut mucoris emisit, imo circa affectum locum acriter doluit, septimo tandem die obijt. Cæte- H rum ille, quum sibi vires labi contemplaretur, assistentibus se mori prædixit: nam & medicinam vir doctus, & senex callebat, & eam exercuerat. Cui bonæ indolis iuvenis quidam ex cubicularijs doctissimi domini Balthasaris à Faria Iohannis tertij Regis Lusitanorum apud Iulium tertium Pontificē maximū oratoris vigilantissimi, obiecit, bono esset animo, quū à docto curabatur medico.

medico. Cui ille submissa voce, sed prudenter respondit. Nonne magni illius Gal. tempore ægri moriebantur? Obiit autem prædicto die, non sine tamen pijssimi oratoris ingēti dolore: unicè enim amabat solito eo amore, quo doctos omnes, & virtute instructos prosequi consuevit.

Curatio octuagesima septima, in qua agitur de carneis excrescentiis circa anum enascentibus, quas cristas vulgus appellat.

PLures carneæ excrescentiæ, non solum mulieribus, sed puerulis, circa anum, enascuntur, quas nonnulli ex practicas scribentibus authoribus cristatas hemorrhoides appellare solent, quibus rhagades, hoc est ad earum radices scissuræ, similes ijs, quę in labijs ob boreæ flatum asperiorem accidunt, sæpe conspiciuntur. Pro quibus curandis carneis excrescentijs cum plures plura machinati sint, nos (varijs quoque tentatis pręsidijs) nullum securius, nec melius hucusque invenimus remediū, quàm eas forcipibus incidere: incisis enim paucis postea derelicta vestigia curantur: sed rhagades unguento de plumbo & alijs apprimè exiccantibus extirpantur.

SCHOLIA.

NEphandus morbus is est, quum ex naturæ ordinem pervertentibus rebus eveniat pulluletve. Cæterum contendebant nonnulli medici morbum hunc aqua, ex rebus apprime constrigentibus, ut alumine, & tartaro, ac sublimato confecta eradicare, veluti alij argentariorum aqua forti. Sed mea sententia curandi via a nobis tradita cæteris securior est, quum parvum dolorem, & symptomata ferè nulla secum trahat, ut experientia longa comprobatum habemus.

A

Curatio octuagesimaoctava, in qua agitur de Scirrhoso tumore uteri os occupante, ac de ipsius uteri eversione & symptomatibus mensium tempore evenientibus.

MAria Ricia, mulier nata annos quinq. supra viginti, & quæ Romæ multis prostat, olim solita parere, quum imprægnari desineret, mensium tempore ingentissimis doloribus cruciabatur, quos consequebātur spasmus, animi deliquium, & universi corporis algor. Succingebant autē dolores imū ventrem ad renes usque, quorum causam medici Romani inquirentes, talem referebant. Nam, quum hæc nephritide corripi solita erat, eo tempore, quo menses fluunt, uterus tumet, & amplior redditur, ob cui⁹ amplitudinē, ureteres & via à vessica ad pudenda usq. tendentes, coarctabantur, ac sic arenulis descendentibus à renibus via intersepiebatur, unde dolor oriebatur pullulabàtve. Item quod sanguine menstruo obstructæ, ac coarctatæ viæ inferiores, arenulæ impeditam viam invenientes, per quam liberè solitæ erāt percurrere, continui solutionem faciunt, & dyscrasiam, unde oritur dolor & cruciatus, ad quos consequuntur uteri convulsio, animi deliquium, & per universum corpus algor. Contra quas affectiones omnes fere Romani medici multa tētarunt remedia & varia adhibuerunt medicamenta. Sed frustra, quum ægrotans nullum ex illis consequuta fuit auxilium. Sed indies magis, & magis prædictis doloribus, & symptomatibus (mensibus per triduum fluentibus) cruciabatur. Ad eam igitur vocatus imprimis iubeo duas nō nisi disertas & bene instructas obstetrices accersiri, ut ei⁹ matricis os apprime obstetricando, discernerent, viderentq. nunquid mali in

eo latitaret occultareturve, quæ prudẽtes & ex præcipuis obstetricibus Rom. quum essent, & tales quales Hippocrates sæpe desiderat, hanc ipsam tuberculum durum ciceris magnitudine in uteri ore pati significarunt, quo audito, in mentem subijt, hanc scyrrhosum quendam tumorem in uteri ore habere, qui eo tempore, quo menses fluebant, tumebat, & omnia vascula circa eum contẽta, sanguine menstruo perampla facta, dolores gravissimos patiebantur, ad quos uteri versio seu complicatio, quæ non aliud est quam uteri cõvulsio, spasmus dictus, consequitur. Quippe commotus ac sævis doloribus irritatus uterus, sua expultrice facultate obnoxia expellere conatur, quem uteri motum cõvulsio, animi deliquium, sensus & motus privatio, faciei & omnium membrorum frigus consequuntur. Morbi igitur causa comprehensa, quum pinguedinibus emollientibus circa locum & fomentis varijs sæpe uteretur, ac guaiaci decoctum ebiberet, si non ex toto, ex parte tamen allevata est, nec tantum, quum menstrua fluunt, ut solebat, cruciari solet nunc.

Curatio octuagesimanona, in qua agitur de muliere abortiente.

VXOR Iulij Folchi apud Romam procuratoris disertissimi, quum utero gereret, tertio mense fœtationis semper abortiebat, & in vitæ discrimen veniebat. Cuius abortus causam inquirens ipse, comperio hanc temperatura sanguineam & biliosam esse, in qua quum multus sanguis biliosus, & acutus superabundabat, vasculorum ora fœtum alligantium, sua acutie & punctione aperibat, & disrumpebat, unde abortus sequebatur. Quod malum præcavere volentes, iussimus quum uterum gereret, & perturbari ac angi cœ-

E pisset, illico (vel medico absente) cubiti mediam venam (communem vocant) secare, sanguinemque ad semilibram extrahere iussisset. Quæ quum postea sic cautè & providè debito tempore sanguinem demeret, illi partus felix & prosper semper subsequebatur, nec enim evacuationes ante uteri gestionem factæ quicquam auxiliabantur.

SCHOLIA.

F *TAMETSI sanguinis extractio per venæ sectionem prægnantibus, ut quæcunque altera evacuatio, periculo est, nihilhominus tamen primis mensibus sanguinis missio securè exerceri in eis potest, ut testatur Galenus enarratione aphorismi illius. Vtero gerentibus venæ sectio periculosa est, & eo magis, quo grandior fœtus fuerit, quia puer, quo minor, minori indiget alimento.*

Curatio nonagesima, in qua de morbo comitiali, ob malum nuntium, subito eveniente.

G

REVERENDA monacha apud cœnobium sancti Sixti Romæ, & nata Friderici a Palma, nondum vigesimum ætatis suæ annum attingens, quum fratrem suum emortuum subito acciperet, illico humi cecidit, & tanquam mortua per horam integram mansit, quæ postea utcunque revocata, comitiali morbo graviter cruciari cœpit. Quo morbo bis & ter, & am-
H plius singulis diebus torquetur, non tamen ad os spuma refertur, quia nondum sævus & crudelis sextum superexcesserat mensem.

§.

Curatio

Curatio nonagesimaprima, in qua agitur de dolore hæmorrhoidum cæcarum.

ROMANA quę ad pontem sancti Angeli habitat, quum uteri procidentiam pateretur, de hæmorrhoidum dolore querebatur. At quum illi multa & selecta medicamenta admota essent, quibus non iuvabatur, ad balanum ex sepo hircino cum opio confectum confugimus, quo dolor evanuit, nec postea redijt. At posteà calidis roborantibus locum, prout post admota stupefacientia fieri solet, fovimus.

Curatio nonagesimasecunda, in qua agitur de egregio quodam remedio ambustioni dicato, ex Indico medico accepto.

INTER selecta medicamenta combustionibus facientia, sive ab igne, vel aqua fervente, aut aliqua alia procatharctica causa eveniat, hoc primatū obtinere certum est. Qnod habet sic, Lauri folia accipies, super quæ porcinam pinguedinem ignitam de alto cadere facies, quousque folia ipsa in cinerem vertantur. Eo vero cinere pinguedine obvoluto, ac in unguenti formam redacto, combustam particulam inunges, bisq. in die renovabis, & eam intra tres dies sanam reddes.

A

Curatio nonagesimatertia, in qua agitur de sanguinis mictione critica.

IVVENIS robustus, floridus, & sanguineus quum sanguinea febre afflictaretur, & pluries illi sanguis esset extractus, sexto die sanguinem cum urina minxit, & sanitati restitutus fuit. Admirabantur autem assistentes omnes, contendebantque nonnulli alij medici, qui illius quoque curam habebant, de sanguinis suppresione. At nos, quum crisim per eam viam a natura factam conjectaremus, & ægri vires inde non labefactari perciperemus, rem in totum securam & ægrotantem liberum, & à morbo immunem esse prædixim⁹. Solet autem crisis hæc huiusmodi in febribus, aliquando, licet raro contigere.

B

Curatio nonagesima quarta, in qua agitur de diabetis curatione.

C

QVI meratioris vini potui indulgebat Romanus, & chretami, id est, fœniculi aut petroselini marini dicti, muria conditi largiore victu usus est, in diabetem affectionem lapsus fuit. Nam quicquid bibebat simul & quale assumebat per urinam reddebat, & intentissime sitiebat. Ad quem quum conveniremus, & morbi causam perpēdisse m⁹, ea procatharctica abnegata, quæ antecedentē movet, salsuginosum humorē & mordacem evacuari & obtundi

D

curavimus. Evacuavimus autem cum syrupo rosato solutivo, de cichorea cum rhabarbaro, myrobalanis citrinis, & pauco agarico, obtudimus vero ipsum ptisana, ovis sorbilibus, halica, carne hędina & vino paucifero. Sed ut retentrix renum facultas, quæ omnino imbecillis erat, restauraretur singulis diebus in aurora potum sequentem dabamus.

E Recipe Syrupi myrtillorum, rosati de rosis siccis, ana unc. semis trochiscorum de terra sigill. de spodio Arab. ana scrup. 1. aquarum capitum rosar. plantaginis, corrigiolæ, ana unc. 1. Misce. Quin & renum regioni exterius ceratũ ex acacia, hipochistide, mastiche, thure, bolo armeno, ladano, & resina confectum applicuimus, & intra duodecim dies sanitati fuit restitutus.

SCHOLIA.

DIABETES transitus urinæ continuus est, aut verius potionis non mutatæ, ut F *lienteria cibi, à renum intemperie calida, cum siti inexpleta inveniens affectus, qui raro venit, ut cum Galen. bis tantum vidisse testetur. Nos autem alterum novimus in hanc affectionem ob largiorem farciminis piperati esum incurrisse, qui quoque facile fuit recuperatus, & sanitati restitutus. Fit autem affectio hæc, ut dixi, ex renum retentricis facultatis imbecillitate, attractricis autem tanto robore, ut totum corpus ob ingentem calorem exhauriat. Iusté igitur renum passio & affectus diabetes appellatur, quia sic affecti renes ad se corporis totum humorem attrahunt. Quem sua imbecilli reddita retentrice facultate retinere non valent, sed tu-* G *multuatim in vesicam eum exonerant, & consequenter foras transmittitur. Vnde ab aliquibus passio hæc (Galeno teste) capite ultimo libri de Symptomatum differentia, aqua inter cutem ad matulam appellabatur, veluti urinæ fluor seu lævitas, aut ob inexplebilem sitim, dipsacos.*

Curatio nonagesimaquinta, in qua agitur de documento habendo in pano, sive inguinis tumore curando, & quod lignum Guaiacum, buxus apud nos nascens, sit. H

LVDOVICVS Bononiensis extra urbem Ro. ad 50. miliaria commissarius, bubone in inguine pano dicto vexabatur, pro quo propulsando (integro ipso existente) pharmacum medicus quidam illi obtulit, à qua pharmaci bibitione æger peius sensit, & crustosis ulceribus eius universum corpus fœdatum fuit. Caveant igitur medici, bubonibus integris stantibus, pharmacum (saltem forte) patienti ne tradant, ne scilicet vitiatam materiam foras naturæ beneficio propulsatã, introrsum denuo revocent, quum inde priori morbo alij graviores oriantur. Oportet igitur cocta utcunq. primò materia, eam per incisionem expellere, ac aliquandiu ulcus apertum sinere, ut pus dirum per fluxionis emissarium affatim emanet, quo peracto, mox purgationes tutò exhiberi possunt. Bubonibus ergo in pestica lue apparentibus, medici à medicamentorum purgantium propinatione abstinerẽt, pro posse suaderem. Nec enim unquam mihi placuit, id quod nõ nulli machinantur, scilicet post epotum pharmacum, potens emplastrum aut cucurbitulam tumori divertendi ratione admovere. Cæterum ægroto nostro, post eius tumorem abscissum & universum eius corpus per medicamenta evacuatum, buxi nostratis decoctum eo modo apparatum, quo guaiaci conficitur, dedimus, & intra triginta dies sanitati fuit restitutus. Est enim lignũ guaiacum ex insulis noviter repertis advectum idem quod buxum Europęi appellant, ut conferenti manifestum evadet. Proinde viribus respondere, ab re non est. De quo tertia Centuria, quũ dabitur occasio, sermonem faciemus.

Curatio nonagesima sexta, in qua agitur de puero octo annorum, continuo febriente, cui cubiti secta vena fuit & sanus factus est.

FILIOLVS mercatoris opulenti, qui ad viam peregrini habitat, natus annos octo, quum continuò febricitare

taret, & à medicis pro deplorato relinqueretur, nos (contradicentibus præcipuis Romanis medicis) illi internam cubiti venam secare fecimus, & sanguinem ad uncias quatuor fluere permisimus, & illico melius habuit. Et intra paucos dies ex integro sanitatem adeptus est. Porrò asſiſtentes medicos ad Cẽturiam primam harum curarum noſtrarum relegamus, in qua hæc ad amuſim expoſuimus.

Curatio nonagesima ſeptima, in qua agitur de experimento facili & indubitato pro quartana propulſanda.

B

CVM contra quartanam multa non ſolùm à medicis, sed popularibus & vetulis machinata ſint, nos præter quòd die paroxyſmi propinato pharmaco plures ſanitati reſtitui fecimus, ut prima Centuria diximus, nunc quia in hoc leviſsimum & ſecuriſsimum experimentum incidimus quod quiſque experiri poterit, literis mandare placuit, quod habet ſic. Cùm frigore quartanarius torqueri cœperit, cyathum ſtillatitiæ aquæ roſarum ebibat, quo multa & bilioſa evomet, & ſanus evadet. Ita enim multis eveniſſe obſervavimus. Proximum eſt hic citare aliud contra quartanæ ingens frigus, remedium, quod ex Galeno habetur, & alijs poſt eum medicis, ſæpe à nobis in uſu habitum, & pro vero compertum, grana quinque, vel ſex piperis integra deglutienda, frigoris tempore, ægrotãti cum pauco vino generoſo dabis. Quo auxilio repetito, æger bene habebit, ut noſtro intervenit ægrotanti, cui quartana per tres deſijt paroxyſmos.

C

D

A

Curatio nonageſimaoctava, in qua agitur de ſingulari quodam topico medicamento ſcabiei cruſtis & lepre conveniente.

INTER topica remedia ſcabiei convenientia, hoc primatum obtinere, tanquam expertus, confirmo, quod habet. Rec. Radices enulæ campanæ viridis libram mediam, pinguedinis porcinæ uncias quinque, in mortario marmoreo piſtentur, & ad lentum ignem parum ebulliant, & fiat unguentum, quo æger puſtulas inungat. Eſt enim admirandæ virtutis unguentum hoc, ut incantamento ejus opus ſimile videatur. Cujus vires ſi expertus fueris, nobis conſenties.

Curatio XCIX. in qua agitur de catapotijs fortibus nihil ventrem ſubducentibus.

VIR cui catapotia fortia, hoc eſt, de lapide lazuli, cianeo dicto, confecta propinata ſunt, nihil egeſsit, ſequenti verò nocte, à levi deglutita pilula, multa nigra & melancholica per inferiora emiſit, & bene habuit.

SCHOLIA.

OB catapotiorum & medicamentorum fortium potentiam, natura eorum actuationem non agreditur, ſed ea potius refugit, & deſerta relinquit. Propinato vero levi poſtea pharmaco, ex accidenti concoquuntur, & opus ſuum conficiunt, ut ſæpe contingit, & practici norunt.

Curatio

Curatio centesima, in qua agitur de quodam, cui per narem sinistram sanguinis viginti libræ effluxerunt.

ANtonius Correa nobilis Lusitanus, quartana febri jamdiu affligi cœpit, qui quum eam graviter ferret, ex Mediolano Romã venit, ubi quum à morbo ob rigidam hyemem, & iter longum gravius corriperetur, illi repen G te sanguis è nare sinistra effluere cœpit, & ita copiosè, ut intra quinque dies libræ viginti effluxerint, adeò ut de funere potius, quam de ejus salute cura inter domesticos jam esset. Cæterùm inter cætera huic opitulantia remedia, H hæc potisimùm juverunt. Cucurbitula splenis regioni admota, & gelida testibus applicita, & sæpe innovata. Porrò E interea dum sanguis effluxit, quartana cursum suum dimisit. Sed postea elapsis paucis diebus redijt, & eam nunc ut antea patitur, temperatura enim biliosa exusta prædictus hic est.

SCHOLIA.

F *Sanguinis vigintiquinque libras, parum plus, vel minus, in homine bene dispesito reperiri Avicenna est author, ex isto vero capitaneo libræ viginti, non nisi intra quinque dies fluxerunt, in quibus cibo & potu potissimum reficiebatur, ut hujus rei est testis Andreas Lacuna, qui nobiscum in hac curatione quoque erat. Dianam Estensem illustrissimam mulierem Ferrariæ novimus, à quibus naribus sanguinis libræ vigintiduæ prodierunt, & tanrice valet, ut quoque illius Brasavola commentarijs Aphorismorum tertio meminit. Et hic secundę Centurię est finis. Romæ Iulio tertio Pont. Max. vigente, primo Aprilis. M. D. LI.*

FINIS SECVNDÆ CENTVRIÆ.

AMATI

AMATI LVSITANI MEDICI PRÆSTANTISSIMI CVRATIONVM MEDICINALIVM,

CENTVRIA TERTIA.

Curatio I. In qua agitur de hectica, simulq. de marcore, sive tabe.

ROMANVS juvenis, temperatura biliosus, post elapsam hyemẽ, in qua â febribus graviter correptus fuerat, & jam liber videbatur, malè habere A B cœpit, nam de capitis dolore querebatur, male ad oblata se habebat, tumultuose dormiebat, nec se febricitare dicebat. Hujus igitur malas affectiones inquirens, cum hectica febre laborare deprehendi. Primò is in dies gracilior cum corporis totius non solita ariditate evadebat. Secundò, ejus calor primo C quidem tactu mitis, processu verò acer, mordax, siccus, cum quadam scabritie percipiebatur. Tertiò, post assumptum cibum, una vel altera interposita hora, calor (ut ipse referebat) ad horam illi intendebatur, & pulsus ita esse attestabantur, quia magnitudine & velocitate D allato cibo augebantur, indicium omnibus hecticis febribus proprium & inseparabile, ut sæpè repetit Galenus libro primo de differ. febrium cap. 9. & lib. De marcore, sive tabe conscripto, & decimo Methodi med, quanquam id omnibus febribus commune esse, prædicto De diffe. febr. dicat, de qua re in scholio plura & lectu digna dicentur. Quartò, continuè febricitabat, tametsi febricitare non se sentiebat, quia febris hectica cum uniformis sit, & æqualiter calore quodam miti ab initio ad finem usque semper affligat, & nullas habeat excrescẽtias, aut insultus, accessionelve ab ægroto non percipitur, imò illi quia connaturalis facta, habitualis dicitur: sunt tamẽ huic febri pulsus varij, prout primam, vel secundam, tertiamve speciem attingit, sed cum hoc hecticis nũquam adest nec magnus nec vehemens pulsus, ut tradit Gal. lib. 3. De præcognitione expulsu, nostro tamen ægroto pulsus aderant non admodum debiles, cum quadam tamen percepta duritie. Nam debilitas vehementem sequitur febris intemperantiam, durities autem ariditatem. Vt tunc igitur venabamur, & cõjectura assequebamur, juvenis hic primum gradum, (vel si magis appellare placet, primam speciem) hecticæ, & initium secũdæ ingressus erat, esus egestiones & urinæ, pinguedinem quandã

præ

præ se ferebant, de quibus in scholia varia habentur. Morbo igitur percepto, ac temporis constitutione considerata (properabat enim veris initium) sic curationem orsi sumus, unum Galenianum ante oculos proponentes, ex libro decimo Methodi medendi, depromptum, quod febris hectica ut optimè curetur nullum vel minimum erratum admittit. Quo fit, ut medicus in ejus curatione solicitus admodum esse debeat, aliter dubio procul cuncta quæ fecerit, pessum ibunt. Quum universa curandarum hecticarum ratio, Galeno authore, in refrigerando & humectando, non solùm per ea, quæ intus sumuntur, sed etiam per ea quæ foris admovētur, consistat, operæpretium erit, hic narrare ordinem, quem pro hoc restituendo juvene servavimus. Primo igitur eum in aere frigido & humido decumbere fecimus, admonendo ut ejus cubile commodam haberet latitudinē, & culcitra mollis esset, lana & non penna plena, ob cujus inadvertentiam nonnulli æstate in gravissimos incidunt morbos, ardentissimas febres, & fixam, sive hecticam, ut filiæ Trauli evenit, quæ quia canicula vigente, supra culcitram penna cōsitam dormiebat, in corporis totius maciem, & febrim hecticā lapsa est, quę vel nullo labore, cum morbi causam deprehēdissemus, libera evasit, stragula quoque albissima sicut decet, & minimè sordida, quæ sæpe immutari debent, quanquam id Teutones hodie Barbanti dicti detestentur, non solùm in hoc, sed quovis alio morbo, quos nos sua barbarie hac præsertim in re detentos, rejicimus, aliàs autem homines sunt politici & civiles. Et ut autē de ijs paucis dicimus, ita in cæteris, apparatus decens sit suadeo, pro ægrotantis divitijs vel paupertate. Cibus huic oblatus, eisdem qualitatibus præditus erat, quibus aer, sed succi optimi, quem singulis quatuor horis sumebat, semel verò hectica laborantes magna ciborū ingerere copiam, malum est, nam ijs omne nimium pessimum est, præcipuè quod vires resolvere potest, ut immodi-

E cus cibus, frequens motus, magnū exercitium, & similia. Erant igitur cibaria huic concessa, contusum ex carnibus caponum, pullorum gallinaceorum, hædi, & nonnunquam juvenculæ bovis lactantis, non nisi frigidis seminibus apparatum, cui sæpe cremoris ptisanæ tertiam partem misceri mandabamus, ijs faciunt volucres montanæ, phasiani, perdices, francolini & similes, quanquam domesticarum carnes in hoc casu libentius admitto, sed jurulentæ carnes prædictæ, non nisi lactuca, aut malva, aut intybo parabantur. Nam cucur-
F bita magnam in hoc casu prærogativā habet, quibus jurulentis carnibus ovi luteum & album pauco omphacio concussa misceri faciebamus, veluti aromatum vice coriandrum viride, aut siccū paulo croco pistum, cætera verò aromatum genera, ut venenum fugiebat, pisces porrò petrosi tam marini, quam dulci aqua natantes, à nobis lubentissimè & liberaliter illi concedebātur. Sed fructus ex horarijs hoc tempore non comperiuntur, concedi tamen possent uva, ficus, melopepones, malapunica,
G cerasa, pruna, & similes. Ex sole autem siccatis elargiebantur, pruna, cerasa, amygdalæ, pistatia, & pinea præcipuè saccharo parata, martij panes, semen melonis saccharo incrustatum, amygdalæ saccharo coopertæ, & huius generis saccharo confecta bellaria, & tragemata. Potus aqua hordei erat, aliquādo verò vinum, & illud quidem paucisferum prædicta dilutum aqua. Cætera verò quæ ad res non naturales faciunt, quia consultò prætermittimus, ad me-
H dicamenta descendamus. Coincidunt febres hecticæ cum ephemeris in curatione, quod utræque alterātibus potius quàm solvētibus medicinis propulsantur, quo factum est, ægrotum hunc nostrum præter à cassia, & manna, ipsum omnino abstinuerimus, cùm enim alvus adstricta est, & ipsam fluidam & obedientem reddere cupimus, mollib. clysteribus id complemus, hieram, & medicamenta ex aloe, veluti cætera exiccantia medicamēta fugientes, mor-

bus

bus hic, cum potissimum à corde originem trahat, dein à jecore, aliquando verò ab stomacho, factum est, ut cùm hujus stomachum & jecur contrectaremus, circa venarum meseraicarum regionem nonnullam persentirem tensionem, ad quam intendere justum quoque erat, tametsi hectica febris simplex erat, putridæ non mista, nec complicata. Primò igitur ut æger in aurora biberet, sic paratum fuit. Recip. Pimpinellæ, endiviæ, cicoreæ, lactucæ, ana. m. 1. hordei lib. mediam, florum borraginis, buglossi, violarum, rosarum, nimpheæ ana drachmam unam, prunorum Damascenorum num. x. Mixariorum, id est, sebesten numero xv. In libris sex aquæ fiat decoctio, quousque maneant libræ quatuor, & per manicam trajiciantur. R. prædictæ decoctionis unc. iiij. syrupi de cicorea simplici, nenupharini, ana unc. j. misce, fiat syrupus, & quater iteretur, elapsis vero tribus horis, post syrupi potum, duo ova ex aqua rosacea tremula illi edenda modico saccharo respersa concedebamus. Sequentibus verò alijs duabus horis, ad balneũ ipsum trahebamus, dulci aqua composi tum, qua incoctæ hæ erant herbæ, malva, folia nimpheæ, lactucæ, violarum, endiviæ, cicoreæ, & similium, in quo temperatè calido balneo per semihorã morabatur, caput semper ab irrigatione cavendo. At quum à cortina, tina vulgò dicta, primo egressus fuit, eum totum frigida aqua conspergi feci, suadet autem Galenus, decimo Meth. medendi libro, quod hectica febricitantes, qui ad balneum accedunt, nisi in frigidam sint dimissi, nihil juvantur, cæterum, cum hic ægrè aquę frigiditatem ferret, sequẽtibus diebus ex cortina eductum, calido syndone leniter ab assistentibus abstergi commendabam, & hoc unguẽto illini. R. Oleorum nenupharini, violacei, de cucurbita an. unc. j. butyri recentis salis expertis unc. j. & s. cum cera alba, quãtum sufficit, ad ignem fiat molle unguentum, quo universa ejus membra inungantur. Hujus porrò unguenti vice solet apponi unguẽtum violaceũ,

A rosaceum, nimpheæ, de lacte & medullis compositum, adjectis mucaginibus tragacanthæ, psilij, & seminum cydoniorum. Sed linitiones hæ solis oleis quoque fieri solent. At cum universum corpus prædicto unguento illini dico, hujus jecur ex santalino, veluti cor ex nenupharino foveri, intelligatis velim. Nam os ventriculi cydoniorum oleo roborabatur, fieri autem solent pro corde & jecore alterando epithemata, quę medici arbitrio parari possunt, nos tamen unguentis prædictis opus complevimus. Si quando tamen epithemata

B parari debeant, sic parentur suaderem. Pro corde epithema refrigerans, & humectans. Reci. Aquarum nenupharis, lactucæ, violarum, rosarum, ana unc. iiij. aceti optimi unc. ij. cãphoræ scrup. ij. croci gr. iij. santalorum rubeorum drach. j. & s. specierum diamargaritonis frigidi, drach. j. Misce, fiat epithema, & frigidum cordi ex panno rubro, vel zendalo, admoveatur, & sæpe innovetur. Pro jecore epithema. Reci. Aquarum cicoreæ, endiviæ, rosarum, ana un. iiij. aceti rosati unc. j. & s. specierum

C diarhodonis abbatis drach. j. omnium santalorum, ana drach. s. rasuræ eboris scrup. ij. Misce, fiat epithema, quod jecori sæpe admoveatur. Cæterùm ægrotus noster cum post balneum inunctus lecto decumbebat, nostris monitis pro tunc nõ dormiebat, quia à balneo somnus maximè exiccat, ut meminit Galen. lib. 14. Methodi med. cap. 15. & lib. 6. De tuenda valetudine, imo potius cũ parum requievit, illi cibum obtulimus, ac primo ex capi pulpamentis, contu-

D sum saccharo, amygdalis, & frigidis seminibus paratũ ebibit, post quod ejusdem capi jurulentarum carnium non nihil degustavit, & ultimo pino saccharato prandium clausit, & ex hordeo aquam ebibit, quandoque julepo violaceo admixtam. Sequentibus verò singulis quatuor horis cibum repetebat, quia quæ corpora sicca & extenuata sunt, cibarijs & longo somno humectentur, & reficiantur, decet. Sic enim noster hic æger per quatuor priores gubernatus

dies,

dies, quinto sequenti hoc ebibit pharmacum. Recip. Mannæ electæ uncias tres, in jure pulli gallinacei lactuca alterati, q. suff. misce, quod per horam ante prandium hausit, & eo alvus optimè respondit. Sequentibus verò diebus, ita à nobis gubernatus, intra mensem sanitati fuit restitutus. Singulis igitur auroris primo ptisanam optimè coctam & saccharo bene concinnatam illi propinabamus, cujus vice quandoque amygdalarum colatum, nonnunquam verò integrum, hoc est, non colatum, veniebat, veluti capi aut gallinę jusculum lacte. Sic enim cibum immutandum pro ægrotantis appetentia suadet Gal. lib. 7. Meth. medendi, à cujus potu, duabus interpositis horis, ad balneum eum trahebamus, quale superius descripseramus, quanquàm & capite vervecis, vel intestinis, aut pedibus optimè discoctis parati quãdoque illud faciebamus, quo per mediam horam morabatur, & illicò cum ab eo exibat, non aqua frigida persundi & irrigari permittebam. Sed tingi potius universum ejus corpus panno aqua frigida immerso, ac postea pannis calidis leniter abstergi, & prædicto unguento ungi mandabamus. De corde porrò, jecore, ac stomacho, soliciti admodum semper eramus, prędictis cũ unguentis, tum epithematis, ad solitam temperiem ea reducendo, à balneo verò cùm parum requieverat, lac asinæ unius libræ pondere, recens emulctum, cum uncia una vel altera sacchari fini permistum elargiebamur, erat autem asina ex qua lac sumebatur, boni habitus, crassa, florentis ætatis, nigri coloris, quanquam color ad rem parum vel nihil faciat, sed hæc nigra erat, cujus curam Galenus lib. 7. Methodi medendi, maximè optatam describit, & prosequitur, commendatq. optimis, sed præcipuè frigidis & humidis nutrimentis asina hæc alatur, & ab ea pullus quem lactat deponatur, cui lacti Galenus mel miscendum suadet. Sed nos illius vice, ne in ventriculo in caseum densetur, saccharum inspergimus. Cupit autem Galenus, illico post balneũ ut lac ægro

E tanti detur, cum majus inde juvamen sequatur. Quatuor verò elapsis horis à lactis potu, carnium contusum modo à nobis citato, paratum dabamus, nonnũquam pisces petrosos dulcis aquæ optimæ paratos, vel jurulentas carnes, non nisi optimi nutrimẽti & succi, cum quibus sæpè testudinum nemoralium, & cancrorum fluviatilium pulpamẽta coquebantur, nam á testaceis marinis omnino abstinebat. Super quæ nutrimenta, pino saccharatum, vel Martij panes, vel diacitoniten saccharo, & absq. speciebus paratum comedebat. At sex in-
F terpositis horis, iterũ eũ ad balneũ trahebamus, quia eo maximè oblectabatur, à quo extracto, & ut dixi, gubernato, iterum illi subitò lac asininum dabamus, cui antea & postea quoque confectiones restaurantes dictas, offerebamus, quas liquidiori forma apparatas magis hoc in casu laudamus, quia citius concoquuntur, digeruntur, apponuntur, uniuntur, & assimilantur, quã quæ solidiori forma parari solent. Pluribus igitur diebus sic tractatus, sola hordeacea pauco cum iulepo violaceo mista aqua, in potu contentus bene se habuit, cuius vice postea vinum pauciferum, olygophoron dictum concesG simus, ac intra mensem ex gracili & hectico, crassus & rubicundus est reditus.

SCHOLIA.

DICVNTVR *febres hecticæ, sive habituales ut refert Galenus libro primo. De differentijs febrium, capite septimo, quia firmæ atque fixæ perinde habitusfunt, vel quoniam corporis habitum comprehenderunt: sic enim partes solidas vocitant medici. Cæ-*
H *terum febres hæ hecticæ rarissimè à principio oriuntur, ut meminit Galenus libro tertio De præcognitione ex pulsu, & eo magis in pituitosa & humidiori temperatura, adeo, ut testetur ipse libro primo de differentijs febrium capite nono, quod nullus eorum, qui habitu corporis sunt humidiori, statim ab initio huiuscemodi febre correptus fuerit: utcunque tamen se res habeat, Gal. ubi seriò, & ex proposito de hecticarum giguendarum loquitur*

tur modis, eas aliquando à principio nullo præcedente altero morbo introduci tradit, pro quo scire licet, quod febres hecticæ magna ex parte ardentibus febribus solent supervenire usque adeo productis, ut humorem in corpore cordis contentum absumpserint. Quanquam fieri etiam possunt manente adhuc humido, cordis corpus occupantes, & hinc includuntur, quemadmodum lucernarum flamma ex funiculo, superstite adhuc in lucernis oleo, hic autem unus est modus febrium hecticarum gignendarum, ad quem hecticæ febres, quæ ex varijs alijs affectionibus oriri solent, reduci debent, ut ex phtisi, empiemate, diuturnis nobilium partium inflammationibus, diarrhœa, lienteria, colo, & similibus, quia ex harum oborta putredine caliditas præternaturalis cordis corpus quoque occupat, unde febris hectica hæc oritur, citra enim corporis cordis apprehensionem hecticam febrem gigni est possibile, qua de causa febres pestilentes non paucæ ab initio hecticæ sunt, quia utriusque communis sedes, cordis corpus est, ut meminit Galenus libro tertio De præcognitione ex pulsu, & hæc fortè præcipua est causa, ò viri prudentissimi, ob quam pestilens febris à putrida differt, quia putridę subjectam humores sunt, pestilentis vero, cordis corpus, cujus rei Galenus libris De diffe. febr. nullam penitus mentionem fecit, cæterùm febres hecticæ, á totius corporis unaquaque parte ortum trahere possunt, potissimum tamen à corde initium habent, secundario à jecore, tertio vero ab stomacho, nam à pulmonibus rarissimè eas pullulare percipimus, quia continua flabellatione, ut meminit Galenus libro de Marasmo, refrigerantur. Secundus modus gignendarum febrium hecticarum est, quando à principio, nullo pręcedente altero morbo, febres hæ hecticę corpora invadunt humana, & tunc similem cum ephemeris habent ortum, videlicet, aut ex ira, aut tristitia, aut lassitudine insigni, aut ardore solis, aut longa contracta in balneo mora, aut hujuscemodi alijs varijs, quæ longum esset percurrere. Sed hujus generis hecticæ natura sicciores homines potissimum invadunt, ac præsertim si temperiem etiam calidiorem sortiantur, vitamque degerint in laboribus, vigilijs, curis, tenuiq. victus ratione, ac magis in æstate, statuque temporis calido & sicco, & loco consimili. Cæterum, tametsi febres hæ in initio perceptu & cognitione difficiles sint, curationis verò facilimę, successu vero contrario modo, eas tamen investigare & dignoscere docuit idem Gale. citato De diff. feb. lib. quem hic paululum interpretari, ut tyrones addiscant, non ab re fuerit. Si quis igitur febri corripiatur, quam pręcesserant, conspicuę & procatarcticæ causæ, videlicet ira, vel tristitia, dolor ingens, vel immoderatus labor, aut ardor æstivalis, vel hujus farinæ aliqua causa, tunc si febris ipsa ad sequentem extendatur diem, neque integré desinat, neque exasperetur magis, ariditatem tamen majorem in corpore representet, talem hecticam futuram suspicaberis, quod si & in tertio die sine cibo permanere voluerit ęger, donec tertianæ accessionis pręterierit horas suspectas, nihilque effatu dignum priori accesserit febri, aut imminutum fuerit, sed tantummodo quædam exiguæ reliquiæ primę febris procedant, permaneantque cum ariditate corporis & caliditate, quæ primo quidem tactu mitis sentiatur, processu verò acris, mordax & sicca, hujuscemodi febrem hecticam esse existimandum est, sed id indubitanter, si accepto cibo ęger incalescere tradatur, quę progressu temporis citò ad tabidam convertetur, nisi rectè curetur, dignoscetur porro primi hujus gradus in secundum lapsus, quum primum citatę notę potentiores fuerint redditę, item quia pulsus debiliores, & duriores indies percipiuntur, quibus adde, quod medio primi gradus, & initio secundi, ea quę per alvum & urinam mittuntur, pinguia sunt, à corpore colliquata, quę temporis successu non amplius cernuntur, quia adeps & moles carnes jam defecerunt, & tunc pręduræ & ægré liquabiles carnes exsiccantur, à quibus ob ariditatem nihil, vel notatu dignum defluit, & tunc marasmus prævalet, certa ad obitum via. Sed jam nunc illustrioris doctrinę gratia inquiramus, an Galenus tres hecticarum in sua doctrina perscripserit species, vel duas tantum, aut duntaxat unam, per gradus tamen distinctam. In primis qui unam tantùm hecticarum speciem esse contendunt, huic innituntur rationi, quia ut variæ sint species, varijs adhęreant corporibus, vel saltem distinctis subjectis opus est. At cùm febris hectica corporis solitas partes comprehensas habeat, vel potius cordis corpus, consequens est, ejus unicam tantum esse speciem, si quæ tamen in ea comperiuntur differentiæ, eas majori vel minori tribuunt exiccationi, numero tres. Verumenimverò, qui duas tantum admittunt species, huic innituntur rationi, quia quum febris hectica secundum in corpore vigentes humiditates fiat, & apud Galenum duæ tantum secundę humiditates circunscribantur, altera roralis, altera vero innominata, glutinosa merito appellanda, quia ut nutrimentum membris similetur, prius illis agglutine-

tur necesse est, fit inde ut duæ tantùm species
ad ejus mentem reponantur. Porro qui hecti-
carum tres specięs, per tria corpora, sive sub-
jecta, forma substantiali distincta, cum Galeno
distributa admittunt, ij mea sententia cæteris
cordatius loquuntur, ut ex ipsius dogmatibus
in pręsenti indicabimus. Quanquam Paulus
Aegineta maximus Galeni imitator, nihil
de hac re, pręter ejus consuetudinem, operi
suo inseruerit, fortè Galenum dubium hac in
re advertens. Nos igitur rem ut decet, mon-
straturi, Galenum ipsum in primis adduca-
mus ex libro decimo Methodi medendi, ubi
hectica febris tres describit species, primam
quando febris hęc primam partium humidita
tem, ex qua nutriuntur depascit, secundam
quando carnes consumit tertiam vero quando
solidas populatur particulas. Sic enim pro co-
ronide Galenus loquitur. Etenim primùm
ejusmodi febris propriam partem humidita-
tem ex qua nutriuntur depascit, hinc transit
ad genus carnosum, deinde solidas populatur
particulas. Vocatur autem caro tantum ea
quæ in musculo est, nam quę in visceribus cons-
piciuntur, non carnes, sed parenchymata no-
minantur: porro singularum particularum
substantię moles ex tali maxime completa est
natura, quæ perire & regigni possit. At ve-
ro nec fibrosa, nec nervosa, membranosave na
tura eandem generationem habere cernitur,
nec fas est ejusmodi singularum partium fi-
bras a febribus malignis liquari, perinde ut
carnes, quando animal ipsum priusquam hæ
prorsus sint exiccatę interemerint hucusque
Galenus, qui ita clare & ab oculos tria ge-
nera febris hecticæ describit, ut nulla altera
prorsus indigeat probatione. Nam primam
speciem, sive primum genus, in propria qua-
dam partium humiditate membra nutriente
ponit quæ humiditas, ros sive roralis humidi-
tas membrorum porositatibus insita appella-
tur. Secundam speciem, in mollibus carnibus
& pinguedinibus quæ facilè eliquantur &
consumuntur collocat, in qua fortè gluten hu-
miditatem ab eo innominatam colliquari in-
telligit, tertiam autem solidioribus, utpote
fibris, membranosisve, ac nervosis particulis
inesse tradit, quæ difficillime eliquantur,
& tunc marasmus morbus incurabilis conse-
quitur, pro quo curādo si quis ingeniũ invene-
rit, facilè ingenium pro evitanda morte inve
niet, ita enim se habet prima species & secun
da ad tertiam, sicut porci domestici carnes ad
apri, id est, sylvestris porci quoque carnes.
Nam si cicuris sive domestici porci carnes, quę
plerunque pingues sunt, ad prunas admoveris,
ex eis multum liquaminis & pinguedinis de-

E fluere percipies, id quod a feri suis carnibus
etiam si ad æquales prunas exassentur, efflue-
re non videbis, sicciores autem sylvestris suis
carnes sunt, & pinguedinis expertes, hoc ve-
risimile esse, vel invitis nobis qui artem me-
dicam exercemus, fateri habemus, quia prima
& secunda hecticæ specie vigente, multa pin-
guia & adiposa in egestionibus & urinis a car
nibus colliquata, mista percipimus, quæ omnia
succedente tempore delitescunt, & quasi ex
toto consumpta non excernuntur, nec amplius
apparent, ut ex Galeno quis depromere po-
terit, libro decimo Methodi medendi prope
finem, ubi differentiam facit inter febres col-
liquantes, & marasmodes, de quibus ut sum-
matim dicam, ita habeto. Marasmodes fe-
bres ex earum sunt genere quæ colliquant,
F sed in eo differunt, quod in ijs quæ portio car-
nis colliquatur, ea semper vaporis vice dige-
ritur, in marasmodibus verò, defluit in ven-
trem. Cæterum, ut superioribus verba nectа-
mus, quod tres febris hecticæ apud Galenum
describantur species, faciunt quæ ab eo libro
primo de Differentijs febrium sunt conscrip-
ta, & ita habent, quum enim naturalis cor-
dis temperies primum everti inceperit, nec
nativa humiditas protinus aboletur, neque
virtus plurimum laborat, sed primo fit ve-
lut quadam effervescentia humiditatis, quo
in tempore facilè est hujuscemodi febrem sa-
nare, tanquam nihil adhuc virtute perpessa,
tunc supple tu, prima erit hecticæ febris spe-
cies, & subdit textus ab Augustino Ricco
Lucensi, viro doctissimo restitutus, deinceps
G & consumptio quadam effervescentiam se-
quitur, per quæ verba, secundam speciem
Galenns intelligit, & paulò inferius inquit,
atque hac in longum protracta, & ipsa simi-
laria corpora quæ sunt cordis veluti elemen-
ta sicciora, & minus nutriendo idonea red-
duntur, in quibus verbis Galenus tertiam
speciem exponit. Et ut vero Galenus ipse rem
claram ac manifestam reddat, subdit, ac tan-
tum virtus laborat, quantum siccitas ac ca-
liditas in ipso corde invaluerit, quarum alte-
ra exuperans ex se virtutem imbecilliorem
H reddere potuit, hujusmodi febris jam quodam
modo ad utranque partem declinat, ac me-
dium obtinet locum inter eam tabidam fe-
brem, quæ penitus curam non admittit, atque
illam de qua paulò ante diximus, quæ facil-
limè in principio curari potest. Sunt autem &
in hac latitudines multæ, quoniam & dispositio
nis ipsius multæ in eo quod magis ac minus di
versitates. Quę igitur ęqualiter distat ab utra-
que & ea scilicet quę exquisitè tabida existit,
atq. illa in qua nihil est adhuc tale, media, quo

dammodo

dammodo se habet ad curationem, dubio ad partes ambas inclinans momento. Quæ autem tabide proximior existit, est etiam periculo vicinior, quum quæ alteri primæ magis adhæret, non parvam salutis spem possit afferre, ex ijs autem Galeni verbis, luce meridiana clarius claret, ab eo hecticę tres species signari, de ea vero hectica quæ inter primam facilis curationis, & tertiam curationem non admittentem mediat, hucusque Gale. loquutus est, in qua plures latitudines reperiri evidentioris doctrinæ gratia tradit, quæ si ab utraque æqualiter mediat, media quodammodo se habet ad curationem, si verò tertiæ tabidæ dictæ proximior existit, est etiam periculo vicinior, & difficulter curatur, si vero primæ magis adheserit, non difficulter curabitur. Hęc enim in totum cum tribus superioribus ex Methodo medendi decerptis speciebus conveniunt, non est ergo quod quis in hoc negocio anceps dubiúsve deinceps evadat, quando in hanc eandem sententiam Aetius Gale. quoque maximus imitator eat, diversimodo tamen, quum pro prima specie secundam describat, & vice versa, pro secunda primam, ut facile quis ex ejus verbis deprehendere poterit, quæ Sermone 5. suę medicinę, capite nonagesimosecundo, ita habent. Hectica, hoc est, habitualis nominatur febris, quum ad tantam immodestiam venerit caliditas præter naturam, ut in habitu sit ipsius solidæ essentiæ similaris corporis cordis, & propterea ægrè solubilem habet structuram, primum igitur calor præter naturalis eliquat, & resiccat, ac consumit essentiam in partibus, velut ex humore concretam, qualis est pinguedo & caro, deinde vero propriam humiditatem consumit, ex qua corpora nutriuntur, quæ sanè circumfusa est, ac instar roris dispersa circa omnes animalis partes, hinc autem transit ad carnosum genus, quod febris & membranosis partibus solidorum corporum insitum est, quod sanè discedentes coqui tollunt, fibras vero abijciunt. Exactum autem ejus complementum in hoc est, si ipsa solida similarium partium essentia siccior facta est, quando & tabida febris vocatur. Hæc Aetius. Ex quibus liquido constat, tres apud eum hecticę febris species, variè tamen á Galeni mente descriptas, reponi, sed id forte in causa est, quia Galenus ut de hac re diffuse loquutus fuit, ita admodum confuse. Avicenna tamen in ea præ cęteris clarius & luculentius loquitur, quum sen prima libri 4. sui Canonis, tres huju febris specie differentes gradus egregie describat, tres potissimum ex secundis humiditatibus proponendo, quarum prima (ut ab eo innominatam prętereamus) ros appellatur, & illius Galenus quoque meminit, secunda cambium, tertia verò gluten, cum quibus hanc quoque in hoc morbo similitudinem, ut ros in membris ita se habeat, sicut oleum in candela contentum, & ita cambium, ut oleum funiculo imbibitum, & ita gluten, sicut funiculi extrema pars flamma exusta & torrida. Quū igitur ex tribus citatis humiditatibus, prior in corde, & consequens per universa membra, roralis sparsa inflammatur, ac consumitur, veluti oleum candela contentum, tunc prīma insurgit hecticæ species, quum vero calor febrilis intimius depascitur, & cambium occupat, quod veluti funiculo herens oleum similatur, tunc secunda evadit species quæ ut ex Galeno inibi Avicenna adnotat, magnas habet latitudines, scilicet principium, augmentum & statum. Et quum vero augmentum, sed verius statum attingit, febris marasmodes, sive febris tabida dicitur. At vero ubi res eo discriminis jam pervenit, ut nihil ex tali humore supersit, & gluten humorem depopulatur, tunc marasmus sive tabes absolute, morbus vel idiotis & tensoribus satis notus, conflatus est, quia quum primum pulsum & ęgrotantis calorem perpendas, ejus videbis oculos immeditè concavos, ac veluti in foveas quasdam reconditos exhausto jam universo ipsorum humore, ita ut ossium, quibus palpebræ cohærent, eminentiæ cernantur. Sordes præterea in ipsis siccæ ostenduntur, & quædam veluti squalida dispositio, qualis maxime inest ijs, qui tota die sub solis ardore per pulverem iter longum fecerunt, quinetiam in eis est coloris flos vitalis extinctus, frontisque & faciei cutis rigida ex siccitate, & squalida, sed sic affecti, frequenter palpebras contrahunt dormitantium instar, non tamen affectus eorum est somnus, sed potius vigilandi impotentia præ macie, sunt etiam illis collapsa, & concava tempora, nihilq. in eorum corporibus cernitur præter cutim atque ossa, pulsus autem tenuis, durus, debilis, atque frequens apparet, caliditas vero quum primo admovetur manus, languida est, paulatim autem acredinem atque erosionem ostendit, ac magis quum tangendo plus immoraberis, quæ omnia in tribus servavimus ægrotis, altero uxore probi viri Ioannis Pauli Corbetę Mediolanensis, altero fratre illius, ad quem in Ancona veredarius cum literis Roma directe divertit, & in foro fontis habitat. Altero vero uxore Manuelis Pinti, sed hæc hoc in morbo ingenti siti semper cruciabatur, ante obitum vero per mensem, ejus urina alba erat, in qua quædam furfuribus simillima

conspiciebantur, non nisi à carnibus eliquata. Signa proculdubio lethalia & mortifera, & eo magis quando crura tument, & ungues recurvi fiunt, & capilli decidunt, & fluxus ventris adest. Cæterum morbus is marasmus calidus & siccus est, ac ob id ab hectica senectutis sive senetta ex morbo dicta differẽs, quia senecta ex morbo non ob caliditatem fit, sed verius ob vehementem frigiditatem, ac immodicam siccitatem, quæ præcipuè ijs, qui secundum naturam ad extremam senectam citra febrem perveniunt paulatim extincto in ipsis insito calore evenit. Sed nunc maioris elucidationis gratia scire decet, quod Galenus libro de tabe, sive Marasmo, capite sexto, tres marasmi species describit, alteram quam senecta comparavimus, & præter humectationem prosui curatione calfactione indiget, alteram torridam, per hecticam intromissam, quæ præter quoque humectationem refrigerari postulat, cuius supra quoque meminimus, tertiam vero ex animi defectu proficiscentem, mistam curationem postulantem, de quibus omnibus lectorem ad prædictum de tabe librum remittimus. Caterum ne à marasmo de febri, morbo calido & sicco, qui per hecticam sæpe intromittitur, imo eum hecticæ tertiam speciem nominamus, sic discedamus scire decet, quod tametsi marasmus incurabilis morbus ab omnibus dicatur, & nos quoque cum eisdem ita supra dixerimus, à Galeno tamen summo medico, eius cura describitur, imo ex hoc morbo affectos nonnullos curasse homines meminit. Vbaldus. Abi sis Amate, ne illud dixeris, putato & nos Galenum legisse, & eum perlustrasse apud quem hoc reperiri tantũ abest credam, quam quod ab eo nunquam perscriptum fuerit. Amatus. Ne excandescas Vbalde mi, & aures, ut soles, dignare mihi præstare benignitas, nam & ego Iurisconsultorum axiomate uti soleo, erubescimus quum sine lege loquimur, audi igitur, & Galenum nobiscum sentientem percipies. VBAL. Putato rem gratam & mibi non auditam auribus instillare meis, si modo, ut ais, rem indicaveris. AMAT. Galen. lib. 12. Methodi medendi, ubi de balneis, hecticis convenientibus agit, marasmo confectos curasse tradit, hac tamen conditione & successu, ut febrili calore deposito, ingens illa siccitas, qua ægri infestari solent, maneat, adeo ut ex marasmo morbo calido & sicco, marasmus frigidus & siccus resultet, quem nos medici, ex morbo senium appellare solemus & eo sic affecti ægri non solum plures dies, sed plures menses, & annos perdurare solent, ut ex Iu-

E venis historia inibi ab eo enarrata, doctus evades. VBAL. Quomodo eos tractat & curat. AMAT. Ad balnea eos, quia debiles sunt, in sindone per quatuor iuvenes deferri mandat, & inibi ut decet tractari, ut tu signato loco percurrere poteris, porro quantum ad eorum victum attinet, iubet Gal. eo tractentur modo, quo senes tractari solent, & cibis calidis & humidis vescantur, ut libris De sanitate tuẽda amplius docuit, ad quos ipse lectorem remittit. VBAL. Sæpe Galeni locum illum perlegi, sed non ea animi attentione, ut ex eo hoc perciperem, sed unum est hac in curatione mihi perdifficile. AMA. Quid nam? VBAL. Quod vice caliditatis, pro morbo hoc propul- F sando, a Galen. frigiditas introducitur, quæ siccitati iuncta in totum vitæ contrariatur, ita ut magis prædictis qualitatibus calidis & siccis videatur ægrum perdurare posse, quam de novo introductis frigidis siccitati coniunctis. AMAT. Sapienter ò Vbalde & argutè proponis. Verum enimvero ut Gal. interpretemur, audi ut febrilis calor expellatur, perfrigida medicamenta expellatur opus est, quia contrariorum contraria sunt remedia, non tamen ita intensa, ut post expulsam caliditatem, ubi frigiditas infixa maneat præcipuè remediorum. Nam frigiditas antea in corpore ob spirituum & calidi innati potentem resolutionem comperta ibi manet, unde ægri ij tanquã senes cibentur suadet Galen. minus autem morbi sic marasmo affecti patiuntur, quando febrilis calor ab eis depositus est, quam quando G caliditas febrilis siccitati coniuncta est, & hac de causa Galenus sapientissime pro marasmoide febre curanda febrilem calorem summo studio deponere conatur, quo deposito, ad longius tempus ægri perdurant, quoad solidæ eorum partes reniti ad versus summam siccitatem valebunt. VBAL. Pergratum sanè fecisti Amate dulcissime hoc indicare, & quum primum Fanum fortunæ mihi propriam patriam pervenero, Fanenses medicos de hac re adortabor, & tuo nomine illis salutem dicam. Sed ne quid in hac tractatione desideretur, inquiramus, cur hectica laborantes calorem febrilem non persen- H tiant, adeo ut sæpè loquentes eos absque dolore mori servemus, nos more nostro, absque ambagibus & verborum circuitu respondemus, calorem febrilem hecticæ innati calidi lares subintrasse, imo ejus fontem ita sopitum habere, & oppressum ut calor innatus vinctus & superatus sit, cuius vices præter naturalis calor suppler, qui factus jam est, neque cõtrarietatem ullam habet, neque ullus de hac mirabitur re, quum viderit ipse, imbe-

cillibus,

cillibus, & quibus pauculus inest innatus calor, æstivalem & præternaturalem calorem multum juvare, hujus etenim rei exemplum est, quod in æstate exangues & debiles melius habent quám hyeme. Plura verò si quis de hac re cupit, legat sequentem curationem in qua de æquali intemperie agitur. Secundo, egregio quodam dubio inquiritur, Galenus inquit, in hectica indubitatum signum esse, post assumptum cibum ægrotum caloris incrementum sentire, ac alterationem ipsam tandiu perdurare, donec distributus cibus appositusque humectaverit cordis ariditatem, & ita evenire sicut calci, & lapidibus calefactis aqua respersis. Sed dicet vir medicus studiosus, signum hoc non tanti faciundum, quia omnibus febricitantibus, post aßumptum cibum, similem vel communem alterationem fieri Galenus testetur libris De diffe. febri. difficile igitur per hoc signum febris hectica à putrida distinguetur. Huic proposito dubio, Galenus vir post Hippocratem admirandus tacitè respondet, quod medicus ut febrem dignoscat hecticam, non simpliciter signo hoc contentus evadere debet, sed multis alijs iunctis, à nobis supracitatis. Porro Gentilis de Fulgineo, vir mea sententia doctus, & cujus lectioni olim ipse assiduus eram, quum apud Salmanticenses agebam, huic si rectè teneo, dubio sic respondet (nam ejus opera cum nostra perampla & instructa bibliotheca, apud Antuerpienses reliquimus) quod etsi in putridis febribus post assumptum cibum calor febrilis intendatur, antea quoque intendebatur, id quod hecticis evenire nullus unquam vidit, aut percepit febribus, nisi cum eis alterius febris fuerit complicatio, ut Catharinæ Gondulanæ nobili Racusinæ, prima harum curationum centuria, evenisse meminimus. Item quū inter notas pro dignoscenda febri hectica, quæ ab urina desumitur, præcipua est, ut omnes fatentur medici, cur est quod Galenus libro tertio De precognitione ex pulsibus dicat, hecticarum febrium notitiam ex urinę investigari non posse, quum in ijs urina anceps sit colore, & sedimento naturali similis, ut in pestilentia diuturna sexcentis evenisse Galenus ipse observavit, ubi medicos indoctos quoque carpit. Nos huic quoque dubio respondemus, initio febrium hecticarum earum pręcipue quę subintrarunt ephemerarum modo, neque urinam nec pulsum, certi quicquam portendere, & hoc forte eo citato loco Galenus intelligit, ut ejus indicat phrasis, & dicendi modus, successu vero temporis, urina maximum est signum, quum in ea plerunque sublimamenta, quæ aranearum latas telas referunt & pinguedines, ac liquamenta conspiciantur, de quā dixit Hippocrates libro 2. Prædictionum, textu 35. si pingue de super natans aranearum speciem referat, damnandum est, indicat enim consumptionem, quanquam à renibus, vel vesica id plerunque decidat, suadet idem Hippocrates sequenti 37. textu. Nam & bona vigente valetudine, quandoque in urina pinguedines hæ apparent, quas medici indocti detestantur, & in malam reijciunt partem, quum tamen caloris naturalis victoriam ostendant, ut hujus rei testis est Galenus libro 4. De sanitate tuenda, dicens, at ubi sanguis concoctus est, hæc in urina apparent, atque etiam nubeculæ quædam desuper tenues superstant, veluti quod in summo lacte colligitur, & quod in summo refrigerati jusculi concrevit. In ijs igitur vult Galenus quod quum adeps & pinguedo ex sanguine bene cocto & elaborato fiant, consequens sit, ejus aliqua portio super urinam innatet, referens quale pinguioribus jusculis refrigescentibus supernatat, unde Galenus commentario tertio in librum tertium De morbis vulgaribus enarratione 72. tradit, se persæpe urinam vidisse colore & substantia oleo similem, citra tamen ullum ægri detrimētum, imo vero interim plane contrario, cum ipsius morbi concoctione, advertant ergo medicam artem exercentes, ne quum urinam oleosam viderint, malum præsagiant.

§.

Curatio secunda, in qua agitur de æquali intemperie, & inæquali intemperie, quæ potius appendix dicenda superiorum scholiorum est.

VT de hectica sermone completus & absolutus sit, de æquali intemperie & inæquali intemperie agamus decet, proinde absque proœmio, Hippocratis & Mathematicorum more, sic accipito. Aequalis intemperies, sive uniformis intemperies, solum in hectica febre comperitur, quū jam facta sit, & nihil infieri habeat, dicitur autē ęqualis, quia æqualiter & uniformiter affligit, uniformiter autem affligit, quia nullam habet contrarietatem ex qua dolor,

lor, aut accessio elevari possit, unde Galenus libro huic dicato negotio, de inæquali intemperie ita de hectica, sive æquali intemperie tradit. Quum verò omnes corporis solidæ particulæ excalfactæ ad absolutionem jam sunt, ejusmodi febrem hecticam Græci vocant, ceu non amplius jam in humoribus & spiritibus, sed in corporibus ijs, quæ habitus rationem habent comprehēsam, hæc doloris est expers, putātque, qui ea febricitant, omnino se febre carere, neque enim sentiunt ejus laborem, omnibus scilicet eorum partibus æquè percalfactis, sed & convenit de ijs inter naturalis scientiæ professores, in ijs, quæ de sensibus produnt, nec enim citra alterationem est sensus, neque in ijs, quæ jam ad perfectionem sunt alterata, dolor. Ita que etiam hecticę febres omnes, tum sine dolore sunt, tum nec sensu ab his, qui ipsis laborant perceptæ: non enim ex eorum particulis hæc agit, hæc patitur, quum omnes inter se jam similes sint redditæ, ac unicam habeant consentientem temperiem. Hactenus Galenus, qui mea sententia, ita clarè rem ob oculos ponit, ut pluribus non opus fuerit verbis, modo dictis hæc adjiciamus paucula, si in hectica febri tantum æqualem intemperiem reperiri diximus, nunc eam quoque in nonnullis pestilentibus inveniri dicamus, pestilentibus scilicet febribus, intelligatis velim, quæ præcipuè cordis substantiam magis comprehendunt, & sæpè hecticæ sunt, ut refert Galenus, libro 3. de præcognitione expulsibus capite tertio, & quarto, quæ cum sic cordis substantiam occuparunt, plerunque interficere solent, secus autem illæ, quæ cordis contenta obsident, ut citato loco idem monuit Galenus, inæqualis vero intemperies ea dicitur, quæcunque infieri aliquid habet, unde quia contrarietatem habet, ex ea dolor oboriri potest, & accessio & paroxysmus, ut omnibus fere morbis, præter hecticam, evenit, quemadmodum meminit Gal. libro De inæquali intemperie, & Marasmo. Cæterum Galenus libro De mor-

E borum temporibus, inæqualitatem inter sex poroxysmorum tempora descripta enumerat, quam inter principiū & augmentum in paroxysmo collocat, non minus quoque temperiem inæqualem reperiri tradit, in ijs præcipuè, quos frigus, aut rigor invadit, nulla subsequente febre, ut memoriæ commendavit libro De inæquali intemperie, quæ inæqualis intemperies, siue frigus, in nonnullis mulieribus, crudis & vitreis humoribus refertis, à nobis servatum est, nulla secuta febre, ut demum comprehensum sit, falsum esse id quod

F Hippocrates & antiqui in hac re scripserunt, rigori febrem necessariò supervenire, ut quoque annotavit Galenus, & sui congerrones affirmabant. Plura verò qui hujus tractationes legere cupit, Gentilem de Fulgineo percurrat, altera suarum extravagantium quęstionum, ea præcipuè (si rectè teneo) in qua de febribus agit. Cæterùm cum ejus & similium, hodierni medici stomachis delicatiores, respuant doctrinam, prædictis Galenianis contenti, nunc his supersedeamus.

G

Curatio tertia, in qua agitur de capitis destillatione, cum ipsius capitis ingenti dolore.

REVERENDISSIMI Cardinalis Farnesij domus præfectus Titius vir probus & doctus, quum quadam capitis mala intemperie afflictaretur, quam ex Germania contraxerat eo tempore, quo præfatus Cardinalis ad Cæsarem invisendum contēderat, con

H tigit, quod cum varijs obrutus esset negocijs, & nunc calidus, nunc verò frigidus evaderet, humor ob malam inibi intemperiem congestus, intensissimum dolorem cum suffocationis periculo repente efficeret. Nam ad fauces humor defluxerat, quibus febris non admodum vehemens apparebat, graviter tamen totam noctem trāsegit, & in somnijs

somnijs perduravit: in aurora verò ad illū vocatus, omnia citata contemplor, ac ob intensissimum dolorem, quem graviter ferebat, de cephalica aperienda contendebamus. At ille timens venæ sectionem renuit, solo cōtentus clystere, cibum porrò tota illa die nullum gustavit. Sed in nocte tribus à cæna horis, quæ parva, vel nulla fuit, bolum hūc deglutivit, & intra triduum sanus est factus, habet autem bolus sic. Recipe Pulpæ casiæ noviter extractæ drachmas decē, agarici noviter parati, drachmam unam, pulveris hieræ Galeni scrupulum unum, sacharo excipiantur omnia, & fiat bolus, quem prædicta hora comedit, & eo multa egesit, & illico melius habere dixit, ut postea paucis adhibitis remedijs, integram sanitatem obtinuerit.

SCHOLIA.

De agarico in hoc bolo admittendo dissidium fuit. Nam ipse nequaquam inijcien dum contendebam. Franciscus vero Nursinus famigeratissimus Romæ medicus audacter illum adijciendum refragatus est, de febris autem incendio timor apud me erat.

Curatio quarta, in qua agitur de ulceribus à morbo Gallico contractis, simulque de symptomatis obortis, ob vini potum, inunctione unguenti ex argento vivo confecti.

REVERENDISSIMI Cardinalis Farnesij famulus iuvenis robustus, & qui in horto transtiberino plata norum ingentium, & citrearum arborum curam tantum habet, quum ulceribus antiquis à morbo Gallico contractis scateret, & à multis tractatus in curatus maneret, illum multis antea pe-

A ractis evacuationibus, unguento ex argento vivo confecto, quinquies illinimus, qui præter varia emissa sputa, sanguinem per os reiecit, cui symptomati bolo armeno ebibito occurrimus, & bene habuit, at quum vinum, quo illi interdixeramus, clàm in magna biberet quantitate, denuò os illi inflatum est, & ipsius oris ulcera de novo recrudescere cœperunt, imo expectore sanguis, ut antea, erupit, quem per os emittebat, tandem abstemius factus, & dictis innovatis, intra 40. dies bene sensit, sanitati tamen integræ colophonē addidit buxi decoctum per viginti dies
B ebibitum.

SCHOLIA.

Vnguentum quo is curatus fuit, prima Centuria harum curationum medicinalium comperies, præcipue curatione 49. & 54. & 76. advertendo tamen quod ubi plus gummositatum & tuberculorum reperitur, plus pinguedinum unguento addimus, ubi vero plus pustularum, & ulcerum, plus pulverū apponimus, ut in hoc actitatum est ægrotante. Cæterum scire decet, lignum buxum europeis frequens, & cerdonibus satis notum, lignum Guaiacum esse, quod superioribus annis ex Pe
C *ru & insulis noviter repertis asportari cœpit, quod tamen ex insulis ijs adfertur pinguius, & consequens calidius est, nostrum vero moderatiorem sortitur temperaturam, ac proinde ijs qui calidiori sunt temperatura, & morbo calidiori affligūtur præcipue in state, liberali⁹ eius decoctum damus, Guaiaci decocti vice, nec enim inter se arbores hæ differunt, quam soli diversi ratione, nostrum vero hoc lignum buxum, unicè iecur plus iusto calidum emendat, & sudorem egregiè evocat, ut sapè experientia compertum habuimus.*
D

Curatio quinta, de podagra curata sola prævisione.

DOctor Castillius vir probus podagra morbo familiari, singulis annis

nis, per duos aut tres menses, affligi solebat, at quum ante statutum tempus, in quo eum morbus invadere solebat, per vomitum purgaremus, factum est, quod quum per tres, ut diximus, menses prædicto morbo torqueri soleret, leviter per tres dies ab eo tantum corriperetur, cæterum hic gravibus & difficilimis in vesica obortis ulcerationibus, me absente, obijt, non sine tamen multorum dolore, probus etenim vir hic erat, & doctus.

SCHOLIA.

Solebat olim Galenus huiuscemodi rebelles morbos sola prævisiva curatione depellere, quandoque sanguinis missione, quandoque purgante adhibito medicamento, quandoque vero evocato vomitu, & id plerumque veris initio, aut eo tempore, quo sol libram ingreditur, ut lib. de sanguinis missione, & Methodi medendi sæpe inculcat. Cæterum, quum varia sint medicamenta, quibus vomitus proritatur, nos tamen hoc sequenti utebamur, quo opus complebamus, & æger ipse exacte absque dolore ullo & anxietate aliqua vomebat. Sic autem vomitorium medicamentum habet. Raphanum arundine crebris & multis foraminibus perforamus, quibus veratri albi & boni radices inserebamus, quem sic transfixum per noctem sub cineribus calidis manere sinebamus, in aurora vero veratri radiculis extractis, ac proiectis, raphanum ipsum minutim concisum in oximelitis libr. media, per quatuor horas macerari permittebamus, postea vero oxymelite a raphano percolato, eius duabus uncijs, aquam ex decoctione anethi superinfundebamus pondere unius libræ, quem potum tepentem, quandoque ieiuno stomacho, nonnunquam vero à prandio accipiebat, & multa evomebat, octo autem diebus antè morbi decretum tempus, & eius adventum solitum evomere incipiebat, quod non continuis, sed alternis diebus faciebat, & vomitum repetebat, & optime habebat, porro ulcerationibus vesica supervenientibus, ut audio sexagenarius obijt.

E

Curatio sexta, in qua agitur de medicamento quodam hæmorrhoidarum dolorem sedante.

Reverendissimus ille, qui ab hæmorrhoidum dolore graviter cruciabatur, post multa & varia à medicis tentata præsidia, hoc remedio à nobis præsentato usus fuit, & brevi ab illo infestissimo dolore liber evasit. Habet autem remedium hoc topicum, sive locale

F dictum medicamentum, quod extra admoveatur, sic. Recipe Arantium pomum & id cultro excava, in quo oleum rosaceum & pseudonardi, lavandulæ dictæ semina infunde, & ad cineres calidos admovere, & calidum applica, & sæpe innova, est enim mirum.

Curatio septima, in qua agitur de ingenti capitis quodam dolore post oculum confossum superveniente.

G

Marius vir natus quinque supra triginta annos, cum domi familiariter inter domesticos & amicos ageret, à Romano iuvene de repente percussus, per ampla quadam sica in capite vulneratus fuit, ex quo vulnere illi oculus sinister fuit confossus, a vulnere vero quinque interpositis diebus, de ca-

H pitis gravissimo quodam dolore oculorum regionem comprehendente conquestus fuit, adeo ut in oculi fovea pugionem infixum esse, & alterum foras saltare clamaret: ego vero præsens tanti symptomatis sævitiam videns illico cephalicam venam confossum oculum respiciente secare iussi, sanguinisque uncias octo demere. At quum æger secunda

hac sanguinis missione melius, non tamen ex toto a dolore liber evaderet, secunda noctis hora post ventris cum balano respondentiam, totidem sanguinis uncias per prædictum vulnus effluere permisi, & confestim dolor ex toto evanuit. Topica vero medicamenta parum iuverunt, sed primo, ne silentio præteream, neque lector ignoret, æger bolum ex cassia deglutivit, & victus ratio subtilis admodum fuit.

Curatio octava, in qua agitur de casu ab equo calcitrone.

ALphonsus Alencastrensis, supremus apud Lusitanos commendatarius, & apud Iulium tertium Pontificem maximum orator gravissimus, intra domum, quam trans Tiberim habitat, ex equo calcitrone cecidit, ex casu in coctis versus spinam doluit, quem locum, etsi nullus in eo apparebat tumor aut lividitas, nigritiesvè, ex oleo myrtino, adiectis pulveribus myrtillorum & rosarum inungi feci, ac fascia optime fasciari: sequenti vero die, simili modo quum eundem locum doleret, internā eiusdem lateris ubi erat dolor aperire feci venam, & ex ea sanguinis uncias quinque fluere, à qua sanguinis missione paulatim convalescere cœpit, donec integram consecutus est sanitatem, porrò ut arbitror, infelicia tunc astradomum illam respiciebant. IOSEP. Cur sic? AMAT. Quia post huius Illustrissimi viri lapsum, interea cubiculo eramus occlusi, ut locum affectum contemplarer, & illi remedia adaptarem, Franciscus á Soto maiori, qui tunc post cœnam à nobis discesserat, ab eius patruele, Francisco Sylvio, prope ostium interfectus fuit. I O S E P H. Papè quid audio? A M A T. Ita res habet. I O S E P H. Perceperas ne frater mi, cur ipsum interfecerat. AMAT. Maximè, lis antiqua inter eos erat, de non contemnendo sacerdotio, & ut ipsi aiebant gentilitio, quod vulgo de iure patronatus dicitur, ob quod ambo ex Lusitania Romam venerant. IOSEP. Quomodo ipsum interfecit? AMAT. Hæc missa faciamus, maiori ocio vacare oporteret, si hęc ad unguem enarrare vellemus, novit ea accuratius Fernandus à Turribus, nobilis vir Hispanus, & Reverendissimi Archiepiscopi Salernitani nepos, qui eodem equulo, infelici cum iuvene mortuo simul equitabat, & ambo, tunc, tunc tertia hora noctis post cœnam a nobis discesserant. I O S E P H. Quid tunc clarus, & regia stirpe ortus Alfonsus, cum hæc domi suæ facta videret, loquebatur? AMATVS. Ea ut est vir prudens, æquo ferebat animo, sed eius filius magnæ spei iuvenis, Dionysius, cum indignum hoc videret facinus, & misellum corpusculum tribus confossum vulneribus conspiceret, à lachrymis oculos temperare non valuit, sed præ cæteris ægrius tantum malum tulit doctissimus iuxta ac Sapientissimus Balthesar a Faria, Orator quoque vigilantissimus, & qui tunc in Lusitaniam iter parabat. IOSEPH. Novit ne hæc Summus Pontifex. A M A T V S. Illico eadem nocte, & sequenti die publico præconio evulgatum fuit, quicunque traderet Franciscum Sylvium quingentis aureis ducatis donaretur. I O S E P H. Fuit ne captus? A M A T V S. Romæ non, sed extra urbem bis, & amicorum auxilio liber evasit, pręcipue Senis, ubi in carcerem coniectus fuit. IOSEPH. Noveras ne Franciscum Sylvium? AMATVS. Noveram, & mihi charus ille erat amicus, adeò ut dum vixero, nunquam mihi è pectore decidat.

Curatio

Curatio nona, in qua agitur de pueri cuiusdam casu.

PVER natus annos circiter octo, ex fenestra cecidit alta, ex quo lapsu per duos tanquam emortuus iacuit dies, ad quem accedens ipse, protinus cum totum conspexissem, & nullibi vulnus aut fracturam, luxationèmve habere deprehendissem, ipsum in sindone vino stiptico immerso, & bene calido, ac paululũ manib. expressa obvolvi, & in lecto optimè cooperiri feci, quo remedio copiosissimè sudavit, & sanus factus fuit. Est autem huius generis remedium apud Hispanos in omni lapsu admodum frequens, & usitatum, ab scribentibus de casu & offensione prætermissum, quum tamen potissimum sit, si tamen æger ebibere pro tunc aliquod potest inter tam multa ab authoribus scripta, & ab Argelata in sua chirurgia citata, ad pulveres Mesue, capite de Rhabarbaro conscriptos confugimus, quos in potu tribuimus, & ita habent. Rhabarbari boni acerbi, drachmam unam, mumiæ grana duo, rubeæ tinctorum, vel ut alijs placet, granæ tinctorum, granum unum & medium, omnia pulverizentur, & vino stiptico excipiantur, & bibat, porro vinum stypticum, in quo sindon imbuta fuit, sic conficitur. Recipe Vini rubri, vel fulvi boni, libras decem cui superadde rosarum rubearum siccarum, roris marini, summitatum myrti, ana manipulos duos, in cacabo vel caldario, ad ignem fiat decoctio, in quod vinum sindon vel stragula immergatur. Et parum manibus exprimatur, & eo calido optime æger involvatur.

SCHOLIA.

QVOMODO stypticum hoc vinum sudorem evocet, percuntabitur optimus medicus, quum sua adstrictione id corpus constringe-

E *re potius quam dilatare ratio dictitet? Nos huic dubio respondentes, dicimus ita huic vino evenire, veluti oleo rosis concinnato, & inde rosaceo dicto, quod ob contractã á rosis stypticitatẽ, penetrantius fit, quam per se oleum, sic & acetum ob partes constringentes, eius subtiliores impelluntur, & magis penetrat. Vinum igitur hoc per expiramenta ingressum commotos ex lapsu humores subtiliat & extenuat, quos sic extenuatos, & in vapores redditos, per expiramenta sive exiguos omnes corporea molis meatus (πόρους Græci vocant) natura eijcit, qui postea in cute frigiditate condensati in aquam vertuntur, & sudor resultat. Vel si magis placet, dicas naturam vini stypticitate roboratam, ad cutem eos humores, quĩ*
F *membrum obsedere aliquod erant dispositi, transmittere, ex quibus sudor consurgit.*

Curatio decima, in qua agitur de mulieris cuiusdam casu.

MOrena Hispana meretrix Romæ famosissima, cum domum instaurare faceret, quam paucis antea diebus mille & quingentis aureis ducatis
G emerat, contigit ex quadam eius parte caderet, a quo casu universum eius corpus contusum fuit, imo varijs in locis signa quædã apparuerunt, quæ Græcis hypopiasmata, Romanis sugillata, & livores ex ictu provenientes, aut vibices appellantur. Ad hanc igitur accitus ipse, illico pedis venam, saphenam dictam, secare feci, sanguinisque uncias quinque fluere, a qua sanguinis missione pulveres prædicta curatione descriptos, ebibendos quoque illi dedimus, & stragula vino rebus stypticis confecto immersa, ac manibus expressa, eam ob
H volvi fecimus, & cubili optimè cooperiri, quib. optimè sudavit, & intra quinque dies sana evasit, porro a vino ijs diebus semper abstinuit, & pro victu panatellam, vel panem lotum sacchato coopertum, aut huius generis similem cibũ accipiebat. Cæterũ, vibices ex tapsia cætæ mista, remedio, si Plinio credimus,

mus, Neroni satis familiari, brevi ex toto evanuerunt. Nam & cerusa raphani succo excepta ad eadem multum valet, ut albumem ovi per se, aut constringentibus pulveribus mistum, ut cætera alia varia prætercam remedia, secundum varia tempora morbi adhibenda.

SCHOLIA.

HVIVS morbi curationem prosequitur Gal. libr. 5. De composit. medic. per loca capit. 1. ex quo paucula hic subjiciam verba, ut neoterici noscant quanto errore detineãtur in ijs curandis vibicibus, quum illico morbi initio balaustijs, corticibus granatorum, myrto & alijs constringentibus remedijs & potentioribus utantur quod quam a Gal. alienũ sit, & a vera curandi methodo, hæc ipsa Gal. verba ex loco citato testantur, & ita habent. Dictum etiam antea a me est, quod ex discussorijs medicamentis in principio præstantiora sunt, quæ modicam astringendi vim complectũtur, qualia sunt rasæ, & melilotum, & crocus, non tamen ex eiusmodi pharmacorum numero est myrtus utpote vehementer astringens, qua propter ego nunquam ipsa uti auderem, præsertim si iam lividis sit color sugillationum. Hactenus Galen. verba, per quæ satis percipitur myrtum a Galen. pro ijs curandis vibicibus vituperari.

Curatio undecima, in qua agitur de quodam præceptis medicis non obediente.

ILLVSTRISSIMVS Dominus Camillus Columna gravissimis & sævissimis morbis torquebatur, præcipue capitis destilatione, nephritide, diuturna podagra, & chiragra, cuius curam suscipiens ipse, omnia, ut decet, cum debito victus ordine describo. At ille omnibus astare, vel facto iuramento, promittit. Deus bone, vix sextum ebiberat syrupum, ea intentione, ut per catapotia purgaretur, quando frixa ova, & ostracorum nescio quod genus pro arbitrio in cœna comedit, sed non sine culpæ pœna. Nam ea nocte ita colico & renum dolore afflictus fuit, ut eum mori domestici crederent, in aurora vero ad eum accedens, vix ex mula descenderam, quando eius plures clientuli omnia examussim mihi referunt. Sed eorum unus cubicularius, & qui victum porrigit, rem ex toto aperuit. Decet autem medicum priusquam ad ægrotum veniat, domesticos interrogare, & de eius statu ac dispositione percontari quo facto raro vel nunquam aberrabit: hac enim via incedens Galenus multa præterita ægrotantibus obijciebat, quæ tanquam miracula ab eis habebantur, ac postea maiori cum animo sese illi concredebant, ut ex libro De præcognitione facile quis iudicare poterit. Quũ igitur eum convenirem, ac ipse de symptomatis nocte ante à habitis conqueretur, ego tanquam rei inscius simulo, alioqui quæritans unde hæc evenire poterant, ille vero omnino ignorare respondebat: ego vero in victu ipsum pecasse contestabar, & cum rem ex toto tenerem, quidnam in cœna nocte præterita accepisset, inquito. Ille nihil noxij aut mali succi respondet, tunc hominem rogo, quid illud sit singulatim recenseat. Ille, primo capi carnos, a quibus omnino abhorreo, gustare cœpi, ait, dein frixa ova mihi apposita sunt, quæ tantillum gustavi, demum ex ostracodermis unum vel aliud genus, lubentissime comedi, asserit, tunc ego submissa voce, hæc promissis respondere, aio, ac venia demandata recessi, non rediturus ad illum, tametsi unum vel alterum ex suis castris mihi dono daret. Novit hæc summus Pontifex, novereque plures Reverendissimi Cardinales, ac alij Princeps Romani.

SCHOLIA.

LANGVENS medico obedire debet, ut mandat Hippocrates primo Aphorism. & libro

libro primo De morbis vulgaribus, unde ijs, qui medicorum præceptis non obsequuntur, medicinale consilium dandum non est, ut suadet Galenus libro De sanguinis missione, & sexto De tuenda valetudine, & primo De diebus decretorijs, nec enim apud me pecuniæ, quas illustrissimus vir hic mihi liberaliter elargiebatur, tantum unquam valuere, ut eas artis medicæ nobilitati & excellentiæ anteponerem, sciens utique, quod sapientia propter seipsam expetenda est, non vero propter lucrũ, ut suadet Galenus libro illo, cui titulus est. Quod optimus Medicus sit & Philosophus, & secundo Methodi medendi, veluti sexcentis alijs locis.

Curatio duodecima, in qua agitur, de colico affectu, simulque de lupino stercore.

NObilis Romanus, qui prope capitolium non procul ab Ara cœli cœnobio lignipedum Franciscanorum habitat, colica affectione gravissimè torquebatur, ad quem plus minus, quinque vel sex medici invisendum venimus, contra quem dolorem cum multis & selectis medicamentis usi essemus, præcipue per clysmos iniectis, nullum præstãtius, aut divinius remedium pro eo pulsando invenimᵒ, quã lupi intestinum: in pollinẽ etenim redactũ, & vino generoso exceptũ, ac calidũ epotũ, brævi opus suum confecit, & ipse æger sanus evasit. Curent igitur medici intestinum hoc apud pharmacopolas semper ut habeatur.

SCHOLIA.

LVpinum stercus candidum, quale ubi ossa ederint, lupi excernere solent, præcipue supra vepres, spinas, frutices, & proceriores herbas inventum, Galenus decimo libro De facul. simpl. med. non solum cum vino ebibitum, sed ilibus appensum vinculo confecto ex lana ovis a lupo laniatæ, aut ex cervina pelle, summopere colicis affectis prodesse tradit. Avicenna vero sen sextadecima, libri tertij canonis, capi-

E te decimoquarto quarti tractatus, lupi intestinum exiccatum magis quam eius stercus laudat, id quod hodie & sæpe experientia, ita esse a nobis comprobatum est, sic enim Avicenna citato loco tradit, & dictum est, quod corpus intestini Adib cum exiccatur, & teritur, est magis ultimum iuvamentum quam stercus eiᵒ & illud quidem non est longinquum, hactenus Avicenna. Super cuius verba animadvertendum duximus, quod Adib apud Avicennam in universo suo canone, pro lupo accipitur, ut conferenti ea quæ a Gal. de lupo & eius membris, ac iuvamentis inscribuntur, cum ijs quæ ab Avicenna de Adib traduntur, notum evadet, cum tamen revera Adib apud Arabas lõ
F ge aliud animal sit a lupo, utpote gregale, apud Africam frequens, quod effigie & magnitudine, inter lupum & vulpem cernitur, animal in totum iners, adeo ut victum sibi captare nesciat, sed præda à leonibus derelicta plerunque vescatur, qua de causa leones semper comitatur, de quo latius a nobis super Dioscoridem proditum est.

Curatio decimatertia, in qua agitur de nonnullis, quæ ex Lusitania Romam venerunt & ægrotarunt.

G

DIvi Alphonsi Alencastrensi, famuli & servi, qui ex Lusitania per navim Romam venerunt, fere omnes ægrotarunt, & febribus varijs sunt vexati, sed debitis adhibitis remedijs, omnes per nos adeo sanitati sunt restituti.

SCHOLIA.

H AEGROTARVNT ij, sed non aeris varietate, quippe Vlyssiponensis aer, a quo ij solverant, non multum a Romani aeris qualitatibus distat, quinto autem in climate Roma urbs antiqua situatur, adeo ut per eam parallelus denominationem accipiat, & Διαῥώμης appelletur, Vlyssipon quoque eidem climati subiacet, imo, utraque easdem fere polares elevationes habet, quæ polares elevationes veræ distantiæ

distantiæ sunt ab æquatore, cum quanta est elevatio poli ab hemisphærio nostro, tanta est Zenid capitis nostri ad æquatorem æqua distantia: habet autem Vlyssippon, pluralis elevationis gradus ferè quadraginta, Roma vero quadraginta unum, quibus adde, ea quæ medicus præcipue pro regionum, & civitatum, aut locorum venanda temperatura servare debet, scilicet quod Vlyssipon urbs est occidentalis omnium Hispanorum consensu totius accidentalis plagæ clarissima, quæ in plano sedet, & eius plateas Oceanum mare præterlabitur, in quod aurifer Tagus paucis antea stadijs ingreditur, & nullis nivosis montibus afflatur, neque allis fœdis sylvis, aut paludibus horridis inquinatur; non stagnis, non lacubus, non specubus, aut cavernis, a quibus halitus pestilentes oriri solent, & eisdem civitates plerumque infici, ut varijs Italiæ & Greciæ civitatibus contingit, imo potius in circuitu campos fertiles habet, amœnissimos hortos, limpidissimos fontes, clarissimos fluvios, iucundissima vineta, fertilissima pomaria, à quibus omnibus saluberrimus aer consurgit, summam temperiem in quatuor anni temporibus servans, cum media vigente æstate, æstus non ita furit, ut homines torqueat, neque frigus hyeme ita riget, ut ad ignem homines confugere compellat, vix enim Vlyssippo glaciem aut nivem vidit, qua de causa simplicissimis vestibus vel media hyeme, nullis fulcitis pellibus vestiuntur, perflatur autem civitas hæc maiori ex parte suavissima inspirata aura ab Oceano, omnium, rerum, ut Hesiodo & Homero placet, parente. Roma quoque omnia fere Vlyssipponi tributa habet, sed Orientalis est, quæ austrum, quam septentrionem magis respicit, & ea de causa temperiem caliditate & humiditate superat, & ideo distillationibus, ut Galenus tradit obnoxia, quam Tyberis fluvius, olim Albula dictus, intrinsecat, & non procul in mare se exonerat, ut merito eandem cum Vlyssippone sortiatur temperaturam, quo factum est, ut homines Romani cum Vlyssipponensibus & Lusitanis cæteris facie per similes videantur, imo vitæ longitudine æquales fere sint, ut paulo inferius docebimus. Cæterum, Averrois Cordubensis libro secundo sui collectorij; hominum facies, & capillorum colorem considerans, quintum hoc clima cæteris temperatius dixit, quod verum esse, quicunque septem climata, vel eorum maiorem partem perlustravit, fatebitur, modo collationem climatis ad clima faciat, non vero unius civitatis

A ad unum clima. scimus autem nos, in unoquoque climate loca temperata & distemperata reperiri, nam Castellum album mihi propria patria, & cuius Ptolomeus meminit, quæ ab Vlyssipone, & Salmantica totius Europæ celeberrima Academia distans, temperata est. Guardia tamen civitas illi propinqua, frigiditate ita pollet, ut media æstate homines in ea algeant, sed id illi ob prominentem montem, hodie ab stella dictum, evenire certius est, quam quod à me multis probari possit, qui ex directo eam respicit, & ex nive, qua semper albicat & scatet, elevato flatu in eam inspirat, collato igitur quinto hoc climate ad quartum, multo plura in eo temperata loca reperiri quam in quarto, certo

B scimus. Proinde Hippocrates (qui ob Coum civitatem patriam sibi charissimam, & temperie affectam, quartum clima cæteris temperatius dixit) in præsenti parcat. Scimus autem nos, quartum clima plura loca ita distemperata habere, ut vix habitari possint, quæ de quinto climate minimè dici possunt, ut ex Ptolomeo, prima Asiæ tabula, quisque conjecturare potest, si modo ea proprijs oculis & corporis sui iactura unquam vidit. Hippocrati Galenus, ut solet, suffragatur, Aphorism. libro tertio, enarratione quartadecima, veluti libro secundo De sanitate tuenda: Avicenna quoque fen prima primi lib. doctrinę tertię cap. primo, in quo de complexionibus differitur, post

C ęquinoctialis habitationem, quam temperatam esse auguratus est, quia nulla in ea aeris mutatio reperiebatur, sed aer potius similis toto in anno semper erat, quartum clima cęteris temperatius dixit, quem Albumazar secutus fuit, & plures alij viri doctrina, & eloquio gravissimi quos omnes fovere videtur Aristoteles libro secundo Metheororum, cum Græciam laudet, quæ maiori ex parte sub quarto clymate sita est, quia, ut tradit Avicenna, huius climatis habitatores non uruntur, ut qui in primo climate, neq. valde calescunt, ut in secundo & tertio, neque multum frigescunt, ut illi qui sunt in fine quinti, vel alij latitudine remotiores, quib. addunt harmonicam rationem, quę docet, medium quarti cli-

D matis, ut pote medium locum inter septē tenēs, summum habere temperamentū, sed hæc tamen si a clarissimis viris prodita sint, ea tamen falsa esse hodie experimur, videntes utiq. Rodum civitatem, per quam quartum clima nomē sibi vendicat, & Διὰ ῥόδου vocatur, calidissimam esse, veluti cæteras civitates & loca in eodem contenta climate, quę dubio procul temperiem per caliditatem excedūt. Sed age, esto quod sub

V hoc

hoc quartò climate habitatio sit temperata, ut Hippocrates dixit, & a nobis citati viri clarissimi credunt, inter quos Plinium quoque libro 2. Naturalis suæ historiæ, adnumerare est, vel quod sub quinto climate temperatius vivitur, ut Averrois putat, & nos credimus, habita ex eisdem experientia, vel ut Avicenna ait, sub ęquatore temperatior sit habitatio, aut ut neoterici aliqui volunt, nullibi temperatius vivatur, quam sub sexto climate, dignum investigatione erit, an ijs temperatis locis, homines longiori tempore vivant, quam in distemperatis, nos quęsitum hoc exposituri, ex Hippocrate primo scire facimus, quod hominum temperaturæ regionum naturis, ubi nascuntur, plerumque respondere solent, ut apud librum De aere, aquis, & locis sępe inculcatur, quia ubi mutationes temporum contingunt frequentes, & plurimum inter se diversæ, ibi formas hominum, & mores ac naturas plurimum differentes reperiri, necesse est: ubi vero æqualitas & uniformitas est, ibi homines æquales & temperati sunt, hoc autem argumento usus Hippocrates, Asiaticos Europęis temperatiores prædicto in libro facit. Europeos vero Asiaticis magis distemperatos, sed bellicosiores, tum etiam quia Europei suo iure vivunt, Asiani autem regibus & dominis sunt subiecti, quæ duæ potissimæ sunt rationes, quibus Hippocrates per totum eum librum utitur: sed primam, utpote nobis nunc deservientem, percurramus, quæ indicat, hominibus tales inesse temperaturas, quales regiones, in quibus vitam degunt, sortiuntur. Sic enim Hippocrates citato libro inquit, dico quidem plurimum differre Asiam ad Europa secundum naturas omnium ex terra nascentium, itemque homines, longe enim pulchriora & maiora omnia nascuntur in Asia, estque regio ipsa, hac nostra multo mansuetior: sunt etiam hominum mores benigniores & cultiores, causa vero horum est temporum anni temperata mistura, siquidem in medio solis exortu sita est ad auroram, a frigiditate ac caliditate omni remotior, incrementum autem & benignitatem inde proficisci omnibus in confesso, est, quum nihil sit pręcellens & cogens violeater, sed per omnia æqualitas vigeat, & cætera quæ huic negotio multum faciunt, & consulto prætermittimus, in quibus clare percipitur, in regionibus temperatis, homines temperatos gigni, in distemperatis vero distemperatos, quam sententiam Galenus, ut Hippocratis maximus ampliator, ita eam varijs in locis suę doctrinę exponit & ampliat, præcipue libro secundo De

E *sanitate tuenda, & ita pro compendio habet. Cęterum, dum proposui hominem eo corporis statu, de quo quæri non posset, obiter etiam regionem ipsius potestate nimirum definiri, quum neque optimo temperamento, neque irreprehensibili omnino membrorum modulo corpus ullum in ijs regionibus quę a temperamenti modo recesserunt gigni possit, quippe sicci, graciles, & veluti torrefacti, in æstruosis tractibus homines fiunt, rursus frigidioris plagę incolæ, inæquali temperamento visuntur, ut in quibus externa frigeant, interna impense caleant. Itaque apud Gallos, Scythas, AEgyptios, Arabas, ne per somnium quidem usquam est vidisse id corpus,*

F *quod veluti Polycleti regula existit, cui in nostro situ non pauca similia videas, si quidem nostrae regionis quae in latitudinem non parvam extenditur, id quod in medio habet, optime sane temperatum est, cuiusmodi patria est Hippocratis. Hactenus Galenus, qui corpus temperatum, sive optime constitutum, in regione temperata gigni posse, secus autem in distemperatis fatetur. Cæterum, quum corpus temperatum longiori tempore vivat, quam distemperatum, consequens est, quod homines in regionibus temperatis geniti, cæteris diutius vivant. quod an verum sit, paulisper regiones percurrendo, investigabimus, & primo ab æquatore initium sumentes, sub quo, ut Avicenna placet, habitatio temperatissima est, subiacet hodie sancti Thomæ insula ęquinoctiali, quam Lusitani nostri utpote regi nostro parentem,*

G *multum frequentant, saccharum inde in Lusitaniam transferentes, & inde in varias orbis regiones, quam ethiopes homines nigri incolunt, magna ex parte incolumes, & sani viventes, quia apud eos nullæ temporum vicissitudines aut mutationes fiunt, sed caliditas uniformis potius semper apud eos viget, unde sexagesimum vix vitę annum attingunt, quia eorum radicale humidum pauculum & exustũ est, quod attestatur, quia sicci, graciles, & veluti terrefacti sunt, ut in quibusvis æstuosis alijs tractibus homines fieri contingit, ad hęc imbelles, timidi, & effœminati. Sed ad quintũ clima descendamus, quo cęterorum nullum, ut*

H *Averroi placet, temperatius existit, & ex illo Romam & Vlyssiponem ut pręcipuas & magis temperatas civitates contemplemur. Nam Roma, de qua Plinius tot & tantis laudibus extollit, libro tertio Naturalis suæ historię capite quinto, & Galenus, libro primo De articulis, enarratione 24. ex Polemone eã totius terra habitabilis compendium vocat, in quam ipse Galenus, ętatis suæ triginta duorum*

annorum

annorum pervenit, & in ea hæc hodie literis mandamus, ita suorum pessima noverca exi- stit, ut Romanorum civium per paucos nunc ad senectutem venire nobis contingat videre, per- pauci autem ex civibus genuinis & veris Ro- manis sexagesimum attingunt annum, non mi- nus, ac exteri ætate maiores ad eam confluen- tes, qui quoque brevi intercipiuntur, ut qui hæc contemplantur norunt. Neq. minus hodie & sæ pe Vlyssiponensibus evenire certo scimus, qui maiori ex parte iuvenes è vita decedunt. Quid vero de quarto climate dicemus in quo plures homines temperatos reperiri, Galenus est au- tor, quum tamen eodem autore, libro de Hi- storia Philosophica, ex Asclepiade, ut Aethio pes ex omnibus nationibus citius ad senectutē perveniunt, ita Angli præ cæteris diutius vi- vunt, & ad vigesimum supra centesimum an- num solent vitam ipsam protrahere, quia eo- rum genuinus calor cum subiecto humido tan- diu per frigus asservatur. Est autem Anglia, regio insularis frigida, olim Britannia dicta 7. subiacens climati, cuius parallelus sextusde- cimus est, diem longissimum habens sexde- cim horarum cum dimidia, & quę inter septen trionem & Thraciam, sive circium dictum ventum locatur, vel ut Melæ, viro gravi placet, inter septentrionem occidentemque profecta, grandi angulo Rheni ostia prospi- cit, deinde obliqua retro latera abstrahit, al- tero Galliam, altero Germaniam spectans, tum rursus perpetuo margine directi littoris ab tergo abducta, iterum se in diversos angu- los cuneat triquetra, & Siciliæ maximè si- milis, & cętera. Si igitur ita est, quod in hac insula homines in tam longum vitam contrahunt tempus, videtur temperiem ad vitę longitudinem nihil conferre, imo homi- nes abstemperatos longiori tempore vitam ducere quam temperatos esse astruendum, id quod nunc a nobis pro vero firmandum est, quum par quoque animalibus distempe- ratis evenire contemplemur, videlicet, corni- cibus, corvis, & cervis. Quapropter Theo- phrastus, vir ingenio plusquam humano prę- ditus, merito humanum genus, de universali natura conqueri posse meminit, cum animanti- bus ijs tam longam elargita fuerit vitam, ho- minibus vero, tam brevem & curtam, ac ip- sam quidem miserrimam concesserit, nihil igitur aliud optata temperies in homine moli- tur, quam quod omnes in eo virtutes & actio- nes simul exactæ sint & perfectæ, & respon- dentiam ac coalternationē vicissitudinariam interse quandam habeant, quod est, ut ca- rum nulla opus suum aggrediatur, antea quam prior, cui vicaria succedit, suum obie rit munus. Vt ergo Aethiopes calidam regio- nem incolentes brevis sunt vitæ, quia maximo calore exusti eorum innatum calidum cum sub iecto humido cito exolvitur, ita Angli & Da ni, ac apud Belgas Olandi, frigidam regio- nem habitantes, cęteris diutius vivunt, medij vero inter eos commorantes, medio modo vi- vunt ut Hispani & Galli, quibus addimus Italos, & Gręciam habitantes Turcas. Sed vi- tę longitudinem Anglis & Danis ac frigidam regionem incolentibus evenire, quia hominis temperatura ad caliditatē declinet, quæ frigo- re contemperatur, in dubium verti posset. Si- mul quia calor innatus per frigus magis ser- vatur, nec ita exolvitur ut alijs in regio- nibus. At licet Galeni ex Asclepiade axio- ma verum esse certo sciamus, hodię tamen Ve- netos Anglis & Danis, ac quibusuis alijs na- tionibus longiori perfrui vita observamus, nusquam enim tot senes tamque venerandam canitiem spectabis nisi Venetijs, apud quos fru ctus succosi, & carnes incorruptæ diu asservan tur. Vt receptui igitur canamus, ij de quibus curatio nostra agit, non aeris, aut cœli, aqua- rumve varietate ægrotarunt, sed magis ob contractos a navi labores, in qua eos (ut fieri solet) misere passi sunt, solent vero qui ex regione contraria proficiscuntur, & in al- teram veniunt, sępe non solum ægrotare, sed mori, ut Aethiopibus sub æquatore, & sub primo quoque & secundo climate habitanti- bus, in Hispaniam advectis evenire vide- mus, & eo magis, si infrigidiorem regio- nem trahantur, id quod Avicenna dixisse videtur, Fen prima, libri sui canonis, quum dicat, Aethiops enim si ad Germani tempera- turam se transferre tentet, ægrotabit quidem, vel morietur. Hæc autem hucusque a nobis diserta de septem climatis, a priscis constitutis, dicta esse intelligatis velim, quæ inter æquino- ctialem, & septentrionem continentur, quan- quam illis hodie duo & tria, quatuor, & plura alia addere possemus, si modo terræ portiones habitabiles priscis ignotas quoq. partiamur, ab eo puncto ubi Ptolomæus primum clima des- cribere cœpit, ad æquinoctialem usque dimen- sum facientes, neque minus terræ tractum, ab eo puncto ubi septimum definivit, versus sep- tentrionem sive polum arcticum, sub quo ho- die plurimę & potentes gentes vivunt, ut sunt Dani, Gothi, Norduegij, Suedi, Finlandi, Pru- theni, Rutheni, & fere sub ipso polo Lapo- nes, nam de quinque alijs orbis sectionibus, si- ve clymatis, a neotericis nuper inventis, quæ ab æquinoctiali ad meridiem protrabun-

tur, sermo noster non est habitus, in quibus, ut a fide dignis accepimus, regiones temperatissimę comperiuntur, & homines longa vita prędīti. Cæterum, ut candidus lector nobiscum in hãc condescendat sententiam, scilicet, quod homi-homines distemperati in regionibus distemperatis, potissimum frigidis, longiori vivant vita, legat Hippocratem libro de aere, aquis, & locis, apud quem Coum, & Gnidum, civitates temperatas esse, ut Galenus credit, non lego, imo ipsis Asianas alias temperatiores ipsemet Hippocrates facit, ut ex ipsius a me citatis verbis supra adnotavi, post Hippocratem Aristotelem percurrat libro Problematum, præcipue sectione quartadecima, & libro De longitudine & brevitate vitę, non minus Plinium libro secundo Naturalis suæ historiæ capite septuagesimooctavo, & Galenum libro cui titulus est, Quod animi mores sequuntur corporis temperaturam, & Avicennam Fen secunda libri primi, præcipue ubi de locis habitabilibus calidis & frigidis agit, in quorum capitum altero Aethiopes intra trigesimum annum senescere inquit, in altero vero homines fortiores & audaces, ac longævos reperiri asserit, quæ omnia ab Hippocrate & Galeno sunt decerpta, ijs annectere est Albertum Magnum, libro De locorum natura, & ex recentioribus duos Ferrarienses, alterum Manardũ, citato loco, & Epistola prima libri septimi, ad Iacobum Cyglerium scripta quod sub æquinoctiali est habitatio, alterum Antonium Musam Brasavolum, libro tertio Aphorismorũ, enarratione apud Galenum quartadecima, neque enim poetis fides ulla habenda est, præcipue Ovidio, qui de Zona septentrionali scribens, libro De tristibus tertio, ita inquit.

Sive locũ spectes, locus est inamabilis, & quo
Esse nihil toto tristius orbe potest. (gni,
Sive homines, vix sunt homines hoc nomine di-
Quamq. lupi sævę plus feritatis habent. Itē
Omnia barbarie loca sunt, vocisq. ferinę,
Omnia, quę possunt, plena timore sonant.

Nec minus Vergilius primo Georgicorum, errat, ubi Zonas describit, & ita habet.

Quinq. tenet cœlũ Zonę quarum una corusco,
Semper sole rubens, & torrida semper ab igni,
Quam circũ extremæ dextra levaq. trahũtur,
Cærulea glacie concreta, atq. hymbribus atris.

Frequenter tamen hodie Lusitani nostri sub æquinoctiali commertium exercent, & vivunt, veluti sub polo Lapones, ut falsa esse quæ ab ijs viris, alioqui doctis sunt dicta, hodie deprehendantur.

E

Curatio quartadecima, de morsu Viperæ.

VEris fine, properante iam æstate, duo iuvenes Ancona Auximum civitatem proficiscebantur, quorum alter quum ab itinere meiendi gratia divertisset, viperam prope arboris cavernam offendit magno tamen applausu, sed infelici successu. Contendebat autē F is altero cum socio, se viperam manu absque offensa aliqua capturum, gloriabaturque nonnullis murmuratis verbis, serpentes omnes tanquam stupore affectas illi obedire. Alter vero hunc deridebat, demum ad sponsiones res devenit, sed vipera plus iusto audax, truculenta, immota semper mansit, demum quum is manum porrexisset ut illam caperet, illa rabido & venenoso furore percita, elevato collo ipsum in manus digito momordit, qui cum sic commorsus doleret, citissime ori digitum admovit, forte ut sanguinem, dentibus compresso digito sugeret, non vero ut mortem sibi as- G ciseeret, brevi autem infelix hic sua culpa, mortuus fuit, neque medica auxilia illum quicquam iuverunt, evasisset, tamen, ni serpentis venenum ori admovisset. Roma autem tunc Anconam nos recipiebamus.

Curatio decimaquinta, in qua agitur, de Variolis, & morbillis, exanthematis dictis, de eo- H rumq. symptomatibus ante apparitionem venientibus.

PVer natus annos sex, temperatura sanguineus obesulus, vigente canicula cum recte valeret, repente oris

oris tortura, cum corporis totius tremo A re correptus fuit, contra quas affectiones, mulieres præsentes multa tentarũt remedia, & ad collum varia suspenderunt amuleta, sed frustra, quum perinde ac primo eædem manerent affectiones, ad quem accersiti nos secunda die, iussimus per crurum scarificationem, sanguinis uncias quatuor extrahere, à qua sanguinis extractione puer sequenti die melius habuit, imo diversiva hac evacuatione, ab onere & pondere alleviata natura, & alacrior reddita, ac supra residuum materierum potentior fa B cta, humorem morbum foventem ad cutim transmisit, ex quo exanthemata variolæ dictæ, effloruerunt. Cæterum ut brevi erumperent, & in totum exirent, aquam hordeaceam, in qua caricæ pingues ebullierant, ieiuno stomacho, ac interdiu in potu, dabamus. Et brevi sanitatem obtinuit. Vagabatur autem hoc tempore exanthematum omne genus, non solum pueros, sed natu grandiores corripiens. Porro paucæ, sed crassæ & rubentes variolæ hæ erant, quas ne puer scalperet manu, summopere curabamus. Solent autem plerun- C que ex scalptis variolis fœdæ oriri cicatrices, quæ difficulter postea emendantur, nec secus de membris quæ variolis & morbilis plerunque affici solent, solliciti fuimus, ut oculus, pulmo, intestina, guttur, & olfactus sensorium, de quibus Avicenna consulendus venit Fen quarta libri primi capite undecimo, tractatus quarti, ubi prudenter admodum hæc pertractat, ob quorum membrorum incuriam, pueri plerunque ex ijs variolis moriun- D tur, vel saltem lusciosi, vel visionis diminutæ, aut asthmatici manent. Animadvertant igitur medici puerorum febricitantium curam habentes, qui, quum eos in variolas aut morbillos labi contemplantur, sic ab eis, tanquam à morbo liberis illico discedunt. Calido autem in loco, vel saltem, ęstatis tempore, temperato, minimeque ventoso, puer manere debet, & rubris pannis, vel cocco infectis, cooperiendus, modo tamen ægrotantis non attingant carnes, vis enim constringendi huiuscemodi pannis inest. Victus ratio ijs pueris sic affectis sit, panatella simplex, vel iure pulli gallinacei apparata, aut amigdalatũ, aut ptisanę cremor, quem colatam ptisanam appellamus. Arabes sanie hordei appellant aut panis frigida lavatus, & saccharo coopertus, vel semina melonis saccharo incrustata, vel ex cucurbita unum vel alterũ paratum iusculum. Sed post exactam earum eruptionem, si febris mitis est, ut remitti plerunque solet, tunc ex pullo contusum, frigidis seminibus concinnatum, liberaliter concedi potest, vel ipsius pulli, aut capi caro. Veruntamen quum primum symptomata apparere incipiunt, intra tres dies variolæ maiori ex parte erumpere solent, quæ ut facile exeant cum primum apparere inceperint, sic adiuvandus est æger sequentibus decoctis, & apozematis.

Vt variolae cito foras pellantur.

Aqua hordei saccharata, & tepida ebibita, variolas ad cutim facile transmittit. Ad idem, Aqua decoctionis hordei, adiectis caricis pinguibus, idem præstat, qua nos nunc, & sæpe utimur. Ad idem. Caricas pingues numero duodecim, gummi tragacanthi drachmas duas, seminis fœniculi drachmam unam croci drachmam mediam, in libris duabus aquæ fiat decoctio ad consumptionem tertiæ partis, & coletur, propinetur decoctum hoc calidum mane, & sero. Ad idem. Passularũ Corinthiacarum, unciam unam, caricarum pinguium numero xij. dactylorum numero 15. in libris quinque aquæ fiat decoctio sufficiẽs, & coletur, ex quo apozemate ad lubitum bibat. Solent quoque plerunque ita sæva symptomata ęgrum invadere, apparentibus iam variolis, ut omni data opera medicus de earum expulsione sollicitus esse debeat, neque tantum medicamẽtis ebibitis, à nobis citatis, sed etiam per exteriora admotis, proinde lavacrum hoc

hoc porrigi ſolet. Recip. fœniculi, apij, verbenæ ana pug. i. ſeminis apij Macedonici, fœniculi, petroſelini, ana unciã mediam. In libris tribus aquæ fiat decoctio ſufficiens, quo in decocto calido, pannus lineus intingatur, & eo totum corpus involvatur, hoc vero remedio variolarũ & morbillorum materia ad exteriora promovebitur. Cæterum, cum primum variolæ apparere incipiunt, ut dixi, medicus de nonnullis mẽbris curam habere debet, de quorum præſervatione ſic habeto & primo.

Ad oculorum præſervationem.

Recipe Aquæ plantaginis, euphragiæ, roſarum ana drachm. I. camphoræ, ſcriptulum unum, croci grana duo, miſce, fiat collyrium, & penna leni, oculi ſæpe inũgantur. Ad idem, Pulveris ſumacchiorum drachmas duas, aquarum plantaginis, roſarum, ana uncias duas, miſce, & ad ignem parum calfiat & coletur, colaturę adde camphoræ ſcriptulum unum, croci grana tria, miſce, fiat collyrium. Ad idem. Recipe Succi verbenacę uncias duas, ovi albi, numero duo, optime ſimul concutiantur, & oculis inſtilletur, prima tamen remedia in uſu apud me ſunt.

Ad gutturis & faucium præſervationem.

Recipe Rob mororum uncias unam, aquæ capitum roſarum, plantaginis, ana uncias quatuor vini granatorum acetoſorum, unciam unam, miſce fiat gargariſmus.

Ad odoratus ſenſorium.

Recipe aceti roſati optimi parum, & naribus admoveto, & adoret.

Ad pulmonum præſervationem.

Recipe Farinæ fabarum uncias duas, ſeminis papaveris albi drachmam unam, gummi tragacanthi drachmam mediam, amyli unciam mediam, cum ſyrupo myrtino, q. ſuff. miſce, fiat eclegma, elambetivum dictum, & ſupine, ut

E cætera arteriaca medicamenta lambendo capiat.

Ad inteſtinorum præſervationem.

Vt vero inteſtina præſerventur, nec influxum labantur ut ſæpe hoc in morbo fieri contingit, ijs potiſsimum medicamentis utemur, quibus ad fluxus præſervationem uti medici ſolent, de quibus aſtringentibus, Centuria ſecunda exactè diximus.

SCHOLIA.

F *TRADIT Abinzoar glorioſus, & Averrois firmat, nullum hominem variolas aut morbillos evadere poſſe, & merito ſane, quia infans interim dum in utero continetur materno, ſanguine menſtruo quo enutritur, infici neceſſe eſt, unde poſtea ebullitione in ſanguine facta, natura vigorata, ad cutem, tanquam per criſim quandam, infectum tranſmittit humorem, ex quo variolæ & morbilli oriuntur, ſed vario modo, ſi materia craſſa eſt, variolæ fiunt, ſi vero ſubtilis, qualitate magis quam quantitate peccans, morbilli oriuntur. Cęterum, quod fœtus in utero materno, ſanguine menſtruo aliquando gignatur, pabuleturvè, teſtatur Gal. libro primo De ſymptomatum cauſis, inquiens.* G *Primis duobus menſibus fœtus paucum ad ſe ſanguinem trahit, eo quod parum adhuc auctus ſit, adeo ut ne fœtus quidem nominari tum debeat, ſed κύημα potius, id eſt, conceptus: ubi vero iam increvit, tum plurimo indiget alimẽto, atq. tum non id quod optimum eſt, è venis, ut antea dicebam allicit, verum etiam, quia maiorem alimenti copiam requirit, aliquid vitioſi ſimul attrahit, ita fit, ut univerſum maternum corpus & plethoricum, id eſt, plenum, eſſe deſinat, & minori humorum vitio crutietur. At fœtus ipſe, excrementa quæ ab attracto redundant alimento, ad duas reducit membranas, quo fit ut ipſe quoq.* H *& maiori humorum vitio, & maiori intemperie infeſtetur, quando quidem a vitioſo ſanguine alimentum ſumit, niſi gravida mulier reſiduo, quo uterum gerit, tempore, optimis utatur cibis. Hæc Gal. Quib. ita ob oculos rem ponit, ut eius alios locos pro hac roboranda aſſertione inquirere nõ ſit opus. Cauſa igitur variolarum ſanguinis menſtrui immũdities eſt, quo fœtus enutritus fuit, cui adde, quod vel infans menſtruorum tempore conceptus fuit: hanc vero, vel illam cauſam tantum celebres quidem medici conſiderantes, ho*

minem

minem semel tantum in toto vitæ suæ curriculo in hunc labi morbum contestati sunt, alij vero ad alias respicientes causas, non semel hominem in hunc prolabi morbum, sed bis & plures, asseverarunt, id quod verum esse experiētia rerum magistra testatur. Sunt quippe causæ veriolarum, præter signatas, & ob quas variolæ ipsæ sæpe recrudescere solent, sanguinis ebullitio putrefactiòve, quæ tum a causis exterioribus, procatarticis dictis, tum etiam interioribus, provenire possunt, unde a natura ad cutim fit expulsio, & variolæ nascuntur. Nam pueris ob lactis corruptis assumptionem sanguinis sæpè fit infectio, ad quam in cute variolæ, & morbilli consequūtur. His accedit causis aeris infectio, sine ea a causa particulari procedat, sive ab universali & cœlesti originem trahat, ut hoc anno 1551. Anconę contigit, in qua civitate pueri omnes, & grādes natu aliqui, qui olim jā variolas omnes, & morbillos passi sūt, in eas rursus incurrerunt, præsagiū sanè (quod Deus opt. max. avertat) futurę pestis. Cæterum variolarum quędam sanguineæ sunt, quę aliquantulum latę, quodam rubore apparent: alię biliosę, quæ minoris cum sint quantitatis, acutę tamen conspiciuntur, quodam cum colore ad citrinum declinante, alię pituitosę sunt, in totum albę & latę, alię verò atra biliosę, omnino nigrę, cęteris peiores. Nam sanguineę magis sunt salubres, & eo magis quo rariores & pauciores sunt: cætera vero huic negotio sacientia, sequentibus legito curationibus.

Curatio decimasexta, in qua agitur, de symptomate quodam ante variolarum eruptionem apparente.

PVer natus annos quinque, graviter febriebat, sed capite non dolebat, nec symptoma aliquod ex ijs, quæ febrem hujus generis comitari solent sentiebat. Ad eum vocatus, quum quærerem an doleret, respondet, nullibi dolorem persentire: sed ecce, cum paululum apud eum immoraret, inquit, supra oculum ad supercilium sinistrum pungi, & paulò post, ad nucham dolorē transijsse refert, imò varijs in locis, acutum dolorem pati inculcat. Protinus igitur accersito vulnerario internam

A dextri brachij venam, basilicam dictā, secari jubeo, sanguinisq. uncias quatuor demere: ita enim sanguis ejaculabatur, & bene fluebat, ut non opus fuerit vulneri hirudinem admovere, protinus igitur validior facta natura materiam peccantem ad cutim transmisit, unde variolæ effloruerunt, & dolores cessarunt & brevi tandem sanus evasit.

SCHOLIA.

NON solum acutus is dolor, potissimum eo tempore, quo variolæ & morbili publicè grassantur, B *signum variolarum sunt, sed plura alia symptomata, quæ breviter ita habent: capitis dolor non sine febre, tumor faciei cum quodam non solito rubore, oculorum turbulentia cum lachrymarum fluxu quodam, totius corporis fractio, nausea, vomitus, sternutatio, oscitantia, tremores, non solum manuum, sed etiam totius corporis, ad hac syncopis, pectoris gravedo, timor in somno, & vocis raucedo, quæ omnia sunt signa futurarum variolarum, & eo magis, ut dixi, quando publicè grassantur, & eisdem pueri corripi solent. Cæterum signa hęc quando apparent, tunc medicus pueri virtutis robore considerato, & humore peccante, evacuationem prapo-* C *nere debet, cassia fistulari, aut tamarindis, vel syrupo rosato solutivo, vel syrupo violato solutivo, aut decocto senæ per se, vel dictis admisto, sed potissimum evacuatio fieri debet hoc in morbo per sanguinis missionem secta vena, vel per surarum in cruribus scarificationem, aut per cucurbitas secta cute, quia in hoc morbo purgatoria medicamenta suspecta sunt, & timor est ne in ventris fluxum ægrum ducant, qui peculiaris admodum huic morbo est. Porro cum evacuatio omnis ante variolarum apparitionem potissimum medicamentis purgantibus fieri, & merito debeat, cum à circunferentia ad centrum trahant, ita post earum eruptionem, uno vel altero elapso die, sanguinis evacuatio sive per venæ sectionem, sive* D *per surarum scarificationē fieri permittitur. Sed id potissimum moliri debet quando plethora adest, quam medicus ex ægrotantis pueri habitu, & anteacto victu, ac symptomatis ęgrum ipsum occupantibus, exactè venari poterit, ut alibi quoque dixi.*

potissimum

Curatio

Curatio decimaseptima, in qua agitur, de puero continuo febriente, & in variolas postea incidente.

PVer natus menses sexdecim, cum cõtinuo febriret, & illi cruriũ scarificatio facta esset, in variolas incidit, ac intra paucos dies sanus est factus. Erat autem puer hic, filius illius, qui ex insulis Lusitaniæ naves duas ista tide oneratas, in Angliam vexit.

SCHOLIA.

PErvenerunt hac æstate ad manus nostras, plus minus centum quinquaginta pueri, variolis & morbillis affecti, ex quibus omnes evacuati evaserunt, alij vero quibus parentum culpa evacuatio facta non fuit, vitam cum morte commutarunt, numero tres, alij vero quatuor in ulcera difficillima & male morigerata pervenerunt, quæ cum aphtis communionem habẽt, & facilè in gangrenam abeunt, ijs similis superstes hodie est puer Anapi dictus, ulcus cavernosum & malignum, cubitum dextri brachij occupans, non nisi multis foraminibus perforatum habens. Animadvertant igitur medici Itali, quos in hoc morbo curando, plus justo segniores noto.

Curatio decimaoctava, in qua agitur, de variolis serpentibus, cutem tantum erodentibus, simulq. de earum nominibus.

PVer Altarasij variolis corripi cœpit, ex quibus nonnullæ percurrebant, ut miserum corpusculum intra duos dies ferè totum excoriatum reliquerint, serpebant quippe, ac cutem tantum exanthemata excoriabant, quę quoque alijs evenisse puerulis observavi. Contra quæ sic orsus sum, primo cũ materia hæc plus justo subtilis esset,

E eam obtundere conati sumus, nec tantum eam, verumetiã jocinoris & membrorum internorum malam qualitatem infringendo, ut ne de novo altera gigneretur. Sed id refrigerantibus complebamus medicamentis, ut syrupo rosato, de cycorea simplici, de endivia, de violis, adjectis similibus aquis, exterius verò jecur ex santalino unguento illinebatur, sed victus ad id multum faciebat, (qui ad frigidum cum humiditate declinabat, quibus omnibus materia crassior est reddita, & variolæ crassæ & amplæ apparere cœperunt: prædictę tamẽ excoriationes, quas nonnulli practici rubeas infectiones appellarunt, sic

F à nobis tractatæ sunt. Primò à propinato syrupo violacco solutivo, lactucæ aqua permisto, quo optimè egessit, sequenti lavacro ea lavari fecimus, ac postea panno lineo abstergi, & pulvere infra dicendo aspergi, habet autem lavacrum sic. Recip. rosarum rubearum siccarum, myrtillorum, foliorum lentisci, summitatum quercus tamarisci, ana. ma. 1. In aqua fiat decoctio sufficiens, quo decocto excoriatę partes laventur, & ut dixi, lineo panno absterfæ, sequenti pulvere inspergantur, habet autem

G pulvis sic. Recip. Thuris, mastichis, rosarum rubearum, sarcocollæ, ana partes æquales, fiat pulvis subtilis. At ubi unguento uti necessum fuit, albo camphorato, aliquando vero plumbeo usi sumus. Porrò Guilelmus Placentinus, vir me hercle sua ætate doctus, capite de Asahari, contra has rubras infectiones hoc utitur experimento, sulphur cum aqua rosacea misce, & eo prædictas illine infectiones, nos verò prædictas tantum usi sumus, & pueri sani & potentes sunt facti.

H

SCHOLIA.

MOrbilli & variolæ, cõmuni voce apud Galenum exanthemata appellantur, ut ex libro quinto Methodi medendi, elici potest. Hippocrates vero lib. tertio de Morbis populariter vagantibus, textu quinquagesimo primo, ea ἐκθύματα vocat, quæ interpretes Plinĩ sequẽtes, papulas, vel pituitæ eruptiones, rectè sane

ſane verterunt, ita enim Galenus, locum citatum enarrans tradit, apertũ eſt, ab ἐκθύειν, quod eſt erumpere, derivatum eſſe ἐκθύμασι, id eſt, papulis, nomen in his, quæ ſponte extuberant in cute, hæc conſtant ſuperfluis ſcilicet humoribus, atque qualitatem etiam non injuria ſub ſequuntur, quum tenues humores exulcerationem potius quam tumores creent, at craſſi in tumorem pellem attollant, liquet autem & cætera, hæc Galenus, per quæ non ſolùm prędictarum puſtularum deprehenditur nomen, ſed aliud majus elicitur, ſcilicet, quod variolæ à craſſiori (ut jam diximus) fiant materia, morbilli verò à ſubtiliori, qui morbilli inibi quoque ab Hippocrate ἕρπητες vocitantur. Nã Hippocrates, quum morbos in ea peſtilenti conſtitutione evenientes percurrat, ſubdit, ſerpentia ulcera multis magna, vel ἕρπητες multis magni, dicuntur autem magni, ut ibi Galenus notat, aut quòd multum occupent loci, aut quod adjunctam malam habeant exulcerationem, quorum utrunque vitio humorum oritur, & à medicis ſæpè notatur. In puero tame hoc, de quo curatio noſtra agit, morbilli excedebant, & multum ejus corpuſculi occupabant, unde jure herpetes, hoc eſt, ſerpentes, ſive excedentes, appellari merentur. Cęterum, non licet ab hoc loco, diſcedere priuſquã omnes hucuſq. practicas ſcribentes taxẽ, in lentium præcipuè, & earum decocti exhibitione, & primò, quantum lentes noxiæ ſint, & melancholicę, ac inſomniorum, & phantaſmatum generatrices, hoc in loco á nobis exponendum erat, ni ea in commentarijs noſtris ſuper Dioſcoridem editis, abundè enarrata dimiſerimus, ad eum igitur librum lectorem, ſi modò hæc noſse voluerit, diligentiuſq. excutere delegamus. Solent igitur omnes ferè practicarum authores, duplici intentione, lentes, vel earum decoctum variolis affectis porrigere, altera, quando variolas, vel earum materiam, ab internis partibus ad exteriores extrudere ſolicitantur, quod opus, quando variolæ erumpere incipiunt, confici debet, & tunc nonnulli lentium excorticatarum primum vel ſecundum decoctum ægrotis bibendum tradunt, non ſine ingenti tamen errore, quum lentium excorticatarum quodcunque ſit decoctum, maximè conſtringit, ut omnes fatentur medici, male igitur & contra rationem id propinant, ea præcipue intentione, ut materiam ab interioribus ad exteriora pellat, quum id officium ſit medicamentorum non adſtringentium, ſed aperientium, & materiam diſſolventium, ac ad cutem eam pellentium, ut per exteriora adplicita in ſudoris evocatione, in morbo Gallico ſæpè percipitur, quorum aliqua fortia & præpotentia ſunt, ut ex unguentum adornantibus, quo ſudor in morbo Gallico evocatur, percipimus, quibus addamus decoctum ligni Guaiaci, decoctum radicis ſinarum, decoctum rubi viticoſi, decoctum pyrethri, caricarum, ſmyrnij, anchuſę, aqua hordei ſaccharata, decoctum ſeminis fœniculi, apij, & ſimilium ſudorem evocantium, quorum nullum conſtringens eſt, ut jure dicendum ſit, decoctũ lentium excorticarum tantum abeſſe, ut ſudorem proliciat, ut id potius in totum compeſcat, ac conſtringat, caveant igitur medicam artem exercentes, ne deinceps pro variolis aut morbillis accelerandis, excorticatarum lentium decocto utantur. Alij vero pro hac complenda operatione, hoc eſt, pro evocandis variolis & morbillis ad cutem, non excorticatarum lentium decocto utuntur, ſed ipſarum potius integrarum, ac leviter coctarum primo decocto, quorum conatui refragari facile quiſque poſſet, & eo magis, ſi cum Marcello Vergilio apud Dioſcoridem legerimus, lens alvum cum ſuo cortice in cibo ſumpta compeſcit. At quum Hippocratem, hoc non excorticatarum lentium levi decocto, pro vomito proritando uti, ſæpe notemus, quod & alvum ciere Galenus teſtatur, non omnino extra rationem erit, eo pro hac complenda operatione uti, quanquã alijs remedijs ejus vice operari cõſultius eſſet, quorum nonnulla à nobis curatione decimaquinta ſcripta ſunt, præter quæ, alia ex radicibus communioribus, & ſeminibus, utpote apij, fœniculi, cari, petroſelini vulgaris, ſmirnij, caricis & ſimilibus confici poſſunt, ſaccharum tamen decocto ſemper miſcendo, & croci pauxillum. Altera intentione prędicti practicas ſcribentes, & omnes ferè hodie artem medicã exercentes, lentibus utuntur excorticatis, aut earum decocto ſecundo, vel tertio, pro variolarum & morbillorum condenſanda ac conſtipanda in initio materia, & ſi dijs placet, lentibus ipſis prius exaſſatis, aut combuſtis. Sed quonam errore norunt ij, qui curandi veram & germanam methodum, & viam habeant, & eo magis, ſi lentium exactam teneant naturam, mutuo enim nexu, ſimplicium natura cum methodo curatoria connectitur, ſed quod ij multis & varijs modis in hac lentium, & earum decocti propinatione, errent indicemus, & primo ſi verum eſt, quod Avicenna inquit, & poſt eum cęteri medici teſtati ſunt, quod variolarum & morbillorum ad cutem eruptio quędam à natura non ſolum conſtituta, ſed deſtinata criſis ſit, conſequens erit cum Hippocrate & Galeno aſſeverare, quod quando natura eam conficere tentat, tunc medicus materiam fluere diſpoſitam, condenſare, aut à via ſua cohibere non debet, ſed magis ipſam diſponere,

nere, ut per eam viam incedat, per quam natura conatur expellere, juxta illud Hip. Quo natura maximè vergit, per loca conferentia, eo ducere, nec enim obstat, quod tergiversator instare contra nos poterit, dicendo materiam esse multam, à qua meatus obstrui possunt, ad quam obstructionem, exitus materiæ non dabitur, sed ipsa potius intercipietur, quo factum est, ut lentes excorticatas, aut earum secundum, vel tertium jusculum concedere justum sit: quum nos pro hac humorum deponenda quantitate, evacuationes proponimus, tum medicamentis purgatorijs, ut manna, cassia fistulari, syrupo rosato solutivo, syrupo violato solutivo, tamarindis, rhabarbaro, agarici infuso, decocto senæ, & similibus: tum etiam per sanguinis missionem, sive per venæ sectionem, sive per tibiarum scarificationem, sive per cucurbitulas, secta primò cute, sive per hirudinum venis hæmorrhoidalibus admotionē, post quas evacuationes, quasi onere deposito, natura potentior supra residuum fit materierum, quas suo modo regulat & disponit. Si tamen materia subtilis fuerit, ad cujus exitum timetur alicujus membri læsio, ut sępe evenit, aut ulceris alicujus serpentis, & maligni eventus, pro qua incrassanda, lentes sic excorticatæ convenire videntur. Nos materiam sic subtilem refrigerantibus syrupis & edulijs crassiorem reddemus, quibus simul membrorum malam intemperiem emendabimus, ut in hoc puero, de quo agimus factum à nobis esse animadvertistis, quod opus nunquam lentibus conficiemus, cum præter quod sanguinem spissent, malam quandam illi addunt intemperiem, quæ atram bilem sapit, quia, quum melancholicæ ipsę sint, intemperiem à menstruo fermentum trahenti materię superaddunt: unde membra magis afficiuntur, & humor malignior evadit. Crassiorem igitur reddemus humorem, & membrorum malam intemperiem corrigemus syrupis, pręcipue de acetositate citri, de succo limonis acetoso, de succo acetosæ, rosato simplici, violaceo, de endivia, de cicorea simplici, jujubino, julebis refrigerandi vim habētibus, & alijs varijs, ut ptisana panatella adjecto amylo, aut jusculis pulli gallinacei, adjecta lattuca, scariola, cicorea, portulaca, endivia, cucurbita, jujubis, prunis, mixarijs, acribus cerasis, hordeo, oriza, & similibus, nō vero lentibus, hucusque a practicis in usum habitis, neque enim Avicennæ fides ulla in hac re habenda est, si modo excorticatis lentibus pro hac conficienda operatione utatur, quia Arabes & Iudęi Orientales, lentes in victus usu frequentissime habent, quia forte regionem incolunt calidam. Nam Avicenna apud Bocoram

E *oppidum, nimium Oromusio, Persię insulę propinquum, omnia sua opera literis mandavit, mediat autem Bocora, inter Halepum, inclytam civitatem, & Oromusium insulam dictam, in qua Lusitani nostri merces frequentissime exercent. Norunt hac qui ex Tripoli Syriæ, vel Damasco nobili & antiquissima civitate, in Indiam veniunt, quæ terrę omnes plus justo calidæ sunt, & earum incolæ lentibus in victu frequentissime utuntur, veluti olim Alexandrai solebant, ut testatur Galenus, cum de elephantiasi loquitur, libro artis curativæ ad Glauconem. Non est igitur quod medici Europęi lentibus pro variolarum & morbillorū curatione utantur, quando ipsę melancholicæ sint, sævos morbos inducentes, ut libro a nobis conscripto,* F *superius citato uberius exposuimus.*

Curatio decimanona, in qua agitur de puero ob variolas oculos clausos per triduum habente.

Filiolus Caretini Florentini, cum variolis torqueretur, & oculos clausos haberet, ita ut eos aperire nō esset possibile, ad eum fui accersitus, cui malo, G utpote oculorum occurrens, hoc fomentum parare feci, quo sæpè oculi perfusi, aperti sunt, & ex tenebris in lucē puer ipse revocatus, habet autem fomentum sic. Recip. fœnugræci, seminis lini, seminis cydoniorum, ana partem unam, malvarum partes duas. In aqua fiat decoctio sufficiens, ex qua oculi laventur. Sequenti verò die oculi adaperti sunt, in quibus nonnihil nebulæ conspeximus, quæ saccharo albissimo, & in pollinem redacto, H ter & quater in die immisso, ex toto ablata fuit, & oculi intra paucos dies immunes & liberi ac absterſi facti sunt. Aliquando tamen pro hac complenda operatione lacerti stercore usi sumus, vel ejus loco mucerda, veluti alijs potentioribus medicinis.

Curatio

Curatio vigesima, in qua agitur de verme ventriculum lancinante, & in lipothymiam ægrum trahente.

ERguas junior, natus annos quinque supra viginti, natura biliosus, vigente canicula, de capitis dolore, & membrorum lassitudine, cum quadam febricula conqueri cœpit, qui sic cõquestus per octo incessit dies, quousque tãdem in lecto decubuit, ad quem accedens medicus quidam illicò illi pharmacum purgatorium quoddam leve concessit, quo multa biliosa ejecit, à purgatione verò, sequenti die circa os ventriculi dolores pungentes interpellatim persentiebat, à quibus graviter torquebatur & angustiabatur, adeò ut in lipothymiam plerũque incideret, cum quibus omnibus & egerendi, & evomendi simul cupiditatem ferè continuam habebat, sed parum egerebat, & ructus per superiora tantum emittebat. Contra quas affectiones medicus assistens, venam in brachij curvatura tundere fecit, & sanguinem ad uncias quinque fluere, post quam sanguinis missionem æger gravius tulit, & symptomata omnia graviora sunt facta. Ad quem tandem vocatus ipse, considerans hunc de ventriculo conqueri, & in syncopim plerunque incidere, ac subversiones, & egerendi cupiditatem pati, judico huic aliquod noxium in ejus ventriculo prę cipuè infixum esse, quod natura cum expellere conabatur, irritata ex pultrice, nec valeret sibi noxium propulsare, motio illos concitabat. Suadet autem Galenus, quod quando ventriculi tunicis quid infixum est, tunc inanis fit evacuatio, & ructus tantum sequuntur, ut apud ipsum libro De locis affectis, quis legere poterit, ubi præcipuè de ventriculi affectionibus loquitur. Hæc igitur quum perpenderem, nihil tunc accommodatius remedium parari posse excogito, quam vomitorium aliquod remedium, & eo magis, quia plures aderant homines, de nobis aliquod magnum expectantes, præsens igitur quum adesset pharmacopola, illi jubeo sequens pararet vomitoriũ. Recip. seminis anethi, ceparum, rapæ, ana unciam med. In libris duabus aquæ fiat decoctio sufficiens, facta decoctione & colatura, adde oxymelitis simplicis, uncias duas, agarici in pollinem redacti, scriptulum unum. Misce, ex quo tepido libram integram & amplius bibat, quum verò primo ebibit, nihil evomuit, cæterum cum potum repeteret, ita in vomitum copiosissimum devenit, ut cum eo lumbricum justæ magnitudinis, album, crassum, prævivum ejecerit, à quo postea non sine artis medicæ honore, bene habuit, nec amplius in stomachi rosiones & lancinationes, quibus in lypothymiam & syncopim sæpè incidebat devenit, duobus porrò sequentibus diebus, jejuno stomacho, syrupum hunc ebibit. Recip. Syrupi de succo acetosæ, de succo ribes, de absinthio, ana unciã mediam, aquarum absinthij, graminis, ana unciam unam & mediam. Misce, & bis vel ter iteretur, ijs enim ita valuit, ut nec rhabarbaro, nec agarico, nec hiera picra, aut theriaca, aut potentioribus medicamentis opus habuerit. Porrò, cibus huic oblatus, primò panatella semine coriandri apparata fuit, postea verò pullus cucurbita & agresta conditus coriandri semine, & pauculo croco simul pistis respersus, potus vero, primo aqua ex decoctione seminis coriandri erat, por vermis vero ejectionem, vinum.

Curatio vigesimaprima, in qua agitur de puero variolas virentes & magnas patiente.

PVer obesulus, lividis & magnis scatebat variolis, quæ cum ad exiccationem difficulter venirent, eas acicula argenti perforare jussi, & saniem inde extrahere,

extrahere, quas postea ablui ex aqua de decoctionis rerum stypticantium & exiccantium fecimus, & brevi optimè habuit. Cæterum ex myricæ coma suffumigium paratum mirifice prædictas sanat variolas, ut autor est Avicenna. Vnguentum quoque ex cerusa confectum, nõ minus idem opus conficit, ut varia alia, quæ silentio prætermitto.

SCHOLIA.

Solebat Galenus papulas has, & ijs similes pustulas acuta acu perforare, & ab eis contentum humorem exprimẽdo deponere, & id non tantum semel, sed bis, & pluries cum opus erat, iterando, ut commentario tertio in librum Hippocratis De fracturis, enarratione quadragesimaquarta, meminit. Sed nunc pro compendio, ea, quæ à nobis sunt dicta, & ad variolarum & morbillorum curationem faciunt, referre nõ gravabor. Inprimis igitur scire debet, quod variolarum initio, ante earum eruptionem, quando symptomata infestant, & signa instant, tunc medicus ebullientem humorem omni ingenio evacuare debet. Si tamen evacuatio non sufficit, sed symptomata omnino ægrum infestant, tunc humoris effervescentiam medicamentis & cibarijs citatis obtundere conabitur. Sed id opus lentibus nunquam cõficiet. Cæterum, cum primum variolæ erumpere incipiunt, & extra emitti, protinus medicus ut ex toto exeant solicitus esse debet, potissimum medicamentis à nobis citatis, non verò rorentium excorticatarum decocto per se, vel alijs aperientibus misto. At si variolæ diu absque exiccatione perseverent aliquã tunc aciculæ, vel acu subtiliter perforari debent, ut in hoc puero factitatum animadvertitis. Porrò si variolę plures ita fuerint, ut crustam genuerint, quod sæpe evenire cernimus, eam emolliente decocto deponere tentabimus, apparato ex lini semine, fœnugræco, malvis, malvavisci radicibus, caricis pinguibus, adjecto (si placuerit) oleo violaceo, vel amygdalarum dulcium, quæ crusta deposita, si opus fuerit exiccatione, pulveribus exiccantibus à nobis citatis, vel decocto exiccandi vim habente, complebimus, aut pulvere orizæ, vel radicis cannæ, si verò stigmata adfuerint, tunc ad unguentum geminis dictum concurrendum est, & alia eo potentiora, quæ tractatu de decoratione à practicis inscripto, reperiuntur. Cæterum variolas & morbillos patientibus, melle, E *& piscibus salitis interdici debere, contra idiotas testatur Zoar libro Theisir.*

Curatio vigesimasecunda, in qua agitur, de apoplexia, ob ictum bombardæ exauditum superveniente.

INfans Benepesantis, ab ictu bombardę exaudito, totus contremuit, & turbatus fuit, sequenti nocte lac non suxit, flebat, & irre quietus permansit, sequen F ti die à prandio, apoplexia correptus fuit. Nam universum ejus corpusculum tremebat, labia torquebantur, & oculi ita elevabantur, ut foras exire viderentur. Cæterum, pulsus huic frequens, celer ac languidus erat, præcipuè dextri lateris. Nam universum sinistrum latus illico paralysi correptum fuit, & arteriæ suis motibus destitutæ. Porro à præsagio facto, quod puer hic intra paucas horas moriturus esset, post rutam ad ejus nares admotam, & oleum vulpinum nuchæ applicitum, & sanguinẽ G per tibiarum scarificationem extractũ, & cauterium prope nucham applicitũ, tertia hora noctis obijt.

SCHOLIA.

NOn est mirari, si ab ictu bombardæ morbus dictus, ex quo mors subsecuta fuit, ortum traxerit, cum perterrita natura spiritus animales ad cerebrum, tanquam ad arcem defendendam retraxit, cum quibus sanguinem plurimum secum quoque duxit, ad quem meatum coarctatio secuta est, & consequenter apoplexia, & paralysis, morbi perniciosi sunt orti, consequenter est hic adducere ea, quæ à Ga H *leno libro De theriaca ad Pisonem traduntur. Mulier utero gerens, solo tonitruo exaudito, & horribili quodam spectaculo viso, infantem abortivit.*

∴*∴

Curatio

Curatio vigesimatertia, in qua agitur, de febre sanguinea, cum pulicari morbo eveniente.

MAter Cidicarij, temperatura sanguinea, & annos nata circiter quinquaginta, febri sinocha affligi cœpit. Nam genæ, oculi, & universa ejus facies, rubore quodam afficiebantur, quin & in eis venæ tumebant, & rubricabant, continuo febriebat, pulsu quippe crasso, pleno, & veloce, quibus parũ vel nihil aquæ appetebat, sed difficulter respirabat, quam, cum sic affligi contemplarer, ejus internam brachij venã secare jussi, sanguinisque libram unam extrahere. Cæterum cum vulneratius nullam tundere potuerit, eam sic in phlebotomatam dereliquit. Sequenti verò die, pulicaris morbus per universam ejus cutem efflorescere cœpit, exanthematis quidem rubris, liventibusque nonnullis, quibus animadversis, illico diligentiori accersito chirurgo, mediã dextri brachij venam secare jussi, sanguinisque libram integram effluere, à quo detracto melius habere cœpit, tertio verò die, rigore mulier hæc oppressa fuit, quem febris secuta est, ad sequentem diem ordine quartum semper affligens, in quo sudor copiosè ejus universum irrigans corpus, supervenit, post quem libera & sana evasit. Instabat autem æstas.

SCHOLIA.

IN hoc morbo, pulicare symptoma superveniens, considerandum venit, quod quum lethale signum sit, morbi malignitatem & sævitiem protendens, morborum tamen initio plus periculi minatur. Sanguine tamen extracto, à cujus flore & subtiliori parte exanthemata hæc oriuntur, natura validior facta, materiæ peccantis residuum per sudorem expulit, unde ægrotans sana evasit, nec enim veritus sum, symptomate hoc apparente venam secare, & sanguinem demere, quum ingens ingruebat plethora. Cæterum tractandi sunt hujusce- D

A *modi febribus laborantes, sicut malignis & pestilentibus affecti.*

Curatio vigesimaquarta, in qua agitur de homine pituitosa febre laborante, & quindecim vermes per os emittente.

LVcas è Castello Bononiensi, vir obesus, & natura pituitosum, quũ febri pituitosa, vigente canicula, corriperetur, quindecim vermes intra novem dies per os, non nisi vivos emisit. Qui bono victus ordine gubernatus, ac oxy-
B melite in potu, syrupi vice, sæpè ebibito, hoc pharmaco liber evasit, ita enim pharmacum habet. Recip. diaphiniconis, drachmas tres, hieræ piecræ Gal. drach. unam & mediam, electuarij de psilio, drachmas duas, agarici, drachmã unam, cinnamomi scriptulum unum in decoctione graminis, & pituitam respicientium fiat potus, detur in aurora, & desuper per horam dormiat, hoc enim pharmaco & multa excrevit pi-
C tuitosa, ut sanus illico evasit, sequentibus tamen nonnullis diebus oxymel quoque sæpè in potu accipiebat, & in cibo ex coriandro præparata.

Curatio vigesimaquinta, in qua agitur de febre sinocha, in biliosam postea degenerante.

IOANNES Politianus, vir nobilis, & præfectus arcis Anconitanæ, Rebeliniæ dictæ, annos natus circa triginta quinque, robustus & fortis, quum ex bello inter Carolum Imperatorem, & Iulium tertium Põtificem maximum, contra regem Galliarum ob Parmam civitatem contracto, Anconã, vigente canicula, jussu excellentissimi domini Vincentij de Nobilibus, reverteretur, in morbum incidit: Is enim flagrante

bello, ſeptingenta vel octingenta milliaria equis diſpoſitis confecerat, unde ob bellicos labores & iter tantum confectum, in febrim lapſus eſt, & illam quidem ſanguineam, eſt nanque hic natura muſculoſus, fortis, rufus, temperatura ſanguineus, unde mirari non eſt, ſi in ſanguineam inciderit febrem, & eam quidem cæteris minus periculoſam, juxta Hippocratis aphoriſmũ. In morbis minus periclitãtur, quorum naturæ, aut ætati, aut habitui, aut tempori magis congruit morbus, quàm quibus ſecundum nihil iſtorum congruit. Cæterum, hic continuo febriebat, caput dolebat, & in ſcapulis & cruribus pondus ſentiebat, bilem primo die vomuit, ſecundo bolum ex caſsia fiſtulari comedit, quo optimè egeſsit, & nonnihil quoque vomuit, tertio vero die, ſanguis ex baſilica brachij dextri ad libræ unius põdus extractus fuit, & ille quidem correptus, ac infectus ad modum. Poſt quam ſanguinis miſsionem illico ſudavit, & melius habuit, quinto vero die frixit paululum, ſed poſt frigus febris gravis admodum cum ſtomachi dolore quodam ſubſecuta eſt, qui ventriculi dolor non ob bilioſi alicujus humoris influxum, ſed potius ob pituitoſum & flatulentum in eo contentum, ortum trahebat, ut ex ejus portiuncula per vomitum emiſſa, venati ſumus. Cæterum, ex ſanguinea febre, hæc in bilioſam degeneravit, unde duplex continua facta eſt tertiana, ſeptimo vero die, ab arce in palatium ductus, brevi ſanus fuit factus, primo tamen inciſuris ejus univerſa labia ulcerata fuere, interpoſitis porro nonnullis diebus, hic intentam febrim cum capitis & barbæ pilorum decidentia, incidit. Vigebat autem Gallicanæ ſcabiei humor, pro quibus affectioni bus deponendis, ad Guaiacum lignum confugimus, & ex toto ſanus evaſit.

(.·.)

E

Curatio vigeſimaſexta, in qua agitur, de muliere utero gerente, & continuè febricitante.

IVvenis utero gerens annos nata ſeptemdecim, temperatura ſanguinea, & bonæ habitudinis, vigente canicula, febri continua corripiebatur, caput dolebat, & circa coſtas & lumbos pondus ſentiebat, quin & in cruribus dolo-
F rem patiebatur, & tuſsi quadam ſicca premebatur, quam cum ſic vexari viderem, illico dextri brachij communem venam ſcindere feci, ſanguinisque uncias quatuor fluere, à qua ſanguinis miſsione hæc in ſudorem copioſiſſimum devenit, & melius habuit. Porro ſyrupi vice hordeaceam cum pauco violaceo julebo, jejuno ſtomacho, veluti poſtea, ad libitum ſuum capiebat. At cibus huic oblatus panatella primis diebus erat, poſt ſanguinis vero extractionem pulli gallinacei carnes, cucurbita & agreſta conditæ, ſed potus hor-
G deacea julepo miſta erat, quanquam gelidam magis appetebat, quam illi quoque lubentiſsimè elargiebamur, item, ut interdiu reficeretur, cucurbitã & lactucam ſaccharo conditam illi offerebamus, veluti pira ſaccharo incruſtata, quarto vero die, ejus extremæ partes aliquantulum frixerunt, ſed poſtea febris prædictis ſymptomatibus ſimilibus crevit, lotium ſubnigrum erat, pulſus craſſus, plenus, ſanguinis exuberantiam atteſtantis quinto die, lotium melius apparuit, ſed unum eſt, quod me-
H dicos torquet in prægnantium urina, quod cum in ea pendens, aut ſubſiſtens nebula apparet, judicium quod ab hypoſtaſi redecidente ab humore peccante, fallax plerunq. eſt, & eo magis, ſi priorum menſium mulieres prægnãtes ſint, quum in ipſis bene quoque valentibus, urina pendente nebula ſemper cernitur. Cæterum, cum primam ſanguinis miſsionem juvenis hęc enixa ferret, & de ilium dolore quereretur, ne in abor

tum

tum laberetur, secūdam sanguinis missionem differebamus, at quum morbus eam omnino postularet, ad eam exercendam condescendimus, quam optime sane tulit, & melius se habere dixit. Sana porrò facta, sexto impregnationis mense, ex se abortivit, an vero ob contractam à morbo debilitatem, & sanguinem bis extractum, dubito, certò tamen scimus, Cornelium Celsum divine prorsus in hac re locutum esse, cum libro suæ medicinæ scriptum dimiserit, quod quum pregnans ægrotat, non tam ejus virium robur pro morbo præsente deponendo, a medico attendendum est, quantum ad futuram ejus parturitionem.

Curatio vigesimaseptima, in qua agitur de febre sanguinea, quarto die terminata.

VIgente Canicula, uxor aurificis, natura gracilis & exilis, annos nata octo supra viginti, & quæ puellam lactabat, sanguinea febri correpta fuit, quæ facta illi venæ sectione in brachij curvatura, & sanguinis uncijs quinque extractis, melius sensit: eo tamen tempore quo sanguis fluebat, in lipothymiam incidit, qua de causa laxato ligamine, & digito vulneri admoto, & sanguine retento, ac naribus aceto rosaceo applicito, pauculaque gelida deglutita, ad se redivit, & sanguinem postea in totum juxta prædictam quantitatem fluere dimisimus, ab extracto vero sanguine syrupum hunc ebibit. R. Sy. rosati simplicis, unciam unam, violacei, unciam mediam, aquarum violarum, endiviæ, ana uncias duas misce, fiat syrupus. Ebibitis vero quatuor syrupis, & optimo victus ordine constituto, quarto die in sudorem copiosissimum lapsa est, & à febri libera evasit, neque purgante pharmaco opus habuit, grassabantur autem ea æstate mitissimæ hę febres. Cæterum elapsis octo diebus, A hæc in morbum recidit, & acuta febri corripiebatur, contra quam universi conatus nostri eo dirigebantur, ut in fixam febrem, hecticam Græci dicunt, non deveniret, & hac de causa ad balneum, præcedēte levi per pharmacum evacuatione, confugimus, quod habet. R. Malvæ, violariæ, rosarum, fænugræci, foliorum lactucæ, ana manip. j. In libris viginti aquæ fiat decoctio sufficiens, cui postea percolato adde olei violacei libram unam, misce, & eo lavetur, quod si balneo delectetur, vesperi quoque in eo ut natet concedatur. Porro à balneo hoc inungatur linimento, B quod ex lacte muliebri cū agrestæ succo simul mistis constat, vel hoc unguento. R. butyri recentis uncias tres, olei violacei uncias duas, succi agrestæ, uncias tres, camphoræ scriptulum unum, misce, fiat linimentum, plura vero alia à nobis in hac curatione peracta, silentio prætermittimus, quibus & citatis, sanitatem obtinuit.

SCHOLIA.

SYnochus febris, etsi corpora robusta, sanguinea, & florida plerunque amet, & infestet, ut docet Gal. libris Methodi medendi, & alibi, & gracilia tamen plethora affecta, invadere quoque solet, ut in hac percipitur muliere. C

Curatio vigesimaoctava, in qua agitur de Angina.

LVCAS Bonaventuræ, Camoratensis, vir triginta annos natus, fortis & robustus, vigente canicula, angina perdifficili oppressus fuit, quæ tracheam arteriam magis, quam gulam D occupabat, ut ex ijs deprehendebamus signis, stertebat, & difficulter respirabat, cum quibus liquida illi oblata, optimè deglutiebat, tumor in collo sub mēto, ubi asperæ arteriæ caput multis sępè apparere solet, aliquātulū prominebat.

Continuò febricitabat, & vires illi succumbebant, opprimebanturq. Sed & eius lotium crassum iumentorum modo erat, quibus omnibus animadversis, cum morbus hic acutissimus sit & periculosissimus, mortem suffocatione trahendo, omni diligentia contra eum invadere opus erat, tardare enim in ijs, morti habenas est dare. Protinus igitur, alui excrementis per acrem injectum clysterem depositis, cephalicam dextri brachij venam incidere jussi, & ex ea sanguinis uncias octo fluere, non minus quoque gargarismum quo gargarizaret descripsi, & ita habet. R. syrupi de ribes, rob mororum, ana unciam unam, aquarum plantaginis, stipitum rosarum, ana uncias octo. Misce, fiat gargarismus, quo sæpè gargarizet. At foris, ubi tumor in collo apparebat, ioc° oleo chamomellino superaddita succida lana, fotus fuit, vesperi verò ex sinistra saphena, sanguinis quoq. media libra fuit extracta, sequenti verò die, cucurbitulæ ad primam vertebram & scapulas sunt applicitæ. Veluti frictiones & retractiones, quæ quoque manũ & pedum extremitates in aqua calida mittendo, fieri solent. Cæterùm cùm febris maximè vigeret, ab hac diversione nos distraximus. Olei tamen vice, quod foris admovebatur, emplastrum hoc apponi jussimus, quod habet. Res. radicum altheæ, foliorum malvarum, ana man. j. radicum lilij albi, nu. ij. ficuum pinguium, nu. x. in aqua fiat decoctio, donec mollescant, dein in mortario optimè pistentur, & per setatium transmittantur, quibus postea adde, farinæ hordei, seminis lini, fœnugræci, ana pugill. j. cineris hirundinum uncias duas, stercoris canini, præcipuè aridi & albi uncias totidem, farinæ chamomillæ pugill. unum & medium, decocto prædicto omnia excipiantur, & fiat emplastrum, cui adde olei chamomellini, rosacei, ana unciam unam & mediam. Misce, & ad ignem parum tractetur, & collo affecto applicetur. Porrò hujus emplastri vice, stercus caninũ aridũ pistũ, & melle exceptum, & dolenti

E loco admotum præstantissimum est remedium, item cinis hirundinum crematarum efficax quoque remediũ est, si modò cum melle quoque admoveatur. Tertio vero die, quum morbus eo dicto modo perseveraret, ad venas, quæ sub lingua sunt, incidendas devenimus, ex quibus sanguis copiose admodum extractus fuit, à qua sanguinis missione, tunc inflammatio minui cœpit, & hoc altero gargarismo uteretur suasimus, qui habet. R. oxymelitis simp. uncias duas, aquarum hyssopi, farfaræ, ana uncias octo. Misce & sæpe utatur, nam & oxymelite cum hordeacea sæpe in F potu utebatur, quo multa viscida emittebat sputa, adeò ut intra septem dies basilicè habuerit. Huic victus, primis diebus juleb violaceum cum hordeacea erat, postea verò ex capone aqua per campanam destillatitia. Cæterum, quum bene valere cœpisset, ex utriusque brachij dolore cõqueri cœpit, adeò ut postea ambo ad inflammationẽ pervenerint, & consequenter ad suppurationem. Sed flebotomo adapertæ, & sanie ut decet extracta, & turundis immissis, intra paucos dies sanitati utrunque brachium restitutum fuit.

G

SCHOLIA.

NON enim ob nervum, aut arteriam punctam, cephalicæ venæ subjacentem apostemata hæc ortum traxisse dicendum est, quũ cephalica vena utrisque, hoc est, nervo & arteria careat & ideo cæteris duabus venis, quæ in brachij curvatura præcidi solent; securius tunditur, ut suadet sæpe Ga. & Avi. ac cæteri scribentes medici firmant, quibus omnibus favet corporis dissectio, quæ ita esse testificatur. Ob humoris igitur copiosioris & maligni con- H *cursum, ad brachia, eo tempore, quo venę tundebantur, apostemata hæc originem traxisse, consultius asserere videtur, ut Lubelo quoque evenisse observavimus, de quo plura dicturi sumus.*

(? § ?)

Curatio

Curatio vigesimanona, in qua agitur, de angina, quæ sola cerea candela tractata, disrupta fuit, & eam patiens, brevi sanitatem obtinuit.

GRæcus, qui angina afflictabatur, & ad portum habitabat, post multa illi adhibita remedia, ad eum perveni, quē cum sic laborátem conspicerē, & ceream candelam illi per os tentandi gratia immitterem, repente pus per B os effluere cœpit, & ipse à tam sævo morbo liberari, deploratum autē medici ipsum reliquerant, & ut strangulatum, deiectum habebant.

SCHOLIA.

Bona fortuna inflammatio disrupta est per ceream candelam immissam, & ipse tandem ab orci faucibus liber. Cæterum, quū hæc sic successerant, in mentem venit Zoar libro primo sui Theisir, cap. 13. & 14. in quibus de angina & tracheæ arteriæ inflammationibus agit, quas ibidem ferro incidere docet, ut in capra primo fecisse memorat. Sed diligentius opus hoc ex Antillo docet Paulus Aegineta, libro sexto suæ medicinæ, capite trigesimotertio. Hunc porro ægrotantem nostrum, a somno arcebamus, ut in omnibus internis inflammationibus suadetur, non minus quoque post inflammationem disruptam & apertam, aqua mellis sæpè gargarizaret suasimus, veluti elapsis nonnullis diebus gargarismo constringente, & ulcus consolidante, Zoar vero pro hac complenda operatione, nucum cupressi, subtilissimo pulvere resperso utebatur, ut citato tradit loco.

Curatio trigesima, in qua agitur, de colico dolore infestissimo, choleræ morbo complicato.

VXor Xabibij, iuvenis potens, facie alba, oculis parvis, annos nata A septem supra decē, puellam lactabat, quæ vigēte canicula assiduo fructuum horariorū esu in colicam passionem choleræ morbo complicatā lapsa est. Nam sævissimo & pernecante dolore prope umbilicum cruciabatur, cū quo multa infra, supraq. biliosa & pituitosa excremēta emittebat, ad quā accersiti nos, illico Philonis medicamenti, drach. 2. pauco generoso vino excepti, illi in potu dedimus, quo tametsi nonnulla quoque evomuit, brevi tamē sopore victa quievit, & ab hoc truculēto & pernecante dolore libera evasit, foris porrò locus dolore affectus, unguēto populeone, opij uno vel altero B grano admisto illitus fuit.

SCOLIA.

Adeo dolor iuvenem hanc cruciabat, ut ad se universam evocaverit curationē, qua de re ad sōmifera medicamēta, quæ Græci anodyma, vel ut G. libris simpl. vocat, improprie anodyna, confugere opus fuerit. Cæterū ęgrotantis huius vires lababant, non adeo tamen postremè, ut resistere non possent, quippe quando vires vehementer resolutę & debiles sunt, non modo symptoma sedare, sed etiam C vires ipsas edulijs, & cito reficientibus cibarij firmare properamus, ut uberrimus, & perennis ille fons Galenus, á quo omnes cantaros suos impleat, Medendi methodi libro duodecimo docet. Cæterum cùm inter cætera anodyma hoc medicamentū, quod Philoni medico Tharsensi inscribitur, primatum, etiā (Galeno testante) haberet, eo usi sumus, quod vero drachmas duas boni ponderis dederimus, id in causa fuit quod antidoti vires languebant, & ob eius vetustatem, parum illi fidebamus, decem autem ætatis suæ annos superabat, ut enim Philonium (vel quodcunq. aliud opiatum medicamentum, ante sex a compositione menses, vel securus, ut Gal. ante annum, libro 12. Methodi medendi, capite pri-D mo tradit, utendum non est, ita post decennium à compositione sua, vires suas amittit: optimi autē, & bene cōpositi, ac potentis Philonij dosis tælis à priscis describitur. Pueris dat ciceris quātitas, debilib. fabę parvæ, grandiorib. et robustis, avellanę, vel, ut Mesuæ placet, scriptulorum pondere quatuor, regulariter porrò, quū operamur Philoniū, aut quodcunque aliud opiatum, non nisi peractis totius cor-

poris prius idoneis evacuationibus propinandum est, neque id quidem, nisi quinque horis ante cibum, stomacho vacuo sumendum. Describitur autem antidotus Philonis hec, vel antidotum Philonis hoc, à Galeno libro 9. De composit. medicament. sec. locos, cap. 4. quas Mesue, in suo antidotario citat, & vice euphorbij castorium miscet, capite tamen de sputo sanguinis, idem Mesues aliud describit Philonium, quod persicum, fortè quod in Perside inventum appellat, sanguinis eruptionibus, & catarrhis apprime conveniens. Nicolaus verò, in suo antidotario, philonium ab eo descriptū, Romanū appellitat, ex Avicenna fortè libro suo quinto, quia Romę in frequēti usu erat. Rationi vero reddita, quod duas philonij drachmas huic dederimus juveni, addas, quod cum generoso & mero vino dissolutum propinavimus, secundo juveni robustæ & calidæ, tertio, quod materia peccans calida erat, quarto, vigente maximo æstu, quinto, quia ægrotans multum vomebat, quod unum maximè attendendum erat, quia antidoti maximam partem vomitu remittebat. Cætera vero & lectu digna, huic rei facientia, legito apud nos curatione nonagesimaquarta, quarta centuriæ.

Curatio trigesimaprima, in qua agitur, de febre putrida continuo affligente, dèque magna sanguinis missione.

PRæfectus Bergantini navigij ab Arbi Venetorum imperio subjacente oppido, vir omnium, quos vidi robustissimus, fortis, pectus perlatum habēs, hirsutum, putrida quadam continua corripi cœpit febri, caput & thoracem, cum scapulis, & universi corporis ambitu dolebat, impetuose in lecto movebatur, non quiescebat, & dolorose gemebat, huic pulsus robustus admodum erat, & urina crassa & rubra, quibus omnibus animadversis, illico chirurgo accersito, venam jecorariam dextrā aperire feci, & ex ea sanguinis libras quatuor simul fluere, & nisi enim in lipothymam incidisset, plus emittere decreveramus. Mulier vero Illirica asistēs, hujus curam habens, cum sic eum exa-

E nimatum videret, sua lingua, me hominem interfecisse clamabat. Ego vero tum temporis medicorum recordatus, quibus similia evenerant, subrisi, bono esset animo subjungens, quum ea sanguinis copiosi extractione, morbum in totum extirpaveramus, & ægrotum à morbo liberaveramus, ut sequenti die ipsa visura erat, curaret tamen illi, ptisanæ optimè concinnatæ, una vel altera interposita hora, scutellam in victu dare suasi, demum sequenti die ad eum de more accedens, ipsum sanum, & à
F febre liberum, ac si nunquam ea laborasset inveni, hominem sanè gratum & bonum. Nam inter cæteros pisces, quos mihi postea attulit, notatu dignus merula fuit, colore niger, sed figura tincarum, cui Galenus, libro tertio De facultat. alimentorum, capite vigesimooctavo, inter saxatiles, secundas præbet.

SCHOLIA.

OBjecerunt per jocum Galeno nonnulli asistentes, quando juveni palęstræ perito, ad animi defectionem sanguinem mittere febris causa mandavit, quòd febrem jugularet, videntes utique post sanguinis copiosissimam
G *extractionem, quod alui fluxus & bilis vomitus, illi supervenerint, & consequenter sudores & madores, unde postea omnes riserunt, libro nono Methodi medendi, capite quarto. At postea ministri quum ægrotum dormientem à sudore abstergerent, & ipsum non expergisci viderent, altum & profundum somnum illum esse, Galenum fortè pungentes, quod hominem interfecisset tanta sanguinis extractione, dixerunt, in quem sensum Rasis, & cęteri plures medici historiam narrantes deflexerunt, quanquam Galenus hoc non dicat, sed simulando ministris respondeat, abstergite madores, tametsi non sentiat, pergite, ita facite: quia ho-*
H *mo à febri jam liber est. Cæterum, inquiret doctus medicus, quantum sanguinis ab isto juvene Galenus demere jussit. Cui nos respondemus, quod & si hoc in loco siluerit, ad animi defectionem evacuationem factam, tantum memorando, libro tamen De curandi ratione per sanguinis missionem, aperte exposuit, cum dicat, capite decimoquarto, memini enim, quibusdam ad sex usque libras, sanguinem detractum fuisse, ita ut febris protinus extinguere-*

tur,

tur, nec ulla sequeretur virium afflictio, ut ex ijs verbis liquido constet, ex prædicto iuvene sex extractę fuere sanguinis libræ, & illę quidem una vice simul. Solebat autem Galenus ijs magnis sanguinis extractionibus, ubi opus erat, uti. Nam in suburbijs Romanę urbis, divitis œconomo, prima protinus detractione tres sanguinis libras exhausit, quum oculorum malam affectionem pateretur, & postea integram, ut confestim sanus evaserit, & res incantationi similis visa fuerit, nos vero ab hoc nostro ægroto quatuor sanguinis libras extraximus, post quam sanguinis missionem, bilem plurimam vomuit, & protinus sudavit, & sanus evasit. Cæterum hanc sanguinis copiosam extractionē ad animi deliquium, quam Græci lipothymiam dicunt. Averrois Cordubensis libro septimo sui collectarij, capite octavo detestatur, & eam Galenum admittentem reprehendit; imo in eum tres adducit rationes, quas ut nullius momenti prętermittimus, quum copiosa hęc evacuatio ubi convenit, proficua sit, & ex ea multa oriū tur iuvamenta. Primum totius corporis, fit refrigeratio, illiusque transitus in habitudinem contrariam. Secundum, alvi respondentia, & bilis vomitus. Tertium, sudor universum irrigans corpus. At Averrois ignarus vocum pro lipothymia, syncopim intelligit, iubet autem Galenus copiosam sanguinis detractionem ad lipothymiam moliri, non vero ad syncopim, quia lipothymia animi est deliquium, cum pulsus perseverantia, syncopis vero, pręceps viriū lapsus cum destructione fere virtutis motivæ & sensitivæ, ut a Galeno desumitur libro 12. Method medendi, & ab Avicenna Fen undecima libri tertij, tract. secundo capite sexto. Gravior igitur syncopis est affectio, quam lipothymia, & consequenter, ut in syncopim ęgrū trahere est periculosum, ita in lypothymiam nō admodum grave, dexter tamen & exercitatus apprime sit medicus decet, qui hanc sic copiosam sanguinis missionem moliri iubet, quū multi ob medicorum imperitiam, quibus sanguis multus extractus fuit, mortem obierunt, ut tribus evenisse meminit Galenus, libro De venę sectione cap. 12. Alij vero si non mortui fuerunt, in graves tamen morbos inciderunt, ut idem libro nono Methodi medendi refert.

Sciant tamen, qui hæc legerint, si quis modo legerit, Galen. in suis sanguinis missionibus fere semper ad minus libram unam sanguinis extrahi iubere, ut ex libro De venis sectione, capit. 13. percipitur, præcipue cum de puero loquitur, quanquam inibi aliquando minus cotyla, vel libra, exhausisse se dicat.

(§)

Curatio trigesimasecunda, in qua agitur, de cancro in mamilla.

MOnacha divi Bartholomæi, & neptis Balduini Florentini Episcopi Anconitani, annos nata triginta, hęc cum multum sudaret, & cordis palpitationem persentiret, quam non tantum faciebat, quantum sudoris per universum corpus superabundantiam, quem difficulter ferebat, medicum ad se convocavit, quem suppliciter obsecrat, ut remedium contra affectiones prædictas machinetur. Nam a tanto sudore vivere se non posse ait. At medicus considerans sudorē hunc triplici de causa evenire posse, ut docet Galenus libro tertio De symptomatum causis, aut ob corporis raritatem, aut excrementorum tęnuitatem, aut ipsorum abundantiam, demū ob tertiam, sudorem in hac muliere oriri, nonnullis medijs auguratus est, quem ut interciperet medicamentum purgatorium, quo excedentes humores deponeret, illi bibendum obtulit, an vero levius quam decebat, dubito, evacuatione vero qualicūq. peracta, medicamenta humores condensantia & adstringentia illi propinavit, & balneo vires obstruendi habente, eam lavari persuadebat, ex toto vero sudore intercepto, elapso uno vel altero mense, ecce mulier hæc in papilla dextri uberis pruritum quendam sentire cæpit, cum quo punctiones & lancinationes quasdam, velut acu factas, non sinę gravi gemitum interdum patiebatur. Nam & papilla ipsa crassiuscula apparebat, cum quibus aliquando febricitabat, sed non propter hæc à functionib. suis destituebatur. Omnia etenim cœnobio pernecessaria, ut cæteræ monachę, ipsa quoq. exercebat. Ad hãc igitur accedens, omnia, ut decet, considero, & paucis morbum gravissimum, ac perniciosissimum esse, ex quo mors certa subsecutura esset, ni Chironis, aut Aesculapij

culapij manu curaretur, expono. Contra morbum igitur atrocem impetentes nos, qui proculdubio cancer est, primo recordati Hippocratis oraculi lib. sexto Aphorismorum, cancros occultos omnes melius est non curare. Curati enim cito pereunt, non curati vero longius tempus perdurat, quod de operatione manuali, vel topicorum remediorũ supra eos applicatione intelligi debet, secus autem de humorum melancholicorum, & atrabiliorum, ipsos præcipue foventium, multitudine deponenda, universum corpus per medicamenta melancholiam respicientia purgavimus, & per syrupos & apozemata, eadẽ primo disposita, quæ inferius describemus, nec minus per sanguinis missionem, evacuatio quoque facta fuit, quibus omnibus peractis, ac victus ordine, ut decebat, constituto ad topica medicamenta condescendimus, & primo sic, Recipe Succi plantaginis, solani, sempervivi, ana uncias duas, pulveris plumbi usti, & sæpe aqua rosacea lavati, unciam unam, thuris unciam mediam. In mortario plumbeo, cum pistillo quoq. plumbeo, sæpè omnia tractentur, & ad solis radios quousque optimè incorporentur, exponantur, in quo lini pannus imbutus papillæ applicabatur, & sæpè innovabatur, quo remedio melius habere dixit, & merito sane, quia medicamentum hoc humoris infringit acutiẽ, & eius hebetat sævitiem, in quẽ usum multa alia remedia excogitari possunt, quæ Avicenna Fen tertia libri quarti, capite octavodecimo secundi tractatus, prosecutus est, & neoterici id frequentissimè in usum trahunt, universus tamen noster conatus eo dirigebatur, ut cancer hic remoraretur, in altúmve amplius non cresceret, qua de re prædicti medicaminis vice, laminam plumbi mamillæ figuræ concinne adaptatam imponeret, neque alia remedia supra locum læsum permitteret, consului. Novi autem ipse nonnullas mulieres cancros in mammis habentes, solo bono vitæ ordine, absque ullo medicamentorũ topicorum irritamento, per longum vi-

E vere tempus, ita incolumiter, prospere, & sane, acsi nullum paterentur morbum, ex ijs vero una superstes est Venetijs, nobilis uxor probi viri Alfonsi à Cavalleria, quæ abhinc triginta & amplius annos, cancrum in mamilla habet, absque ulla tamen offensa, cui tamen ipsa nunquam remedia admoveri concessit, sterilis namque mulier hęc est, in primam ingressa senectute. Cæterum ægrotans nostra prædictis non cõtenta remedijs, tametsi recte valeret, alios tamen convocat medicos, & plu-

F res invitat chirurgos, ut medicamentis, & remedijs morbum omnino depellant, nam ferro eum avelli semper recusarat. Ego vero elapsis duobus annis, cum ad eam reversus (Deus bone) ipsam parvi tuberculi loco, exulceratũ cancrum, magnæ molis, multis cavernis cuniculosum, aspectu tetrum, labra crassissima, ac monticulorum instar habentem, pati comperio. Sed & radices ita complantatas cancer hic habet, ut corporis penitiora loca occupare credẽdum sit. Voco autem cancri radices, Galeni more, libro Aphorismorum sex-

G to, enarratione trigesimaoctava, venas atro & melancholico sanguine plenas, & quæ usque ad loca circunstantia distenduntur, quanquam & proprias sibi quoque vendicet radices cancer. Confirmatus igitur cancer hic est, nullam præter blandientem curam permittẽs, cuius curandi modi Galenus prædicta enarratione meminit, cum dicat, alterum autem curare est, eam adhibere providentiam, quæ passioni congruat, hoc est, ipsam mollire, ac mitiorem fa-

H cere, & tum præcipue cum adest exulceratio, tunc enim est necessarium, ut si non aliud agamus, saltem saniẽ abluamus, humido aliquo utentes non quocunque, sed vel per experientiam, vel per indicationem invento, quod neque putrefacere, neque irritare partem patientem sit natura aptum. Hunc porro quem Galenus curandi modum mitigatorium, vel demulcentem, aut blandientem appellat, rudioris medicinæ authores, paleativum vocare solent, & quẽ

nunc

nſic chirurgici in hac noſtra ægrotante tantum exercent. Cæterum cancroſus tumor hic,ſui initio, quo merito ſchirrus appellari poterat, ex integro opera manuali eradicari debuerat,ut Avicenna præ cæteris clarius commendat, a nobis citato loco & Galenus ante eum non ſiluit libro quartodecimo Methodi medendi, vidimus autem nos carcinomata(interim parva erant,quæ ut dixi,ſchirri tunc dici merentur) mammis, & alijs inſita membris, novacula dextrè extrahi,a quibus extractus ſanguis ex ſubſiſtente loco multus fluebat, ac poſtea cādente ferramēto,ſi quæ undiq. in loco manebant reliquiæ,cancrive ſemina, optimè exurebantur,& proſpere ſemper ſubſequebatur, quod perinde nonnullis exulceratis corporis ſuperficiem occupantibus fieri obſervavimus,imo ex integro mulieri cuidam Venetæ ob cancrum dextra mamilla inciſa,& extracta fuit,& optimè poſtea vixit, id quod ante nos quoque plures viderunt medici,& literis mandarunt, quod mirum videri non debet, quum Amaſonibus puellis matres dextram mammam auferant, & æreo quodam inſtrumento in hunc uſum parato,igneque candefacto eam exurunt. ne iterum ſuccreſcere contingat,atque ut omnis vis ac robur,in dextrum humerum & brachium deferatur, ut narrat Hippocrates aureo illo libro, De Aere,aquis,& locis. Hæc vero mulier,quia inciſionem ſemper renuit, & varia localia medicameta admoveri permiſit, in obitum poſt paucos dies,ut antea prædixeramus,devenit,ut uxori Sebaſtiani Pinti contigit,de qua prima Centuria facta a nobis mentio eſt.

B

C

SCHOLIA.

CARSINOSI tumores in omnibus conſueverunt fieri corporis partibus,ſed præcipue in mamillis mulierum,quando potiſsimum naturali ſua purgatione privantur,ut teſtatur Galenus libro Artis curativæ ad Glauconem ſecundo capite decimo,& libro quartodecimo, Methodi medendi,quorum originem ad dignoſcendi rationem,ante eum, divinus Hippocrates proſequitur, lib. 2. De morbis muliebribus. Zoar vero in cruribus potiſsimum cācros naſci, libro ſecundo ſui I heiſir,cap vigeſimoſeptimo contendit. At nos huc uſque unum tantum in cruce cancrum patiente vidimus, plures vero qui in mamillis, mento,& locis ade noſis,ut collo axillis, & inguinibus.In corporis vero partibus penitioribus cancri ſæpe naſcuntur, palato,ſede,& utero muliebri, ut ex Galeno deſumitur libro ſexto aphoriſmorum enarratione citata, quo in loco idem Galenus cancros occultos appellat, nō ſolum eos, qui abſconditi ſunt, & non apparent ſed eos qui apparent, & ſine exulceratione ſunt. Cæterum, cancer ab humore melancholico fit, ex quo & elephantiaſis, & varices. veluti affectiones aliæ variæ,ortum trahunt,Nam elephantiaſis, univerſalis cancer eſt. At cancer latent, & citra vlcus, ut ab humore melancholico miti oritur,ita exulceratus ab acriori & contumatiori fit,ut docuit Galenus libro de atra bile,& varijs alijs locis.Porro carbunculus ab humore quoque fit melancholico, fervido tamen,& ſupra modum calido,ut eodem loco teſtatur Galenus, & libro quartodecimo Methodi medendi,velut libro De tumoribus præternaturalibus.Quantum vero ad cancri curationem attinet, tradit Galenus libro ſecundo artis curativæ ad Glauconem,cap. 10. quod in mamillis ſæpe tumorem figura animali cancro per ſimilem vidit, quem morbum ille per ſui initia medicamentis atram bilem educentibus ſanavit. At ubi in molem inſignem prdictus tumor attollitur,curari ſine chirurgia non poteſt. Ego vero parvos & magnos cancros,aut omnino topicis medicamentis non eſſe irritandos,aut ex integro, ferro extirpandos ſuaderem,modo tamen locum occupent idoneum, circa quem manuale opus exerceri debite poſsit, & ab arteriarum & vaſculorum aliorum multitudine primum, cum ijs tamen conſulimus,ut æger cancro laborans,optimo,ſed continuo vitæ ordine ſemper perſeveret, item quod cum medicus ſæpe ab humore expurget melancholico, tum ſanguinis miſsione per venę ſectionem,aut mariſcarum apertionem, tum etiam medicamentis ipſum humorem reſpicientibus. Nam tūc ſi ex ſe cancri delituerint,quod haud credo, bene erit,ſin autem ad inciſionem & opus manuale devemiendum eſt nec enim tunc,quod alter denuo ſuperveniat,timere eſt,cum melancholici humoris,qui in corpore vigebant ſemina, cum aſsiduo,ſed optimo vitæ ordine, tum ſæpe repetita evacuatione, ex integro fere extirpata ſunt,neq. vereri eſt, tempore,quo fit inciſio,morbus ad alteram derivetur particulam

D

lam, ut illi contigit mulieri, de qua ab Avicenna facta est mentio, cui altera mamilla cancro affecta, & radicitus extirpata, altera cancrosa confestim evasit, quum melancholici humoris vice optimum sanguinem in corpore repositum esse, ex optimis acceptis edulijs, & assidua repetita evacuatione, præsupponimus, cæterum medicamenta melancholiam mitigantia, & eam evacuantia referre ad præsens minime gravaret, ni Centuria prima, id confectũ haberẽ, ea præcipue curatione trigesimaprima, in qua de cancroso tumore sermonẽ fecimus.

Curatio trigesimatertia, in qua agitur, de causone infestissima affligente.

IVVENIS de Castello Avite, natus annos circiter triginta, natura biliosus, ad ustionem inclinans, vigente canicula, cum puella coivit, sed ita laboriose, ut genitale semen coitus tempore non emiserit, ab hoc igitur contracto labore, & humorum agitatione, ac membrorum lassitudine, in causonem sive ardẽtem febrem hic lapsus est, caput dolebat, continuo febricitabat, siti intensissima cruciabatur, & oris amaricatum ingens patiebatur. Primo igitur ad hũc accedens, considerans eum multum bilis extravasatæ in stomacho, & alijs locis habere, hoc minorans pharmacum illi propino, quod habet, Recipe Syrupi violati solutivi unc. tres, diacatoliconis, drachmas tres, diaphiniconis, drachmã unã, aquæ lactucæ ex infusione Tamarindorũ, ũcias quinq. misce, fiat potus unus, & detur in aurora ieiuno stomacho, quo alvus optime respondit, & biliosa plurima excreta sunt. Secundo vero die, lotium crassiusculum erat, & bene rubrum, proinde iecorariam dextram secare fecimus, & sanguinis uncias octo fluere. Sequenti die, totidem sanguinis unciæ ex basilica sinistra sunt extractæ, sexto ad hunc alter ingressus medicus, eum debilem esse, & viribus prostratum dicit, qua de causa illi panẽ
E vino intinctum concedit, ex quo parũ abfuit, quin æger tunc ex vita discesserit, ita sæva illi suborta sunt symptomata, nam & deliravit, quod antea illi nunquam contigerat. Tunc septimo, nos illi aquam, in qua psilij semen maceratũ fuerat, in bona dedimus quantitate, à cuius potu membra totius corporis refrigerari cœperunt, & ipse melius se habere. Porro hucusque syrupos huic refrigerantes, cum debito victus ordine & alijs pernecessarijs tribueramus, qui ita habent. Recipe Rad. endiviæ, cicoreæ, buglossi, nimphçæ ana ma. 1,
F hordei mundi, pugill. unum, prunorum damascenorum, nu. xij. tamarindorum un. unam, foliorum lactucæ, portulacæ, nimpheæ, ana man. i. florum violarum, rosarum, nimphçę borraginis, an. man. medium, seminis lactucæ, acetosæ, portulacæ, endiviæ, ana drachmam unam, in libris septem aquæ fiat decoctio, quousq. maneãt libræ quinq. & coletur, cuius decocti un. viij. & aliquãdo decẽ, una vel altera iuleb rosati vel violacei addita unciola, ad extinguendam sitim interdiu, uno haustu ebibat. Sed in aurora sic parabatur. R. Prædicti decocti uncias quinq. syrupi de nimphæa,
G rosati simplicis, an. un. 1. de succo acetosæ unciam mediam. Mis. & albo ovi clarificetur, & scriptulo uno specierum dia margaritonis frigidi aromatizetur, & frigidũ bibat. Octavo verò die pharmacũ ex manna & rhabarbaro, illi dedimus, quo optimè multa biliosa alijs mista excrementis, egessit, & febris mitior facta est. Sed tunc ex pectore multa viscida & subnigra ex puere cœpit, pro qua complenda operatione oxymelite sæpe utebatur, aliquãdo per se solo, non nũquam verò lambetivo de althęa misto,
H aut de farfara bechio dicta, ijs enim hic intra viginti dies ex integro sanitatem obtinuit, & pangraticę habuit, prę ter omnium opinionem, quem sexto die post panem vino affusum comestum, eum moriturum omnes putabant & dicebant.

Curatio

Curatio trigesimaquarta, in qua agitur de raucedine, cum febre, & tusi complicata.

EBENASER, vir natus annos duos supra triginta, declinante æstate in raucedinem incidit, ut vix cum loquebatur, ab alijs intelligeretur, cum qua & febriebat, & sępe tussi quadam sicca angustiabatur. Ad eum igitur veniens, raucedinem hanc considero, quæ Græcis βράγχος dicitur, defluxus scilicet ad fauces, de quo Galenus libro septimo De comp. med. secundum locos, ita disserit. Vbi instrumenta vocis ab humiditate vehementius atque tenacius impacta fuerint imbuta, vox intercipitur, quum verò moderatius humecta sunt, oboritur raucedo. Organa vocis cum dico, intellige arteriam, laryngem, & pharyngem, sive epiglottida. Cæterum, raucedo, tametsi varijs de causis oboriri potest, ut refert Galenus citato loco, & Avicenna Fen decima libri tertij tract. secundo, capite primo, secundo & tertio, in hoc tamen viro, ab humiditate descendente a capite, ortum traxit, pro cuius expulsione cum multa & varia proposita essent, propositum fuit, num sanguinis extractio per venæ sectionem huic conveniret: contendebat autem quidam medicus, eam proficuã esse, in quam sententiam & ipse æger quoque ibat, qui omnino eam efflagitabat, & instanter petebat. At ipse noicẽs venæ sectionem in hoc morbo periculosissimam esse, pro posse contestati sumus, quia raucedine hac affecti, qui minuuntur, & sanguis illis per venæ sectionem extrahitur, raro vel nunquam ad sanitatem perveniunt: frigesit enim caput magis, & ad fauces defluxus sæpius decumbit, & consequens ægri peius habent. Prævalui autem ipse ijs & varijs alijs rationibus, ob quas æger sanguinis renuit extractionem, & paucis postea diebus ad sanitatem restitutus fuit. Ab-

A stineant igitur medici omnino suaderę in raucedine, a venæ sectione, huic præcipue simili, cum, ut expertus sum, ab ea gravia gignantur symptomata, & morbo primario graviora.

Curatio trigesimaquinta, in qua agitur, de brachio tumente post venæ sectionem, unde postea mori subsecuta est.

B LVBELLVS, iuvenis fortis & robustus, & qui iam olim apud Ferrarienses vires suas, quum duodecim lorícati iuvenes eum adorirentur, indicaverat. Nam eorum unum, comitis Galeatij laxonis interfecit, & reliquorum plures vulneribus cõfossos a se reiecit: nunc demum, cum febri corriperetur, & medicus illi in brachij dextri curvatura mediam unam incidi ad sanguinẽ detrahendum iuberet, bene habuit. Nã sanguis rubricans optime fluxit. Sed interiectis duobus diebus, quum brachiũ

C plus iusto exerceret, circa eandem brachij curvaturam dolere cœpit, & brachium ipsum per universum tumefieri, cum quibus riguit, & postea febricitabat, quæ omnia advertens medicus, bis sanguinem ex altero brachio, nonnisi lividum & nigrum admodum extraxit. Sed non ob hæc detumefieri cæperat brachium, aut ab eo dolore levabatu, imo indies hęc augebant, & æger ipse peius se habebat, quia fortiter febricitabat, & non dormiebat, qui magis cum dormire volebat, circa cor maxime dolebat, & angustiabat, quę vero topica

D medicamenta brachio admota fuere, non satis percepi, demum cum hunc inviserem, primo occursu, eius faciem longe a naturali considero: secund , ei⁹ virium robur deiectum & prostratum, per pulsationes arteriarum, cum difficili respiratione noto, tertio brachium huic peramplum cum manu ad furcu-

lam

iam usque tumens erat, cum quibus prędictas cordis lancinationes patiebatur. Cæterum, cum brachium hoc peramplè, ut saccus tumeret, circa quod color subalbidus erat, & in eo, quum digitus comprimebatur, cavitas perdurans fiebat, propositum fuit, an intra brachium hoc pus latitaret, an non: demum cum sic male afficeretur, & ferè syderatum brachium esset, ad apertionem confugimus, quia inde commodum absque noxa ulla sequi augurabamur. Protinus igitur accersito chirurgo, candente ferramento, eo in loco à nobis signato, brachium aperiri fecimus, ex quo puris, aut saniei vice, aqua quædam alba fluxit, superposito verò maturante emplastro, facto emissario, intra sex horas ex eo materia quædam subrubra, pauca, malè morigerata effluxit, quam in totum contempsimus, alioqui soliciti de nova altero in loco apertura, à qua facta candente quoque ferramento, nihil præter aquam illam albam exire conspeximus. At vires imbecilles cum essent, nullum alterum ferentes remedium, eum deploratum dimisimus, qui sequenti die, hoc est, decimosexto Augusti 1551. diem suum obijt.

SCHOLIA.

QVVM post sectionem venę, hoc est, a cephalica & iecoraria in brachij curvatura exortæ, nonnullis intermedijs diebus, brachio inflammatio hæc cum ingenti tumore & dolore orta esset, proponitur an ex nervi punctura qui venæ communi vel medię dictæ subiacet, originem traxerit, aut potius ex confluxu materierum malignarum, intus in corpore latitantium pullulaverit. Contendebant autem nonnulli inflammationem hanc ex punctura nervi, qui (ut dixi) communi venæ, ut arteria iecorariæ subiacet, originem trahere, cum morbus sui initio levis erat, nullam sævitiem, aut malignitatem protendens. At vulnerarius acriter ijs renitebatur, & medicus illi favens, ut eum à calumia liberaret, rationes plures adducit, nonnisi ex Galeno, Paulo & Aetio desumptas, quia quę puncto nervo debentur, huic inflammationi decrant. Nam Paulus, ut Galenum taceam, à quo ipse omnia sua desumpsit, li- E *bro quarto suæ medicinæ, capite quinquagesimoquarto, in quo de nervis convulneratis agit, ita inquit. Nervis vulneratis, aut punctis, ex sentiendi, quod obtinet acumine inflammatio, & dolor immodicus accidit, quare & febres & convulsiones his oboriuntur, quibusdam & delirium, ob nervos cerebro continuos: interim vero in alijs quoque particulæ affectæ locis inflammationes, & abscessus super ipsum nervum convulneratum, quod cohæreat, solent accidere. hæc Aegineta. Quæ, cum ex toto huius brachio iuvenis, non respondeant, quia nunquam ulla in eo comparuit convulsio, sequi-* F *tur quod non ob nervum punctum, sed potius ob vitiosos in corpore contentos humores, raptum ad brachium habentes, inflammatio, & dolor cum febre ortum traxere. Hæc enim erat eorum contentio. At nos, utcunque res se habeat, sanguinis missionem, ut satis in hoc casu laudavimus, ita ex adverso brachio factam, multum vituperavimus, cū ex pede ea potius, emollienda erat, ut suadet Aetius sermone decimoquarto cap. 27. quo ex Galeni mente de nervis punctis, & sauciatis agit, & ita tradit. At vero si vires validæ fuerint, & nihil impediérit, universum corpus per venæ sectionem evacuetur. Servandaque est in evacuādo locorum affinitas, ut dextra manu sauciata dexter malleolus sive talus, sinistra. sinister in-* G *cidatur, & vice versa, dextro crure vulnerato, subalaris vena dextrę manus, sinistro, sinistræ, rectitudine servata, secetur, & cætera, quę proculdubiò, nōnisi magno cū indicio, & longa experientia observata sunt dicta. Vidi autē ipse non solum hunc, sed plures alios, quibus simili in casu, ex contrario brachio vena secta fuit, è vita descedere: huius vero causa esse videtur, quod sauciatis ijs nervis, malignitas quędam veneno persimilis oboritur. Cęterum, mirum in modum taxandi quoque medici ij sunt, quod non primo illico die, locum sectum & agglutinatum iam amplum & inagglutinatum* H *reddiderint, ut saltem per eam apertionem, saniosi humores efluerent, quod uzum summopere Galen. commendat lib. tertio De composit. medic. secundum genus, simulque, ut medicamentorum vires ad ægrotantem nervum permeent, ut inibi quoque legitur, & libro sexto Methodi medendi, quibus in locis Galen. punctis nervis, qualia medicamenta desiderentur, docet, inquiens Vulnerati nervi curatio medicamenta postulat, quæ & tepidum calorem excitent, & valenter siccent, tum quę ex substantię suæ natura & attrahendi vim habeant, & tenuium sint partium. Cęterum, advertant medici, quod quando cutis super punctum nervum interposita est, quia forte iam agglutina-*

ta

ta, tunc nervus euphorbij vim, & aliorum fortium medicamentorum ferre potest, in quem usum Galenus & cæteri post cum medici, ex euphorbio & potentibus alijs medicamentis cerata, emplastra, unguenta, linimenta, pulveres, & similia parant. Si tamen nervus punctus, cute divisa & aperta, ostendatur, vel nervus ipse non est punctus, sed per directum cæsus sit, & nudus conspiciatur, tunc medicamentorum præpotentium vires non fert, hoc enim medicus instructus documento facile curationẽ adimplebit, ea quæcunq. putrefaciunt abnegando, velut tepentem aquam. Avicennam porro si legere placuerit, qui me hercle nihil preter à Galeno dicta tradit, legito Fen quarta libri quarti, tractatu quarto cap. primo secundo & tertio.

Curatio trigesima sexta, in qua agitur de emicrania per consensum facta, & per ligni buxi decocti ebibitionem curata.

MONOCVLVS mercator, qui apud porticum agit, temperatura melancholicus, eam partem capitis, quę oculum confossum respicit, à multis mensibus dolere cœpit, & ex quo dolore ante cibi assumptionem, multo gravius quam post torquebatur, unde argumentum in promptu est, dolorem hunc per ventriculi consensum ortũ trahere, poti⁹ quã per ipsius capitis primogeniã affectionem aliquam. Multis igitur peractis remedijs, ad decoctum ligni buxi confugimus, quo multum sudabat, & ita valuit, ut intra viginti dies, ab eius potu, æger optimè habuerit, nec amplius in eundem morbum reciderit.

SCHOLIA.

BVXVS Europæis, novis insularibus lignum Guayacum dicitur, ut sepe quoque dixi, paratur autem buxus eo modo quo Guayacum lignum, cuius decoctum, pari victus ordine quoque ebibitur.

A

Curatio trigesima septima, in qua agitur de dolore genu, cum tumor per tres vel quatuor menses perdurante, buxi ligni decocti potu postea curato.

FRANCISCA ab Italis Secula dicta, iuvenis me hercle pulchra, si quæ altera in universa Italia, annos nata viginti, hæc cum in genu tumorem cum dolore ab hinc quatuor menses pateretur, & multa illi à medicis, sed frustra tẽtata essent remedia, nos postea ad eam venientes, post peractas evationes universales, cum pilulis fœtidis, tum de nitro, decocto buxi in ramentum redacti, intra viginti dies, ex toto eam sanitati reduximus, huic victus ratio in prandio columbus assus erat, vesperi verò uva passa corinthiaca, cum dealbatis amigdalis, aliquando verò columbi vice perdix, aut fasianus, turturùe, aut aviculæ veniebat, velut uvæ passæ loco pinea sacharo incrustata, & huiuscemodi alia.

B

C

Curatio trigesimaoctava, in qua agitur de humore turgente, sive pruriente, dolores absque febre ingerente

D IOSEPHVS Falconius bis & ter singulis annis, statis ferè temporibus corripi sequenti morbo solet. Nam repente corporis totius dolore corripitur, dein vero illico eodem die variè dolorem persentit ut nunc brachium dolere dicat, & interea hoc dicit, ad pedem vel crus, aut aliã corporis

particulam, dolorem eundem transferri clemet. Est enim humor furẽs dolores hos creans, quem membra tanquam ignitam prunam, hinc inde ex se pellere conantur, unde dolor variè oritur, & æger ipse eodẽ loco perdurare nequit, imo tanquam insanus, ac furibundus incedit, non febricitat, sed per universum corpus calores quosdam persentit non naturales. Illico verò purgatus homo hic melius habet, ad sex tamen & octo dies quandoque, sed rarò sic male affectus pervenit, ab optima verò dicta purgatione peracta, quali turgenti humori convenit, ad clysteres confugimus, & membrorum frictiones, veluti etiam ad bolum Armeniæ purissimum, quem syrupo de ninphæa, scriptuli pondere mistum propinamus, ut pulveres quoque cordiales, non solum syrupis mistos, sed ferculis, & iuribus respersos. Qui ita habent. R. margaritarum præparatarum drachmam unã corallorum præpæratorum drachmam unam & mediam, foliorum auri fini & puri num. quinque. Misce fiat pulvis subtilissimus, cuius pondus pro vice semidrachmæ sit, nunc vero præservativa cura cum utitur, in eundem non labitur morbum.

SCHOLIA.

Habet probus vir hic supra universum ei⁹ corpus, nescio quid albicantis membranulæ, quam (ut ait) ab ortu suo contraxit, & ea (ut ipse reor) experimenta dicta, poros obstruit, a qua obstructione fuliginosus humor detentus, ac impactus veneni naturam adispiscitur, unde cum postea membra ac ignitam prunam a se rejiciunt, non minus ac pueri pyla ludentes. Cęterum, quum iam Scholio huic finem imponerem, ecce Pyrrhus noster vir omnium votus doctissimus occurrit, dubium in hac curatione proponens, PYRRHVS. Cum humor hic pruriens & turgens sit, morbum furentem exacte peracutum gignens, quomodo ò Amate ægrum hunc à febre liberum dixeris, admiratus sum. AMATVS. Cur sic Pirrhe mi? PYRRHVS. Non ab re sane, quia etsi medicũ non agam, Galenum tamen sua lingua conscriptum, hoc est, Græca, perlegi, apud quem si modo

E *remiscor, libro Aphorism. legi, imo meo in codice linea quadam notavi, nõ dari morbum acutum absque febri continua. AMATVS. Reste sane ò Pyrrhe dubium proposuisti hoc, quod mehercle tuum indicat felicissimum ingenium, & tuam attestatur tenacissimam memoriam, ut tamen Galenum exacte hac in re teneas, paulisper audire, ne pigeat, Acuti morbi non semper cum febre reperiũtur, quia aliqui sunt morbi acuti absque febre affligentes, & interficientes, ut morbus comitalis, morbus attonitus, quem Græci apoplexiam vocant, convulsio atque distensio, ij etenim mor-* F *bi acuti sunt omnes brevi interficientes, & tamen absque febre plerunque conperiuntur & interficiunt. Intelligendus igitur ò Pyrrhe Galenus ita venit, enarratione præcipuè nonadecima, libri secundi Aphorism. ubi (ut aiebas) inquit, in acutis morbis sunt febres continuæ, in acutis morbis, si quæ febres comperiuntur illæ omnino continuę sunt, & non interpellatæ sive intermittentes, nunquam enim morbus acutus intermittentes febres comitatur, sed eas potius quando habet inseparabiles continuas dictas habet, ut ipsemet Galenus seipsum exponit libro quinto prędicti voluminis enarratione trigesima. PYRRHVS. Placent sanè hæc, & eo magis quia ad Galeni mentem dicta.* G *Morbis tamen acutis absque febre citatis, addas, vellem, colicum morbum, qui cum acutus sit, absq. febri tamen sępe invadit, & interficit.*

Curatio trigesimanona, in qua agitur de febre, solo minorante pharmaco expulsa.

H HVius prædicti filius, iuvenis robustus, natus annos octodecim, cũ febri graviter corriperetur, et de capitis dolore quereretur, epoto medicamento purgatorio sequenti, illico sanus factus est. Habet autem purgatorium medicamentum sic, Recipe syrupi rosati soluti vi uncias tres, diacatolichonis unciam mediam, diaphiniconis drachmam unam, cum aqua endiviæ, q. suff. misce. f. p. detur in aurora ieiuno stomacho. Vt vero postea febrilis calor membris hęrens infringeretur, hordeaceam aquam

aquam pauco iulepo roſaceo mixtã, tribus ſequentibus diebus, ieiuno ſtomacho bibebat. At victus huic panatella, vel cocta lactuca oxeleo mica ſalis addita fuit, potus vero charmelitarum gelida.

Curatio quadrageſima, in qua docetur, quomodo muſculi moveantur ſuo motu voluntario, ſimulq. quomodo deperditur motus membri, manente ſenſu, & è contrario.

QVum Hamiſius chirurgus, iuvenis me hercle, cum quovis in hac arte conferendus, mecum ſæpe ægrotos inviſum accedat, contigit, quod cum ad Abarbaneliorum iuvenem, ex diuturna capitis deſtillatione laborantem, ac cederemus, quem iaudiu docti medici Ferrarienſes tractaverant, eiuſque curam habuerant, à me quæreret, quomodo muſculi voluntario motu moveantur, non minus quomodo fieri poteſt, læſo uno membro, eius quandoq. deperdatur motus, ſenſu incolumi manente, & è cõtrariò, ſentiendi facultate deperdita, facultas motrix illæſa maneat, cui tunc brevi, prout tempus ferebat, dato reſponſo, cum ad Galenũ, ut ad cyncerioris medicinæ uberrimum fontem remiſimus. Sed quum Galeni campus latè pateat, pro primo abſolvendo dubio, eius duos libros de motu muſculorum ſignavimus, pro ſecundo vero libros de locis affectis. At ne probus iuvenis ſua omnino defraudetur petitione, hic paucula ſubiungere placuit, & eo magis, quia ſcitu pulcherrima ſunt, & ex officina G. decerpta. Primò igitur ſcire decet, ut venæ a iecore, & arteriæ à corde, ita nervi à cerebro & ſpinali medulla originem ſuam trahunt. Oriuntur quippe ex cerebro, nervorum ſeptẽ paria, ex ſpinali medulla vero tanquam rivo a cerebro fonte ſca

A turiente & manante ſexaginta nervi, qui ſinguli per ſingulorum ſpondylorum foramina immittuntur, de quibus nunc altius repetere opportunum erit. Et primo tradit G. lib. I. De motu muſculorum, non procul a principio, ubi de nervo agit. Nuncupatur autem ab ipſis operationibus unum inſtrumentũ duobus, nominib. νεῦρον, id eſt, nervus, & τόνος eo quod νεύραν, hoc eſt, mutare, ſeu flectere, & τένειν id eſt, tendere natum eſt, ſubſtantia vero corporis eorum ea eſt, ac ſi intelligas, ſtipatum & denſa-
B tum, & veluti duriuſculum factum cerebrum, ſic enim Gal. hoc in loco intelligendus eſt, aliter vix à doctis literarius ſenſus ille percipi poteſt, cum particula illa, veluti, ſupperaddenda eſt, ut lectori penitiùs hæc conſideráti notũ evadet, imo ratio ita textum hunc legendum eſſe poſtulat. Quia ſpinæ medullæ corpus ſimile cerebro condenſato, & duriuſculo facto eſt, imo cerebri poſterior pars anteriori durior eſt, & quicũq. nervorum molliores ſunt, hi nihil à ſpinali medulla conſideranti differre videbuntur, ut inibi legitur. Vnde lib. octavo De uſu partium, apud eundem Galenum legimus, nervi om
C nes conſiſtentia cerebro ſunt duriores, opticis tantum exceptis, qui cerebro denſiores cùm ſint, duriores eo non apparent ceu ſoli ex cerebri ſubſtantia, veluti concreta, non tamen exiccata conflati. Cęterum, nervi molles ex mollibus cerebri partibus oriuntur, duri autem, ex duris. Sunt vero, ut dixi, anteriores cerebri partes molliores, poſteriores autem duriores, qua ratione nervi molles à partibus cerebri anterioribus gignuntur, duri verò à poſterioribus. Sũt molles nervi ſenſorij, du
D ri verò ad motum aptiores, ut eodem citato De uſu partium libro, & alibi ſæpe idem Galenus repetit. Sunt verò naturæ propoſiti ſcopi, circa nervorũ diſtributionẽ tres, quorũ primus eſt, ut ſenſorijs inſtrumẽtis ſenſum impertiret, ſecundus, ut motorijs motũ, tertius, ut omnib. alijs facultatẽ daret, qua ſibi infeſta dignoſceret. Porro, ſen

sus causa,linguæ,oculis, auribus,maximi sunt nervi tributi,nec non partibus manuum internis,atque adeo ipsius orificio ventriculi,sunt enim quodammodo & hæc sensoria,siquidē per manus ex tactu est dignotio certissima, orificium autem ventriculi sensum habet alimenti deficientis ipsi animali, quæ fames nuncupatur. Secundo autem loco in musculis motus voluntarij instrumentis, reperire est nervos maximos. Ad discernenda verò quæ dolorem adferunt (& tertio in scopo existunt) nutritorijs organis,alijs quidem liberalius,alijs autem parcius,pro cuiusque nimirum constitutione, nervos largita est natura,ut refert Galenus libro quinto De usu partium, & sexto eiusdem voluminis libro,cum dicat. Nervus nullus videtur in cor distribui,neque in hepar, renes, lienemque. Quæ verba intellige de nervo notatu digno, secus autem de parvo. Sed nunc ad nervorum septem coniugationes, sive paria dicta,quæ in cerebro mollia oriri diximus,præter duas maximas cerebri productiones, quæ ad nares odoratus gratia fiunt accedamus. Et primo. ut ex Galen. legimus libro nono De usu partiū,prima copula mollium nervorum, visorij sunt,Græcis ὀπτικοὶ dicti, quia oculis visus sensum inpartiuntur, ab anterioribus ventriculis procedentes,& ut Galeno placet,cavi,quanquam hodie,mihi,& diligentissimis hominibus,& ijs qui huius rei cura multum sollicitantur,nunquam cavi,aut perforati visi sint,etiam in animante recens mactato,& ad solis radios conspecti, quorum figura X literæ est simillima, ut eos forte quis putaverit, sese mutuo conscendere,sed non ita est.Ipsi enim intra craneum invicem in unum coeunt ut meatus suos coniungant,& rursus antequam oculos ingrediantur separātur, idq.duabus utilitatibus,prima ne quod extra intuemur duplex appareat,secunda,ut clauso altero oculo, totus spiritus per communionem, nervum ad alterum feratur,& eo modo visoria facul-

E tate duplicata, visus acutior redditur. Secunda nervorum coniugatio, non procul à dictis nascitur,& sunt nervi qui oculis motum præbent, qui licet molliores sint quam motorijs coveniat, eorum tamen mollities magnitudine pensatur. Tertia illic oritur,ubi pars cerebri anterior cum posteriori connectitur,& sunt nervi linguæ sensum gustus dantes, & qui in omnes propemodum faciei partes distribuuntur. Quarta nervorum coniugatio,paulo F posterius his est locata,magis quidem quam priores à basi emergens, propagines autem eius omnes sunt sibiipsis propinquæ,ac commiscentur quidem statim nervis tertię coniugationis,cum quibus fertur longissimè, postea tamen seiungitur, totique palati tunicæ inseritur, exigui porrò admodum sunt hi nervi, nervisque tertiæ coniugationis paulo duriores, quia tunica quæ os vestit durior est, non lingua modo, sed etiam alijs propemodum omnibus faciei partibus, ob id etiam producun- G tur ex paulo duriori regione cerebri, quam nervi tertiæ coniugationis,quanto enim magis retro progrediuntur, tanto se ipso durius effectum cerebrum cernimus, atque etiam partes quę ad basim ipsius pertinēt,alijs duriores existunt. Quinta mollium nervorum continet,quæ a lateribus capitis versus ossa lapidea extenduntur. Earum autē vtraque dividitur in ipso per ossa transitu in duas partes, quarum maior quidem in meatuum auditorium inseritur,minor H vero extra cranium, in cæcum nuncupatū,foramen,quod tamen cæcum non est,licet existimetur tale, ob suam flexuosam obliquitatem. Sexta à basi cerebri producitur,nondum etiam dura, omnibus tamē, prædictis tanto durior, quanto iam spinali medullæ propinquior. Hi nervi in omnia ferè intestina, ac viscera solius sensus gratia distribuuntur, qui nervos etiam recurrentes producunt,de quibus Centuria prima multa & clara ad Galeni mentē dixi. Septimæ cōiugationis nervi illinc oriuntur,

oriuntur, ubi & cerebrum desinit, & spinali medullæ est initium, progresſi quatenus una cum nervis sextæ coniugationis, post autem ab ipsis seiuncti parte quadam sui, eademque minima, rectos laryngis contexunt musculos, maiori vero in totam linguam disseminātur, in universum autem ex nervis hi sunt primi, qui exquisitè sunt duri. Nā prædictorum omnium nervorum, nullus similiter durus est, ac hi nervi, cæteros vero nervos consulto prætermittimus: Gal. tamen libro De osſibus ad tyrones, ultimis verbis capitis primi, quod olim Centuria prima in tabulam redigimus, ita de nervis meminit. Tria nervorum genera censentur, quę nihil impedit vel species, vel differentias appellare, ex nervis qui ex cerebro, dorsique medulla oriuntur voluntarij, qui ex osſibus ligamentales, qui tertio loco ab ijs differunt, atque ex musculis originem ducunt, tendones vocantur. Ne vero æquivoca nomina obscuritatis aliquid afferant, qui ex cerebro, itèmque dorsi medulla ortum ducunt, voluntarij nervi, qui ex musculis tendones, qui ex osſibus ligamenta a nobis appellentur, hæc enim paucula Galeni in præsenti citare placuit, quia multum ad rem, de qua agimus faciunt. Est autem musculus, Galeno teste, libro primo De motu musculorum, & duodecimo De usu partium, μῦς Græcis dictos, a muris forsitan similitudine, organum motus voluntarij, constans ex fibris nervorum & ligamentorum, carne simplici his circundata, vena, arteria, & tunica. Cæterum musculi, eodem Galeno teste, ubi antea, tres sunt partes. Principium, quod caput musculi vocant, & est magis nervosum. Mediū carnosius, ventrem vocant, finis multo nervosior capite, unde tendo nascitur, alio nomine chorda dicta. In hos igitur musculos, nervi rivorum instar, à cerebro, ceu a quodam fonte, suas deducunt facultates, quorum musculorum corpus, tanquam planta multis rivis irrigua est, altero nervo prædicto, altero vero arteria corde dedu-

A cta, sanguinis calidi & tenuis, ut vaporosi plena, tertio vero, vena à iecore principium trahente, sanguinem frigidiorem, & crasſiorem continente. Etenim ut motus, qui ex arteria & vena procedunt, sunt naturales, & voluntatis expertes, ita qui ex musculis fiunt, animales & voluntarij existunt. Est autem, ut dixi, musculus instrumentum, non sensus, sed motus, etiamsi utriusq. sit particeps, quia nullus motus voluntarius potest sine musculis fieri. At sensus universis inest particulis, quæcunque nervi participes sunt, unde ligamentum ab osse ortum, nihil cum nervo B commercij habens, insensile omnino est. Tendo vero chorda dicta, mediam, inter nervum sensu omnino præditum, & ligamentum sensus expertem, naturam habet. Quatenus igitur tendo ligamenti naturæ est particeps, eatenus hebetatur in eo acrimonia sensus, non enim tendo nervus absolute est, sed ex nervo & ligamento conflatus, quo fit tendo ipse multis in locis sexcupla, multis etiam decupla crasſitudine nervum superat. Et merito sanè tantus & talis est factus, ut qui & nervi, & liga- C menti usum exhibiturus erat, alligat enim musculum subiectis osſibus, in quorum capite munita cartilagine inseritur, & hac quidem ratione nihil differt a ligamēto. Sentit autem atq. movetur (ut dixi) qua ratione nervi est particeps. At nervus ipse via quædā existēs facultatis motricis à cerebro descēdentis, ut eam cōmunem faciat, extēsus est, atq. ligamento commistus. Tendo itaq. sic ex utrisque conflatur. Omnis igitur tendo in os omnino inseritur, non tamen omnis musculus desinit in tendonē, in nullo enim musculorum moventium linguam (constat enim ex varijs D musculis) tendo nascitur, nullum siquidem os erat lingua motura, sed editura vocem articulatam, & sapores diiudicatura, & masticationi, atq. deglutioni adiumento futura, ut latius Galenus prædicto libro primo, De motu musculorum tradit. Porro, ut primo dixi, & Galenus initio libri duodecimi De usu

partium repetit, nervus & ligamentũ in villos ſeu fibras tenues, quas Græci ἶνας vocant, dividuntur, quæ fibræ inter ſe ad muſculi conſtitutionem connectuntur, ut quem ex ambobus miſtum eſſe oportebat. Ex iiſdem fibris cocunti bus inter ſe, ac commiſtis tendo quidem conflatur, ex omnibus autẽ muſculus, qui unius tantum generis fibras obtinet, aut enim rectas habet ſolum ſecundum ſuam longitudinem, quibus attractio perficitur, aut obliquas, quibus retentio convenientis fit, aut tantum tranſverſas, quibus alieni expulſio completur, ſimul autem omnes nullus poſſidet muſculus, ut autor eſt Galenus libro ſexto De uſu partium. Propoſito igitur noſtro reſpondentes, quod eſt, quomodo muſculi ſuo motu voluntario moveantur, dicamus, quod in hoc motu tria concurrunt, voluntas ſcilicet, nervus, & muſculus, voluntas equiti ſimilatur, nervus habenis, muſculus vero equò, unde Galenus prope finem libri De cauſis reſpirationis, hanc deſcribens ſimilitudinem, inquit, voluntas equidem ſimilis eſt equiti, qui habenarum motu equs impellit. Habenis autem ſimiles ſunt nervi, quemadmodum equis muſculi. Nam & utilitas extremum eſt reſpirationis, ſive operis voluntarij votum, perinde à victoria artis aurigandi. Hac enim perpulchra, ſed brevi ſimilitudine Galenus muſculorum motum complexus eſt, cuius alteram ex libro primo De motu muſculorum, ex duobus oſsibus, altero ſtante, altero vero mobili, quemadmodum ſunt oſtiorum cardines, cum duplici catena, conſulto prætermittimus, hac à nobis adducta contenti, quam lectori nec ingratam, nec iniucundam fore credimus. Cætera verò, quæ pro motus muſculorum complemento deſiderantur, perlegat optimus lector libellos De muſculis, per Io hannem Baptiſtam Cannanum Ferrarienſem, virum mehercle doctiſsimum compoſitos, in quibus muſculorum icones & figuras magno conſitas artificio inveniet. Secundæ vero parti propoſiti dubij, reſpondet Galenus libro primo de locis affectis, capite ſexto, & quarto eiuſdem voluminis libro, eiuſdem numeri capite inquiens, Deperditur quandoque motus membri, eius ſenſu manente, quia movere eſt agere, ſentire vero pati, & quum multo plures ſpiritus, vel ſi magis placet, maiores vires requiruntur ad motum peragendum, quam ad ſenſum percipiendũ, fieri poteſt, quod adeò pauci reperiantur ſpiritus, vel quod virium impotentia ante ſit, ut ad ſenſum percipiendum, & non ad motum conficiendum ſufficiant, & ſic aliquando amittitur movendi vis, ſenſu manente. Sed quod quandoque deperdatur ſenſus, manente motu, Galenus multis ſui ævi medicis contradicentibus vidit, cui medicus alter quoque favit, rem ita ſtare affirmando, & eius cauſam reddit, quia cum muſculorum corpora diſſeminatos nervos ad voluntarios motus peragendos habeãt, fit quod muſculi ipſi aliquando quidem ad partes movendas immediate perveniunt, aliquando vero per medios tendones, quales ſunt illi, qui movent digitos. Si igitur affici muſculorum nervos contigat, digitorum motus peribit, ſi vero eos qui ad cutim pertingunt, tangendi ſenſus corrumpitur, movendi facultate illæſa manente. At ubi tota reſolvuntur membra, cum videlicet commune princcipium eſt læſum, ſimul & motus & ſenſus pereunt. In ſumma, ſenſus tactus in membri parte ſuperficiali fit, & quia in ipſis nervis ſuperficialibus obſtructio fieri poteſt, illæſis interioribus motum peragentibus, fit inde quod ſenſus amittatur, ſalvo eiuſdẽ membri motu, id quod nos, & qui artem medicam exercent, ſæpe percipimus. Proinde Veſalius, virulentam linguam ſuam, ſatius feciſſet hac in re ſubmittere, quam contra Galenus Avertois ficulneis rationibus imbutam exercere.

Curatio quadragesimaprima, in qua agitur de puero, qui ex fenestra cecidit & tertio die obijt.

FIlius Galli infelix, natus annos novem, postquam cœnatus est, & multa comedit, de fenestra non admodum alta cecidit, & crus dextrum in femore fregit, & in capite ita sævè percussus fuit, ut craneum per plures (cute integra manente) fissum fuerit partes. Ad quem quum accederemus, chirurgo præsente, caput duobus in locis perample ubi ratio postulabat, aperire fecimus, a quorum uno sanguis multus contentus recens exivit, ex altero verò cum sanguine album rotundum cerebri substantiam referens semi avellanę magnitudine, prorupit. Secundo verò die curatus craneum illi diruptum variè visum est, demum tertio die obijt. Septembris mensis die secundo. Anni 1551.

SCHOLIA.

CVm album illud cerebri substantiam referens exiret, quæsitum fuit inter medicos & chirurgos præsentes, quidnã illud esset, aderant autem viri longa experientia præditi, & qui jam olim similem substantiam ex alijs capitis vulneribus, felici (ut aiebant) exire viderant successu, quorum alij albam illam substantiam non cerebri, sed caruncularum quarundam portionem esse dictitabãt: quos nos omnino parui fecimus, quum locum ubi carunculæ, sive glandulæ continerentur, illi assignare nescirent, alij vero cerebri superfluitatem excrementumve ipsi cum colore, tum substantia simili contendebant. Fulciebant autem ij, ac suas tuebantur partes, quia si cerebri medullaris esset substantia, æger in convulsionem vel paralysim illico, vel saltem intra paucas horas incideret. Nos vero eam veram cerebri substantiam, ac portiunculam diximus, & ea de causa puerum intra paucos dies, ne dixerim horas, moriturum prædiximus, quod vero cerebri excrementum alba illa substantia non erat, Galeni munitus doctrina contestabar, qui libro nono De usu partium, cerebri duplicia A *tantum excrementa assignat, alia vaporosa ac fumosa, seu fuliginosa levia, quæ per suturas in loco editissimo sitas evacuari tradit, alia velut aquosa ac limosa pituitosa, crassa, gravia, quæ ob id per meatus declives evacuari oportuit. Cæterum, ad cerebri extractam portiunculam ægri semper fere moriuntur, si tamen aliquis evadere contingat, is mutus, surdaster, aut tortura affectus evadit, prout alij vel alij nervi affici contingunt. Cæterum, meminit Gal. lib. octavo de usu partium, á se in Ionia visum adolescentem quendam vulnere in alterum anteriorum cerebri ventriculorum accepto, fuisse superstitem, id quod nos simile & alij plures medici observavimus, forte* B *quia cum gemini ventriculi sint, unus alterius læsioni subservit, quo factum est, ut si vulnus utrisque ventriculis illatum esset, adolescens nullo modo evaderet, sed pro certo è vita discederet, tanta enim est geminorum instrumentorum utilitas.*

Curatio quadragesima secunda, in qua agitur, de vulnere capitis, & quod percussa altera capitis parte, altera affici potest.

C PERCVSSVS fuit puer annos natus duodecim in capite versus tempus dextrum, quod vuln⁹ parvum, & contemnendum videbatur. At tertio die symptomata gravissima illi supervenerunt, qua de causa ad cerebrũ usque rasorio scalpro craneum rasimus. Sed quum symptomata, ut primo evenirent, & versus alteram partem æger dolere diceret, illico supra dolentem locum aperiri fecimus ad cerebrum usq. ubi pus iam confectum invenimus, & D magno applausu ęgrum curavimus, & ipsum intra triginta quinque dies ab orci faucibus liberavimus.

SCHOLIA.

PRoponunt chirurgici, an capitis altera parte percussa, altera ex adverso rumpi, vel lædi contingat, cui quæsito multi chirurgico-

rum

rum respondent, quod sic, & quod ita craneo percusso evenit, quemadmodum testę, aut ollæ, quæ sæpè cum illiditur, non eo loco rumpitur, quo percutitur sed altero ex adverso, ijs Galenus contrarius est, qui lib. 11. De usu partium, cap. 19. inquit. Ea de causa craneum à natura non continuum & ex uno tantum osse conflatum, sed potius ex multis & varijs partitionibus divisum fuisse, ne si quando una pars affici contingat, totum craneum patiatur, quo fit inquit Galenus si cranei altera pars afficitur, altera ob divisionem intermediam, affici nequaquam potest. Nos huic dubio, ut medicis & chirurgicis satisfaciamus, brevi respondemus, quod si calvariæ aliqua pars percussa fuerit, altera ex opposito frangi non potest, quia suturæ impedimento sunt, non permittentes ad alteram partem transitum. Fieri tamen potest altera calvarię parte offensa, altera longè distans malè afficiatur, non quod os fissum sit, sed quod sub eo cerebri menningarum venula una vel altera rupta sit, ex qua sanguis effluit, & inde sanies fit, & medullaris cerebri substantia putresit, ex qua mors certa sequitur. Vt superioribus diebus evenit famulo cuidam Illustrissimi D. Vincentij de Nobilibus Anconę, qui cum ab altero ejus socio, baculo in capite contemnendo vulnere vulneratus esset, interpositis tamen paucis diebus ingens febris cum delirio supervenit, & tandem obijt, fuit porrò vulnus ampliatum, & terebello craneum ad meninges usque perforatum, super quas sanies nulla apparuit, credere igitur est, altera in parte læsionem fuisse, hoc est, venæ alicujus rupturam, ex qua sanguis effluxit, unde mors orta est, velut olim Aloisio fabro ferrario Ferrariensi contigit, de quo Manardus Ferrariensis, epistola prima libri sexti suarum Epistolarum, memoriam fecit. Quanquam imbi non ob hoc mortuum fuisse testetur, sed (ut ego credo) non ob aliud mors illi ascita est. Cæterum, hęc à nobis in hac Scholia exarata, pro veris & indubitatis habenda confirmat Paulus Aegineta libro sexto suæ medicinę, capite nonagesimo, in quo capitis fracturarum differentias prosequitur, & ita inquit, sunt qui his differentijs Apechema, quasi dicas, ab Echo responsionem addiderint, ea est, a contraria ictus parte facta calvariæ fractura. At falluntur ij, quoniam non fit in hominis calua quemadmodum in vitreis vasculis fieri illi docēt, illa siquidem vacua sunt, ideoque id patiuntur. Calua autem hominis undique plena & alioquin solida est, fitq. in hoc ictu, quod in capite alijs ex causis fieri videtur, in quo integra cutis continuitate factus abscessus cum sectus ferit, offensam illic

E hominis calvariam fuisse innuit, sic etiam & in hoc malo factus contraria in parte abscessus, illic fidisse os credi postulat, hactenus Paulus, qui nihil præter quam à nobis dicta intelligit, & per ea Cornelius Celsus, cæterique, qui de hac re locuti sunt, præstantes viri, intellecti evadunt. Cæterum, cum de capitis vulneribus hic agimus, in mentem venit Curtius, superioribus annis, in Italia medicus famigeratissimus, commentarijs suis super Mundini Anatomiam æditis, ubi inquit, apud Galenum cranei laminas duas nunquam se legisse, imo quod Galenus earum nunquam fecerit mentionem, quod nunc tanti viri pace dixerim errat, F quum Gal. in quo ille abunde versatus videtur, libro 6. Methodi medendi, ejusdem numeri capite, earum meminerit, quarum non tantum duarum sed etiam trium facere mentionem videtur, quum dicat, ergo de fracturis calvariæ quædam usque ad secundam laminam, quam Græce διπλώην vocant, perveniunt, quædam usque ad internam ossium faciem, & cætera. In quibus verbis trium laminarum Galenum meminisse visum est, quia post primam, secundam collocat diploen dictam, spongiosam sanguinolentam, quasi inter duas locatam laminas, videlicet inter primam & tertiam colore & figura fere similes, tertiam autem laminam admittere Galenus videtur, cum dicat, ad internam ossium faciem, sed in hoc magna G vis nō est, sive enim per διπλώην, secundam laminam intelligit, cum interna inferioris ossis facie, sive absolute laminam tantum spongiosam, sanguinolentam, cavernosam multis venulis plenam, inter os supremum & infimum locatam, ut ejus verba innuere videntur, liquido constat, eum duarum laminarum cranei meminisse, & merito sane, quum ab Hippocrate in hoc Galenus primo doctus evasit, libro De capitis fracturis, non longe a principio, ubi Hippocratem ita legimus. Est autem duplicata lamina cavissima ac mollissima, & maxime antrosa. Est autem & totum os capitis, excepta valde modica suprema, ac infima parte H spongiæ simile, & habet os in seipso caruncu-las similes multas humidas & si quis ipsas digitis conterat, sanguis utique ex ipsis prodierit. Sunt etiam in osse venulę tenuiores ac caviores, sanguine plenæ. Hæc Hippocrates. Nollem tamen ab hoc loco discedere priusquam hodiernos chirurgos moneam, interebelli præcipue usu in capitis fracturis, cum periculosa admodum ejus sit operatio, adeout Deū tester me per paucos, quibus terebello administratio hæc peracta fuit, superstites vidisse, quin potius majori ex parte mortuos, aut prope obitum adductos, quia forte cerebrum magna illa con-

cussione

cussione afficitur, aut vehementi illo motu, venula una vel altera meningum rumpi contingit aut quia menninges ipsas non raro violat, & cerebri ipsius substantiam quoque, unde mors certa consequitur, quo fit non immerito hujus instrumenti usum Gal. & post eum Greci tantopere vituperarunt, ut apud ipsum Galenum legitur lib. 6. Methodi medendi, ejusdem numeri capite, ad hunc modum. Ac quæ per terebellum quidem ratio fungitur, parum tuta est, propterea quod dum audacius eam tractant, duram membranam quæ ossi substernitur, non raro violant, quibus verbis Paulus Aegineta ut solet adstipulatur, lib. 6. suæ medicinæ, ubi de Calvariæ fractæ curatione agit, quum dicat, at quæ administratio senis & mediolo, quem chænicion, sive chenicida Græci vocant, peragitur recentioribus, ceu noxia improbata est, sed administrationem quam in rhogme exposuimus, probant. Porrò quod hodiernum terebellum, & cujus frequẽs usus apud huius ævi chirurgos extat, idem sit cum terebello priscorum, in dubium verti posset. Ego vero longe differre inter se crederem, imo hodiernum hoc terebellũ periculosius est, eo, quo utebantur antiqui, quia antiquorum terebellum dentatæ rotæ vice, clavum rotundum habet, crebris foraminibus, ut in lima cernitur ornatum, de cujus usu ac operandi modo Hippocr. prædicto lib. De capitis vulneribus multa docet. Tutius igitur est, si hodierni chirurgici in capitis fracturis, vice terebelli, rasorio scalpro ad cerebrum usque radant, & eo quidem multiplici, a Gal. summopere laudato, ut recte quoque Paulus annotat, primo latiori, dein minus lato, postea vero stricto. Cætera vero huic rei, ac de extrahendis ossibus doctrinæ facientia, consulto prætermittimus, lectores ad prædictos Galem, & Pauli libros citatos remittentes.

Curatio quadragesimatertia, in qua agitur de cordis palpitatione, ægritudine, quam cordis tremorem, medici vocant.

Religiosa Maria, nobilis Florentina, omnium mihi charissima, juvenis & morum sanctitate, & pulchritudine insignis, cum ætatis suæ annum

A vigesimum ingrederetur, de cordis palpitatione, tremore quoque dicto morbo, corripi cœpit, & eo quidem ut paucis percipiebamus ab humore qui in pericardio continetur plus justo aucto, originem trahente, cum ipsa magnam cordis elevationẽ depressionemve persentiebat, adeo ut cor palpitare ac tremere sæpe inculcaret, & ita esse hæc testabantur, quia emaciari in dies magis videbatur, & sæpe cum ingenti capitis dolore in syncopim incidebat, quæ tametsi raro febricitabat, pulsum tamen languidum & mollem habebat, cum quibus omnibus iuveni huic assueti mẽses nunquam defuere, sed semper suo assueto more effluxere copiosi admo-

B dum & rubicundi. Hujus igitur præclaræ & optimæ indolis puellæ consulturus saluti, Hippocratis & Galeni doctrina instructus, à sanguinis missione per jecorariæ sectionẽ auspicatus sum, ex eoque fluere permittens ad libram mediam, post quam sanguinis missionem, syrupum hunc ebiberet mandavimus, qui habet. Rec. Syrupi de melissophyllo, id est, melissæ succo saccharo parati unciam unam,

C syrupi de pomis saporis, de mentha, ana drachmas sex, decocti sene, cum additione pomorum camusiorum optimè redolentium, ut Salmanticæ, & Alcobatię, & Antuerpiæ comperiuntur, vel eorum vice, apianorum in Italia repertorum uncias quinque, cum albumine ovi clarificetur, & scriptulo uno agallochi, id est, ligni aloes optimi aromatizetur, & vesperi ante cœnam duas horas, iteretur, & per aliquot dies continuetur. Victus ratio in universum exiccatoria & attenuatoria erat, sed optimi succi. At potus, vinum

D meratius est, pauca tamen in quantitate, cætera vero quæ spiritum vitalem perturbant & resolvunt abnegabãtur, ut ira, timor, mœror, fames, vigilia, frigus, æstus, & cibi mali succi, aer tamen ad calidum & siccum declinabat. Præparata igitur ad exitum intra octo dies communiori totius corporis materia, per pharmacum ex rhabarbaro & agarico

rico concinnatum, eam evacuavimus, semper, antè & post, soliciti de alvi responsdentia clysteri, vel balano, quando præcipuè natura consueta non remittebat, à qua purgatione, uno vel altero interposito die, ad cordis regionem cucurbitulam unam magnam & multa flamma ignitam affigi fecimus, non nisi, ut decet, prius cute per parva vulnuscula incisa, quo opere optimè valere dixit, cum post sanguinem per ea vulnuscula extractum, humor multus per eadem sale respersa, ad aliquot dies exudavit. Sed postea epithematis cordialibus sæpe admotis, & conservis, vētriculum, & cor roborantibus, comestis, ac iterata purgatione dicta, & cucurbitula iam applicita, intra mensem ex toto sanata est, habent autem epithemata sic. Recipe Aquarū floris arantij, melissæ, ana libram med. specierum diamoschi, diambræ, ana scrup. ij. croci optimi grana iij. vini malvatici uncias duas, galliæ moscatæ Mesuæ scrup. j. garyophillorum, corticum citri, ana drachmam mediam, florum arantiorum, pseudodiptami, ana drachmam unam. Omnia in olla nova, ut decet tractentur, & ad ignem admota, in ijsdem pannus ruber cocco, vel charmusino infectus immergatur, & paululū expressus sic calidus cordi admoveatur, & sæpe innovetur. Huic vero epithemati, varia alia parari possunt similia, modo medici simplicium & adornantium exactam cognitionem habeant, aliter non secus ac artifices cœci habebuntur, qui nihil præter à libris emendicata, miseris ægrotantibus non sine ingenti periculo describunt. Sed quali iudicio, docti norunt, ex multis tamen simplicibus pauca hæc ad institutum nostrum faciunt, crocus, ambra, moschus, styrax, agallochon, gariophillus, macer, id est, macis, melissa, buglossus, zedoaria, zurumbet, bœn album & rubrum, ziberum, santalus citrinus, flos arantiorum, flos citri & limonum, flos rorismarini, qui à pharmacopolis anthos particulariter dicitur, flos pseudodiptami, flos myrti, vi-

E num cretense, poma odorifera, os de corde cerui, modo verum sit, & varia alia, quæ consultò subticemus, ex compositis vero sunt, diābra, diamoschus, dianthos, pliris arcoticon, citra condita, electuarium aromaticum moschatum à Mesue descriptum, electuarium rosatum Gabrielis, quanquam eo efficatius sit aromaticum rosatum a Mesue descriptum raro in usu habitum, electuarium letificans Consiliatoris, ex differentia centesima nonagesima sexta decerptum, vel letificans Rasis ex libro nono ad Almansorem & quinto continentis, & varia, alia quæ consultò prætermittimus. Sed temporis processu sacculum hunc cordi admotum semper

F deferebat, qui habet. Recipe Specierum diamoschi dulcis drachmas duas, diambræ drachmam unam, florum arantij, melissæ, buglossi, an. man. unum, xyloaloes agallochi dicti drachmam mediam, cinnamomi optimi & veri, gariophillorum, croci, ana unc. iiij. corticum citri, uncias duas, omnia in pulverem radigantur, & fiat sacculus interceptus serico, & supra cor ut dixi applicitum deferat.

G

SCHOLIA.

TRADIT Gal. lib. 5. De locis affectis capite 2. Est & alius affectus, palpitatio videlicet cordis, aut per se eveniens, aut cum suspitione quadam, quod in humore cor ipsum moveatur. Neque enim mirum videri debet tantam humoris multitudinem cumulari aliquando in ambiente cor tunica, ut ipsum ne attollatur impedire possit, quippe in animalibus dissectis vidimus plerumque plurimū humoris, urinæ speciem referentis in eo, quiipsum involvit pāniculo contineri. Etenim simia

H *quædam cum emaciari in dies videretur, eam tamen necessarijs nostris negocijs impediti secare in tempore non potuimus, post mortem vero, reliquis corporis partibus omnibus illæsis, inventus est, in ambiente cor tunica, tumor præter naturam humorem in se continēs, qualem pustulę, quas Græci hydatidas vocant, emittere solent. Atque in gallo quoque vidimus, cordis tunicam huiusmodi tumore, et quidem duro affectam, perinde ac si plures crassæ*

membranæ

membranæ involutæ altera alteri fuissent. Verum in eo nihil humoris continebatur, unde verisimilis coniectura elicitur, homines etiam similibus posse affectibus infestari, hactenus Galeni verba, quæ sic ad amussim citare placuit, ut Zoaris errorem libri sui 7 beisir in præsenti patefaciam, qui prædicti libri parte prima cap. 4. tractat. duodec. audeat dicere Gal. huius morbi nullam penitus fecisse mentionẽ, sed quo errore, norunt omnes à nobis citata Galeni verba legentes, quæ Avic. ut solet, non siluit, Fen vndecima, libri tertij, tractatu secundo, quo de cordis tremore agit, & Aetius sermone octavo suæ medicinæ, c. d. 58. & post hunc Paul. libro suo 3. cap. 34. Cęterum ex dictis satis liquet Curtium in Mundini Anathomia hallucinatum, cum de humore in pericardio contento agat fol. 294. ubi Zoarẽ forte secutus, aquam illam in panniculo cor ambiente, non reperiri contendit, quod si reperitur, eum in corpore ęgrotante, vel mortuo reperiri, minime vero sano contẽdit, cuius rationes, utpote ficulneas prætermitto, quum aqua hæc etiam in corpore inculpatè sano reperiatur, ut ex Galeni citatis verbis facilè quis percipiet. Vnde vero aqua hæc oriatur, & ad quem finem orta sit, ut Curtio, & alijs Curtium sequentibus, satisfaciamus, Hippocr. verbis respondemus, qui aquam hanc, in eo qui cor involuit panniculo contineri, corpore optima fungente valetudine tradit, ut apud eum legimus initio libri de corde ad hunc modum. Cor figura velut pyramis est, colore autem abunde puniceo, & tunicam levem circundatam habet, & est in ipsa humor modicus velut urina, ut putare possis in vesica cor diversari facta est autem ea gratia, ut sanum in custodia florescat, habet autem humiditatem tantam, quanta sanis est æstuanti in medelam. Cæterum hunc humorem cor emingit, bibendo ipsum assumens, ac consumens pulmonis nimirum potum lambens, & cætera, quæ Gal. sępe in eius doctrina inculcat, dicens, potus aliqui semper in asperam arteriam errare, qui humor a corde attractus, postea ad ambientẽ tunicam remittitur, plura vero quę huic rei facere possunt, consultò prætermittimus, quã do hæc iam nunc sufficiant, & eo magis si noveritis cardiacum morbum oris ventriculi affectionem esse, non vero cordis, porro cucurbitulam cordis regioni admoıam, ut summum remedium in hoc morbo habeto.

A

Curatio quadragesima quarta, in qua agitur de dysenteria, simulque de pulsu intermittente.

BARBOSIVS vir medicus doctus, & longa experientia præditus, temperaturam biliosam satis exustam habens, & ita exustam, ut à quavis vel facili causa, in morbos & affectiones incidat, nunc in dysenteriam lapsus est adeo periculosam, ut intra noctem & diem, hominem centies egerere coe-
B gerit, erat autem humor egestus coloris in universum cineritij multus, pauculo admistus sanguini, cum quibus parum febriebat, sed circa iecoris regionem dolebat, velut intestina crassiora ipsa. Ad quem sequẽti die vocatus, hominem timidum & virib. imbecillem comperio, cui pulsus imbecillis & contractus erat, quo factũ est, ut scop⁹ noster eo dirigeretur, ut vires repararemus, & fluxum cohiberemus: quorum
C primũ optimis edulijs complevimus, secundum vero clysteribus, primo lenientibus, postea vero ex sepo hircino & similibus confectis, de quibus secunda Centuria Venetijs excusa, multa diximus, quibus & nonnullis iecori necessarijs admotis, quæ refrigerandi & roborandi facultatem optinent, brevi vel intra diem dysenteria cohibita est, & ex toto æger intra triduum sanatus. Cæterum, cum probus hic vir extra domum exiret, & proprium suum pullum obtrectans, ipsum intermittentem comperisset, ad
D me, ut de eo sententiam ferrem, pervenit, non sine mortis tamen timore, quã quam simile pati iam olim, cum iunior graviori morbo apud Lusitanos corriperetur inculcabat, quinquagenarius autem vir hic est. Ego verò amici arteriarum pulsus optime cõsiderans, comperio singulis decem pulsationibus æqualiter respondentibus, ita arte-

riarum

riarum motum deficere, ut eo intervallo pulsationes duæ cum dimidia compleri possent. Stabat autem, ac interquiescebat, singulis decem pulsatio nibus pulsus, ut dixi, ita ut ea tẽporis intercapedine, qua occultabatur, pulsationes duæ cum dimidia elevari poterant, quod cum perciperem, eum bono animo esse iussi, quum, etsi vitalis facultatis imbecillitatem indicabat, nihil tamen periculi iam tunc minari, præsertim in homine quinquagenario, nulla febri correpto, dixi: ille verò, ut rei medicæ experientissimus, sic in me objicit. BARBO. Non me latet Amate amice, tametsi cultiorem Gal. doctrinam non teneam, intermittentem pulsum omnium pessimũ esse, cum, ut mors actionis ut talis omnimoda destitutio sit, ita pulsus intermittens vitalis facultatis inpotentiam maximã arguit, quia ab opera sua desistit, & morti in hoc similis evadit, sed cum apud Indos (ut nosti) permultos egerim annos, apud quos cultiores literæ non habentur, nec Galeni præclara doctrina exercetur, rogo te hujus intermissionis causam ex Galeno adferre ne graveris, quia ut nosti Avicenna in hac de pulsibus tractatione segniter & pigre in suo se gessit canone, hanc verò novisse causam non parum voluptatis mihi adferre putarem, mortales sumus, & summis philosophis similes evademus, quando præcipue de morte, & eius causis, inter nos contemplatio fuerit, quum (ut scis) mortis contemplatio, & de ea elocutio summa est philosophia. Homines nanque Deum timere allicit, & eos ipsos erga mortales benevolos esse cõvocat. AMATVS Recte ò Barbosi hæc a te sunt dicta & magno cum iudicio prodita, vellet Deus, omnes hodierni medici tibi similes forent, ac tunc artem medicam nõ tam temere, sed magna cum prudentia & discursu insigni, ab eis exercitam iri non dubitarim. Sapiunt autem tua hec Galeni præclaram doctrinam, & solidiores ac meliores redolẽt literas, imo sophistarum gyros ac cautiunculas lon

E gè fugere videntur, non immerito apud eos, qui in ea, qua tandiu egisti provincia imperio præerant, primus medicorum habebaris, te tanto viro non solum pro morbis propulsandis utentes, sed rebus in difficilimis & dubijs obeundis tui consilium petentes, unde non contemnenda bona fortunæ tibi contraxisti, ut vitam hanc tranquille & modeste, ut nunc transigis percurrere possis, faxint dij te nobis diu sanum & incolumem servent. Nunc verò ut tui voti compos fias audi, altius enim F ordiar, & eo magis, quia dicendi latos campos habemus, & eos quidem Galeni Asiaticos, à quibus postea omnes hortos suos exornarunt, ditissimus etenim hic medicinæ Oceanus est, à quo omnia medica flumina, rivi, fluvij, & fontes, originem suam trahunt, & eidẽ postea, si modo recto cum iudicio considerentur, accepta referre debẽt. Hũc igitur insequi & mordicùs tenere, ac optimè intelligere, summum medicũ est opus. Is igitur libro secundo De præsagatione, sive præcognitione ex pulsibus, ne sermonem amplius protoge-G mus, inquit. Intermittens pulsus necessario est inæqualis, nũc enim in trinis, nunc in quaternis, ac nonnunquam in quinis ictibus, vel etiam in pluribus intermittere invenitur, BARB. Meus autem pulsus singulis decem ictibus, ut recte percepisti stabat, & tempus quo duos ictus & alterius medium, arteria percutere poterat remorabatur. AMATVS. Ita res habet. LACVNA. Si supervixisset Galen. de hoc pulsu non satis admirari desineret, et eo magis, quia similem pulsum cum ægrotantis eva-H sione nunquam vidisse, citato testetur libro, AMA. Ita Gal. velle videtur ò Lacuna, sed eius per te citata sententia, mica salis (ut dici fertur) condienda est, & sano iudicio intelligenda. BARB. Rogo vos viri prudentissimi, ut alij medici ex hac nostra ægrotatione docti evadant, imo, ne cum in similes pulsus habentes pervenerint, ægrotantes ipsi mirentur, Galeni de hac re verba in medium afferre ne dedignemini.

mini. AMA. Id facilius Lacuna præsti-tisset, si modo vellet, cum Gal. apud se arctiorē habeat. BAR. Rem sane gratam & albo lapillo signandam, mihi per doctus faciet Lacuna, si modo quū Galenum in Epitomem redactum adduxerit, eius ex integro expresserit animum. AMA. Cōplebit sane, & tuis respondebit votis, ita clarè & apposite, ut nihil quod desideres, amplius habeas. Gal. namq; non raro percurrentē, ita dilucidè & clarè pestringit, ut pro Gal. intelligendo, nullo altero enarratore op⁹ iam habeant medici, quam uno Lacuna, annuere vel invitè debeas. BARA. Felix ętas, quæ talem nacta est virum. Novisti tu ò Amate quum superiorib. diebus ambo nos apud officinam librariam quandam convenissemus, eo animo ut recentes quosdam libros Venetijs excusos emeremus, ibi quidam (ut fieri solet) intervenere medici, Lacunam optime vellicantes, quia Galenum authorem, cuius ne apex quidem non legendus est, lacerasset & eum trūcum & mutilum reddidisset, non minori piaculo, quam si Phidiacum Iovem, aut Gnydiam Venerem detruncasset. AMA. Memini quidem, sed eos suis cū magistris sordidis & barbariem adhuc redolentibus reiecimus, tu vero Lacunam ad nos redire cura, & eum audire ne pigeat. BARB. Hominem per puerum hunc accersiri curarem, ni ad nos se illico rediturum promisisset. AMA. Apud nos nunc vir humanus & bonus agebat, sed cum à nobis lupus ille subniger, vafer, linguax, & male morigeratus, legum imperitissimus, retraxit. BAR. Novi lupum illum linguacem, qui olim Romæ apud divi Antonij fanum habitabat, ob quem & sibi similes Pythagoras primus philosophus in suis symbolis dicere solebat hirundinem, id est, loquacem domi ne recipias. AMA. Apage apage Barbosi, nā Lacuna apud nos est, quem si placet, roga, suum brevioloquum Galenum in hac, de qua agimus, re in medium afferat. BARBO. Id diligenter curabo, sed tu Lucana cum spectatus ad nos redeas, adeo ut propter te absentem, propositam à nobis quæstionem huc usq. subticuerimus, & eam sermonem ad alia divertendo, indiscussam reliquerimus, dignare Galeni tui in Epitomen redacti, verba, quæ ad rem facere videntur citare. LACVNA. Lubenter faciam, & æquo animo provinciam suscipiam, & eo magis ut pulsus tui intermittentis exactam notitiam habeas: audi igitur. Galenus citato per vos libro, capite quarto, ita in mea legitur Epitome. Si arteria duorum pulsuum, tempus, aut paulo amplius, intermittente arteriarum motu, sæpenumero conspeximus hominem liberari, præsertim cum ætatem senilem ageret, etenim facultates languidæ, a parvis sæpe occasionibus offenduntur, firmæ autem tantum dejiciuntur à maximis, proinde, qui habitu sunt valentes, diuque à morbis immunes fuerunt, periclitantur si eis prehendantur. At imbecilli quique assiduè obiecti ad omnes suas causas facillime restituuntur, quod scilicet horum nemo quum à qualibet lædatur vel minima, magnam causam expectet. Itaque intermittentes pulsus minus perniciosos possident senes, quam iuvenes, mox pueri ab illis quod concoquant digerantque per halitum humorum copiam & crassitudinem, quæ intemperies inæquales produxit, quum nimirum concoctricè facultate sint validissima, corporeque mollissimo ac facile perspirabili. Iam vero naturalis arteriæ motus sanitatem refert, vitiosus morbum, omnino intermissus mortem. Et quemadmodum solvere apoplexiam ingentem quidem est impossibile, levem autem non facile: sic intermissio diuturna pulsuum, ut tollatur, fieri non potest, brevis autem potest, haud tamen citra negotium. Cæterum diuturnam voco, quæ excedit duorum pulsuum curticulū, brevē, quæ intra duorum pulsuum tempus manet. Iam mors à pulsibus intermittentibus repētina corripit, nō aliter ac ab apoplexia, utrobique enim cordis

calor extinguitur destitutus respiratio-
ne, hactenus G. in mea dicta Epitome.
AMAT. Optimè sane ò Lacuna a te
hæc pro coronide sunt dicta, quæ ut
Barbosius noster quoq. & assistentes fa
cilius intelligãt, ad præsens ipse resume
re nõ gravabor, quãdo quæ bona sunt
(Gal. ex Platone sæpe inculcante) bis
ac ter repetenda sunt. BAR. Rerũ simi
liũ nulla est satietas, perge perge Ama
te, quũ hæ ex genere sint rerum, quib.
ea inest vis, ut quo sæpius ac pressius au
diantur, hoc magis, ac magis placeant,
non enim hæc vulgaria sunt, quæ ini-
tio arrident novitate ipsa, sed mox re-
petita sordescunt & abhorrent. AMA.
Sponte currenti (ut Plinij iunioris ada
gione utar) calcaria addis. Gal. ergo, ut
multa paucis comprehendam, ita in-
quit. Pulsus omnino intermissus mor-
tem refert, & qui magis ad intermissio
nem accedit, eo magis ad mortem ac-
cedit. Secundo, intermittentes pulsus
minus perniciosos senes obtinẽt, dein
pueri, omnium maximè iuvenes, quia
à maxima causa similes pulsus illis eve
nire credendum est. Tertio, in dubium
vertit Gal. an vivere quispiam possit,
cum duorum pulsuum motus inter-
missione, imò fieri nõ posse affirmare
videtur. BAR. Proh dij immortales, si
ita, ut Gal. sentit, res habet, quomodo
superstes ipse sum, quia arteria meta-
carpij mei duorum pulsuum tempus
& amplius morabatur, & stabat? AMA.
Verum ò Barbosi G. tradit, quia de ijs
qui continuis & malignis febribus cor
ripiuntur, locutus est, quibus si similis
contingat pulsus, evadant impossibile
est, secus autem de ijs, qui quum affe-
ctionibus vexantur, absque tamen fe-
bre reperiuntur, ut tibi evenisse obser-
vasti. LACVNA. Placent sanè hæc, ò
Amate, quia Gal. exactum animũ pre
hendant. Caveas tamen intermittens
hic pulsus Aarbosio naturalis sit, non
verò ascititius & præternaturalis, A-
MAT. Huius rei satis sum concius, &
eo magis, quia cum bene valeat Barbo
sius pulsum bene paccatum, & rhyth-
mum, hoc est, proportionem tempo-
E ris ad tempus, habentem possideat.
BARA. Compertũsne fuit quispiam se
cunda & prospera fungens valetudine
cum simili intermittente pulsu? AMA.
Maximè, & eius Gal. mentionem fecit,
aureo illo libello De præcognitione,
capite ultimo, in quo de œconomo mor
bo laborante agit, cuius pulsum per
naturam intermittere contra omniũ
aliorum medicorum iudicium novit,
& nos quoque superioribus diebus Illy
ricum quendam monachum ordinis
F prædicatorij febre maligna affectum,
curavimus, cui intermittens erat pul-
sus, & ut postea deprehendimus illi na
turalis. BARB. Cum igitur intermit-
tens pulsus mihi naturalis non sit,
unde intermissionem illam traxerit
meus eo tempore dicatus rogo. AMA.
Pulsus intermissionis causas referens
Galenus lib. 2. de causis pulsuum, capit.
3. ita breviter inquit, non solum faculta
tis infirmitas inducit intermittentem
pulsum, sed & instrumentorum vali-
da oppilatio, aut compressio, & con-
strictio, ubi nihil prorsus arteriæ allice
G re valeant. LACVNA. Horum verbo
rum si rectè teneo Gal. meminit, lib. 2.
De præsagatione ex pulsibus, capit. 4.
ubi rem hanc diffusius tractat, & in Epi
tome mea ita habet. Inæqualium pul-
suum quidam in uno ictu inæqualita-
tem sortiuntur, alij verò in plurium
acervo, quam collectivam inæqualita-
tem appellant: omnes autem in univer
sum, aut ex compressionibus instru-
mentorum, aut abundantia humorum
H ad facultatem collato, aut cordis inæ-
quali intemperie constant, estque inæ-
qualitas incommodior, quæ circa unũ
pulsum, quam quæ circa acervum
versatur. Iam vero intermissio mo-
tus arteriæ, sive in uno pulsu, sive cõtin
gat in pluribus, periculosior est alijs
inæqualitatibus omnibus, ut igitur a
collectiva (quæ apertior est) auspice-
mur, facultas ipsa gignit intermitten-
tes pulsus, vel gravata, vel impedita,
ob crassitudinem, aut copiam humo-
rum obstruentium, aut opprimentiũ, ar
terias, aut etiam occupãtium spacia, in
quibus

quibus illæ distendi solent. Est quũ inflamatio, vel schirrhus corpora incumbentia arterijs in infestans earũ distentionem coerceat. Si verò ipsarum arteriarum tunicas tale quid occupaverit, maius periculum imminet sicuti extremum malum, si cordis corpus invaserit, nam ij subito syncope corripiũtur. At intẽperies cordis non est perinde exitialis, sed est longe mitior inflãmatione, & cætera, quæ tu tuo arbitratu percurrere poteris. BAR. A mala igitur qualitate varia, calida, aut potissimũ frigida, vel humorum obstruentiũ multitudine intermittentes exoriri pulsus, ex G. (ut percipio) asseveratis. LACVNA. ita res habet. BAR. Meus ergo, à qua harum causarum ortum trahebat? AMA. Vt ipse reor ab humoris cuiusdam super excedentis mala qualitate, qui cordis finibus continebatur, & inæqualitatem efficiebat prædictã, quia inte, ut sæpè sum expertus, vitiosi humores qualitate potius quam eorum colluvie, aut quantitate magna peccãt. Itẽ quòd cor eo tẽpore maximè dolebat, quæ omnia prædictam attestantur causam, quam nos illico à propinatis non exustam bilem respicientibus syrupis & decoctis, leviori quodam pharmaco deposuimus, & pulsus suos rhythmos denuò adepti sunt, & tu pristinæ sanitati restitutus fuisti. BARBO. Apud eos, quos ipse per legi authores, si tenacioris memoriæ beneficio teneo, memini me intermittentem pulsum propter humorem cordi molestum, & ad eum guttatim fluentem evenire legisse. LACVNA. Fieri posse intermittentes pulsus ex ea causa non nego, sed tu, ò Amate, ut colophonem curationi huic imponamus, dicas rogo Barbosij intermittens pulsus, quas alias pulsuũ inæqualitates & differentias comitabatur? AMAT. Dicerem lubenter, ni omne saxum (ut fertur) movere necesse esset, hoc est, universam de pulsibus doctrinam, in medium afferre, nũc tamen satis superque mihi dixisse visum est, si cum Galeno dixero pulsus raros intermittentibus finitimos esse,

A quia arteriæ intermissio per pulsus raritatem introducitur, & per eandem ad pristinam mediocritatem revertitur, ut in hoc Barbosij pulsu percipiebamus. LACVNA. Non carent igitur rari pulsus periculo, si intermittentibus sunt propinqui. AMATVS. Verè, sed intermittẽtes raris sunt periculosiores, & morti proximiores. Sed unum præterire nõ licet, quod raiò pulsui adversatur creber, sicuti intermittenti intercurrens, & quod ab eisdem ferè causis intercurrens evenit pulsus, à quibus in-

B termittens originem trahit. Differunt tamẽ, quòd in intercurrente, facultas cum noxijs causis decertat, & pugnat, unde sæpe intercurrentes ij pulsus crisim sæpe secum attulerunt, in intermittente verò facultas succumbit, & non valet contra noxas depugnare causas, ut Galenus prædicto secundo libro De præsagatione ex pulsibus, capite quinto dixit; ijs enim finem impono, modò sciatis pulsum naturę optimæ temperatissimum aliorum omnium regulam & mensuram existere. BARBOS. In eo igitur qui ęgrotat, pulsuum magnitudines, & varietates referri debent semper ad temperatum pulsum,

C & non ad ipsius pulsus, eo tempore quo sanus erat, & rectè valebat. AMA. Ita est & Galenus libro secundo De dignoscendis pulsibus idem assentitur. BARB. Hoc Galenus innuere videtur, quia cũ ægrotantium infinitæ sint pulsuum varietates, necesse est pro illis exactè venandis, & ut de eis verum iudicium habeamus, ad unum pulsum temperatum, tamquam normam & regulam, ac Polycleti exactissimam statuam, omnes pulsus referamus, tunc enim habita cognitione pulsus tempe-

D rati, medicus facile dijudicabit cæterorum pulsuum varietates, & si multum vel parum ab eo distant: item si eum excellunt, vel non assequuntur, aut omnibus numeris illi sunt æquales. Cæterũm, quum hæc vera sint, crederem quoque ipse Galenum nunquã negasse ægrotantium pulsus, quorum in sanitate notitiã habuimus, nos adtẽ

peratum pulsum esse referendos, sed magis ad suos sanos. AMAT. Arrident hæc ò Barbosi, quia ad Galeni mentem dicta, at quia paucorum hominum pulsuum cognitionem in sua sanitate existētium habemus, ad quos, quum ægrotant referri possent, ea de causa Galenus sapientissimè ad temperatum pulsum collatio ut fiat, suadet.

Curatio quadragesimaquinta, in qua docetur, quod Hippocr. pulsum cognitionem habuerit.

ET de pulsu intermittente quum agebamus, illico à docto quodam quæsitū illud vulgare, sed scitu dignū, propositum fuit. An Hippocrat. pulsus cognitionem habuerit, cui nos brevi, ne lectorum animos remoremur, respondemus, Hippoc. non tantum à respiratione, quantum ab ipsarum arteriarum pulsatione, signum desumpsisse, pro morbis dignoscendis, id quod nunc paucis ex eius divinis monumētis indicabimus, & primò Hipp. ipse genuino suo lib. ut G. credit de humoribus, cum multa & varia à medico cōsideranda proponit, pulsus absolutæ, inter ea meminit, volens fortè in capite temporum arteriarum pulsus, quorum sæpè meminit, nō tam à medicis esse explorandos, quantum ij qui circa metacarpium deprehenduntur. Hippo. autē verba, citati libri non longè à principio legere quis poterit. Sed quod alibi sæpe pulsus memoriā fecerit, Hipp. extat sententia lib. 7. De morbis popularibus, in Pythodori historia, cui pulsum, cum cætera gravia erant, non defecisse tradit, quo in libro pulsuum sæpe mentionem fecit (ut paulo inferius commonstrabimus) & alibi sæpe, arterias ipsas venas vocando, ut libro De locis in homine, non procul à principio legitur, & libro De alimento, prope finem, ubi à doctis & ijs qui Hip-

E pocratis animum in hac re, ex integro tenere cupiunt, verba perpendi debēt, & ita habent, Venarum pulsationes, & respiratio spiritus, iuxta ætatem & consonantia, & dissonantia sunt, & morbi & sanitatis signa, & sanitatis magis quam morbi, & morbi magis quam sanitatis. Cæterum, quod arterias Hippocrat. venas pulsatiles vocaverit, testis est Galen. lib. 6. de placitis Hippocratis & Platonis dicens, Vocatur autem à vetustissimis medicis, philosophisq. hoc vasorum genus alteri similiter ve-

F na, ab alijs verò arteria, id quod pulsat, quod pulsus expers est vena, & subdit. Itaq. Hippocrates appellans venam arteriam hanc, ita scribit in secundo Epidemiorum libro, cui vena in cubito pulsat, is furiosus & iracundus erit, cui autem lentè torpidus, quæ verba ipse repetit, lib. illo, cui titulus, est. Quod animi mores sequuntur corporis temperaturā, inquiens, quorum vena in cubito pulsatu movetur, hi furētes sunt & iracūdi, quib. verò quiescit, hi torpentes sunt, ac stupidi. Horum autē verbo-

G rum hęc vis est, quib. hominibus cubiti arteria vehementissimum edit motum, isti furentes sunt, venas enim & ipsas arterias veteres appellabāt, & cætera, plures verò Galeni de hac re locos consulto prætereo, quos quisque hodię, vel pinguioris Minervę medicus quærere poterit, Brasavoli præsertim ex Galeno collectum indicem, si ante oculos habuerit, quem dij vellent, in lucem vir doctissimus nunquam misisset, ac non iam hodie vel veterinarij & muliones, de medicina garrire cœpissent. Cæterum cum Hip-

H pocratem pulsuum cognitionem habuisse expresserimus, ne quis pertinax dicere audiat, pulsus tantum arteriarum, quæ circa tempora obrepunt, ipsum dignovisce, non verò earum, quæ in manuscarpio sunt, ipsius Hippocrat. unam vel alteram authoritatem placuit adducere, ut hinc satisfactus evadat, noscatque Hippocrat. harum quoque arteriarum pulsus circa manū cognovisse, id quod clarè lib. septimo Epide-

Epidemiorum percipitur, ubi potissimum Theodori uxoris ægritudinem prosequitur, & ita inquit. Erat autem ad manum frigidius corpus arteriarum, quæ verò in temporibus sunt etiam magis saliebant, & spiritus densior, & cætera, ex quibus verbis liquido constat, Hippocrat. ex utrisque arterijs signum desumpsisse, quod Galen. noscens libro quodam suo De pulsibus, inquit, Mortem etiam inter loquendũ ex pulsu Hippocrat. imminentem cognovit. At quia pulsum differentias exacte non tenebat, velut nec post eum lõgè Erasistratus, ea de causa multis suspectum erat Hippocratem pulsuum notitiam non habuisse, quod Galenus nõ prætermittens libro tertio de Crisibus, ita tradit. Sed signa ex pulsibus sumpta Hippocra. vel quia non noverat, vel quia non magni momenti existimavit, idcirco non est exequutus.

Curatio quadragesima sexta, in qua agitur de stomachi cuiusdam erosionibus, ad quas postea supra mamillam sinistram secuti sunt carbones sive carbunculi tres.

ANtonius Chius homo vinosus, ætatis suæ anno quinquagesimo quinto properante hyeme, circa ventriculum erosiones, & morsus quosdã patiebatur, sentiebatve, & ita infestantes, ut viscera illi dilacerari exclamaret. Præsens igitur ipse, & eius ventriculum infra cartilaginem ensiformem (seu malum punicum, aut malum granatum dictam) quæ disertissimis anatomicis in medio perforata cernitur, ut ipse sæpe vidi, tangens subdutiusculum inveni. Protinus igitur contra morbum agentes nos, exterius fomentum emolliens & dolores leniens cũ

A spongia sæpe admovimus & interius oxymel compositum illi dedimus, ac postea interiectis paucis diebus, catapotia illi propinavimus, ex hiera cum agarico, quibus optimè egessit, & sequẽti die stomachi dolore levatus fuit. Sed circa papillam sinistram carbunculi tres apparuere, tunc verò febriebat, & mori desiderabat, sed carbũculi, ab emplastro ex scabiosa & alijs varijs medicinis confecto admoto, brevi extirpati fuerunt, & æger ipse ab orci faucibus liberatus. Cæterum cum bene haberet, vinum meratius in quantitate magna ebibebat, ex quo iecur exassatum

B innatũ calidũ amisit, & consequenter eius universum corpus tumuit, & intra sex menses obijt.

Curatio quadragesima septima, in qua agitur de duplici tertiana.

DIonysius Ricius de mõte sancto victo iuvenis robustus & fortis,

C quum carcere clauderetur in duplicẽ tertianã continuã lapsus est. Nam cũ continuo febriret singulis diebus horrore corripiebatur, huic bis brachij iecoraria secta fuit vena, & sanguinis libræ duæ extractæ. At quum siti intensissima vexaretur, illi gelidam ad satietatem dedi, qua multa vomuit, & tandem septimo die crisim per sudorem universum corpus irrigantem habuit, & sanus evasit. Cæterum in reliquis, ut decebat tractatus fuit, nec pharmaco purgante opus habuit.

D

Curatio quadragesima octava, in qua agitur de scirrho in iecinore.

MArci librarij Veneti sororius, in iecinore tumorem scirrhosum

diuturnum patiebatur, nunc demum febri cum ingenti circa ipsum iecur dolore corripitur. Occupat autem scirrhus hic iecinoris gibbas partes, ut ex ijs deprehendebamus signis, primo & sifimarum partium inflammationes, per alia potius accidentia, quam per tactum investigare oportet, ut suadet Galenus libro quinto De locis affectis capite septimo, gibbarum tamen partium scirrhi tactu facilè deprehenduntur. Erat igitur iecinoris durities, & dextræ præcordiorum partis ingens gravitas, & pectoris cum iugulo retractio, cum quibus tussis exigua, sed sicca quædam erat, omnia me hercle cũ urina gibbas iecinoris affectas partes indicantia. Nam cõcavis iecinoris partibus affectis, magis stomachus & intestina affici consuescunt, ut ex Galen. citato, & varijs alijs, docti evadimus. Morbo igitur perspecto, & hominis viribus consideratis, cuius anteactum victum, utpote malum succum gignẽtem, ipse expendens illico à minorante pharmaco orsus sum, & ita habet. Recipe Syrupi rosati solutivi uncias tres syrupi de cicho. cum rhabarb. un. i. diacatholiconis, diaphiniconis, ana drachm. iij. aquæ cichoreæ uncias tres misce, fiat potus, detur in aurora, & desuper per horam dormiat, cum quo alvus optimè respondit, sequenti vero die, ab iniecto lavante clysteri hoc unguento illinitum iecur fuit. Recipe Emplastri de meliloto uncias duas, unguenti santalini unciam unam, pulveris rosarum, camomillæ, absinthij, ana unciam mediam, olei rosati, absinthini, ceræ, ana quantum ad linimentum sufficit; misce, & ad ignem, ut decet, paretur, quo bis in die iecur inungatur, tertio verò die post alui respondentiã basilica dextri lateris incisa fuit, & ex ea sanguinis unciæ sex effluxere, cum ijs autem febris vigebat, & dolor iecoris instabat, ob quæ singulis diebus singulos ebibebat syrupos, non nisi in aurora ieiuno stomacho quos vesperi, ante cœnam horam unam, vel alteram iterabat, habet autem syrupus sic.

E Recipe Syrupi de cycorea cum rhabarbaro unciam unam, acetosi compositi unciam mediam, aquarum endivię, lupulorum, fœniculi, ana unciam unã, misce fiat syrupus, ex ijs verò nõnullis ebibitis syrupis, & concoctione in lotio apparente, sequens illi propinavimus pharmacum. Recipe Syrupi rosati solutivi uncias tres, diacatholiconis unciam mediam, rhabarbari optimi scriptulos quatuor, agarici albi recens parati scriptulos duos, cinnamomi scriptulum medium, in decoctione florum & fructuum fiat haustus unus, detur in aurora, & desuper per horam dormiat, hoc verò ita bene habuit, ut à febre & dolore, ferè liber evaserit.

F Sequenti tamen emplastro, ad aliquot dies, usus fuit iecori id admovendo, quod habet. Recipe Farinæ hordei, lupinorum, camomillæ, ana uncias tres, omnium santalorum ana unciam unam, pulveris rosarum, absinthij, spicenardi, ana unciam unam & mediam, schænuanthos, croci, asari, seminum petroselini vulgaris, dauci, anisi, apij, ana unciam mediam, omnia decocto asari & capillorum veneris excipiantur, & fiat emplastrum, cui adde,

G aceti rosati uncias duas, olei nardini, camomellini ana uncias duas, & ad ignem ut decet, paretur emplastrum, & iecori imponatur, ijs enim æger hic bene habuit, non tamen ut ex hoc scirrhoso tumore omnino sanus evaderet, quando Galenus libr. secundo ad Glauconem, capite quinto dicat, scirrhum diuturnum, nec ipse unquam sanavi, nec alium vidi, qui posset, qua de causa ad balneas, quibus universa ornatur Italia, iret consului.

H

SCHOLIA.

Sunt duo hæc viscera iecur & lien, opportunissima ad scirrhum, ut meminit Gal. Methodi medendi lib. 13. capite decimoquinto & decimosexto, in quibus Attalum Thessalium medicum & Sorani discipulum reprehendit, cum presertim Theagenem Cynicum Philo-

*Philosophum interficeret, ita enim inibi Ga-
lenus ait, opportunissima namque ad scirrhū
sunt hæc duo viscera, iecur & lien, si quis pa-
rum habita de his ratione glutinoso cibo uta-
tur, & inferins, quippe iocinoris substantia,
scirrhis maximè opportuna est, utpote quę na-
turaliter luttosum quippiam continet, veluti
medicus quidam nostri temporis, per iocum
dixit, lienis verò rarior substantia quam ioci-
noris est. Cæterum, crebrius scirrhosis vitijs af-
fligitur propter nutrimenti, quo utitur speciē.
Monstratum namque est, quod crasso nutritur
sanguine, qui veluti limus purior is est, facil-
limeq. nigra bilis efficitur, ideoq. m ipsetiaum
melancholicum sive atrum appellamus excre-
mentum, atq. hæc duo viscera scirrhosis tumo
ribus tentari, vel experientia ipsa clarè indi-
cat. Hæc Galenus, in quibus tradit lienem cras
so nutriri sanguine, imo eodem inquit libro,
ipsum lienem crassiori uti alimento, quam he-
par, & quod tanto valentiora & potentiora
lien postulat medicamenta, quanto crasiore,
quam hepar utitur alimento, quibus verbis,
alia ipsius Galeni ex libro 4. De usu partium
decerpta contraria videntur, cum dicant, lie-
nem subtiliori, quam hepar nutriri sanguine,
quibus favent alia ejusdem libri Galeni ver-
ba, sic asseverantia, est autem splenis corpus
rarum admodum atq. laxum, spongię instar,
sic ut crassos, & melancholicos succos facilè
trahat, excipiatq. Cęterum splenis caro tamet
si laxa sit, a pulmonis tamen carne magno spa
tio relinquitur, laxissima siquidem ea est, &
levissima, parumq abest quin alba, utpote ex
spuma quadā veluti coagulata, nutritur enim
ex purissimo sanguine flavo, subtili, & spiri-
tuoso, tanquam delato a corde, splenis autem
corpus, quum tanto rarius hepate sit, quanto
est crassius pulmone, merito ex tenuori sangui
nis parte nutritur. Consentiens quippe est, ex
arterijs quidem tenuius, ex venis autem cras-
sius nutrimentum transumi, quum tunica ar-
teriarum, quam venarum sit densior, & san-
guis subtilior & vaporosior, atq. ex tali præ-
stitit laxam carnem nutriri, veluti ex crassio
ri densam, in quibus verbis pro epitome cita-
tis, satis clare percipitur, Galenum dicere,
splenem subtiliori sanguine nutriri, eo quo
hepar nutri solet. Nos pro hac diluenda dubi
tatione, non alys, quam ipsi⁹ G. utemur verbis,
prædicto loco habitis, quorum summa hæc est,
hepar ex rubicundo & crasso, splen ex subtili
sed nigro, pulmo ex elaborato ad unguem
flavo, subtili, spirituali, ac puro alimentum
capit. Nam qui attrahitur ad splenem san-
guis, crassior est eo qui est in hepate, quia ta-
men elaboratus ab arterijs, quæ illic sunt, atq.*

A *adeò venis, multo densiorem tunicam haben-
tibus, quam quæ sunt in hepate, non affatim,
neq. crassus carni spleni, sed subtilis & paula-
tim mittitur, ob id caro quidem huius visce-
ris rarior & levior est, quam hepatis, non ta-
men rubicundior, aut flavior, Nam melancho
licus erat is, quem purgavit, humor, a quo ela
borato nutrita est. Cæterum hepar ut dixi, be-
nigno, rubicundo, & crasso nutritur, in sum-
ma & brevius, qui attrahitur ad splenem san
guis, crassus & melancholicus est, antea tamē
quam ipsius splenis substantiam vertatur, ab
arterijs & venis ipsius in subtilem & tenuem
elaboratur. Porrò medicamenta iecinori con-*
B *venientia, quod cum astrictione roborent, esse
debeant, docuit Galenus varijs locis suæ do-
ctrinæ.*

Curatio quadragesima nona, in qua agitur De ictericia ante septimum eveniente.

VIR, qui cōtinua febri cum acces-
sionibus laborabat, totus ante
septimum palluit, & ictericus factus est,
tandem paucis adhibitis remedijs, bre
vi sanus est redditus.

C

SCHOLIA.

QVIBVS *in febribus morbus regius ante
septimum accidit, malum dixit Hippo-
crates lib. 4. Aphorism. Aphorism. 62. cuius
verba non sic superficie tenus sunt intelligen-
da, quando plures videmus ante septimum re-
gio morbo affectos, sanos & liberos evadere.
Intellige igitur ante septimum, id est, ante
materierum in febribus concoctionem, tunc
si febribus vigentibus aurigo supervenerit,
malum, ut Hippocrates tradit, est. At quum*
D *ante septimum febres gignentes materias con
coqui & à natura regulari contingat, fit inde,
bilis ad cutem decretorie trāsmittatur, ex qua
regius morbus fit, & æger rectè se habeat.
Hæc si novisset Plinius, non tam facile Hippo
cratem concerpsisset lib. 16. Naturalis sua hi-
storiæ. capite duodecimo, imo Hippocrates ipse
lib. 4 De ratione victus in morbis acutis, in-
quit, in biliosa febre, morb. regius cum rigore
ante septimum diem enatus morbum solvit, si
vere*

vero absq. rigore, præter occasionem supervenerit lethale. Missum facio Averroem libro quarto sui collectorij cap. 43. qui plures ictteritia affectos, ante septimum sanatos vidit.

Curatio quinquagesima, in qua agitur De angina in puero.

PVER Ebenaser orientalis annuus, properante hyeme, quæ omnino sicca & temperata fuit, tumorem in gutture passus est, qui extra prominebat, & ad aurem usque comprehendebat, febricitabat, & non lactebat, sæpe plorabat, & ut assistentes dicebant, prope obitum erat, ad quem accedens ipse, lanam succidam oleo camomellino imbutam admovere feci, & intus, ut rob mororum digito inderetur suasi, semper tamen, quod mater optimis uteretur edulijs persuadendo. At secūdo die omnia, ut primo erāt, proinde locum foris, cinere hirundinum crematarum melle excepto, illini magno iuvamento feci, porro puer cum non egerebat, eius alvus balanulo, ex caule vel beta, aut raphano, parato cum mica salis irritabatur, tunc verò tertio sequenti die melius puer habuit, & lac optimè suxit, quia tumor ab interiori parte ad exteriorem exivit, qui brevi eodem admoto ex hirundinibus cinere exolevit, eius tamen venter oleo de semine lini fovebatur, & capitis syncipiti brassicæ folium parum calidum apponebatur, nec id exiccare permitteret mater, aut nutrix commendabam. Cæterum cum puer octavo die bene haberet, sed nihil egerebat, & adhuc circa guttur tumoris aliquid apparebat, hoc illi interdum daretur, consului. Recipe Syrupi rosati solutivi unciam unam, olei amygdalarum dulcium recentis, unciam mediam, benzuini nigri & optimi, quod myrrham veram esse in nostro diximus Dioscoride, scriptulum u-

E num, misce, hoc vero alvus respondebat, & intra decem dies puer ex toto sanatus est, veluti alter duos natus annos, sed vice cineris hirūdinum crematarum, quo pharmacopola carebat, hoc admotum fuit emplastrum. Recipe Nidi hirundinum numero unum, caricarum pinguium numero sex, radicis malvavisci unc. unā, in aqua fiat decoctio ad libram unam, cui colaturæ adde farinæ seminis lini, fænugræci, camomillæ ana unc. duas, butyri recentis

F unciam unam & mediam, olei camomellini uncias duas, vitelli ovi numerū i. misce, fiat emplastrum.

Curatio quinquagesimaprima, in qua agitur de febre acuta maligna interficiente, in qua lotium optimum semper apparuit.

G

PVER pharmacopolæ Genuensis, annos natus undecim, obesulus, sanguineus in fine autumni, horrida febre primo affligi cœpit, quæ postea in continuam malignam ex genere earum, quas in autumno evenire contingit, degeneravit. Sitiebat, caput dolebat, continuo febriebat, cum quibus ter & quater singulis diebus egerebat, excrementa quidē biliosa, liquida, fœti-

H da, febris malignitatem, ut ex Hippocrate Præsagiorum libro didicimus, attestantia, ad quem accedens medicus quidam syrupos ex acetositate citri, de succo acetosæ, de borragine, buglosso, & similibus, cum appropriatis destillatitijs aquis, malignam qualitatem infringentibus & hebetantibus, propinabat, & scapulis cucurbitulas cum scarificatione affigi mandavit, cum quib. puer peius semper habuit. Nam nono die etiam antecedente iam purgatione delirare cœpit, & ad decimum usque in eodem perseveravit delirio, un-

decimo

decimo ad eum accedens ipse omnia contemplor, cum quibus vires non admodum constabant, sed lotium ut medicus & assistentes affirmabant, optimũ cũ colore, tũ substantia, & contentis semper apparuit quod ita esse, lotiũ tum excretum attestabatur, quia colore & substantia optimum videbatur, & quod magis mirari est, in eo hypostasis alba in medio pendens erat, tunc hirudines ano, meo cõsilio sunt ad motæ, & hoc sequens decoctum paratum, quod sæpe ebibebat, & ita habet. R. Radicum endiviæ, buglosi, borraginis, an. man. medium, tamarindorum unciam unam, prunorum pinguium numero decem, ordei mundi unc. 3 florum buglossi, boraginis, rosarum, an. pug. medium, seminis melonis, cucurbitæ, citruli, acetosæ, an. un. med. In libris quinque aquæ fiat decoctio ad libras 3. cui colaturæ adde syrup. rosati simplicis, de acetositate limonis, an unc. 2 & misce, de quo ad lubitum bibat, iis enim puer resipiscere cœpit, & omnes assistẽtes cognoscere, altero vero interposito die, ut primo morbus ingravescere cœpit, & ut antea puer delirabat, demum quartidecimi initio obiit. Cæterũ hic medici ignorantia obiit, cum illico illi morbi initio, sanguinem per venæ sectionem nõ emiserit, sed medico huic, commune refugium est, quod puer nondum quartum decimum annum attigerit, sed quali errore & quam pernicioso, prima harum curationum medicinalium centuria dixi.

SCHOLIA.

IN febribus malignis & pestilentibus, & quæ maiori ex parte ægrum ad pernitiẽ trahant, sæpe urina bona apparet, ut paulo inferius huius rationem reddentes, latius commẽtabimur, nunc vero satis dixisse mihi videtur, quod fieri potest humor coctus aliqua in parte corporis appareat, reliqua corporis parte crudo humore abundante, ut huius rei author est G. commentario secundo, in librũ primũ De morbis vulgar. enarratione octuagesima tertia, in qua Cratistonatæ, & pictoris ancillæ mentio fit.

A

Curatio quinquagesima secunda, in qua agitur, de febre acuta maligna.

HOC eodem tempore Nicolaus iuvenis robustus, annos natus vigintiquinque, acuta febri & maligna correptus fuit, & ex earum genere quibus parotides, hoc est, retro aures tubercula apparebant, à quibus omnes ferè moriebantur, ut Francisco Ambrosio B Florentino nobili mercatori, & alijs evenisse notavimus. Nostro igitur ægrotanti secundo die parotides apparere cœperunt, cui brachij curvaturæ vena ter secta fuit, & sanguinis libræ quinquæ effluxere. Nam quinto die, in quo ultima sanguinis missio facta fuit, ex toto parotides delituerunt, sed sanguis missus putridus, & magna affectione infectus semper apparuit, angustiabatur hic, & in animi deliquum quandoque veniebat, sed vires utcunque sem- C per constiterunt, tametsi parum cibi accipiebat. Sexto, hoc pharmacum illi concessimus. R. Floris cassiæ recens extractæ unci. mediam, diacatholiconis drach. sex. syrupi rosati solutivi uncias duas, in decoctione florum & fructuũ, cum tamarindis para, fiat potus unus, quo nihil egessit, sed vesperi ab iniecto clystere alvus aliquantulum respondit. Septimi diei initio, ingenti rigore ita apprehensus fuit, ut ipsum mori assistẽtes non dubitassent, & eo magis, quia cum in ea esset afflictione, multam contra omnium voluntatem ebiberit geli- D dam, post cuius potum, ita multa evomuit viridia, pallida, & alia mista, ut eo die liber à morbo evaserit. Poriò septem elapsis diebus, in quibus convalescebat, recidit, nam à cœna calescere cœpit, & ut primo febriebat, tertio die bolum purgatorium illi obtulimus, quem post duas horas evomuit, sed postea bene egessit, at quum comederet, horruit, post horrorẽ secuta fuit febris, quæ ad quartum usq. perduravit, quin

to bis horrore correpť fuit, ut maximā febrium complicationem ſtare ex hemitritæorum præcipuè genere, quis di xerit. Cæterum, quū ad aliquot dies ſic incederet, & alvᵒ quater, & quinquies ſua ſponte in dies reſponderet, nihil medicaminum illi dabamus, ſolo victᵒ ordine optimè conſtituto contenti, & eo magisquia omnia proſpera eventura pręſagiebamus, quia inter ea ab alvo excreta vivum vermen videramus, ſignum, quo ducimur materiam intra corpus peccantem non admodum malignam eſſe prædicere, à qua prædictione fruſtrati non ſumus, quum brevi ſanitatem obtinuerit. Portò poſt febrium extinctionem, æger de auris dextræ dolore conqueri cœpit, quam nos oleo camomellino tepente lana ſuccida excepto, foveri per exterius iuſsimus, ſed eo dolor non fuit remiſſus, tunc huius mater mulier ſagax rutam in oleo communi ad ignem coxit, in quo poſtea equi ferream ſoleam ignitam ac cādefactam immittebat, & olei vapores per infundibulum ad aurem intus venire curabat, poſt quod opus ex aure pus effluere cœpit, & dolor remitti, effluxit tamen pus ad triginta fere dies, quod ex ſe nullo adhibito altero remedio, cohibitum fuit, quod verò morbus hic unus tantum fuerit ſpecie, vel potius plures, in dubium verti poſſet, & pro eius indubitata habenda concluſione, Galenus conſulendus eſſet libro De morborum temporibus.

Curatio quinquageſima tertia, in qua agitur de febre acuta maligna cum parotidibus.

PRÆDICTO tēpore Soleima ſimplici quoque febre correptus fuit, Nam primo horrorem in toto corpore ſenſit, ob quem plurima cooperimēta poſcebat, ac ſic per totam noctem cooperimentis ſe fovens tranſegit, in qua quater venter excrevit, quæ me-
E diocriter conſiſtebant, tertio die parotides & colli retractiones apparuerunt, ſed ſanguine multo ex venæ brachij curvatura extracto, parotides evanuerunt, & æger melius habere cœpit, poſtea vero a propinato purgatorio medicamento melius habuit, & ſeptimo ſanus eſt factus. Victus huic tenuis admodum ſemper fuit, potus verò hordeacea cum iulepo, erat autem vir hic triginta ferè habens annos.

Curatio quinquageſima quarta, in qua agitur deſtrumis, quæ Græ-
F *cis* χοιράδες *dicuntur* ἀπὸ τοῦ χοίρου *ideſt, porco, quòd eo morbo maxime ſues infeſteniur.*

PVella quæ iandiu ſtrumis, ſive ſcrophulis dictis, in collo & alis torquebatur, curata meliᵒ habebat, imo a multis earum ſana evaſerat, nunc denuo illi duæ circa tempora natæ ſunt, quę ad mollitiem ita pervenerunt, ut aper-
G tione indigere viderentur. At cum medicus in earum inciſura ſegnior factus eſſet, ex ſe reſolutæ ſunt, nullum inibi relinquentes veſtigium, ab hoc verò uno, vel altero interpoſito menſe, in ſyncipite altera nata eſt, quæ ut reliquæ mollis erat, medicus verò credēs hanc ut cęteras ex ſe quoque reſolui & difflari, ad tempus aperturam diſtulit, & eo magis quia minor indies veniebat. At quum puella de loco quereretur, illicò ſtrumā aperire fecimus eam in crucem ſecantes, à qua nullum pus
H aut ſanies exivit, in ea tamē craſſa quædam membranula liquido conſpiciebatur, & ea quidem carnoſa, cuius portiunculam tunc extrahere fecimus, ſed ſequenti die, verſus eam partem frontis ubi pili à fronte ſeperantur, rancū totum corroſum comparuit, quam cranei corroſionem, cariemue, neoterici chirurgici talpariam appellant, & eam

ſcalpo

scalpo radendo ad duram usque meningem extrahi fecimus. Postea verò humore ad expulsionem parato per syrupos de epithymo, de betonica & fumo terræ, cum decocto senæ dilutos, per catapotia eum expulimus, ac postea puellam illini fecimus eo unguento, quo ad morbum gallicum Aliptę uti sæpe cō sueverunt, cuius nos crebram mentionem ijs in Centurijs fecimus, porro interea dum puella inungebatur, struma quædam in pectoris alta parte comparuit, cui emolliens emplastrum quod officinæ publicé parant, & alterius luminaris author Venetijs in maximo B & frequenti usu habitum refert applicitum fuit, & struma brævi ex toto resoluta fuit. Vt tamen puella hæc ex integro sana facta esset, nec amplius in morbum recideret, post syrupum de elleboro cum decocto senæ sæpe ebibitum, ac per catapotia de nitro Alexandri, & fœtida repurgatum corpus ligni Guayaci decoctum epithymo, sena, cartamo, polypodio, & hermodactylis cōpositum, illi obtulimus ad quadraginta fere dies, quo puella sanitatem adepta est, nec morbus gravis & sævus amplius recruduit.

Curatio quinquagesima quinta, in qua agitur de quodam musico varias imaginationes, & phantasmata diversa habente.

MIchael musicus iuvenis annos natus viginti, temperatura sanguineus, hoc prædicto à nobis tempore D mente optime constabat, sed illi imaginationes & varia phantasmata repræsentabantur, ob quę mirum in modū discruciabatur. Huic nos igitur opem ferentes post hyrudinum venis hæmorrhoidalibus admotionem, assiduo usu syrupi de pomis cum decocto senæ, etiam odoriferis pomis Appianis

A apparato, & sæpe repurgato corpore prædicto decocto, adiecto syrupo de epithymo & rosaceo solutivo intra mēsem sanus fuit factus. Cęterum huic victus qualis atrabile affectis debetur cōcedebatur, non minus quod inter amicos semper versaretur, & solitudines fugeret eum monebamus.

Curatio quinquagesima sexta, in qua agitur de iuvene Hebræo, puellæ Hebrææ amore capto.

IVVENIS Thessalonicēsis Hebræus puellæ Hebrææ amore captus, ita eā deperibat, ut brevi in insaniam devenerit. Huius igitur nos curam suscipiētes, optimo victus ordine, prout atrabile affectis convenit, constituto illi ex elleboro syrupum à nobis compositū sæpe ad humoris præparationem dabamus. At quum nocte quadam ex lapide cyaneo stellato dicto catapotiis eū purgare decreveramus, hic puellæ domum pervenit, quam chordis dispositis per fenestram intravit, ubi puellæ C parentes inveniens, eos pugnis pessime affecit. Sed illico convocato principe satellitum, in carcerem fuit ductus, ubi obstrictus per aliquot dies resipuit, & mente constans factus est.

SCHOLIA.

EROS Romanis amor est, unde morbus hic amoris dicitur. Practicarum vero authores morbum hereos hunc appellitare solent, & quod magis ridendum est, quod ad Germanos devenient pro hujus nominis interpretatione, quia Germani Heren sua voce dominū vocant a Latino herus, & quia magnates & domini potissimum hoc morbo detineantur, ab ea voce morbum denominationem trahere contendunt. Sed eos quoque cum sua insania relinquere satius est. Hunc cæterum morbum Avic. Fen prima libri tertij sui canonis tracta-

tus quinti, cap. 24. ischium appellat, quo in ea pite eius percurrit curationem. Porro Paulus Aegineta lib. 3 suæ medicinæ, cap. 17. acuratissimè amantium affectiones, & depingit, & curat. Sed quomodo Erasistratus, ut Galenus refert lib. De præcognitione, vel Hippocrates, ut alij dicunt, iuvenis amorem erga patris pellicem deprehenderit, meminit Galenus prædicto lib. cap. 6. in quo, quomodo quoque ipse mulierem Pyladis amore captam esse cõiecit, exactè exponit. Cęterum memini me in agro Eborensi apud Lusitanos puellam iuvenem nobilẽ amantem deperiisse, & in insaniã devenisse, non minus superioribus diebus filia Benabeni mercatoris, cum ab eius patre eam esse nuptã expositum esset, ac postea eius loco soror locata esset in insaniam devenit, quæ hodie quoq. insana perseverat: nata autem puella hæc est, semibrachio dextro tantum, cætera omnia membra perfecta habens.

Curatio quinquagesima septima, in qua agitur de monstro quodam.

MVlier Anconitana monstrum quoddam peperit, nam tertio vel quarto mense imprægnationis informe quoddam carneum corpusculũ emisit, quod omnino hirsutum erat & pilosum, quatuor habens oculos duas nares, quatuor aures, labra verò deformia, ut omnibus esset admirationi. Cęterum cum hæc scribo Anconam venit puer Illiricus sex natus annos, boni sane habitus, exactè & perfectè omnia sua membra habens, monstrum tamẽ præ se ferens, quia ab ei' umbilico thoracem versus, alterum pueri corpusculum deducebatur, absque tamen capite, sed duo habebat brachia, duo crura, sed utraque immobilia, ano carebat, sed scroto absque didymis, id est, gemellis testiculis dictis ornabatur, non secus ac pelle oblonga quadam glandis vice, per quam urina fere semper distillabat. Sed puer quum mingebat, & per hanc quoque viam urinam repente mittebat: erat autem puer hic ita omnibus admirationi, ut eò parentes per

E universam Italiam, magnam cotrase-rint pecuniam. Cæterum hanc corporis deformitatem, si Eucharius Francofordiensis medicus diligens cognovisset, eam dubio procul in suo de partu hominis libello nunquam præteriisset: fuit autem hoc monstrum Anconæ, Anno 1552.

F

Curatio quinquagesima octava, in qua agitur de quodam phthiriasi, id est, pediculari morbo infecto.

VENETVS vir bonus Anconæ pediculis per universum corpus scatens, ita ipsis lancinabatur, fœdebatùrquæ, ut parum fuerit, ne ex hoc decederet morbo, contra quem morbum, utpote à putridis & corruptis humoribus originem trahentem, primò eius causam venæ sectione, tũ medicamentis purgatorijs, deposuimus, non solum semel, sed bis, & ter, ac postea topicis

G remedijs applicitis, brevi ab hac fœda lue liber factus fuit, habent autem topica medicamenta sic. Recip. Lupinorũ amarorum pugillos tres. seminis staphisagriæ officinis satis familiaris pugillos duos, in aceto acerrimo fiat decoctio sufficiens, quo aceto universum corpus à capite ad pedes usque lavetur, ac postea linimento sequenti, corpore bene terso & exiccato illinatur. Recipe Seminis staphidis, id est, staphisagriæ pedicularis dictæ herbæ partes duas,

H sandarachæ Grecorum, partem unam, nitri hodierni fini, & purgati partem mediam, in aceto acerrimo cum oleo raphanino, omnia accuratissime pista misceantur, & ex eis fiat inunctio, quibus brevi assecuti sumus scopum, nec amplius in eandem fœdationem æger, devenit. Cæterùm, dixit paulus libro tertio suæ medicinæ, capitis tertij fine. Ego pedicularium ex aceto oleòque tritam inunxi, ac semper quod volui sum assecutus, missa facio, quæ Betius,

Ser-

Sermone sexto sui operis medici dixit A capite 67. & ea, quæ Guillelmus de Saliceto, cap. 48. primi libri scripta reliquit, velut quæ Galenus cæterorum scaturiens fons, primo dixit libro De compositione med. s.loc.

SCHOLIA

DICITUR morbus hic Græcis φθειρίασις ἀπὸ τῶν φθειρῶν, id est, à pediculis, quem authores capiti, & mento, ac oculorum cilijs familiarem describunt. Nemo tamen ex practicas scribentibus, morbum hunc universum corpus prehendentem, ac fœdantem, B *describit aut curat. Cæterum ex hac fœda lue multi mortui sunt, ut Scylla, Pherecides, Ennius, & ut nonnullis placet, Plato quoque eis adiungendus venit. Novimus autem nos Olyssipponæ, hominem quendam non ignobilem, ex hoc morbo miserrimè obiisse: ita enim, per universum eius corpus pediculi scatebant, abundabantve, ut duo eius servi Aethiopes nihil aliud curę haberent, quam ex eius corpore pediculorum cophinos plenos ad mare, quod prædictam civitatem præterlabitur, portare. Erat autem homini huic cognomentum, si rectè teneo, Tabora. Porrò apud Hiberniam, & Islandiam, scimus nos homines semiferos subuculis croco infectis vestiri, ut pediculos fugent, quas per sex menses, & amplius gestare solent.*

Curatio quinquagesimanona, in qua proponitur egregium quoddam remedium, pro rubricandis capillis.

VT fului reddantur capilli, multi D multa parãt malagmata, inũctiones, lixivia, unguẽta, destillationes, aquas, & quæ sunt huius generis alia, ex quib⁹ G. nõnulla quoq; cũ Critonis quatuor lib. De ornatu citet, primo lib. De cõp. med. secũd. locos prosequitur. Nos verò cũ hucusq; multa & varia in puellis experti sim⁹ (quib⁹ vel invitę obtẽperare decet) & ex omnib⁹ remedijs hoc unum cæterorum præstantissimum, & tutissimum invenimus, placuit illud hic chartis mandare, & eo magis quia Maria à Baldovinis nobilis Florentina, multo omnium mihi charissima, non altero unquam usa est: habet autem remedium sic: AlKanam Arabum in pulverem redactam, ut à Græcia & Mauritania mercatores afferre solent, accipito, quam pauco vino tepente exceptam, in pulmenti formam redigito, & ea postea capillos per ordinem universos ad radices usque illinito, quos sic illitos per viginti quatuor horas stupis coopertos, & bene fasciatos sinito, postea verò tepente vino caput lavato, & eburneo pectine, vel altero dentes oblongos & plicabiles habente, prædictos pectinato capillos, & cvi enim eos, ut aurũ reddes, nec pluribus medicamentis, ut scopum cõsequaris, opus habebis: tanta enim huic inest medicamento vis.

Curatio sexagesima, in qua agitur, C *de omento, zirbo Arabibus dicto per ventris vulnus extra emisso.*

REctè dictum est, iuxta proverbiũ, Fratrum discordiæ. Nam cum duo fratres, quorum natu maior decimumquartum agebat annum, communi cultro in eadem mensa uterentur, H evenit quod eorum alter accepto cultro, eius mucrone alteri inter umbilicum & stomachum, vulnus infigeret, per quod illico omentum exivit, ad quem intra horam post illatum vulnus, accedens chirurgus, omenti partem digiti magnitudine, sed linea prius ligatam præcidit, & vulnus; ut opus erat, ipsius lineæ extremitatibus extra relictis suit, & ovi albumine stupis excepto, & vulneri primo conflictu applicito, ac postea, ut decebat, tractatum, brevi puer sanus fuit factus.

SCHOLIA.

EST omentum prępinguis pellis, quā vulgus rete vocat, & intestina præcipue contegit, ab Arabibus zirbus dicta, de qua dixit Hippocrates lib. 6. Aphoris. aphor. 58. Si omentum excidat, necessario putrescit, id est, si omentum extra corpus per vulnus exciderit, necesse est computrescat, qua ratione chirurgici cum primum ad vulneratos accedunt, etiam de recenti si omentum extra prominens, vel nudatum, hoc est, detectum vident, illico illud ligant & eius apparētem partem resecant, timentes si eam intromiserint ne putrescat, quia brevi ambientis aeris frigore insitum illi calorem amittit, multa manente humiditate, quæ postea nullo altero calore regulatur, & sic omentum, putrescit. Cæterum, si omentum parvo tempore extra prodierit, & medicus diligenter ad suum locum reduxerit, proculdubio non putrescet, quia adhuc eius proprius servatus est calor, ut testatur Gal prædicti aphorismi enarratione, & recentiores non negant. Porrò scire decet quod quibuscunque omentum præcisum est, eorum concoctiones imminutæ & debiles sunt redditæ, ut nostro puero evenit. Ventriculi namque calorem omentum fovet, & servat, & intestina humectat, & lubrica facit magis, ut per ea excrementa ad anum usque facilius percurrant, ut succus ante omentum est.

Curatio sexagesimaprima, in qua agitur de febri continua malignæ, gonorrhϾ, ac alijs affectionibus complicata.

IVvenis aurifex natus annos viginti, cum venusta sed Gallica scabie fœdata muliere coivit, unde in virga ulcera, & inguine phlegmonem (panum Latiniores appellant) contraxit. Cæterum tumor, quem panum diximus appellari, nullo admoto remedio ex toto delituit, manente tamen gonorrhœa, post quæ brevi febris ipsum corripuit continua maligna & sęva, quam comitabatur tussis fre-
E quens cum quadam spirandi difficul-
tate, sed nihil dolebat, liquida tamen
sua sponte egerebat multa fœtida &
putrida, cum quibus omnibus virium
robur utcunque vigebat. Nam apud
verum medicum, solus casus virtutis
signum est malum. Ad hunc igitur
accersitus, illlico internam dextri bra
chij venam secare feci, sanguinisque
uncias sex fluere, qui sane sanguis om
nino corruptione affectus erat. At post
sanguinis missionem, syrupum ebibe
F ret, sequentem commendavi, qui ha-
bet. Recipe Syrupi de acetositate citri
unciam unam, de borragine unciam
mediam, aquæ lactucæ, borraginis,
ana uncias duas. Misce, fiat syrupus.
Cæterū mane in aurora ad ipsum re-
diens & omnia, ut decebat, cōsiderās,
ex eadē vena sex alteras sanguinis un
cias fluere permisi, & conditū de aceto
sitate citri interim gustasset suasi, ve-
lut cordialia nonnulla, tūc verò in vi-
G ctu panatellam seminis melopeponis,
& amygdalarū paucarum lacte con-
cinnatam accipiebat. Vesperi verò ite
rum sanguinis semilibram extrahere
feci. Nam sanguis per nares, post
duas sanguinis priores extractiones,
magno impetu fluebat, & multum
sitiebat, & difficulter ex pectore spu-
tum emittebat, pro qua complenda
operatione, clambetivum de althea
accipiebat, sed ex naribus quoque ex-
crementa quædam sicca quandoq. re
mittebat, ob quam causam, amygda-
lino oleo nares non raro inūgebātur,
H veluti tracheę arteriæ exterior regio.
Tunc autem sextus agebatur dies, sep
mo verò, male se habere dixit, imò ea
nocte eum delirasse, assistentes mulie-
res & iuvenes testati sunt, octavo verò
pharmacum purgatorium & alteras
hoc illi dedimuus. Recipe Tama-
rindorum unciam unam, prunorum
pinguium numero duodecim, flo-
rum borraginis, violarū, buglossæ, ro-
sarum, ana pugillum medium, folio-
rum lactucæ cichoreæ, endiviæ, ana
manipul. medium. In aqua fiat deco-
ctio, ut decet ad librā mediam, & fiat
colatura,

colatura, postea prædictæ colaturæ accipe uncias tres, syrupi rosati solutivi, syr. violati sol. ana un. duas, rhabarbari boni drachmã unã, misce, fiat pot⁹, detur inaurora, & desuper per horã dormiat, tũc verò pulli cõtusũ pro victu, cum uno vel altero ipsius pulli bolo accipiebat, & vinum pauciferum ebibebat, post hæc verò, vires potentiores sunt factæ, sed morbus quum gravis, & potens erat, ad trigesimum usque diem lentè processit, ut Guaiaci decocto postea pro eo extirpando opus fuerit.

SCHOLIA.

Erat autem hæc morborum complicatio ineunte hyeme, quæ sicca & calida fuit, adeo ut in ea homines focum non viderint, imò ut seniones totius Italiæ testabantur, à quinquaginta annis antea, huic similis hyems nunquam visa fuerat, huic hyemi subsecutum fuit ver pluviosum, & maximé morbiferum, & in quo plures brevi ex febribus malignis correpti, mortui sunt æstas verò sequens calida & sicca erat, sed brevis, non adeo tamen suis qualitatibus excellens, ut homines torserit, aut animalia (ut fieri solet) in rabiem traheret. Mites autẽ morbi hac æstate fuere, & salubres, ac magna ex parte sanguinei, quæ omnia dicta velim ob nonnullos medicos, qui cum hyemem siccam & impluviam viderint, ver verò humidũ & procellosum, æstate futura homines gravissimis morbis corripi debere contestabantur, freti Hippocratis aphorismo undecimo libri tertij Aphorismorum, qui inquit de temporibus, si quidem hyems sicca & aquilonia fuerit, ver verò pluviosum & australe, necesse est æstate febres acutas, & lippitudines, Græci ὀφθαλμίαι vocant, & intestinorum difficultates fieri, præcipue verò mulieribus, & viris, qui natura sunt humidiores. Hallucinabantur autem medici ij hęc pręsagientes, quia parum adverterant aphorismi priora verba, quæ aiunt, siquidem hyems sicca & aquilonia fuerit, proponit autem Hippocrates, ut vera aphorismi sequatur sententia, hyemem non tantum siccam, sed etiam aquiloniam, quæ omnino frigida est, & humores intra corpus retentos, ac carceratos habet. Nam hyems, de qua noster agit sermo, sicca cum quadam tepente caliditate est, quę ultimis mensibus anni, 1551. & prioribus sequentis 1552. erat, medice enim loquimur.

A

Curatio sexagesima secunda, in qua agitur de pleuritide.

Manuel Barbosius vir fortis & robustus annos natus ferè quinquaginta, per uniniversum eius corpus diuturnum patiebatur pruritum siccamve scabiem. Is quum Venetijs per navim Anconã venerat, forte ex frigore contracto, materia cutaneas partes occupans intus recepta est, quo factũ est ut prurit⁹ & scabies ex toto delituerint, & ipse in pleuritim fuerit lapsus: propè Pisaurũ verò veniẽs, navis naufragio disrupta est, & ipse cũ cæteris promiscuis cõmilitonib. alijs super veniẽtib⁹ cymbis & navib. evasit, quo labore superaddito morbo Anconã defatigatus satis venit. Nam costas superiores multũ dolebat, dolore quidem pungente & acuto; cum quo multum tussiebat, & sputum sanguineum emittebat, continuo verò febricitabat, & ut paucis dicã, omnia patiebatur, quæ in gravi comperiuntur pleuritide, ad hunc igitur vocatus ego, illico axillarem eiusdem lateris venam ubi dolor erat (nam ut dixi, dolor superiores occupabat costas) secare feci, sanguinisque uncias octo extrahere, qui procul dubio putridus, & omni corruptione affectus, ac ex phlegmone defluxerat, à qua sanguinis missione dolor illico evanuit; adeo ut si tussiret minimè, ut antea, dolorem persentiret. Nam ante sanguinis missionem ita dolore infestabatur, ut tussim pro posse maximè retineret; vesperi verò ex toto deposito dolore, febris utcunq. vigebat, pro qua depellenda, ac mala qualitate membris insita extirpãda, iterum ex eadẽ vena totidem sanguinis unc. fluere feci, quintus namque iam tũc agebatur dies à morbi initio. Sexto verò solo lambetivo concesso,

quo semper usus est, & thoracis illinitione ex unguento pectorali communi facta transegimus. Septimo autem in insomnia melancholica, & terribilia devenit. Sed octavo purgante medicamento cum evacuavimus, quo sanus evasit, & ita habet. R. Seminis malvæ, melonis, althææ, passarum è Corinthio, ana pug. unum, prunorum damascenorum nu. decem mixariorum ziziphorum, ana num. quindecim florum violarum, borraginis, buglossæ, rosarum, ana pugil. unum, foliculorum senæ unciã unam, liquiritiæ rasæ unc. mediam, in aqua fiat decoctio, quousq. maneant unciæ octo, facta decoctione & colatura. Rec. Prædictæ decoctionis unc. quinq. in qua per noctem infunde rhabarbari subt liter incisi scriptulos duos, agarici optimi drach. unam, in aurora fiat colatura & expresso, cui decocto adde, mannæ electæ un. duas, syrupi rosati solutivi, syrupi violati solutivi, an. unc. unam & mediam. Misce, fiat potus, detur in aurora, & desuper dormiat per horam, quo multa egessit, & postea paucis diebus sanus evasit, in quibus saccharum borraginatum in aurora comedebat.

Curatio sexagesimatertia, in qua agitur, de capitis antiquo dolore cephalæa dicto, continua febre superveniente curato.

RAgusinus puer annos natus quatuordecim, quum de capitis antiquo dolore, quem Græci cephalæam appellãt, gravissimè torqueretur, contigit quod illi febris cõtinua putrida supervenit, ex qua, cũ timor esset, ne dolor capitis magis ingravesceret, tãtum abfuit ut ea febri dolor increbuerit, ut potius ea dolor in universum abierit, & puer sanus à tam gravi & diuturno dolore postea evaserit, ut tandem dici possit, morborum morbos esse medelam.

E

Curatio sexagesimaquarta, in qua agitur, de carcinomate exulcerato.

MVlier Græca nobilis Patrensis cum cancrum occultum, hoc est, integrum, in mamma iamdiu pateretur, Venetias ut medicos consuleret pro sui salute petivit. At medici doctè admodum, ut ab omni remediorum
F admotione abstineret, illi suaserũt. Illa verò Anconam veniẽs immemor doctorum hominum consilij, monitionibus potius agyrtarum, & nugivendulorum, quibus multum abundat Italia, persuasa, varia topica medicamenta supra malum posuit, quibus brevi cancer exulceratus est, & ipsa non diu postea vixit, sed miserrimè è vita brevi discessit.

G

Curatio sexagesimaquinta, in qua agitur de gurgulione plus iusto longo facto simulque de raucedine.

FIlius Salonis, qui propter Cibetæ catos, quos ex longinquis & valde distantibus regionibus in Italiam traxerat, Catarij nomen adeptus est, gurgulionem plus iusto oblongum habebat, ob quẽ multa mala sentiebat. Nã ita rauce loquebatur, ut vix ei⁹ loque
H la perciperetur, & gravamẽ nõ parvũ circa eandẽ partẽ patiebatur, & quod peius erat, cibũ difficulter deglutiebat, cũ quib. aliquando febricitabat, lenta & miti quadam febricula, & caput dolebat, morbosus namque affectus is est, ægritudo in compositione, eius nempe carunculæ, quæ à faucibus dependens vocis instrumentum gurgulio veteribus dicitur, in magnitudine à naturali habitu excedens, non quidem

quidem ad rotundam crasitiem, quã Paulus & Aetius unam propriè dicũt, sed intenuem longitudinem, quam columellam predicti authores recepto vocabulo vocitant, ac sic columellæ laxatio propric hic morb. dicitur, cuius causa corporea est, continua scilicet humoris aquei a cerebro calido & humido, in eo tamen humiditate superante, destillatio. Hunc igitur curare intendentes ægrotum, eius temperaturam primo contemplamur, quæ omnino calida & humida est, compositione vero obesus is cernitur colore rubicundus, multo victu & potu assuetus, & Veneri summopere deditus, adeò ut hic quũ ætatis suæ annum quadragesimũquintũ ageret, ab infectione Gallicana eius morbi semina originẽ trahere suspicarer, qua de causa post varia celebrata remedia, ad Guaiaci decoctum devenimus, quod per quindecim tantum dies ebibit, & meliuscule habuit. Sed cum Andrinopolim eius propriã patriam reversus fuit, maiori cum ocio cynarũ radicis decoctum per quinque supra viginti dies ebibit, & basilicè se sensit, referam tamen ipse (ut me dicam artem exercentes noscant) ordinem à nobis primo habitum, & primo à victus ordine initium sumam, quo vel tantum similes morbi sanari consuescunt, profligãtur autem destillationes hæ brevi, si modo eas patientes cibaria fugiãt pituitosa, qualia sunt pisces, suillæ carnes, lacticinia, legumina, immoderata iuscula, herbæ, & cætera. Vtebatur verò optimum succum gignentibus cibis, unum cordi præfixum habens, quod prandium cœna maius, ac liberalius semper accipiebat, imo cum prandium opiparum illi erat à cœna nostris monitis abstinebat. Vinum quod Galenus libro quarto De tuenda valetudine tradit semicrudos humores quantum aliud quodvis remedium concoquere, in prandio tantum bibebat, & illud quidem parvum, caput non feriens. In cœna autem id omittebatur, quoniam eius halitu caput repleri, & cerebrum tẽtari aiebat,

A forte G. authoritate monitus, qui prædicti voluminis lib. 1. hoc affirmat, unde Arabes in destillationibus vinum omnino abnegant, somnum quoque diurnum utpote caput replentem, & noxas plures secum ferentem, ut poterat fugiebat, veluti illico à cœna. Cæterum quum caput Hippoc. teste epistola Demetrio regi conscripta, radix humanorũ morborum sit, præcipue ut Gal. adnotat, destillationum, operepræciũ erit ipsum ante omnia minus obnoxium destillationibus reddere. At quum eodem Galeno præsente, quarto Methodi medendi libro, & alibi sæpe, B non solum medicorum decreto, sed etiam philosophorũ testimonio, partẽ ante totũ sanari nõ liceat, fit inde ut nisi dogmaticũ ordinem invertere velimus, à totius curatione, ac evacuatione, ordiri debeamus. Porro cũ operatio hæc cũ medicamentis, tum etiam sanguinis missione cõpleri potest, nos à sanguinis missione, utpote evacuatione universaliori, initium fecimus, præsertim à communi lateris dextri vena, C quæ à cephalica tũ basilica interna dicta, æquè haurit vena, cuius uncias quinque fluere tantum permisimus, capitis frigiditatem timẽtes, etenim quãtitas hæc sufficiens est multum iuvare & non nocere. Timent quippe medici authores, apud luxatam columellam, præcipue a pituita & aquea humiditate ortam sanguinis extractionẽ, quam summopere laudãt ex cephalica vena, quãdo columella ipsa inflãmata, phlegmonosa, affatimq. rubens est. Proinde nos prædicta contenti sanguinis missione hirudinibus quoque semel ani D venis admotis, post syruporum & decoctionum materiam respicientium propinationẽ, universum corpus per rhabarbarum & agaricum noviter paratum purgavimus, adiectis electuario catholico vel leniente, quanquam postea non semel opus hoc confecerimus catapotijs de agarico, cochijs, & aggregativis, vel alaiarethi post quas evacuationes universales, ad particulares nos divertimus, nempe

apophlegmatiſmis, errhinis, medica-
mentis dictis naſipurgijs, quæ ſi bene
& ut decet exercentur, miræ inde ſe-
quuntur operationes, ut in diuturnis
capitis doloribus, non raro experti ſu-
mus, non minus ſternutatorijs,& uni-
verſalibus revulſionibus, ut frictioni-
bus,nexibus, ſiccis cucurbitulis,& ex-
tremorum lotionibus, miſſum facio
gargariſmorum varium genus à Gale
no compoſitum, quod Aetius abundã-
tiſsimè Sermone octavo ſuæ medici-
næ,capite quadrageſimo citavit, & eo
nos ſæpe uſi ſumus,ex quo capite re-
medium unum non prætereundum
uſurpavimus,quo mulierculæ in hoc
caſu frequentiſsimè utuntur,& ita ha-
bet,Philumeno relatum picem liqui-
dam accipe,eâque extremum pollicis
tui infice,alteraque manu ſyncipitis ca
pillos diſtende, ac pice illine, recurret
enim ſtatim uva, hoc ſane remedium
affectionibus magis quadrat, quam ſi
accatiæ ſucco (ut mandat Avicenna &
poſt eum Meſue) caput liniretur, ille
Fen nona lib.tertij ſui canonis capite
decimo,hic vero ubi de ægritudinib.
uvæ agit,quia frigidæ capitis intempe
riei pix quã accatia magis aptetur.Cę
terum hæc & pulveres caput roboran-
tes,veluti cerataria,capitis lotiones,ele
ctaria, ſtillicidium abſumentia,& ſiſtẽ
tia, cum nullius profectus fuere,ad ca-
pitis uſtionem,cauſtico medicamento,
vel candente ferramẽto,devenire pro
poſitum erat.Sed cum alterius medici
monitis ad balneas ire propoſuerat,ut
harum naturalium aquarum ſtillici-
dium ſuper caput præmitteret, quas
duccias Italia vocat, ea omnia renuit,
verum quum harum aquarum natura
lium uſum,ut noxium & illi contrariũ
proprijs indicijs & veris rationibus in
dicavimus conſilium mutavit. Nam
præter quod citra priſcorum medico
rum morem, neoterici noſtri ijs duc-
cijs frequentiſsimé utantur,mirum ta-
men in modum huius capitis tempera
turæ,utpote naturaliter calidæ adver-
ſantur, ut huius rei teſtis eſt Galenus
libro ſexto,De ſanitate tuenda,qui cali

E das has aquas,ſua natura ſcaturientes,
ut ſulphureas, bituminoſas, & alumi-
noſas, calido capiti inimiciſsimas eſſe
tradit,quo fit eiſdem huius caput expo
nere periculoſiſsimum admodum ſit,
quum forte dum alterum morbum ex
pellere curaremus,alterius & forte ſæ-
vioris eſſemus authores,ut ſæpe ex ijs
duccijs eveniſſe notavimus ipſorum
ægrotorum,& medicorum longè fru-
ſtrata ſpe non immerito, quum Salu-
ſtius Burgeſsius,nobilis Senenſis,& An
conæ militum præfectus, digniſsimus
ex aſthmate ob materierum à capite
in pectus deſcenſum male afficeretur,
& Senas peteret ut eius agri duccijs,
quibus maximè abundat,uteretur, illi
F Senenſes medici doctiſsimè admodum
conſuluerunt, ab eis omnino ut abſti-
neret. Timor autem erat, ne in pectus
à capite materia irrueret,& hominem
ſuffocaret, quibus ille prudẽter paruit,
& eorum conſilio alijs præſidijs ſani-
tatem obtinuit,ut ægrotus noſter gua
iaci decocti uſu quindecim dierum tẽ-
pore, quanquam poſtea ſanitati inte-
græ ſigillum impoſuerit,potu decocti
radicis cynarum, quod ex deſcriptio-
ne noſtra,à Centuria ſecunda.per vi-
G gintiquinque dies Andrinopoli eius
propria patria ebibit, & nunc ut ad
nos reſcripſit taurice valet.Huic cura
tioni finem iam imponebam ni in mẽ
tem veniſſet,optimum fore ſi ſelectio-
res gargariſmos,& tutiores,quibus in
hoc morbo uſi ſumus deſcriberemus.
Habet igitur gargariſmus primus à
Gal.lib.6.De comp.medic.ſecund.lo-
ca ſcriptus,& ab Aetio,Sermone octa
vo,cap.40.relatus ſic.Recipe Mellis li
bram unam,aluminis liquidi libram
unam,florum roſarum libram mediã,
H ſucci hypociſthidis uncias tres,alumen
& mel ſimul coquito, dein reliqua tria
adjicito,ac rurſum paululum decoqui-
to, quo,eodem Galen.authore, tribus
modis uti poſſumus,primo aqua cali-
da diſſoluto, ſecundo, aqua mulſa ad
gargarizandum,tertio pro illinitione,
nam eius illitu cum digitis columella
reprimi & elevari poteſt, & ut Aetius
ait,

ait, bonum hoc remedium esse adstruit Gal. eòque uti iubet. Cæterum quoniã prædicta inscriptione alumen liquidũ legitur, quo nunc caremus, consonum est, eius vice, huic medicamento scissile, quod alumen plumæ officinæ hodie vocant, injiciamus, quod (Galeno authore) libro De septis ad eos qui intro ducuntur, & sexto De comp. med. secũdum loca aluminis cæteris generibus valentius est, & gurgulioni multum prodest, & mea sententia, eius pondus ad bessem accedere, hoc ad uncias octo ut in Aetio legitur, satis esset, quia si scissilis aluminis libra in hac admitteretur compositione, forte violenter & quasi repente columellam restringeremus. Secundum locale remedium philosopho relatum est, ut Aetius meminit lib. 8. suæ medicinæ, & Galenus ante eum lib. 6. De compositione medic. secundum loca cap. 3. prope finẽ, quod ita habet, & temporis necessitate instã te apparatur, quia inveteratum vires suas amittit, Nuces virides accipe & exiccato, & palmarum ossa, atque de ipsis ubi velis sufficienter exurito, & & amborum æquales partes misceto, ac siccis tritis utitor, sufficiẽter autem discussoria existunt. Proinde nos remedio hoc post citatum, & alia varia, quæ consulto præterimus, usi sumus, morborum autem tempora maxime à medico contemplanda sunt, qua de re dixit Hippocra. libro De sterilibus, Conare ut physicus sis, ad hominis habitum ac robur respiciens, ex ijs enim nullus est, qui non omnia adamussim faciat, missum facio Galen. varijs suis libris huic rei dicatis, quem tantum audire citato lib. 6. De compo. medic. s. loca satis esset. Cæterum quum hæc operaremur in mentem venit, iuvenis olim Lovaniensis apud collegium trilingue, eo tẽ pore quo illi Conradus Coclenius, vir Græce & latine doctissimus, & dicendi arte nobilissimus præfectus erat. Agitur autem annus decimusquintus, ad quem iuvenem, quum Antuerpiæ ipse agerem, Lovanium venimus, ut eius valetudini consuleremus. Habebat au-

A tem studiosus hic iuvenis gurguliõẽ lori modo oblongum, exanguem, pro quo reducendo, quum multa & varia à doctis medicis tentata essent, & nihil profuerint, ad eum rescindendum coacti fuimus. Nam continuo irritatu, tusses, vigilias, quin & strangulationẽ interim minabatur, suadet autem Hippocra. & Gal. assentitur lib. 3. Prædictionũ, textu vigesimoprimo, ubi gurgulio crassior in rotunditatem creverit, & instar uvæ deorsum feratur, eiusque superior pars tenuior evaserit, aut
B quando gracilis fuerit, & ad lori tenuitatem redactus, tunc chirurgia amputandus est, & ut nos tunc opus confecimus, forficibus eum præcidimus, & illico ex oleo vitrioleo tetigimus, & sanus ac liber à tam sævis symptomatis iuvenis hic fuit, qui præter omnium spem ab hac affectione evasit, rauce tamen postea loquebatur, nec mirum, quia gurgulio tamquam vocis plectrũ ipsi ad magnitudinem atque elegantiam conferens, uno omnium medicorum consensu est homini à natura tributus, ex quo quoque tot sequũtur animanti iuvamenta & commoda, quot à Gal. undecimo libro De usu partium
C enarrantur, siquidem aer ingrediens ab eo prius inciditur, eius ingressus violentia frangitur, frigiditas admodũ compescitur, ita ut nonnulli, quibus ille ad basim usq. fuerit amputatus, non modo longe deteriꝰ locuti sint, sed etiã frigidiorem adeo senserint inspirationem, ut plerique pulmone, ac thorace affatim refrigerato, perierint, ea de causa nos in ejus incisione, Hippocrat. & Galeni consilio, modum & quantitatẽ particulæ servavimus, ut de hac re Cẽturia prima diximus. Cęterum ut oratio
D ex integro rationes suas habeat, pulvis item, aut eiusdem generis substantia ne in laringem incidat gurgulione clypeo prohibetur. In summa, hæc iuvenis columella incisa ex eatũ genere erat, quas medici prisci, oblongas appellitabant, per summa graciles, muris caudæ modo remissas, non admodum sanguinolentas, sed albicantes magis,

magis, quas & ipsi chirurgia curare E solent, tentatis tamen prius generosis medicamentis, resiccantibus & extenuantibus, quia Gal. authore lib. 4. Methodi meden. cap. 4. excidere res est promptissima, maius vero quippiam, atque artes egens medicamentis sanare. Caveant tamen medici, quod quũ columella pelliculis referta eam trahenti ob laxitatem cedat, prolixior sanè inspicientibus sæpius apparet, unde nõ pauci inexperti, aut errore aut ignorantia ducti, F altius incidentes, eam funditus auferunt, maximiq; incommodi autores ægro existunt.

Curatio sexagesimasexta, in qua agitur, de acri humore à capite ad os descendente, & aphtas inibi gignente, et postea dysenteriam.

G

CONSTANTINUS natione Germanus, vir multarum linguarum peritissimus, temperatura biliosus, ætatis suæ anno 60. cum ab eius capite humor acris ad os deflueret, in eo ulcera quæ aphtas Græci dicunt, passus est. Contra quæ quum remedijs uteretur, & syrupum rosatum simplicem cum de endivia paratum biberet, prædictus acer humor ad intestina lapsus est, unde dysenteria orta fuit, multum quippe egerebat maximo sub umbilicum dolore, egestiones primo meræ erant, biliosæ, postea virides sanguinis mistæ, parum vel nihil febriebat, sed multum sitiebat, vires constabant, sed pulsus intus retracti percipiebantur. Contra hunc morbũ incidentes igitur nos primo victus ordinem huic talem constituimus, ut panatellam ex farinæ floræ, quem similaginem vocamus, concinnatam, pauculo butyro adiecto comederet, vel similaginis loco, orizæ pulverem poneret, aut ex iure pedum vituli, aut nephrédis, vervecisue, prædicta panatella pararetur commendabamus, cui aromatum vice pulverem ex bolo Armeniæ, thure, mastiche, utroq; corallio & similibus inspergebant, à vino porro abstineret, suadebam, cuius vice aquam hordei excoriati ebibebat. Sed inter noctem & diem diacodium simplex, ex saccharo & papaveris decocto paratum rotulorum figura gustabat. Sed primis diebus clysteres ex hordei decocto cum ovo integro, albo scilicet & rubro, adiecto oleo myrtino, vel rosaceo, cum pauco saccharo immittebãtur, post quos clysteres constringentes injiciebantur, quorum exemplum est, Reci. Decoctionis hordei excoriati, in qua extinctum ferrum fuit unc. quindecim, sevi hircini unciam unam & mediam, olei myrtini uncias duas, boli Armeniæ, sanguinis draconis ex Insulis Canariæ, fortunatis dictis, advecti ana drach. duas, albuminis ovi optimè concussi, numero duo, pilorum leporis drac. unam & mediam, misce fiat clyster, & eum proposse quantum potuerit retineat. Cæterum, quum primum hæc parabãtur, universus noster conatus eo dirigebatur, humor à capite intestina descendere paratus, ad nares & alias simileis parteis diverteretur, sed stomacho emplastrum diaphœnicon, & sub umbelico unguentum ex corticibus castanearum admovebatur, quibus omnibus, sanitati intra sex dies restitutus fuit.

H

Curatio sexagesimaseptima, in qua agitur, de pleuritide, membranam costas succingentem exteriorem, & musculos inter costales exteriores occupante.

VIR ex foro Iulij, Venetorum antiqua patria Anconæ, pleuritide non exquisita, mendosa, vel spuria dicta, corripi cœpit, costas namque suc-

cingẽtem externam mẽbranam cum intercostalibus musculis exterioribus inflammatio infestabat, vt ex ijs deprehendebamus signis, continuo febricitabat, & exteriorem thoracis partem dolebat, dolore quidẽ extensiuo & pulsatorio, nam tussis paucula, vel nulla erat, sed respiratio non admodũ erat difficilis, quanquam in expiratione æger maius percipiebat nocumentum quàm in aspiratione: quin visu & tactu, locus inflammatione affectus deprehendebatur. Pulsus non admodum erat durus, sed supra eundẽ affectum latus decubitus difficilis est; signum potens pro hac venanda affectione, quibus omnibus animaduersis, & perspecta bona viri habitudine, illico axillarem venam dolentem locum respicientem secare feci & ex ea sanguinis vncias octo demere. Agebatur autem iam ægritudinis secundus dies, quapropter bona victus ratione instituta, hoc fometum supra locum affectum filtro admouendum descripsi, & ita habet. Recip. Rosarum, maluarum, parietariæ, camomillæ, anethi, seminis lini, fœnugræci, ana pugill. unum In libris decem aquæ fiat decoctio sufficiens, cui postea adde olei rosati uncias tres, misce fiat fomentum, applicito & sæpè innovato filtro, vel spongia recenti, ac postea hoc linimento illinatur. Reci. Assungiæ gallinæ, butyri recentis, ana vnciam vnam, pulueris camomillę vnciam mediam, olei rosati, amygdalarum, dulciũ, ana vnc. mediam, ceræ albæ q. s. ad ignem misceto, & fiat unguentum molle: ijs enim cucurbitulis loco affecto affixis, ex toto intra octo dies inflammatio resoluta fuit, nec pluribus aut varijs alijs medicamentis opus habuimus. Cæterum, solet inflammatio hæc ad cutem aliquando deuenire, adeà vt necessum sit tumorem aperire, vt refert Galenus lib. 5. De locis affectis, vltimis ferè verbis capitis tertij, id quod nos hucusque semel tantum obseruatum habemus. Nam cum olim apud Antuerpienses essemus, ad quos regiæ Lusita-

A norum classes ex India redeuntes diuertere solent, contigit quod nobilis quidam Lusitanus, nauis alterius præfectus, in hanc incidit spuriam pleuritim, si pleuritis dici meretur, ex qua ita afflictus fuit, ut nullis remediorum beneficijs humor ex toto resolueretur, imo post aliquot dies, tumor extra aparuit, quem scalpello incidi fecimus, & paucis diebus, ægrum ex toto ad sanitatem redegimus. Porrò huic si rectè teneo, tota lateris affecti manus ad motum impedita erat. Cæterùm refert

B gloriosus Zoar, à se huic simile conspectum opus, & per patrem suum in muliere quadam confectũ, vt apud ipsum legere quis poterit, libro primo sui Theisir cap. 4. tractatus sextidecimi.

SCHOLIA.

PLEVRITIS exquisita, ea dicitur, quando cingẽs costas membrana, primario affecta laborat, ut meminit Gal. libro 5. De locis affectis, cap. 2. Quum primum igitur in membrana ac costas succingente, ac musculis illi continuis inflammatio fit, pleuritis vera & exquisita fit, ad quam necessario hæc,

C *sequuntur. Febris ardens, punctorius dolor, difficilis respiratio, tussis, & pulsus paruus, arteriam & duram & quodammodo tensam indicans, vt refert Gal. prædicto à nobis libro, & libro De constitutione artis medicæ, & secundo De difficultate respirationis, fit autem in hac exquisita pleuritide febris continua, quia inflammatio adest, & sedes affecta parum distat à corde, imo cum panniculo inuolente, ac septo transuerso cognationem habet, fit autem inflammatio hęc potissimum à sanguine vel bile, vt meminit Gal. libro sexto Aphor. aphor. 13. quo fit, si inflammatio ab*

D *alio euenerit humore, exquisita fortè non erit pleuritis, reliquorum vero syptomatum causas, legito apud Gal. lib. 2. De crisibus, quo nemo clarius hac exponit. Quando tamen succingens costas interna membrana solum afficitur, tunc decubitus supra latus affectum facilis est, supra alterum vero difficilis. Porrò sicum interna membrana, externa, ut fieri solet, affici quoque contingat, vel musculi ipsi inter costales exteriores, tunc ad utrunque latus decubitus est difficilis, ut sapienter admodum nos docuit Galen. libro De constitutione*

tione artis medicæ, inquiens. Cum enim duplex sit ea membrana, quæ costas velat, si ea pars, quæ exterius ossibus hæret, validè laboret, facilius in latere decumbunt opposito. Nam si in morbosum decumbunt, compressio molestiam affert: at si interior (quod etiam euenit frequetius) vehementius dolent, si in oppositum latus reclinent, quippe quum pensilis reddatur inflãmata particula, in morbosum vero minus, quum nec ab ossibus prematur, nec etiam quasi suspensa pendeat, sed potius sit ab utroque incommodo immunis, quod si utrinque ea membrana afficiatur, par in utroque latere decubitus est. Hactenus Gale. ex quo facilè elicitur, consequens esse huic nostro, quo de agimus ægrotante, decubitum supra affectum latus molestum ac difficilem esse, quia inflammatio externam succingentem costas membranam afficiebat, quam, cum supra dolentem locum decumbebat, comprimebat, unde dolor oriebatur. Porrò quando succingens costas membrana primum afficitur, tunc pulsus intensus admodum est, quia interna membrana arterias tangit, comprimit, & tendit: si verò in musculis inflammatio fuerit, pulsus non adeo tensus est, quia non ita arteriæ tenduntur. Cæterùm euidentioris doctrinę gratia, scire decet viginti quatuor costis, duo viginti interstitia, siue inter costas media spatia ex utraque parte inesse, quia singulis duodecim costis undena spatia inter costas media comperiuntur, quæ musculi explent occupantve, ac ea de causa intercostales musculi dicuntur ij. Qui an viginti duo sint, vel potius quadragintaquatuor in dubium vertere quis posset, & eo magis, quia Gal. hac de re subobscurè locutus est. Gal. igitur, ut rem paucis absoluamus, libro de causis respirationis, ubi ex proposito de ijs musculis agit, duos & uiginti tantùm esse meminit, dicens, sic etiam circa costas musculi, quorum in medijs ipsius regionibus duo & viginti numerantur, ad quem locum Galenus ipse, cùm de eadem re loquitur, lectorem remittit, ut apud ipsum quis legere poterit, libris quinto & octauo de anatomicis administrationibus, & septimo De usu partium, quasi prędicta contentus sententia, quòd intercostales musculi vigintiduo tantùm sint. Cæterùm, quòd intercostales ij musculi non tantùm sint vigintiduo, sed quadragintaquatuor, vel ex hoc satis probari potest, quia thorax quum respirationis autor sit, in quo duo contrarij motus reperiuntur, scilicet inspiratio & expiratio, consequens fuit natura quoque duo componeret instrumenta, ut eisdem contrarias cõpleret operationes, quæ proculdubio, musculi sunt inter-

E costales dicti interni & externi, interni inspirationi subservientes, externi verò expirationi. Vnde consentaneum est asserere, tot esse musculos interiores, quot exteriores, quod Galenus libro à nobis citato De causis respirationis, paucis interiectis lineis, post ea verba, in quibus vigintiduos musculos signavit, non negat, quin potius quadragintaquatuor admittere videtur, cùm dicat, musculos istos intercostales internos & externos esse, quorũ fibrę mutuo nexu implicitæ, & ad figuram huius characteris. X. intersecantur, & ab externis deorsum versus fibræ obliquę declinant, ab internis contrario modo, qui fibrarum incessus idem habetur in musculis qui ad costas nothas habentur. Attende tamen fibrarum situm inter duas costas subinde quoque variari, quoniam plerunque aliter se habent inter costarum cartilagines, quam inter ipsa ossa atque
F ubi id inter binas costas Arabes, & eorũ sequaces, quatuor musculorum genera statuerunt. Sunt igitur, ut receptui canamus, musculi ij intercostales, quatuor supra quadraginta, interni vigintiduo, externi totidem. Interni inspirationi famulantur, externi verò expirationi, quanquã Vesalius Bruxelensis artificiosissimo libro illo suo de hominis fabrica, in hac re veluti pluribus alijs Galeno adversatur, sed an rectè, alibi, modo Deus opt. max. vota nostra secundet, exponemus. Accedunt prædictis quatuor supra quadraginta musculis intercostalibus, alij plures respirationi ser-
G vientes, primo duo primarum costarum, qui superiorem duntaxat thoracis partem attollunt, totidem extremorum, inferiorem solum contrahentes, tres ex cervice descendẽtes, qui sublimes thoracis particulas retrahunt simul & eleuant, septem dorsalibus costarum radicibus extensi, qui cartilaginum extrema adstringunt, octo abdominis, qui ad septum pertingunt, & thoracis contractui auxiliantur, quibus alter haud vilissimus adnumerandus venit musculis, diaphragma dictus, quos omnes hucusque percurrisse satis est, ut lectores noscant ęgrotum nostrum expirationem difficiliorem pati, quia exteriores musculos lęsos, & inflammatione affectos habebat. Nam
H vt obiter hoc dicam, solo septo transverso diaphragmate dicto, in paruis respirationibus quodvis animal vtitur, veluti quando musculi alij validissima pleuritide oppressi sunt, ut meminit Gal lib. 2. De locis affectis, cap. 2. Cùm verò violentæ respirationis vsus quidã ipsi animali oboritur, aut exercitio, aut febri, aut vehementi aeris calore, aut alio quodam affectu, necessitas est septi functionibus intercostales subvenire, sin autem adhuc maior usus

usus respirandi evenerit; etiam altioribus musculis actionem obit. At hæc nũc sufficiãt; tùm multa plura in hac re pro Arist. & Auerroi confutandis dicenda essent, & institutum nostrum prosequamur.

A

Curatio sexagesimaoctaua; in qua agitur de pleuritide quodam affecto, per lotium saniem emittente.

MERCATOR Ariminensis, vir me hercle probus, cum Racanatenses nundinas peteret, Anconæ sæua & crudeli pleurritide correptus fuit. Nam ad quintam superiorum costarum dolebat, dolore quidem punctili, continuò & intensissimè febriebat, difficulter respirabat, sed difficilius tussiebat ob respondentem ex affectu loco dolorem, optimè supra affectum latus decumbebat, supra oppositũ vero, nullo modo, si supra cum tamen decubitum tentabat, ex loco affecto tempensilem persentire dolorem maximum inferentem dicebat, pulsus huic duriusculus erat, & serræ modo asper, quæ omnia primo die quum ad eum invisendum venirem, pati comperio, & ea de causa vesperi, ea scilicet hora qua eum conuenimus, illicò internam eiusdem brachij venam affectum locum respicientis secare feci, & sanguinem ad vncias decem minuere, cœperat autem iam sanguis corruptione afisci, sed eo die nihil quicquam expuit; sequenti verò die prope noctem sputum cruentum mittere cœpit, admoueramus autem nos illicò post sectam venam, & sanguinẽ detractum, fomentum filtro exceptum, quod habet, Recip. Rosarum siccarum, seminis lini, fœnugræci, hordei, maluarũ, ana pugillum unum, parietariæ manip. vnum & medium, in libris duodecim aquæ fiat decoctio sufficiens, facta coctura, adde olei rosati libram mediam, misce, in qua filtrum immitte, & expressum optime calidum loco admove; & sæpe immuta. Huius cibus ptisana colata erat, potus verò, hordeacea aqua in iulebo violaceo, aut sacchаro mista. Secundo verò die ex eodem facto vulnere totidem sanguinis vnciæ sunt extractæ, nec enim scapello prædictum vulnus pungere opus fuit, sed conchæ modo facta manu supra illatum vulnus fortiter percutimus, & ut à cucurbitula fugiendi vacui gratia sanguis evocatur, ab hac verò sanguinis missione syrupum hunc ebibit, qui habet, Recip. Syrupi violacei simplicis, de endiuia simplic. ana vnciam vnam, aquarum violarum, farfaræ, ana vncias duas, misce, fiat syrupus quem singulis diebus in aurora ebibebat, prope noctem vero diei secundi, ut dixi, hic spuere cœpit sputum quidem cruentum, quod sequentibus diebus saniosum est redditum, tunc verò delirare cœpit, & symptomata alia grauissima pati, contra quæ, ut opus erat, occurrebamus, At quinto die, quum lotium conspexissem, id saniæ plenum in matula deprehendi, ita enim huius lotium sanie infectum erat, ut lotium eius, qui gonorheam pati solet, in quo medici sæpe decipi solent, credentes saniem illam, nebulam, aut humoris intra venas peccantis portiunculam à natura deuictam esse, pro qua re angi cœpimus, hinc inde causam vnde sanies decidebat inquirentes, demùm sexto die, bolum ex flore casiæ fistularis, ad unciam unam cum dimidia, pauco sacharo exceptum, propinauimus, & deinceps melius habere cœpit, erant autem vires ita imbecilles, ut septimo elapso die, non solum panis puri micas cum iure pulli gallicei, sed etiam carnes ipsas concedere opus fuerit, & Deo tandem auspice, pe nitus est à pleuritidie liberatus.

B

C

D

SCHOLIA.

EXQVISITA pleuritis hæc est, quia inflammatio succingentem costas membranam occupabat, & in ea punctilis dolor, com-

comperiebatur, quanquam (quod sciam) nusquam nisi in exquisita pleuritide punctilis hic dolor reperiri potest. Cæterùm subit admirari saniei per lotium exitum, quem ægrotus hic meiebat, & quum hinc inde animum volverem, in mentem venit, saniem thorace collectam, per urinam quandoque excerni, quod Galenus ditissimus medicinæ Oceanus non siluit libro sexto De locis affectis, per velantem autem costas membranam materia phlegmoni impacta resudat, quæ pulmonibus collecta pectoris compressione ascendit. Cæterum cum ipsis pulmonibus arteria venalis hæreat, & alligata sit, consequens est fieri posse materiam per eam demandari, & ad cor pervenire, tandem inde per magnam arteriam Aortæ dictam delegari, & ad emulgentes descendere, & consequens per urinam mitti, veluti per secessum quoque reiici contingit: ad cor autem, ut dixi, perveniens materia, per venam putealem cavam dictam deferri potest, & inde ad iecur, & tandem ad venam portæ, & intestina, quamquam fieri posse tradit Galenus, ut materia hæc per cavam venã ad venam portæ perveniat, & iecoris gibbas partes non attingat, quia á vena cava aliquando vena quædã diciditur, quæ venis portæ copulatur, per quam materia ad ipsas venas portæ pervenire poterit, absque quod iecinoris partes gibbas contingat.

Curatio sexagesimanona, in qua agitur, de pleuritide.

PVELLA nata annos septemdecim, post optimam mensium suorum purgationem, pleuritide correpta fuit, & sanguinem purum spuebat, & circa mammam lævam dolore afficiebatur, qui ad claviculam respondebat, continuo febricitabat, tussiebat, & quũ tussiebat multum loco prædicto dolebat, cum quibus difficultatem anhelitus patiebatur. Huic occurrens ipse ab iniecto clysteri, secta eodem die bis axillaris vena eiusdem lateris fuit, & sanguis ad uncias viginti extractus. Porrò locus dolore affectus, fomento irrigabatur, fovebaturve, quod habet, Recip. Malvæ, malvavisci, parietariæ, rosatum, seminis lini, fœnugræci, hor-

E dei, ana pugillum unum, in libris duodecim aquæ fiat decoctio secundum artem, cui adde olei rosati, violati ana uncias tres, misce, & in eo filtrum vel spongia nova imbuta, aut vesica eius plena, loco affecto imponatur, & postea unguento violaceo cum illito, ijs enim puella hæc melius habuit. Sed cibus huic ptisana cum cremore, hoc est, lacte seminis melonis & amygdalarũ erat, potus verò hordeacea aqua, quam tepentem iulepo admistam semper ebibebat, quibus omnibus intra quin-

F que dies sanitati restituta fuit.

Curatio septuagesima, in qua agitur de exanthematibus, morbo dicto pulicari, absque febre in puero erumpente.

G PVER ad me delatus absque febre, totus maculis quibusdam pulicum punctibus similibus scatebat: & ipsis quidem nigerrimis, ut mirari satis sit talem morbum absque febre, vel animi anxietate, aut pueri ipsius detrimẽto ad cutem prorupisse. Sed cum potẽti virtuti nihil esse difficile sciamus, ut quæ per ossis mediũ trãsmittit materiã abscessum gignentem, ut refert Galenus lib. 7. Aphoris. enarratione quinquagesimaquinta, ideo mirari destitimus. Cæterùm duobus interpositis diebus puer hic egestiones, sãguinẽ multum, nigrum, fœculentum, malè olen-

H tem egessit, & sanus ac liber evasit. Sed alterum puerum tunc febrientem vidimus, cui per crura exanthemata, sive efflorescẽtia signa disseminata erant, quæ quoque subitò apparuerunt, & brevi sanus factus fuit, grassabantur autem tunc febres malignæ pestilentes, ut ex dicendis videbitur.

(.·.)

Curatio

Curatio septuagesimaprima, in qua agitur de febre contirua maligna interficiente.

MANuel Pintus vir annos natus circiter sexaginta, quũ jam diu mœrore afficeretur, in febrem incidit continuam, & malè morigeram, fortiter sitiebat, capitis & oculorum magnam persentiebat gravitatem, intus urebatur: extra verò mẽbra frigebant, lotium rubrum & crassum emeiebat, in quo pars superior albicabat. Sed pulsus debiles omnino erant, quadam cum intercidentia, ut singulis tribus pulsationibus una deficeret: qua de re tertio ad eũ ingrediẽs, sanguinis missionẽ per venæ sectionẽ moliri verit^9 sum, imò ad ea, quæ roborant, & vires reficiunt, cõfugimus. Ea huic pro victu concedentes, ut vitellos ovorũ rosaceâ alteratos, pulli contusum, ptisanæ mistũ, capi jus, in quo semina citri, acetosæ, bolus Armeniæ Margaritæ præparatæ, corallus præparatus, & iis similia in pulverem redacta mittebantur, nõ minus conditum ex acetositate citri concedebatur, veluti eius syrupus, cum altero de nimphęa mistus, adjectis destillaticiis aquis. Vniversus autem noster conatus eo dirigebatur, ut vires reficerentur, & febris acumen, ac malignitas infringerentur: pro qua complenda operatione, cordi epithemata refrigerãtia applicabam^9: demũ resũptis ut cũq. virib^9, quinto die cassiæ fistularis dra. decẽ ex aqua acetosa dissolutas ebibit. quib^9 multa egessit biliosa & mera. Cæterũ puls^9 debilior est reddit^9 prædictis cũ intercidẽtijs: septimo. quinquies in nocte sua sponte egessit, in fine cui^9, hirudines duæ ano admotæ sunt, & sanguis per eas abundè extractus: octavo meli^9 habere visus est, nonò ter quoq. sua sponte egessit, biliosissima, & fœtida multa, nihil in victu accipiebat, lingua arida, & scissa facta est, mẽte sẽper constans fuit: decimo bis egessit

A sputa, multa, viscida excreabat, sed maxima cum difficultate, & tunc vires imbecilles multum erant: demum undecimi initio obiit, ultimo scilicet die mensis Februarij 1632.

Curatio septuagesimasecunda, in qua agitur de febre continua, pestilente.

CAVALERIVS Aulonensis mercator, vir sexaginta annorũ, fortis & robustus, hoc eodem tempore febri continua pestilente & maligna corripi cœpit: nam primis diebus, ut
B medicus referebat, febriculam quandam lentam, pati cœpit, quam ægrotus nihili faciebat, quia nihil dolebat, sitiebat tamen multum, & pulsus inordinatos habebat, & urinam crassam emittebat, quibus de causis, per minorans medicamentum primis diebus æger ipse purgatus fuit, & per cucurbitulas scapulis admotas, secta cute illi sanguis extractus. Nam in brachiis venæ non apparuerant: sexto vero die urinæ bonæ cum nubecula co-
C piosa erant: octavo peius habuit, & urinæ subalbidæ cum sublimamento albo sunt factæ: nono brachij exterior vena secta fuit: decimo, per totam noctem non dormivit, sed delirabat & multa loquebatur, & manib. ex stragulis nescio quid extrahebat, in aurora stridor dentium, linguæ nigredo, febris intensa, pulsus parvus cum intercidentiis, & somni maxima appetentia, pro quibus scapulis cucurbitulæ siccæ applicitæ sunt, undecimò omnia eadẽ habebãtur, sed vires cũ cor-
D poris impotẽtia imbecilliores sunt redditæ, & oculorũ cõcava nigra sunt facta, facies verò sublivida, nariũ extremitas acuta cũ quadã albedine: duodecimi initio, tremore affectus fuit, ad quẽ sudor copiosus calidus subsecutus fuit, universũ irrigãs corpus. Cæterum crura, etsi calebant, non tamen sudabant, elapsis verò duabus horis,

huic os distortum est, & sudor ex roto E exblevit, pulsus diminuti erant, inter se loquebatur, neque ab assistentibus percipiebatur. Oremõ instabat, & decimotertio die mortuus fuit, quinto scilicet die mensis Martii, millesimoquingentesimo quinquagesimosecundo.

Curatio septuagesimatertia, in qua agitur, de febre maligna, in qua urina optima semper apparuit. F

HOC eodem tempore senex Partinopolitanus annos natus sexaginta, fortis, & potens, febri continua & maligna corripi cœpit, cum qua nullã corporis partem dolebat, sed maximè sitiebat, & linguam nigram, & aridam habebat, huic cæterùm primis diebus ex cassia fistulari alvus exonerata fuit, & sequentib. dieb. urina optima sẽper optimo cum sublimamento apparuit. At pulsus debilis cũ intercidẽtiis erat, G ut hic mirari liceat optima cum urina, & nullis symptomatis, pulsus pessimus erat, testantur autem hæc vitalem facultatem morbo oppressam esse, cæteris adhuc non malè valentibus facultatibus: hic quum multis diebus absq. remediis perseveraret, ita in extremis egit, ut per quatuor dies solo muliebri lacte gubernatus fuerit, postea verò capi aquam destillatitiam, & ova sorbilia pitissabat, & tandem præter aliorum spem evasit.

Curatio s ptuagesimaquarta, in qua agitur de febre maligna interficiente. H

SAmuel Segnior hoc eodem tempore persimili febre correpť fuit. Cæterùm quum hic juvenis robustus, & fortis esset, & medicus segniter in sanguine extrahendo se gesserit, octavo obiit, sunt autem febres hæ pestilentes cordis substantiam præcipuè occupantes, pro quibus exacte deprehendendis paucula hic subjiciam.

SCHOLIA.

¶ *Testatur Galenus libro 3. de praesagatione ex pulsibus, cap. 4. febres pestilentes nõ nunquam reperiri, non grassante pestilẽte lue, eius enim inibi hæc sunt verba. Sciendum tamen nonnunquam incidere sine peste has ipsas febres, ut de illis prodiderunt omnes insigniores medici vocantque pestilentes, de quarum tota natura, disputavi latius libris de differẽtijs febrium. Ob hæc fortè Galeni verba, Zoar gloriosus libro sui Theisir, omnem febrem putridam quoquomodo pestilẽtem esse dicere ausus est, ut Conciliator libro suarum differentiarum exactè prosequitur. Cæterùm in ijs pestilentibus febribus, de quibus curationes nostræ habitæ sunt, saepè pulsus, & urinae ita naturalibus similes erant, ut omnibus admirationi essent, imò eisdem affecti ita pauculũ & remissum quandoq. per sentiebant febrilẽ calorem, ut non solùm ipsi sed privati eos tangentes, non febrire dixerint, quæ omnia Avicenna advertens ex Galeno libro tertio De præsagatione ex pulsibus ubi hæc scripta dimisit Fen. prima libri quarti, quum de iis febribus pestilentibus agit, inquit Sunt quippe ex iis pestilentibus febribus nonnullae, in quibus neque æger, neque ipsum tangens, excellentem febrilem calorem persentiunt, imò ipsius ægri pulsus, & urina à naturalibus non multum distant, & tamen febris ipsa velociter interficit, unde in ore medicorum habetur. Vrina & pulsus optimi sunt, sed æger tendit ad obitum: qui sanè medici hæc dignoscentes, multa sunt laude digni, utpote in arte medendi exercitatissimi. Carpit autem Galenus sui temporis medicos, qui diuturna quadam peste hęc discernere nescirent, imò eos nihilo plebe praestantiores, imò imperitiores dicit subjungam autem Galeni verba, ut artem medicam exercentes, unde Avicenna sua deprompsit, noscant: libro igitur, & capite à nobis citatis, Galenus ita ait, Sanè videtur quibusdam perplexa & incognita via, si quando in ijs pestilentibus febribus, neque differentia ulla pulsuum deficiet, & seipse ægrotus febrem non dicat percipere, nec ex urina quidem petere in eiusmodi affectibus firmam notitiam semper licet, sed est etiã febre anceps, colore & sedimento similis naturali, sexcentos tales in pestilentia diuturna cõspeximus, ubi medicos cerneres nihilo plebe prestãtiores, imò verò imperitiores multo nõnullos experiẽte plebeio. Vulgus enim ferè si nihil aliud, ac spirationem ægrotorum videas observare, quæ si fœtat, peiorem casum expectant. At illi quidem usu tale signum in pestil-*

Pestilentibus febribus invenerunt, tu non usu modo, sed ratione æstima, jam os etiam attendunt, quo si illic aliquid caloris pestilentis cernant, eos peste confirmant laborare. Equidem medico hæc puto clariora esse quàm vulgò, partim colorem habent depascentibus herpetibus assimilem, diffusum per plures partes scilicet, quàm à primo, & si manum thoraci exercitatus medicus admoveat, in explorando febrili calore, ne tum quidem prætereat eum affectus. Inspicienda porrò præcæteris urina est. Etenim conturbata quorundam eorum videtur esse, & aquosior, ac nonnullorũ multo quàm pro natura tenuior, atque hæc quidem certissima est, necnon quæ naturalib. undequaque similis est colore & crassitudine, hæc etiam ad secundam spem certissima est, quæ si sublimamento probo sit prædita, multo etiam est certior, siquidem sedimentum sit leve, candidum, & æquabile, præsertim sublimamentis animus est adhibendus. Nam quædam quæ sublivida quodammodo sunt, fugiunt: & item alia quæ aranearum latas telas referunt, in modum lanę congestę. At si quid tale animadvertas, ut nullum planè sublimamentum innatare urinis, in priorem partem hęc interpretare. Si contraria videas, quae vetuli modo, non potest fieri, ut homo malè affectus sit. Hæc autem Galeni verba ita nobis citare placuit, ut studiosi noscant, quæ in eis comprehendantur, simulque unde Avicenna ea, quæ de febre pestilente dixit, mutuatus est, in qua aliquando pulsus boni apparent, urina bona, & febrim ægrotus non percipit, & tamen ipse ad obitum tendit. Sed unde hæc eveniant multi investigarunt, sed nemo quod equidem legerim, hucusq. scopum attingit. Avicennæ porrò enarratores ferunt in febre pestilente hęc omnia bona apparere, quia pestilens febrilis calor ita crudeliter naturam hominis invadit, ut in eum natura ipsa non re agat. Sed libere quo vellet agat sinit, & eum ut tyrannum in domo aliena potentẽ dimittit, & ad suas functiones peragendas se vertit, unde urina cum sublimamẽto optima evadit, & pulsus ordinatus incedit. Hoc enim responso Conciliator & Gẽtilis de Fulgineo, ac cæteri sui coætanei Avicennam sequentes, contenti evadunt, quod verum sit, vel falsum discernent ij, qui rei medullã, & non corticẽ tantum degustarunt, sed esto verũm sit, nos tamen Galeni doctrinam sequentes, longe aliam rationem utpote rei eventui magis facientem reddemus: pro qua percipienda scire decet, quod pestilens febrilis calor, quandoque humores in cordis sinibus contentos occupat, & ad eos magis deflectit, & tunc pestilens fe-

A bris non adeò lethalis est, quandoque verò pestilens febrilis calor ad cordis corpus magis deflectit, imò ipsum primario affectu afficit, & lancinat, & tunc mortifera, & lethalis pestilens febris est: & ut in universum autem dixerimus, febris pestilens potissimũ aut cordis sinus, aut ipsius cordis corpus occupat, apprehenditve. Et in hoc à putridis febribus pestilentes differunt, quia putridę à venis, & longinquiori loco putridam fuliginem ad cor inficiendum quoque transmittunt: pestilentes verò in ipsis cordis sinibus, aut in ipso cordis corpore, putredinem potissimum infixam habent. Id verò verum esse ex Galeni doctrina decerpimus, non quidem trivialibus De differentiis febrium libris, sed potius de
B Præsagatione ex pulsibus. Cæterùm, quando pestilens febris, cordis corpus primum afficit, & id quasi manutenet, tunc, ut dixi, mortifera & lethalis est, quæ suo initio cum hectica febri cõmertium, & similitudinẽ habet, ut prima huius Centuriæ curatione dixi, unde Galenus citato libro 3. De præsagatione ex pulsibus, propè calcem capitis quarti, inquit. Et enim sunt, ut docuimus, pestilentes non paucę febres inde ab initio usq. hecticæ, distantq. ab omnibus aliis febribus, quę ex magna putredine oriuntur. Ex iis igitur Galeni verbis, quisque sensatus medicus rationẽ reddere posset, proposito quæsito satisfaciens, quod calor febrilis pestilens ab ęgroto non percipitur, pręcipuè
C quando cordis corpus lancinat, quia tunc febris hectica est, in qua febrilis calor non sentitur, imò in ea pulsus, & urina non multũ à naturalibus distant, præcipuè in eius initio. Huic rationi alteram ex Galeno deprõptam subiungam, & ita habet, in febre pestilente Galenus animadvertens pulsus, & urinam nõ multum à naturalibus dissidentes, ad quandam tẽperamentorum repugnantiam in corde confugit, ex qua pulsus non admodum naturalibus dissimiles oriuntur. Sic enim ille tertio libro tãsępe à nobis citato De præsagatione ex pulsibus cap. 3. inquit. Nonnunquam percipitur in corde huiuscemodi pugnantia tempe-
D ramentorũ, nam modo frigidius visceris corpus ęquo est, & in ventriculis contenta substãtia calidior, modo è diverso substantia frigidior, cor autem calidius, ubi etiam pulsus fiunt moderatis similes. Nam medius quidam modo status hic efficitur, ex duobus contrariis conflatus, qui sanè affectus, vel optimos medicos fallunt, quod nunc quoq. in maxima pestilentia accidit, quidam indè ab initio ad finem usque, alii per totum morbum probum pulsum habebant, qui perparum deflexisset de natura, qui quidem pręter cęteros perierũt.

Hæc enim Galeni ſententia de temperamen-
torum in corde pugnantia, optimos pulſus in
peſte conciliat, nec minus optimam urinam,
& contemnendum calorem febrilem, quam ſi
ſuperiori conjunxeris rationi, efficacius mul-
to omnia complectentur. Porrò inquiret ar-
tem medicam exercens doctus, in quibus nam
dignoſcemus febrẽ peſtilentem cordis corpus
occupare, vel ipſius potius viſceris ventri-
culos, cui quæſito, quia Galenus oculatiſſi-
mus rei medicæ autor reſpondet, nos eiuſdem
verbis ſatisfacti reſpondemus, quæ citato lo-
co pro coronide ita habent. Vbi aer, quem in-
ſpiramus infectus putredine ſit, putredo, quæ
ipſa ad cordis corpus pervenerit, febrim pe-
ſtilentem ac lethalem accendit, quæ quidẽ ex
caloris acredine ipſoq. caloris genere agnoſci
tur, & ex pulſu etiam, qui parũ à naturæ mo-
do recedens, in eodem ſtatu perpetuò manet.
Quemadmodum in hecticis febribus, quarum
ſane duo hæc propria ſunt ſigna, ſi perpetuó ſi-
bi illæ videantur ſimiles, nec invaſionem ul-
lam acceſſionis, neque incrementum, neq. vi-
gorem, neq. remiſsionẽ habeant, neq. febrici
tare ſe percipiat ægrotus. Hos pulſus nihil eſt
neceſſe maiores iuſto, atq interim, nec crebrio
res quidem eſſe, at omnino celeres tamẽ, quũ
febrientium pulſibus univerſis adſit perpetuò
celeritas. Cæterùm quibus calor hic putri-
dus ad humores quos continent cordis ſinus,
univerſus deflexit, non autẽ ad corpus ipſius
viſceris, multi horum fuerũt ſuperſtites. Por
rò deprehenduntur hac peſte affecti in cordis
ſinibus cõtentos humores infeſtos habere, ſi
febrẽ primũ percipiant, deinde ſi non æquali-
ter perpetuò febricitent, adhæc ſi pulſum non
habeant prævalidum, nam ſi corpus ipſius cor
dis primariò putredine peſtilenti afficitur,
pulſus imbecilles ſunt omnes, & ut dixi, illis
qui hecticã patiuntur, omnia ferè ſimilia ha-
bent ægri, & maiori ex parte moriuntur: quã
enim excogites medicinã ad putredinem, quæ
cordis corpus occupavit? At qui peſtilenti fe-
bre infectus eſt, & ad ea, quæ illi offeruntur
bene ſe habet, plerunq. evadit, unde Avicen-
na capite quarto prædicti loci dixit, & quan
do cadit appetitus eorũ, qui febres patiuntur
peſtilentiales, incitentur omnino ad comeſtio-
nem, quoniam qui viriliter ad ea, quæ ſibi of-
feruntur ſe habent, & potenter comedũt, eva
dunt. Quæ verba Avicenna ex Galeno acce-
pit, enarratione quinquageſima octava, com-
mentarij tertij in librum tertium De morbis
vulgaribus, ubi ita ait. Etiam hoc ſymptoma
omnes cepit, qui in peſte diuturna, quæ modo
viguit laborabant, quare factum eſt, ut multi
morerentur: fortiſsimi ergo qui vim ſibi ipſis

E adſerentes, cibum oblatum aſſumpſerunt, om-
nes ferè ſuperſtites fuerunt: plurimi verò
mori, quam comedere quicquam prius duxe-
runt. Hæc autem Galeni vera eſſe, hoc anno
1552. in multis febribus peſtilentibus affe-
ctis, Anconæ obſervavimus, quia qui febribus
peſtilentibus affligebantur, & faſtidiebant
cibum, maiori ex parte moriebantur, ut nũc,
quum hæc ſcribo, puellæ ſeptemdecim an-
nos natę euenit, cibos á ſe rejiciebat, dicens
malle ſe mori, quám eos guſtare: ac ſic per octo
dies incibata manens, ſuum diem obiit. Sed
plures alios obſervavimus prædicta febre de-
tentos, qui vel inviti cibaria, quæ illis offere-
F bantur, aſſumebant, & ſuperſtites fuerunt, ut
medicus Zaratenſis, Rutius mercator, & plu-
res alij de quibus futurus ſermo eſt. Cæterùm,
ex bene vel male habente ventriculi appeten
te facultate, faſtidium, vel appetentia inſur-
git, quod Galenus non ſiluit, commentarii præ
dicti enarratione tertiadecima, & quartade
cima, & citata à nobis quinquageſima octa-
va, veluti alibi ſæpè. Sed cum jam curationi
huic vltimam manum imponere ſtatuiſſem, in
mentem ſubit, quod quum peſtilentes hæ fe-
bres ſua ſævitie & malignitate ſpiritus lan-
G cinent, & vires brevi deficiant, & diſſolvãt,
conſequens eſt, ut medicus pro illis curandis
ſummam adhibeat diligentiam, & pro illis
profligandis, multis & variis utatur machi-
namentis, curatoriam indicationem potiſsimũ
deſumens á morbi malignitate, & eius putre
dinis tyrannide, ſpiritus diſſolvẽte, & virium
robur deſtruẽte: quo fit, medicinis exiccantib.
& conſtringentibus, ac refrigerãtibus, ſumma
cura illico uti debet, ut ipſis putredo ſęva ob
tundatur, & ſpiritus diſſolutioni parati reſi-
ſtant, & diſſoluta mẽbra cõſtringãtur, & ca-
loris acredo infringatur. Sunt autem medici-
næ hæ, acetum & ex eo cõpoſiti ſyrupi, velu-
ti quoq. ſyrupus de acetoſitate citri, qui inter
ſyrupos ad hoc ſummam habet prærogatiuã,
ſyrupus de acetoſitate limonis, ſyrupus de
ſucco acetoſæ, oxyſacchara, conditũ ex aceto-
H ſitate citri, conditum ſive conſerva ex aceto-
ſa herba, ſyrupus de ribis tamarindi, malæ-
granata acida, bolus Armeniæ, terra ſigilla-
ta communis, uterq. corallus pręparatus, mar
garitæ præparatæ, oleum vitrioleum ex roſa-
cea aqua vel acetoſa diſſolutũ, & exhibitum,
fragmenta lapillorum precioſorum, pręcipuè
ſmaragdus gemmarum nobiliſſimus lapillus,
qui immeritò à nonnullis parum in arte
medica exercitis, pro hac conficienda, aut
ſaltem adjuvanda operatione exploditur,
ad hæc faciunt lapis bezarticus, ex capræ
Indicae cuiuſdam ventre extractus, vel ille
alter

alter ad rubedinem vergẽs, admodum durus, A *castaneæ figura, lachryma cervi dictus, de quibus multa in nostro diximus Dioscoride superioribus dieb. Venetijs excuso, ijs addere possemus plures alias medicinas, & varios cibos, in sanguinem facilè vertibiles, nec minus varia & selecta composita, ut theriacam veram, mithridatum antidotũ, & varia alia medicamenta, ut dictamnum Cretensem, os de corde cervi, ramentum unicornis, modo verum cornu habeatur. Scordion & cætera varia, neque enim tunc in propinandis constringentibus medicinis citatis, timor aliquis est meatuum obstructionum, quia maius ex ipsis consequitur iuuamentum quàm nocumentum.* B *Proinde qui in ijs febribus, medicinas has vituperare contendit, tanquam parum in arte medica exercitus, explodendus est, quia curatiuas indicationes in totum ignorat. Cæterùm febres hæ anno hoc 1552. ex morbis vulgaribus habendæ sunt, quia multos Anconæ invaserunt, & nisi Deus Opt. Max. harum furorem averteret, pestis morbus appellandus erat, quia brevi eo multi periere: ita enim Gal. enarratione vigesima, commentarij tertij, in librum tertium De morbis vulgaribus tradit: quicunq. morbus vno in loco multos invaserit, vulgaris hic vocatur, qui simul si hoc habeat ut multos perimat, pestis fit. Porrò, ijs pestilentibus febribus Ancona nobilis & antiqua ciuitas, vario gentium genere ornata, admodum subiecta est,* C *veluti præclara Venetiarum ciuitas, omnium ciuitatum hodie regina, & inter mundi habita mirabilia meritò digna connumeretur. Nam Ferrariæ tertianæ nothæ dominium habent. Quod verò has pestilentes febres patientibus, levia purgantia pharmaca sunt danda, non vero fortia & exolventia omnibus notum esse vellem, cuius rei inadvertentia, medici non paucos ægrotantes neci tradunt, ut hoc anno experienti visum est, præcipuè in Bartholomæo Thomasio, nobili Anconitano, consule olim Florentinorum, cui hoc morbo laboranti,* D *pharmacum ita potens à medicis nonnullis propinatum fuit, ut vix elephas id ferre posset, qua de re brevi, proh dolor, vitam cum morte commutavit.*

(..)

Curatio septuagesimaquinta, in qua agitur de febri continua cum pulsu intercidente naturali, largiter vino ebibito sublata.

MOnachus Ilyricus ordinis Prædicatorii senio confectus, quum febri continua corriperetur, & male haberet, adeo ut pulsum intermittentem, gravissimis cum symptomatis haberet eum ferè deploratum reliquimus. At ille quum vinum mirum in modum appeteret, ab asistẽtibus acriter efflagitabat vinum illi concederent, nam aliter vivere se non posse clamabat. Asistentes igitur miserti hominis ægrotantis, & senio confecti, largiter illi vinum concedunt: Deus bone, ita eius liberalis potus huic contulit, ut breui melius habuerit, & paucis interiectis diebus, ex toto sanus euaserit. Cæterùm, pulsus intercidentia huic, ut postea notavi, naturalis erat, ut cum de pulsu Barbosi egi, iam dixi.

Curatio septuagesimasexta, in qua agitur de recidiva, in quinto die per sudorem terminata.

QVI chartas pro ludo primeriæ componebat iuuenis ægrotavit, à morbo vero liber, postea in eum recidit, febricitabat, sitiebat, & de capitis dolore quærebatur, huic secta fuit vena, & illico post sanguinis misionẽ aquam frigidam cum iulebo ebibit, & in tantum prorupit sudorem, ut inde liber, & sanus factus fuerit. Breues admodum, & acuti plerunque Anconæ morbi sunt, terminatus autem fuit hic, quinto die.

(†)

Curatio septuagesimaseptima, in qua agitur, de febre continua, quinto die terminata.

IVVENIS nepos Arrij, quum febri continua corriperetur, de oris amarore cum ingenti siti maximè querebatur. At quia, quando ebibebat, fel bibere dicebat, ea de causa, ab aqua in totum abhorrebat, ad quem ipse accedens, & omnia prædicta considerâs, primo pharmacum hoc illi dedi. R. Syrupi rosati solutivi, unc. tres, diacatholiconis unciam mediam, aquarum lactucæ, cichoreæ, ana uncias duas, misce, fiat potus, quo multa evomuit biliosa & amara, & aliqua quoque excrevit: sequenti verò die, sanguinis libram integram, ex interna brachij extrahere fecimus vena, post quam sanguinis missionem, bene egessit, & aliquantulum sudavit: sequenti verò die omnia eodem modo habebantur, quo factum est, quia iuvenis boni habitus erat, temperatura sanguineus, iterum ex communi brachij vena, sanguinis alteram libram fluere permisi, a qua in copiosissimum sudorem devenit, & sanus est factus, quinto autem die crisis hæc facta fuit, in quo die, maiori ex parte, morbi terminabantur ij.

SCHOLIA.

Febricitantibus, quibus oris amaricatum inest, à minorante purgatorio medicamento, ante sanguinis missionem inchoandum esse prima Centuria harum curat. diximus, in quã sententiam Zoar libro tertio sui Theisir, cap. de febre sanguinea vadit.

Curatio septuagesimaoctava, in qua agitur, de febre pestilẽte cordis corpus potissimum infestante.

IOsephus aurifex Venetus febri continua maligna, & ea quidem cor- E dis corpus infestante corripi cœpit, testabantur vero signa ita esse, quia cũ continuo febriret, febrilem calorem vix æger, vel eius corpus tangentes exterius percipiebant. Pulsus huic continuus submissus, & debilis erat, urina naturali similis, sed æger ipse ad obitum tendebat, valde angustiabatur, & ad cor gravamen & pondus persentire dicebat, quæ comedebat, non retinebat, sed brevi ea vomebat: parum sitiebat, ob ventriculi forte offensam virtutem appetitricem, nã intus magnum calorem vigere, nigredo linguæ F testabatur, quę omnia advertens, in homine presertim ætatis suæ 33. annorum, forti & valido, temperatura sanguineo, secundo die ægritudinis sanguinis uncias sex ex brachij vena extrahere feci & illi syrupum ex acetositate citri, illico obtuli, quin cordi epithema frigidum cordiale admotum fuit, & ori ventriculi ex cidonijs confectum oleum. Sed interdiu & noctu ex condito acetositatis citri gustabat, veluti conditum ex tribus santalorum G generibus, & diamargariton frigidum, ijs autem ventriculi facultas retentrix roborata, quæ comedebat retinebat, quæ erant pulli gallinacei iusculum omphacio alteratum, cui pulveres miscebamus ex utroque corallo præparato, margaritis præparatis, & vulgari bolo Armeno orientali, vera terra lemnia olim dicta. Vini verò loco succum acidorum granatorum bibebat, non nisi hordeacea aqua dilutum, sed interim hæc parabantur, sequens decoctum concinnari feci, quo H ita ægregie valuit, ut postea exhibito purgatorio ex manna pharmaco, septimo die ex toto sanus factus fuerit, habet autem apozema, sive decoctum sic. Rec. hordei mundi, rosarum rubearum, florum borraginis, buglossi, ana pugillum unum, dictamni Cretensis pugil. medium, scordij, pimpenellæ, borraginis, radicum buglossi, ana manipulum unum, seminis acetosæ, seminis citri, ana unciam mediam, tamarindorum uncias duas, in libris

libris septem aquæ fiat decoctio, ad cõsumptionem tertiæ partis, & fiat colatura, cui superadde sacchari librã unã, ad ignem parum admove, cuius uncias octo in aurora bibebat, & totidem vesperi, ijs enim hunc deflectum & in familia orci numeratum, luci, auræque vitali restituimus.

Curatio septuagesimanona, in qua, agitur de febre continua, intra septem dies terminata.

DAN Orientalis mercator, iuuenis boni habitus, vltimis diebus Martii febri continua captus est, capite dolebat, urinam crudam & incoctã meiebat, sequenti die post alvi per clysterem excretionem, dolor ex toto evanuit, febri eo modo manente, quæ natura sua in nocte grauius ægrũ affligebat, huic secta vena, & sanguine ex flexu brachii extracto, melius habuit, & urinam optimam cum pendente nebula minxit: sexto vero die, epoto purgatorio medicamento, multa excrevit, demum septimo sanus fuit factus. Ebiberat autem antea syrupos, vias & meatus obstrusos aperientes.

Curatio octogesima, in qua agitur, de febre continua maligna.

PRIORIBVS Aprilis diebus Rutius mercator in nocte horrere cœpit, ad quem horrorem secuta fuit febris acuta maligna, præsens in aurora igitur ipse, considerãs homines eo tempore febribus acutis & malignis publicè vagantibus, maiori ex parte corripi, omni data opera, illico à principio contra morbum invasimus. Est autem vir hic gracilis, natura biliosus, peramplas habens venas, annos natus tres, vel quatuor supra triginta. Per

A balanum igitur irritata aluo & fecib. depositis, internam brachii dextri venam secare feci, & ex ea libram sanguinis fluere, post quã sanguinis missionem syrupum hunc ebibit. Recip. Syrupi de succo acetosæ, de ribibus, rosati simplicis, ana vnciam mediam, aquarum endiuiæ, lactucæ, acetosæ, ana unciam unam: misce, & sic frigidum bibat. Item epithema cordiale refrigerans cordi applicitum fuit, & ptisana pro victu concessa, & inter diem & noctem ex lactucæ cauliculis saccharo paratis reficiebatur, veluti radicibus buglossę saccharo conditis, super quas hordeaceam aquã pauco vino granatorum mistam bibebat: tertio verò

B die, quum siti ingenti premeretur, hoc decoctum, sive iuleb longum dictum, parare feci, quo sæpè utebatur, & ita habet. Recip. Foliorum endiuię, cichoreæ, acetosæ, borraginis, pimpinellę, ana manipulum unum, hordei mundi pugillum unum, radicum buglossæ uncias duas, tamarindorum unciam unam & mediam, prunorum Damascenorum, numero duodecim. In libris octo aquæ fiat decoctio, quousq; maneant libræ quinque, facta colatura

C adde syrupi de succo acetosæ, de acetositate citri, de borragine, ana uncias duas, misce, quo in aurora, syrupi vice pondere octo unciarum bibebat, & vesperi quoque pari pondere. Cæterum, ut aliquid in ore ad domandam sitim teneret, prunum unum vel alterum gustabat, & eius putamen ore tractabat, vel psilii semen, sæpè à nobis ut decet paratum, & aqua mersum, vel hoc aliud,

Recip. Mucilaginis psilii, seminis cydoneorum ex aqua lactucæ paratæ, ana unciam mediam, syrupi de ribib.

D unciam unam & mediam, misce, & ex hoc os colluat. At quinto die pharmacum leue hoc ebibit. Recip. Mannæ electæ uncias duas, rhabarbari boni drachmam unam, antidoti Mithridatis drachmam mediam, syrupi de acetositate limonis unciam unã, cũ aqua lactucæ quantum sufficit, misce fiat potus,

potus, quo nõnulla excrevit. Sexto noctem gravem & insomnem habuit, & pulicare accidens per universum corpus rubricans apparuit, signum quod febrem pestilentem omnino attestatur, ut reffert Gal. libris Methodi med. & varijs alijs locis, sed præcipuè, enarratione vigesimaoctava, commentarij primi, in librum sextum De morbis vulgaribus, in quibus omnibus locis, Thucydidem testem adducit, septimo die pulicare symptoma cum pauculo sudore evanuit, & urina hypostasis alba apparere cœpit, octavo deliravit, & clausis oculis multa loquebatur, quæ ab assistentibus non intelligebãtur, tunc ad anum hirudines duæ admotæ sunt, quæ multum sanguinis extraxerunt, nono ad cucurbitulas cum scarificatione, secta cute confugimus, tunc minus delirabat, & urina cum sublimamento rubra apparuit, decimo & proximis diebus, omnia eadem, tertiodecimo parum sudavit, decimoquinto, per pharmacum purgatus fuit, tandem decimoseptimo, copiose sudavit, sudore quidem multo & calido, à quo liber evasit.

Curatio octuagesimaprima, in qua agitur de febre putrida continua.

IVVENIS magnus lusor, & qui totam pecuniam primeriæ ludo amiserat in febrem putridam continuã lapsus fuit, caput dolebat, sitiebat, & delirabat, ad hunc igitur ingressus medicus quidam, cucurbitulas scapulis admovere fecit. Nam sanguinis missionem per venę sectionem, eo tempore (ut aiebat) timuit, quia luna ex diametro soli opponebatur, quarto verò die, ad eum accedens ipse, videns omnia prædicta pati, illico ex flexu brachij basilicam venam secare feci, & ex ea sanguinis libram unam extrahere Miseri profectò reputãdi sunt medici illi, qui ad lunæ coniũctiones & oppositiones, ægris malè habentibus animadvertunt, sanguinis missionem, vel per pharmacum purgationẽ necessariam timentes. Delirabat autem hic, & multa effutiebat, quæ ad ludum faciebant, cum aliquando magno applausu, primeriam habere eleuata voce loquebatur, quandoque verò ad eam conficiendam, deesse carchesiorum folium unũ vel alterum, aut aureorum, vel baculorum, aut ensium, anxio animo, summissa voce dicebat, & interim contra vafrum, & cavillatorem, & eum, qui artem componendi folia tenet, agere imaginabatur, vesperi tandem videns eum sic prædictis teneri, ex cephalica vena brachij totidem sanguinis uncias extrahere feci, quo in die alvus responderet balano curavimus, & syrupum refrigerãtem, & aperientem ebibebat, quinto verò die, quum multum sitiret, aquam multam ebibit, qua nonnulla evomuit, & paululum sudauit: sexto pharmacum purgatorium ebibit, quo multa egessit, octavo lotium crudum, multũ, & viride meiebat qua de causa iuleb longum nostro modo concinnatum sæpè ebibebat. Vndecimo illi labia torquebantur, retrahebantur ve, & in capite magnam persentiebat caliditatẽ, vesperi ano applicitæ sunt hirudines, vires parum constabant, sed lotium tunc, vt primo, subviride, multum, sed cum nebula apparere cœpit, & lingua nõ adeò exusta, ut antea erat duodecimo sua sponte duriuscula egessit, & multa, in quo die frictiones, & retractiones ab scapulis ad crura usq; sunt factæ, tertiodecimo vinũ olfecit, cuius odore multum oblectabatur, sed post ei[9] odorem caput doluit, & febris aucta fuit, & sitis intẽsior, cum linguæ crassitie videbatur. Tunc verò, cum in decocto bibendo perseveraret, symptomata omnia sunt remissa, & ipse ad sanitatem paulatim pervenit, timor autem apud me fuit, ne hic in quartanam, aut abscessum aliquem laberetur.

Curatio octuagesimasecunda, in qua agitur de pterygio, id est, ungue in oculo.

FILia Heben senioris, ungulam in oculo patiebatur, ita magnam, ut pupillam ferè operiret, est autem oculi unguis, siue ungula Græcis πτερύγιον dicta, nervosa, circa tunicam corneã exuberantia, ut plurimum à maiori angulo initium habens, & ad oculi coronam procedens, ut pupillam quoque quum multum crescit, operiat. Oculi igitur vitium hoc curaturi, primo universalibus evacuationibus celebratis, ad medicamentorum admotionem in oculo ipso condescendimus. Præcipuè ad hoc sequens, quo universa cura clausa est, & ita habet, ovum accipe, cuius album per foramẽ extrahe, vitello manente, & vice albi eiecti, ovum per prædictum foramen ex sale nitro fino, & pulverizato, imple: postea verò totum ovum ex maza coopertũ, armatumve sub cineribus calidis dimittito, quousque totum durum satis evadat. Depositis igitur crustis, ex vitello & sale nitro mixtam materiam in subtilem pollinem redige, cuius pulvisculum melle exceptum, oculi ungui admove & bis in die innova, brevi enim opus complebis. Cæterùm enim memini me huic similes oculorũ ungues, aqua forti argentariorum, rosacea temperata, curasse.

Curatio octuagesimatertia, in qua agitur de febre maligna cum symptomatibus.

SOror Besarasij musici insignis, cùm ad Iacobum Codutũ, eius sponsum invitè intrare proposuisset, consueti menses illi supervenere, qui cùm ad septimum diem plerunq. fluere solerent, tunc ad tertium tantùm cursum habuerũt, adeo ut maiori ex parte suppressi fuerint, quam mensium suppressionem secuta fuit febris continua acuta ex malignarum genere, ut paucis ijs deprehendetis. Nam febris continuò affligebat, sed nocte gravius, quam ardor in ore uteri, & an comitabatur, ita intensus, ut membra hæc exuri clamaret, sed circa fauces ulcera duo sordida comparuerunt, ex aphtarum genere, vitium sanè familiare admodum febricitantibus omnibus, hoc anno 1552. cum quibus omnibus tussis sicca erat, linguæ nigredo, narium interna exulceratio, parum, dormiebat, & si dormiebat, varijs cum insomnijs loquebatur. Sed cum omnibus ijs parum sitiebat, non egerebat, nisi per glandem, vel clysterem, alvo prius irritata, urinam rarò videbamus, quia rarò mingebat. Est enim febris hæc (ut dixi) propter mensium suppressionem orta, quia sanguis ob varios fortè quos passa mulier hæc est, animi & corporis labores, plus iusto crassus & lentus factus est, unde cotyledones, id est, venarum oscula in uterum desinentium, exire non valuit, quo factum est, ut ibi obstrusus computruerit, ex qua sanguinis & materierum putredine, cor malè affectum est, & consequenter febris orta, & cætera symptomata. Iuvenis autem est mulier hæc, annos nata sex supra viginti, temperaturam atrabiliariam cum multo sanguine habens, quam quum sic malè affectam comperissem, Galeni doctrina instructus, ad ea quæ ultimo in via & methodo resolutiva comperiuntur, prima intentio curativa dirigi debet. Quia ut nostis in febribus continuis, quinque sunt, à quibus indicationes curatoriæ colliguntur, febris nimirùm, putredo, perspiratio impedita, obstructio, humorum obstruentium copia. Cùm igitur plethora esset, & cætera omnia consentirent, sanguinem mittere opus fuit, ex saphena pedis vena præcipuè, quia sanguis (ut audistis) corporis inferiores partes obrepserat, & eius multũ fluere

fecimus

fecimus,& eo magis, quia fervidi sanguinis copia apparebat, cuius timor erat ne principem aliquam partem decumberet. Cæterùm humorum copia evacuata,adeo,quæ obstructiones deponunt veniendum erat, ni methodus curatoria in hoc morbo varianda fuisset,tametsi Galenus etiam turgēte materia obstructas vias aperire desiderat, opus est enim primo febris malignæ acredinem domare,ac infringere ,quæ spiritus lancinat,& vires dissolvit,quā intensionem cōplemus syrupis de acetositate citri, de nenuphare, de succo acetosæ,de ribibus,rosato simplici, ac F similibus cum suis destilatitijs aquis,& decoctis,ad id facientibus,quarto verò die ex manna, & rhabarbari diluto pharmacum ebibit,quo multa deiecit, quinto iuleb longum hoc parare fecimus,multum ad rem faciens,& ita habet. Recip.Hordei mundi libram mediam , foliorum endiviæ, borraginis, pimpinellæ, acetosæ,portulacæ,radicū buglossæ, ana manipulum vnum, florum nenupharis, violarum, rosarum, ana pupillum vnum, seminis melonis G mundiicucurbitæ,citruli,anguriæ,acetosæ, citri,limonis acidi, ana unciam unam,prunorum ,sebesten ,ana nume quindecim.In libris octo aquæ fiat decoctio quousq; tertia pars absumatur, & fiat colatura, cuius decocti uncias quinque, adiecta altera iuleb violacei, in aurora bibebat,& vesperi totidem, hoc autē decocto delectari aiebat. Sed tunc ardor circa pudēda maximus vigebat, contra quem fomentum ex herbis frigiditatem cum adstrictione inducentibus paratum est,neque minus H contra ahptas in gutture habitas, tunc instabamus,medicinis tam sæpè à nobit citatis,pro illis abigendis:ita enim mulier,quæ ijs symptomatis infestabatur, ut venenum illi in potu datū esse clamaret, qua de causa breui, ramentum cornu animantis unicornis dicti, in aqua acetosæ illi propinatum fuit, veluti lapis bezoarticus,ex ventræ capræ cuiusdam Indicæ extractus, quem Indiæ principes,& omnes Lusitani no

E stri pro summo antidoto contra venenum habent. Octauo verò die, rigorem parvum hæc persensit, & ita parvum, ut asistentes cum ea in dubium traherent, an rigorem persentiret vel non, tunc lotium melius apparuit, & symptomata omnia imminui cæperūt & ægrota ipsa dormire cæpit, nono prædicta hora, rigor quoque supervenit,sed parvus quoque, quem ego salutis indicium & nuncium dicebam, decimo & undecimo, omnia ut antea erant,sed rigor iam non erat,duodecimo pharmacum purgatorium hoc ebibit. Recip. Tamarindorum unciam unam,rhabarbari optimè pisti drachmas duas, in uncijs quatuor aquæ cichoreæ per noctem macerētur,& in aurora fiat colatura,& expresio,cui infuso adde, mannæ electæ uncias duas diaphiniconis drachmas tres,electarij de psilio drachmam unam cum dimidia, syrupi de acetositate citri unciam unam. Misce,fiat potus unus,detur ieiuno stomacho, & desuper per horam dormiat, hoc enim ita purgata est, ut decimoquarto die,ex toto libera & sana facta fuerit, veluti plures alij ægrotantes,qui eo tempore similibus febribus correpti erant.

Curatio octuagesimaquarta, in qua agitur de villico cannas putidas mouente, & inde infecto.

QVi cannas putidas evolvit villicus,totus tumuit.Cæterū,utveneno affectus,curatus fuit,expirant autem ex se cannæ putidæ vaporem quendam prorsus venenum sapientem.

A

Curatio octuagesimaquinta, in qua agitur de febre continua maligna, semper cum sudore affligente.

BAldus fori Semproniensis vir trigintasex annorum febrire cœpit, febri quidem continua, cum qua latus universum dolebat, & de capitis ingenti dolore quærebatur. Cæterùm hic B multum semper sudabat, sed vesperi magis, non quòd eo sudore febris solveretur, cum in nocte ea magis semper ingravescebat, adeò ut duplicem morbum hominem simul invadere, potius quàm duplicem cōtinuam tertianam crediderim. Erat autem vir hic ruffus sanguineus, benignus, exercitio deditus, cui prioribus ægritudinis diebus, vena bis in flexu brachij secta fuit, & sanguis abundè extractus, nec minus hirudines ano admotæ sunt, & cucurbitulæ scapulis cum scarificatione applicitæ, symptomata maiori ex parte levia erant, vel saltem non gravia, dormiebat, optimè comedebat, urinam ad undecimum usque optima cum nubecula semper apparuit, cum quibus omnibus pulsus mediocres erant. Cæterum, post undecimum diem, urina sub jugalis & turbida apparuit, & vires imminui cœperunt, & symptomata varia ingravescere, demum initio quarti decimi diei obijt. Nova autē materia venenosa membro ignobili ad nobile mota est, unde mors originem traxit, D neque enim hic aliter sentiendum arbitrarer, imò ita dicendum docuit Galenus, libro De constitutione artis medicæ. Sic enim hoc modo, quum hæc scribimus, obijt vir robustus & fortis Picenus, qui arcabusia ad ædes diui Augustini præparabat, ad decimum autem vsque diem urinam optimam semper habuit, veluti & pulsus apprimè fortes, & consonos, & tamen terdecimi initio obijt. Magis autem mihi in hoc casu ad humorem venenosum hunc confugere placet, qui ex ignobili membro ad nobile raptum habuit, quam ad eam temperamentorum pugnantiam in corde repertam, ex qua pulsus optimos elevari Galenus tradit, & nos hac in Centuria sæpè annotavimus, vel ad putredinem febrilem, cordis corpus occupantem, quæ tunc hecticæ respondet, unde & febrilis calor non multum ab ægrotante, vel eius cutem tangente, excessivus percipitur, & pulsus continui non multum à natu ralibus differunt, imò eo tempore lotium optimū cum bono sublimamento videtur, ut ex Galeno libro De præsagatione ex pulsibus, in hac Centuria sæpè inculcavi. Sunt etenim hæc digna varia repetitione, quum quę bona sunt Galeno ex Platone sæpè repetente, multoties inculcanda sunt. Causam verò reddere quod ij obierint ob raptū materiæ venenosæ ab ignobili membro ad nobile decisæ, vel ob ipsius materiæ peccantis heterogeneitatem, quę ad id tempus sua malignitate occultabatur, non verò ob prædicta, facilè erit C quum quis noverit hæc successu, illa verò morborum initio maiori ex parte evenire.

Curatio octuagesimasexta, in qua agitur de citta, id est, pica morbo, quem μαλακίαν quoque, qua si mollitiem medici appellant

FIlia illius qui cum loquitur, pessimè animi conceptus suos exprimit annos nata duodecim, facie pallida, po sitione gracilis, cittā morbum patiebatur. Nam indiscrete lapillos, terrā, calculos, cretam, gossipium, lanam, & varia similia comedebat, & ita eisdem delectabatur, ut inter suendum eius pulvinaris, super quo mulieres suere solent, gossipium suavi appetentia comederet,

comederet, tametsi à matre & asistentibus increpabatur, nec enim prædicta tantum comedebat, sed absurdissimos alios cibos. Ob vitiatos autem humores ad ventriculi osculum defluentes, non solum in pregnantibus, sed puellis & viris, vitium hoc fieri solet, ut refert Galenus libro quarto De symptomatum causis. Erant autem in puella hic vitiosi humores calidi, qui quoque frigidi plerunque in alijs vitium hoc producere nati sunt. Curaturi igitur nos puellam hanc, primo, quod optimis & selectis uteretur cibis proposuimus, veluti carnibus phasianorum, perdicum, turdorum, merularum, caponum, gallinarum, hædi, vervesis, & similium, non minus utebatur ovis recentibus, piscibus petrosis, & alijs optimi succi cibarijs, extragematis & bellarijs, accipiebantur martijpanes, pinosaccharatum, uva passa exiccata, & similia, ex oleribus verò permittebamus spinachiam, aureum olus, atriplicem dicimus, albam endiviam, portulacam, mentham & anethum. Cæterum quantum ad medicamenta attinet, quibus pro hoc propulsando vitio usi sumus, primo vomitorijs, non solũ ieiuno stomacho, sed à prandio ebibitis sœpimus, quibus nonnulla evomuit, parvi tamen momenti, dein verò syrupum hũc ebibit, qui habet. Recip. Geleniabim de saccharo unci. unam & mediam oxymelitis simpl. un. unã, aquæ absinthij unc. duas, misce & calidum bibat. Est autem galeniabim vox Arabum, vel rosaccum colatitium ex saccharo paratum significans, vel (ut ita dicam) est geneliabim ex saccharo syrupus rosatus simplex, saccharo primo aqua endiviæ lavato. Porrò, quia syrupum hunc pro ventriculi affectione damus, eum parum aquis diluimus, ut in eo longiorem trahat moram, nec sic facilè ab eo permeet, hunc autem syrupum bis in die bibebat, quem per octo continuos dies ebibit, in fine quorum hieram Galeni forma pilulari, pondere dragmę unius cum dimidia, deglutivit, & ea multa egesit. Sed in-

E terim, vice cretæ, Aetij consilio, amylum recensilli elargiebamur, & quandoque osicula pullorum exusta roderet, pro terra & carbonibus permittebamus. Forinsecus verò, stomachus lana succida oleo sydoneorum imbuta fovebatur, post habitam verò purgationem duos dies iterum ad syrupi potum redijt, oxymelitis tamen maiori addita portione, ac sic iterum pilulas ex hiera picra deglutivit, agarico quandoque adiecto & vicissim ad quadraginta dies secuta fuit, in fine quorum rotulis ijs

F utebatur, qui habet. Recip. Specierum diarhodonis Abbatis, diamargaritonis frigidi, an. drachmam unam, aromatici rosati scriptulum unum cum uncijs quinque sacchari albi dissoluti, in qua rosacea moschata, ad ignem paretur conditum, & postea ex eo rotuli formentur pondere dragmę unius cũ dimidia, ex quibus singulos singulis diebus in aurora ieiuno stomacho co-

G medebat, & desuper vini absinthites, nostra industria musti tempore parati, uncias tres bibebat, sed tunc ceratum coccineo panno extensum stomacho applicitum habebat, & ut nosti ad scuti formam redactum, & ex ijs paratũ, ladano, utroque corallo, ænanthe, rosis rubris, coriandro præparato, & similibus: iis enim ita bene habuit puella hæc, ut eam ad balnea mittere non opus fuerit. Patavium autem eam mãdare statueramus, quum thermarum potu multum juvari credebamus, at quum prædicta suffecerint supersedimus, cætera omittemus.

H

SCHOLIA.

FAMILIARE admodum vitiũ prægnantibus est, non solùm extinctos carbones, cretam cimoliam, lapillos, sed alios absurdos cibos comedere: ut huius rei primo Hippocrates meminit, libro suo de superfœtatione, quũ inquit. Si qua prægnans terram edere concupiscat, aut carbones, eaque edit, in capite pueri ubi natus fuerit, signum a talibus apparet: quale verò signum hoc ab Hippocr, repertum sit, audi. Est sanè ut ipse sæpe vidi, & obstetrices quoque mecum sentiunt & servarunt, super

per ipsum caput, nescio quid luto simile, omnino, & absurda, quæ mater comedit, referens: cui simile quoque habent ij, qui in lucem exeunt, & matres octavo mense coiverunt, ut ex Hippocr. & Aristotele primo moniti sumus. Cæterùm tametsi prægnantibus familiaris hæc sit affectio, non prægnantibus tamen mulieribus, veluti puellis, & viris quoque evenit, ut huius rei Galenus auctor est, lib. 4. De symptomatum causis, & Curatio nostra firmat. Dicitur autem morbus hic Græcis κίσσα, Romanis verò pica, quia ut avis pica multas, & varias pennas habet, ita qui affectionem hanc patitur, varia, & absurda appetit cibaria. Vel potius pica dicitur, quod eadem avicula prædictô morbo sæpè laborat, ut Gal. vult, & Paulus Aegineta confirmat, operis sui medici capite primo. Aetius verò, & si ea, quæ capite decimo, sermonis sextidecimi suæ Medicinæ continentur, Galeno referat, sic tamen ait. Circa secundum mensem affectio quædam prægnantibus accidit, quæ à pica avicula nomen accepit, alij tamen ab hederæ similitudine, quæ κιττὸς sive κισσὸς Græcis vocatur, hanc affectionem cittam Græcis appellatam esse sentiunt, nam sicut illa varijs plantis prout occurrunt, se implicare solet, ita mulieres ex pica laborantes varia edulia appetunt, atque ea contraria, quæ tum voluptatem, tum in suavitatem gustanti exhibent, & cætera, quæ cum jam dictis parvi sunt momenti; & fortè non vera. Est porrò affectio hæc depravata stomachi appetentia, quæ à vitiosis humoribus in ipso stomacho congestis oriri solet, unde Galenus quarto libro citati voluminis, De symptomatum causis, cap. 7. ita inquit, Depravata autem appetentia, partim ad immoderatam cibi potionisq. exhibitionem vertitur; & partim ad alienæ qualitatis desiderium: & multis interjectis subdit. Pravas autem qualitates appetunt ij, quibus ventriculi tunica pravo aliquo excremento sunt imbutæ; atque consuevit huiusmodi affectus, mulieres vitiosis humoribus refertas, infestare: idque quum uterum gestant: vocatur pathos ipsum citta, id est, pica, sive μαλακία, appetunt autem maximè per hunc affectum, & acida, & acerba, nonnunquam acria quoque, interdum, vel cimoliam terram, vel testas, vel extinctos carbones, aut alios, huiusmodi cibos absurdos. Atq. complures earum eiusmodi vitio laborant, usque ad secundum, ac tertium mensem: in quarto verò quiescunt, partim quod vomitione vitiati humores expurgantur, partim quod concoquuntur, utpote exiguum cibi, tum sumente muliere, ob fa-

A stidium, partim etiam, quod multitudo vacuatione sit imminuta. Quippe primis duobus mensibus fœtus paucum ad se sanguinem attrahit, eo quod parum adhuc auctus sit, adeò, ut ne fetus quidem nominari tũ debeat, sed κύημα potius, id est, conceptus: ubi verò jam increvit, tum plurimo indiget alimento, atque tum, non id quod optimum est è venis, ut antea dicebam, allicit, verumetiam, quia maiorem alimenti copiam requirit, aliquid vitiosi simul attrahit, ita fit, ut universum corpus, & plethoricũ, id est, plenũ esse desinat, & minori horũ vitio crucietur. At fœtus ipse excremẽta, quæ ab attracto redũdãt alimento, ad duas reponit membranas, quo fit, ut ipse quoque, & maiorum humorum vitio, & maiori intemperie infestetur, quandoquidem à vitioso sanguine alimentum sumit, nisi gravida mulier residuo, quo uterum gerit

B tempore, optimis utatur cibis. hæc Galenus. Quæ in totum nostro faciunt proposito, & ex quibus altera diluitur quæstio, an fœtus optimo, vel pravo nutriatur sanguine. Nunc institutum nostrum prosequamur, & Galenum, viros quoque infestari pica morbo dicentem, audiamus: ita enim altera linea interiecta, ab eo loco quem paulò antea adduximus, inquit. At quia depravatum qualitatum appetentia sermo incidit, factum est, ut malaciæ quoque meminerimus, quæ viris etiam nonnunquam accidit, quando ipsis quoque vitiati humores ad ventriculi osculum defluunt, ut

C nostræ contigit ægrotanti. Cæterum, ut à vitiatis excrementis depravata fit cibariorum appetentia; ita quoque pro vitiati humoris ratione depravata eorum, quæ bibuntur appetentia, ut inibi quoque Galenus testatur: Sunt autem, quæ depravatam appetentiam potus faciunt, humores salsi aut biliosi, humiditatis nativæ feruor, dipsàs devorata, aqua marina, vinum vetus, febris ardens. Sed hæc ad quantitatem potius referenda sunt, quam ad qualitatem, quia potus quantitatem augent, neque qualitates immutant. Quod verò hiera picra tam sæpe pro hac propulsanda affectione usi simus, Gal. in causa est, qui eam probatissimam ad vitiosos humores deponendos, qui in ventriculi tunicis cõtinentur

D ait. Porrò dicitur affectio hæc malacia, quasi mollities, & defectio quædam eius, qui eam patitur, unde & malacia quoque pro maris tranquillitate usurpatur à doctis, quam vulgò bonaciam contra malum omen nautæ vocant.

Curatio octuagesima septima, in qua agitur de cœliaco morbo, & καχεξία & ἀτροφία.

QVI lectioni, & studio continuus,
& assiduus erat, juris peritissim9,
excellens doctor Amianus, stoma-
chum imbecillem cum acidis ructibus
habebat, & egestiones, diu est, liqui-
das & fluidas assiduo emittebat, cum
quibus renes dolebat, & in eis calidi-
tatem excellentem, veluti in hypochō
driis persentiebat, fastidiebat, & totius
corporis malum habitum, καχεξίαν Græ
ci vocant, incurrere quadam cum gra-
cilitate incipiebat. Erat autem vir hic,
natus annos circiter quadraginta, tem
peratura attrabiliarius. Novisti tu au-
tem lector optimè, natura melancho-
licos ingeniosissimos esse, & in arti-
bus omnibus excellentes, ut Aristote-
les Peripateticæ sectæ princeps libro
Problematum memoriæ commenda-
vit, quanquam scioli cum Petro Eba-
no Conciliatore dicto, problema illud
longè aliter torquent, & interpretan-
tur, ignorantes humorem melancho-
licum divinitatis cujusdam esse par-
ticipem, de qua re cum dabitur occa-
sio plura & meliora cum Angelo Po-
litiano dicemus. Nunc autem huius
excellentis, & præclari viri affectiones
per nos curatas, percurramus, cuius
per inferiora excreta assiduè (ut dixi)
liquida, subalbida, malè cocta, humen-
tia, sed non fœtida, erant, unde hunc
cœliacam affectionem pati deprehen-
di, magis enim in cœliaca hac affe-
ctione cibaria alterantur, quam in lie-
teria, quæ ab stomachi intemperiè
evenit, ut in Scholio examussim hæc
declarantur. Ortū autem cœliaca hæc
affectio contrahit, à ventriculi frigida
intemperie,, multa cum pituita eius ca
vitate abundāte, unde cæteræ affectio-
nes dependentiam habent. Ob assiduū
autem studium, excellens vir hic, ven-
triculi intemperiē quandam contraxit

E frigidam, unde comesta non rectè con
coquebat, sed magis pituitam multam
in eius ventriculi cavitate coacerva-
bat, quæ in dies intēperiem magis, &
magis fovebat, adeo, ut ab hinc mēsem
unum, in cœliacam lapsus fuerit affe-
ctionem, quam & nunc patitur, & eam
aliæ prædictæ comitantur. Curaturi
igitur nos, malas has affectiones, ad ea-
rum originem attendere, & eam pri-
mo depellere opus est autem ea, mor-
bus dictus, intemperies frigida & hu-
F mida ventriculi, quam consequitur cœ-
liaca affectio, non omnino morbus di-
cenda, sed magis symptoma ex mor-
bo consequens. Imbecilli autem reddi
to ventriculo, alteratrix ceu cōcoctrix
dicta facultas (pituita etiam favente)
ingesta recte non concoquit, quæ etsi
recte concoquere valeret, ob imbecil-
litatem tamen virtutis cōtinentis, quæ
in ipso ventriculo est, brevi per πύλωρον
portonarium vulgò dictum, ea ad te-
G nuiora intestina descendunt, & inde
per crassiora cito foras extruduntur:
à tenuibus porro intestinis, ceu à prō-
ptuario quodam, meseraicæ venæ ad
se chylum attrahunt, & ad jecur po-
stea transmittunt, qui quum hac in af-
fectione exactus non sit, neque perfe-
ctè coctus, ut chyli nomen non me-
reatur, factum est, ut ex eo meseraicæ
venæ parum, vel nihil attrahant, unde
iecur & cætera omnia membra male
afficiuntur, adeo ut καχεξία & ἀτροφία, ta-
bis species, inde pullulent, gignantur-
ve, sed qua via, inferius exponemus:
nunc vero ne curatio nostra longius
percurrat, ad ea remedia quibus usi su-
mus recensenda, pro iis profligandis
H affectionibus, accedamus. Cum ergo à
ventriculi imbecillitate morbus hic
pendeat, universus noster conatus eò
dirigi debet, ut ipsum roborem9, & in
pristinā sanitatē reddamus. At quum
pituita in ipsius cavitate fluitans impe
dimēto sit, medicamentis, & remediis
ipsi adhibendis, per vomitum, & spu-
tum continuum, mittebat: quæ enim
in ventriculi cavitate continētur (Ga-
leno sæpè teste) per vomitum facilè
evacuan-

evacuantur. Sollicitì igitur fuimus per vomitum hunc ciere humorem, hac tamen lege, ut opus hoc levioribus cō pleretur medicamentis, idque per intervallum, aliter stomachus vellicaretur, & distenderetur; & consequenter in maiorem lapsum eum traheremus. Provocabamus igitur vomitum alternis diebus, quandoq. jejuno stomacho; quandoque vero post ovorum vitellos ingestos uvam passam, & nonnulla alia cibaria, iis subsequētib. vomitoriis. Resp. Aquæ naphæ, id est, floris arantiorum libram unam & tepidam bibat, & vomat, vel hoc. Resp. Seminis anethi, raphani, cumini, ana unciam mediam, in libris duabus aquæ fiat decoctio sufficiens, facta colatura, decocto adde oxymelitis uncias duas, misce, & tepidum bibat, quo liberaliter vomebat, à vomitu vero in aurora completo, altera interposita hora, hunc ebibebat syrupum. Recip. Mellis rosati colatitij uncias duas, oxymelitis unciam mediam, cinamomi optimi scriptulum unum, aquæ absinthii uncias duas, misce, & calidum bibat, quem vesperi per horam ante cœnam iteret, & per quinq. continuos dies prosequatur. Sexto vero die bolum hunc in parvas redactū portiunculas, non nisi levibus placētulis, nebulis aut obliis, vel ostiis dictis, primo aqua madefactis, exceptus cocleari argenteo, cū pauco rhodomellite colatitio, deglutiebat. Ita enim sacram amarā, veluti cætera medicamēta amara, ægrotantes, ne eorum percipiāt amarorē, devorare debēt: habet autē bolus sic. Recip. Specierū hieræ cū agarico dragmā unā & mediam, electuarii de cinnamomo drachmā vnā, rhabarbari optimi drachmā unā, cum saccharo, & rhodomellite misce, fiat bolus, quē in aurora eo modo dicto capiat, quo optime purgavit, interea tū hæc operabantur, exterius ventriculus oleis refocillabatur, ut nardino, mastichino, absinthino, & mēthæ succida lana exceptis, veluti siccis fomētis, stomachū roboratib. Sed post habitā purga-

A tione, stomachale scutū ita paravim⁹. R. Ladani puri, & bene olentis drachmā unam & mediā, ligni aloes drachmā mediā, masticis, thuris, ana drachmas duas, nucis moschatæ, mascis, piperis longi, gariophylorū, calami aromatici, menthæ, ana drachmam unā, cum cera & resina ana quantum sufficit, ad ignē misce, fiat ceratū stomachale, quod in panno cocco infecto rubro, ad scuti figurā extendatur, adjecta semidrachma galliæ moschatæ ex Mesuæ descriptione, & ventriculo admoveatur. Hoc enim ad ventriculi ma-
B lam intemperiem propulsandā, multū conducit, veluti ad concoctricem, & retentricē facultates ipsius ventriculi malè affectas roborandas, & instaurādas: quod unū nobis præcipuum in hac cū ratione propositum est, pro quibus recuperandis, quum multa à Galeno lib. 7. Methodi medendi, tum sæpè alibi, docentur, tum etiam ab Alexandro Tralliano, lib. quoq. 7. suæ Medicinæ cap. 5. nos tamen iis usi sumus. R. Diacitonitis cum aromatibus libram unā, theriaces optimæ unciam unam, dia-
C cinnamomi uncias duas, in mortario marmoreo omnia rectè pistentur, & cum aromatica cidoneorum miva, ad formam opiatam dictam, redigantur, & fiat conditum, de quo singulis dieb. singulas uncias jejuno stomacho comedebat, & desuper pro posse dormiebat, & ad quatuor sequentes horas cibum non capiebat, iis enim, & optimo victu, cuius inferius sermonē faciemus, intra viginti dies melius de ventriculo habere cœpit. Cæterùm cum cachexia & atrophia, morbi gra-
D ves, & sævi perseverarēt, in mentē subit rhaponticū verum ex Pōto ad nos delatum, pro eis abigendis summū fore remediū, ut ex Dioscoride didisceramus, id quod postea, ut præsagieramus ad votū respondit. Cœpit igitur rhapōticū hoc modo parare. R. Rhapontici Græcorū boni, & recentis uncias duas, radicis apii unciā mediā, crassiori modo rhapōticū pistetur, & in libris duodecim vini boni albi, & odoriferi per

noctem maceretur, & mane ad ignem lentum fiat decoctio, quousque tertia pars absumatur, modo tamen in coctura ea servetur diligentia, quam in radice cynarum servari desideramus. Facta igitur colatura prædicti vini uncias sex, primo jejuno stomacho ebibit, ac sic vicissim ad integram librã pervenit. Nã primis diebus semel tantum in die jejuno stomacho hoc bibebat vinum, postea vero vesperi eum quoq. repetebat, prospero & fausto ita successu, ut intra viginti dies, eius vini potu sanus, & liber evaserit. Vnum tamẽ scire decet, quod interea, dum hoc ebibebat vinũ frictiones siccæ per universum corpus asperioribus linteis illi fiebant, post quas, & sinapismis, & picationibus usi sumus remediis tã raro à neotericis in usu habitis, sed nos Galenũ lib. 14. Methodi medendi, ut eius alios varios locos subticeam, pro hoc cõplendo opere secuti sumus, ut Alexandrum Trallianum lib. 8. suæ Medicinæ, eiusdem numeri capite, in quo de inveterato cœliaco affectu agit, & Aetium sermone nono suæ medicinæ, cap. 37. Cæterùm silentio præterire nõ est, quod jecinori ea, quæ robur adferebant extrinsecus admovebamus remedia. Nunc demum victum, & eius ordinem, quẽ vir hic in hoc morbi successu servaverit, paucis dicamus: in primis cum ventriculus imbecillus est, & eius facultates retentrix, & coctrix imbecilles sunt, consonum est, hic levioribus & subtilioribus vescatur eduliis, ventriculum minimè gravantib. quare in ipsius curationis limine, capi, aut gallinæ, vel perdicis succum bibebat, quem sic extrahere mandabamus: alitem exanteratam accipe, & ipsam optimo, & puro mastice cũ cinnamomo selecto, quod facilè in officinis & tabernis habetur, & pauculo pane, refarce, & ad ignem in veru coq. quam sic non exactè assam torculari exprimes, & succum multũ inde (ut amygdalis oleum extrahitur) ægro potandũ dabis non nisi pulvisculo specierum diamoschi, & diambræ adjecto. Est

E sane succus hic optimus, quia facilis concoctu, ventriculum minimè gravans, & paucas vel nullas gignens superfluitates, cum quibus masticis, & cinnamomi, ratione ventriculi malas qualitates emendat, & eius facultates vitiatas, ac debiliores redditas, roborat, & instaurat: in quo succo, aliquando panis assulas ad ignem primo exiccatas, vel ut primo erant mittebamus, & eas cum eo victitabat. Post hunc vero succum ebibitum, parum

F pulli, aut alterius alitis optime, & bene elixæ, ac præparatæ comedebat, ac tandem parum vini rubri generosi adstringentis, bibebat: multus etenim potus ventris fluxionibus infestissimus existit, ut omnes testatur medici. Proinde omnis liquor, qui potui similib. datur, paucus & conveniens sit decet. Cœnam porro, prandio liberaliorem, & magis copiosam & opiparã illi permittebamus. Vt in hoc morbo Aetius agendum suadet, quanquam, ut verum

G fateamur, & cum Galen. ut decet loquamur, ijs, qui sic affecti sunt cibum partiri sæpè decet, id quod nos summa cura semper in hoc ægroto servatum habuimus, uno pro maximo habito, quod initio cibi, hic semper parũ diacitonitis prægustabat, ut ventriculum ad ea, quæ postea comedere debeat, stabiliret. Cœterùm predictis alitibus, quibus ægrotus hic vescebatur, addas velim, pullum columbinũ domesticũ, ficedulas, fasianos, turtures, gallinas Indicas, Africanas dictas, quas Græcia

H meleagrides appellare solet, quarum carnes fasianis antẽ feruntur, ita enim delicatæ, & friabiles, hodie Romæ habentur, ut omnium avium carnes facilè superare dicãtur. Iis adde, ex quadrupedib. hædũ, vervecẽ, lepores juvenes, & cuniculos parvos, ex quorum carnibus succus eo modo à nobis paratus, cõcinnabatur: veluti contusum, pistũ dicũr, ex jure earũdem apparatũ, adjecto pulvisculo alicuius electuarij, stomachum roborantis, aut cinnamomi, vel nucis moscatæ, piperis longi, aut gariophyllorum, & similium, aut

aqua

aqua coquebantur, mentha, & cerepholio, herbula universæ Hispaniæ (ut puto) ignota, aut hyssopo, vel petroselino vulgari, vel simili adjecta, cum prædictis aromatis & croco. Legumina omnia prorsus respuimus in hac curatione, orizam tamen laudamus, veluti in curationi successu, cardum pineam scolimum & cinaram dictum, terra obrutum, & album redditum, & eius caput chychophyllum dictum, coctum tamē & pipere comesum: ex fructibus autem olivæ colymbades, & amygdalę laudātur, & uva passa cum seminibus, sed extragematis, & bellariis, pinosaccharatum multum laudatur, & Martiipanes, veluti condita altera palmaris lōgitudinibus, suavia, cinnamomi colorem referentia, quæ Venetiis à moscho forte quo ornantur, moscacholia, vel mostacholia vocantur, & eorum vice Lusitani Hispani canelones suavissimos, & cordiales admodum parant, ut varia alia condita saccharæa, moscata & ambarata prætercam.

SCHOLIA.

Dicitur morbus hic Cœliacus ἀπὸ τῆς κοιλίας nomine vētrem sive stomachum significante, in quo potissimum fit: non me tamē latet, τὴν κοιλίαν apud Hippo. quandoque vētriculum, quandoque vero alvum significare, unde nonnulli cœliacum morbum non tam ventriculi passionem, quàm graciliam intestinorum esse contestabantur, sed falso, cum cœliacus morbus stomachi passio sit. Cæterum cœliaca hæc affectio apud Hippocratem & Galenum, ut aliqui aiunt, sub lienteria comprehenditur. Nam Gal. libro sexto De locis affectis cap. in quo ventriculi, & intestinorum prosequitur affectiones, inquit. Sunt alia quoque accidentia, quæ quidem haud absurde, & intestinis, & ventriculo simul affectis evenire creduntur, ut quas lienterias, id est, levitates intestinorum, cœliacas, id est, ventrales nominant, quum videlicet materiæ nequaquam sunt mordaces. Nam ut mordaces, ob mordendi vim omnia intestina ad excretionem excitant, ita non mordaces intestinorum imbecillitatem sequi consueverunt, quia retinere contenta, ne exiguo quidem tempore possunt. Siquidem illicò excernunt ea, perinde, ac si grave aliquod onus deponerent, haud secus

A *quam in destillatione urinæ contingit, & cætera. Ex quibus citatis verbis satis claret Galenum per lienteriam cœliacam affectionem intelligere, sed quomodo Galenus intelligendus veniat, & quibus cœliacus morbus, à lienteria differat, cordatissimè & candidissimé exposuit Aegineta, libro 3. suæ medicinæ cap. 40. dicens. Levitas intestinorum, quæ Græcis λειεντερία dicitur, duplici continetur discrimine, hæc ex summa intestinorum exulceratione contrahitur, quorundam vero lyenteria ex cicatricibus quas excitavit dysenteria parte plurima, vel alijs oboritur fluxionibus. Altera vero ex infirmitate & langore virium, alimenta in ventriculo con-*
B *tinentium creatur: eademque cum cœliaca dispositione confunditur, miscetur que. Etenim in hac languente, & imbecilla ventriculi facultate, nec coquuntur, nec digeruntur alimenta. Sed cruda, humentia imperfectaque redduntur, alvo continenter fluida. Verùm in utroque levitatis genere celerius, quàm in cœliacis, quæ assumpta sunt egeruntur: tamque intensa est cruditas, ut alimenti assumpti genus apertè cognoscatur, atq. hac nota potissimum a cœliacis discernuntur. Hæc enim Aeginetæ ita appositè elegāter, & aptè sunt dicta, ut nullius alterius doctrina, pro hac deprehendenda affectione, opus sit: & eo magis, cū ex eis dignoscatur, cœliacā ventri-*
C *culi passionem esse, quæ sæpè cum lyenteria à ventriculi imbecillitate exorta cōfunditur, se dignoscitur, quòd in cœliaca cibaria, non ita cruda, ut in lyenteria emitti solent, egeruntur, sed liquida fluida, & humentia. Dicitur cæterùm lyenteria, non quidem proprie morbus, sed magis accidens, & passio morbum consequens, quæ á Galeno ita definiri solet, lyenteria, id est, levitas intestinorum, est velox, & sine aliqua, vel parva transmutatione ciborū excretio, quæ multis de causis evenire contingit, quas ad præsens recensere lōgum esset. Quando igitur ea, quæ comeduntur, celeriter dejiciuntur, talia qualia deglutita sunt, hanc*
D *passionem levitatem intestinorum medici vocamus, quæ ex potentiæ continua debilitatē fit, & ut Galenus adnotat, libro 4. Aphorismorum, enarratione duodecima, consequitur ad omnium, quæ ad alvum pertinent, instrumentorum intemperaturas, hoc est ipsius ventriculi, in quem cibos dejicimus, & eorū, quæ ex hoc suscipiunt, atque transmittunt intestinorum. Ex quibus verbis satis percipimus in lyenteria, levitate intestinorum dicta, intemperantias ventriculi, gracilia quoque intestina infestare, id quod in cœliaca fieri non contingit, quia, ut in lyenteria ventriculi al-*

teratrix facultas ferè abolita est, ut ex cibariis ingestis deprehenditur, quia talia secundum omnes suas qualitates permanent, qualia assumpta erant: ita in cœliaca passione nõ omnino deperdita est, imò in ea aliqualis potentia reperitur, qua mediante cibaria parũ alterat, & ea liquida reddit, & flatus elevat. Dicamus igitur, quod in levitate intestinorum calor prorsus languet, in cœliaco verò affectu aliquantulum viget: unde ructus acidi etiam à principio elevantur, quia imperfecta fit à calido innato concoctio, ut paulò inferius dicemus. Non igitur de cœliaca affectione Hippocratis aphorismus primus, libri sexti Aphoris. intelligetur, cùm dicat, In longis levitatibus intestinorum, si ructus acidus F fiat, qui prius non erat signum bonum quia in hac cœliaca affectione ructus acidi, quoad innatus calor auctior factus est, semper comperiuntur. Nam prædictus aphorismus, in longis intestinorum levitatibus rationem habet, in quib. à principio ructus acidus non erat, sed postea supervenit. Quia morbi huius initio vẽtriculus viribus destitutus erat, ut cibi eo modo crudi qui ad eum perveniebãt, absq. ulla, vel parva alteratione illico foras emittebantur. Non igitur in cibos ingestos, calor quicquam agebat: successu verò temporis, aucto nativo calore, cibi aliquantulum alte- G rantur, & eorũ ferè semicõcoctio fit: unde flatus, & fumi, ac acidi ructus excitantur, quod signum optimum esse tradit Hippocrates, quia cum in principio nulla, neque perfecta, neque imperfecta concoctio erat: nunc demùm cõcoctio apparere incipit, quæ etsi imperfecta est, optimum tamen est signum, quia nativum calorem à principio sepultum, nunc reviviscere indicat, qui cùm diminutus est, exactè non cõcoquit, sed cibum immutat, & in acidum trahit. Novistis autem acidum saporem à calido coquere incipiente, non verò perfectam mutationem atque alterationem afferre potentẽ fieri, ut tradit Galenus libro 4. De facultatibus simpl. medicamentorum, cap 14. & libro 3. H De sympt. causis, cap. 1. unde lib. 2. De temperamentis, cap. 8. ipse Galenus inquit. Ventriculus si bene concoquit, temperatus est, si non bene concoquit intemperatus: si nidorosos, vel fumosos edit ructus, igneus in eo calor est: sin acidos, imbecillus & infirmus, ut liquido constet acidum hunc saporem à diminuto calore concoquente evenire. Cùm igitur cibaria sic incocta, & acida manebant, ea per alvum veluti ex vase destillante excernebantur. Item cùm longo tempore membra cibum non persenserunt, consequens fuit corpus extenuari, & iecur malè affici: unde cachexia,

E id est, totius corporis malus habitus, morbus, & atrophia, id est, sine nutrimento, vel totius corporis maxima macies pullularunt. Sunt autem duo ii morbi tabis species, quib. phthisis tanquam tertia adnumerãda venit: de quibus, cum dabitur occasio sermonem faciemus. Cæterùm quód lyenteriæ, id est, levitatis intestinorum nomen, huic affectioni omni ex parte non satisfaciat, meminit Galenus enarratione prima libri sexti Aphoris. ubi eos qui primùm rebus nomina imposuerunt, redarguit, veluti Erasistratũ, qui in lyenteria cruda excrementa, cum mucosis, ac sanguinolẽtis strigmentis excerni cõtendebat. Cæterum scire decet, Cornelium Celsum longè aliter cœliacum morbum describere, quàm nos hucusq. fecerimus: inquit enim ille, lib. 4. cap. 12. morbum hunc pylori, id est, portonarii, propriũ esse, in quo venter induratur, & torminibus præmitur, alvusq. ipsa adeò nihil reddit, ut ne spiritus quidẽ infra, sed nec supra erumpere possit, a qua passione olim Antonius Benivenius, patrem suum obiisse meminit, libello suo De abditis morborum causis. Porrò curationi nostræ, utpote veris tempore exercitæ, & pituita in ventriculi cavitate fluitante, aphorismus Hippocratis duodecimus libri quarti Aphoris. non adversatur, ut consideranti notum evadet: ita enim Hippocrates eo loco tradit. Quorum alvi intestinorum levitate laborant, hyberno tempore supra purgari malũ.



Curatio octuagesimaoctava, in qua agitur de cholera morbo.

VXOR proxenetæ ex Bario olim Iapygia Apuliæ civitate dicta, cũ cholera morbo vexaretur, illi post duos dies, vomitus ventris fluxu perseverante, cõstrictus fuit. Cæterũ, sequenti die huic menstrua, quæ ante sex mẽses non viderat, erumpere, & eodem die vẽtris fluxus ex toto cohibitus fuit: quo in die lingua arida, quadam cum nigritie, & febre ingenti apparuit. Sed menses pauci, ita fluxerunt, ut intra diem ex toto suppressi sint, & fluxus ventris ex se reversus, ex quo cùm virtus imbecillis fieret, ad ventris cõstrictionem cum clysteribus opus id cõficientibus nos divertebamus, & tũc febris

febris & symptomata augmentaban-
tur, ob quæ iterum ad fluxus evocatio-
nem redibamus, & tunc symptomata
omnia minuebantur, sic enim vicissim
pro virtutis constantia, vel eius imbe-
cillitate, fluxum permittebamus, aut
cum cõstringebamus. Elapsis verò non
nullis diebus ægritudinis, mulieri huic
tremores supervenerunt, & lumbricos
multos per clysteres injectos egessit, ob
quos illi catapotia ex aloe obtulimus
& melius habuit. Fuit autem morbus
hic ab humorum multitudine exortus:
at cùm hæc meliusculè haberet, in capi
tis anteriore parte magnum passa est
dolorem: pro quo levando, multis topi
cis remedijs usi sumus, & nihil pro fue
re, qua de re, quum virtus adhuc imbe
cillis esset, nasi venam præscindi feci-
mus, & hirudinem vulneri apponere,
quousque ex se cecidit, post quam eva-
cuationem dolor brevi ablatus fuit, &
mulier ipsa intra mensem sanitati resti
tuta, quæ obesa, & humoribus pessimis
referta erat.

SCHOLIA

*Cholera morbus, ut alias dixi, & Alex.
Tralli. lib. 7. cap. 16. tradit, ex acu-
tissimis affectib. est, syncopim insignem immo-
dicamque virium resolutionem afferens, qui
non ideo cholera dicitur, quia à bile omnino
fieri consueverit, sed potius quia materia quæ
per ventrem adfertur, ex intestinis videtur
excerni, intestina verò choladas, veteres ap-
pellabant, ut etiam Homerus ijs verbis testa-
tur* ἐξέχυντο χαμαὶ χολάδες, *quod est fusa erant
humi intestina. Cæterùm, non me latet fluxum
ventris quemcunque non sic facilè cohibēdum
esse, cùm inde, hoc est, ex inopportuna constri-
ctione, non nisi parotides, phrenitides, febres
acutissimæ, & alij perniciosissimi morbi orian
tur. Non igitur credere est, anterioris capitis
dolorem supervenientem huic mulieri, ex re-
tentis humoribus caput ascendentibus evenis-
se, sed magis ob sanguinem vitiosum ex jecore
per venas ad alendum caput ascendisse, qui in
eo malam qualitatem cum solutione continui
imprimens dolorem fecit: pro quo levando na-
rium vena secta fuit, & sanguis per hirudi-
nem extractus. Vt enim frontis venam secare,
posteriori capitis parte dolente, saluberrimum
est, & ut meminit Hippocr. ita anteriori ca-*

A *pitis parte dolente narium venam tundere, &
ex ea sanguinem demere, optimum est, ut sua-
det ditissimus ille medicinæ Oceanus Galenus
lib. 2. De comp. med p. l. cap 2. dicens. Quòd
si amplius sanguis redundare videatur, etiam
ex naribus aperta vena, & quantum sufficere
videtur, sanguinem evacuato. Vnde Avicen-
na Fen prima libri tertij sui canonis tract. 1.
cap. 20. in quo de universali Methodo meden
di capitis morbis agit, inquit. Quæcũq demum
fuerit materia, incipiemus á sanguinis missio-
ne, præcipuè capitalis venæ, & aliarum quæ
caput respiciunt, ut sunt frontis, narium, & ea
rum quæ retro aures sunt, de quibus capite de
phlebotomia diximus. Hæc Avicenna, quę in
B universum cum Galeni dictis conveniunt. Cæ-
terùm, quòd retro aures venę ab Hippocrate
& Galeno secabantur, liquidò evadit, ex com
mentario quinto, in librum sextum de morbis
vulgaribus enarratione vigesimasecunda, in
qua Galenus, cum Hippocratis interpretatur
hæc verba. In cedmatis venas in auribus po-
steriores scarificare, inquit, cedmata appellat
fluxiones in crura decumbentes, & subdit: scri
bit enim ipse venas in auribus cum non in au-
ribus, sed circum aures esset dicendum. Nam
post aures sunt venæ insignes, in auribus verò
sunt perexiguę, sunt autem ut nos dicamus,
venę hę retro aures, barbaris guidenes dictæ,
quas Gręci* σφαγίτιδες, *Romani veró jugulares
appellant, & eas alij quoque apopleticas, &
C somni venas vocant, quia ex earum obstructio
ne, apoplexia & somnus oriantur, de quibus
ad pręsens hęc sufficiant. Vt receptui igitur
canamus, liquido constat Galenum & Avi-
cennam, ut plures alios taceam medicos, in ca-
pitis ęgritudinibus narium venam secare, &
ex ea sanguinem mittere, quod propter moro-
sos quosdam medicos, dictam volo, qui de eva-
cuatione per venam narium facta, nusquam
apud probatos authores legisse, clamabant,
quos nos sua cum inslitia & pertinacia relin-
quimus, eorum præcipuè unum qui tanquam
albus corvus hac in re habendus est, qui ob al-
bedinem cum coruis versari non potest, ob
D magnitudinem verò, neque cum columbis, ita
enim hic cum barbaris barbaras scribentibus
practicas, quorum lectionibus assiduus & fre
quens est, medicus dici non meretur, cùm
id ignoret, de quo ipsi tam sæpè men-
tionem faciunt, cum Galeno verò
minus, quia eius doctri-
nam in totum
ignorat.*

(.·.)

Curatio

Curatio octuagesimanona, in qua agitur de duplici tertiana continua, ad quam varia symptomata secuta sunt.

HVius prædictæ filia, mulier annos nata viginti quinq. natura gracilis, colore albida, duplici tertiana continua affligi cœpit, pro qua sublevãda, pedis vena saphena dicta secta fuit, & sanguis abundè extractus, à qua sanguinis missione, ex febre melius habuit. Cæterùm, duobus interpositis diebus, huic dolori superiores thoracis partes prehendens supervenit: pro quo levando, sacculus ex milio calidus dolenti loco admotus fuit, & sanguis ex jecoraria aliquantulum extractus, & brevi ex toto dolor evanuit. Sed paucis interjectis diebus, hanc angustiæ apprehenderũt, quibus colli venæ, & reliqua vasa crassiora sunt reddita, imò tunc oris tortura comparuit, pro quibus profligandis symptomatis, hirudines duæ ano admotæ fuere, & cucurbitulæ siccæ coxis, & intra umbilicum, & stomacum applicitæ. Trahebant autem symptomata hęc ortum suum à matrice, quia ejus maritus diu absens erat: pro qua placanda, ex Mithridate antidoto, veluti ex terebinthina, pessuli parabantur, non minus ac ex mercuriali cauli intra os uteri mittebantur: elapsis verò duodecim morbi diebus, menses apparuerunt pauci, & non bene colorati: pro quibus, ut decebat, ciendis, decoctum à nobis paratum ebibit, & aliquantulum responderunt, cum quibus & graviter se habebat, adeò ut postea de faucium angustia contristaretur: pro qua curanda, sub lingua venæ sectæ sunt, & sanguis extractus, unde postea melius habuit, & paulatim convalescere cœpit, donec integram consecuta est sanitatem.

(?)

Curatio nonagesima, in qua agitur de dysenteria contagiosa, & pestilenti.

AD maris portum Naucletus matrem suam senio confectam domi habebat, quæ dysenteria correpta, intra mensem obijt. Cæterùm post vetulæ obitum, prædicti Naucleri tres filij eodem morbo afflicti, brevi perierunt. Sed & quartus hujus filiolus, cum ex eodem morbo prope obitum esset, ad eum vocatus, diverti: quem cum conspicerem, & ejus pulsus attrectarem, pro deplorato reliqui: ne tamen cæteri domestici adhuc bene valẽtes in eundem morbum laberentur, consului circa res non naturales optimè se gererent, ac ex surculis, & bene olentibus herbis, & suaviter spirantibus sarmentis, lignisve focum instruerent, cumq. domi pluribus in locis perennem haberent, ut ex rore marino, stæchade, origano, pulegio, majorana, lauro, junipero, cupresso, & similibus: item domus fenestellas, ab alijs domibus occupatas, ut à vento perflari non possent, apertas & patentes haberent. Contraxit autem morbus hic seminium à vetulæ putore exhalante, & aerem inficiente: unde pueri infecti sunt, & tanquam minus resistere valentes occubuerunt. Cæteri verò domestici hoc nostro consilio muniti evaserunt, nec in morbum inciderunt; hoc enim ita agendum à magno Hippocr. accepimus, ut qui ab universa Græcia pestem fugavit, accensis ignibus, ob quam rem Athenis aurea statua illi erecta est, & ut Aristophanes, inquit. Honores Herculi decretos, uni Hippo. ob ejus merita, universa Græcia impartiebat. Veluti sui Coi, qui singulis annis illi per multa secula parentabant, eo præcipuè die quo natus fuerat, est autem natus Hippocra. primo anno 80. Olympiadis, die 27. mensis Agrianei, floruit eo tempore, quo Democritus Abderitanus, ut ex ejus epistolis claret, & Plinius

& Plinius confirmat lib. Naturalis suæ historiæ, & ut Eusebius in Chronico tradit, anno mundi 4760. quo tempore Ezras propheta quoque viguit, demum floruit Hippocra. tempore belli Peloponnesiaci.

Curatio nonagesimaprima, in qua agitur, de puero absq. manifesta causa, faciem tumentem habente.

PRæsulis filius annos natus octo, cum absq. externa causa in eius facie tumeret, nec dolorem aliquem persentiret, factum est, ad sex vel octo dies nihil remediorum illi applicitum sit. Ceterum, cum facies in tantum tumuerit, ut deformis puer videretur, ad eum sum vocatus, cui tunc theriacam pauco vino darent, cõsului: sequenti verò die cum ad eum divertissem, eius universum corpus attrectavi, quod cum circa jecur manum admovissem, illico doluit. Tunc verò puerum sic malè affectum esse, & vultus inflationem à jecinoris vitio cõtraxisse ortum, novi, qui in deterius ruere deberet, hoc est, in aquam intercutem morbũ, ni illi summa cura obstitissemus, obstitimus autem primò, optimo victus ordine constituto. Nam cum puer voracissimus esset, & multa indiscrete comederet, factum est inde jecur obstructionem traxerit, ob quam sanguis non exactè ab eo conficitur, qui postea altas partes alere ascensus, ut nutritioni ineptus, ita inflationẽ prædictam effecit. Iussimus igitur ut puer parcissimè comederet, vesceretur que cibarijs ad caliditatem & siccitatem declinantibus, optimum præcipuè succum gignentibus, ut carnibus avicularum mõtanarum, perdicis, turdorum, merularum, phasianorum, attagenis, maleagridis, turturis, gallinæ, capi, & ex quadrupedibus, hædi, vervecis, cuniculi, & leporis, quas potius

A assas, quam aqua coctas comederet suadebam. Si quando tamen elixæ parabantur, herbis ijs condiebantur, hyssopo, menthia, satureia, maiorana, cerepholio, fœniculo, basilicone, porro, vulgari petroselino, & similibus adiectis aromatis, croco, gariophylis, cinnamomo, & caro. Sed cœna illi amplior erat quam prãdium, unum semper præ oculis habendo, ut ea, quæ comedebat optimè dentibus attereret & minueret, ex bellarijs & fructibus laudabantur uva passa, pistatia quæ vino malvatico macerato summam prærogativam in hoc habet casu, amygdalæ & pinea, quibus addas velim, cappares ex oxymelite paratos, asparagos, & fœniculum mari-

B num, creiamum dictum, in summa in hoc casu, omnia quæ aperiendi obstructiones facultatem habent, laudantur, quæ verò obstructiones pariunt, abnegantur. Proinde à cibo exercitium & balneum vitabantur. Potus huic puero vinum album meracum erat, in parva tamen quantitate. Cæterum, cum primum ad puerum venimus, illi terebenthinæ drachmas quinque pauco cum saccharo propinavimus, qua optimè alvus respondit, altero verò interposito

C die, syrupum hunc ebibit. Recip. Syrupi de fumo terræ unciam unam, oxymelitis unciam mediam, aquarum fœniculi, agrimonij veri, eupatorij, ana unciam unam, misce & calidum bibat, jecinori porro inunctio sequens adaptatur. Recip. Oleorum camomillini, nardini, absinthini, ana unciam mediã, pulveris absinthij, spicæ nardi, ana drachmas duas, succi agrimonij unciã unam, cum cera quod satis sit, fiat linimentum, quo manè & serò jecur inungatur. Sed cum hęc moliebamur, quod alvus rectè responderet soliciti eramus.

D Ebibitis igitur syrupis sufficiẽtibus, bolum hunc deglutiendum puero dedimus. Recip. Rhabarbari optimi drachmam unam, agarici albi & friabilis drachmã mediã, diaphiniconis drachmas tres, cum saccharo, q. suff. misce fiat bolus, quem in aurora capiat, & desuper per horam dormiat, quo multa pituitosa

pituitosa egesit, tunc puer melius habere cœpit, & vultus detumescere. At quia puer medicamentorum ebibitionem in totum jam exhorrebat, pro hac complenda operatione, in aurora ius capi ex acori radice, hoc est, galanga crassiori præparatum ebibebat, incoctis quoque in eo radicibus petroselini, & jecoris lupi pulvisculo, semidrachmę pondere respersis. Valet autem jecur lupi omnibus jecinoris intemperiebus, specifica quadam virtute, ut testatur Galenus, & post eum cæteri omnes medici. Multa porrò, pro hac complenda operatione laudantur, quæ medici, cum de jecinoris obstructione pertractant, describunt, inter quę apozemata sunt, ex simplicibus deobstruendi vim habentibus composita, veluti & syrupi similes vires obtinentes, quibus addimus trochiscos de rhabarbaro, de eupatorio, de absinthio, confectiones dialaccæ, diacurcumæ & similes. Sed puer hic paucis ijs à nobis citatis, stante citato victus ordine, intra viginti dies sanus est factus. Ex hoc eodem affectu, puerum alterum curavimus, annos natum duodecim, cui pro victu, maiori ex parte pulticula ex farina triticea parata, & optimè cōcinnata, veniebat, cui optimè coctæ, pulegij vel origani summitatum pulvisculū injici faciebamus, clysteres verò pro hujus alvo exoneranda, ex alliorum siccis spicis, aqua cocta parabantur, non nisi melle discocto, & communi oleo, ac salis mica, adjectis. Eius porrò purgatorium medicamentum, vinum erat, in quo radices sambuci & ebuli incoctæ fuerant, quod summopere evacuabat, & ad morbum multum faciebat. Ruri autem hic agebat.

Curatio nonagesimasecunda, in qua agitur de febre cum symptomatis.

MVlier Veneta, quæ ex auro & argento muliebres coronas parare E solet, in aurora febrire cœpit, parvo quodam rigore pręcedente, noctu verò cum grauiter à febri affligeretur, ut mori eam vicini, & assistentes crederent, ad eam invisendam repentè sum vocatus, quam cum primum contemplor, eam juvenem crassam, optimo & multo victu assuetam, continuò febricitantem comperio, cui pulsus crassi, magni, frequentes, & veloces erant, cum quibus caput, & universum corpus dolere dicebat, imò tempora foras ob dolorē exilire clamabat, quibus omnibus animadversis, illico nulla data mora tertia F hora noctis, èx dextri brachij jecoraria vena, sāguinis uncias quindecim extrahere feci, post quam sanguinis missionem, clyster more Galeni, ut qui à sanguinis missione, clysteres injiciendos mandabat, injectus fuit, post quas evacuationes, melius habuit, & pauco pane loto sacchoro resperso, contenta, eam noctem transegit. Ad eam verò in aurora divertens, syrupos ex oxysacchar, & alijs humores refrigerantibus, & G membrorum intemperiem calidam infringentibus concessimus, quibus & tenui victus ordine, sexto die purgatoriū pharmacum ex manna & rhabarbari diluto, ebibit, & sana evasit. Veluti eo tempore miles ille, qui nunc Romæ apud Illustrissimum Dominum Vincentium de Nobilibus agit, & lanio cū uxore, qui apud fontis forum in angiportu agebat, & myropola monoculus, qui omnes, ut varij alij eo tempore sani sunt facti, quibus omnibus illicò secta vena fuit, & sanguis extractus.

H

SCHOLIA.

PErcunctabitur hic doctus medicus, cur est quod cum Hippocrates tam rarò sanguinem in febribus & morbis extrahebat, nos tamen tam sæpè, & copiose sanguinis missiones molimur? Cui quæsito Galēus uberrimus medicinæ oceanus respondet, commentario tertio, in librum primum de morbis vulg. enarratione vigesimasexta, qua Critonis historiam prosequitur dicens. Vnde mireris quid causæ fuerit, quo minus huic morbi initio Hippocrates secuerit venam, sed scimus ad plurimos eū, quos descripsit,

describsit, morbo jam progresso accersitum esse, hæc Galenus: cum quo nos tanquam cum medicinę principe, morborum initijs vocati, illico ubi opus est, sanguinem demimus, quanquam in omni morborum tempore (ut ille ait) si modo expedit, venę sectio tutò exerceri potest.

Curatio nonagesimatertia, in qua agitur de phlegmone ori ventriculi impacto.

GRaviter & cōtinuò febriebat mercator ille, qui post longum confectum iter, Anconam venit, vir annos natus triginta tres, boni habitus, medio Maij mense, cum qua febri, de ore ventriculi, quod ad cartilaginem, ensiformem dictam, vel malum granatum jacet, maximè querebatur. Quum in eo dolorem continuum & vigentem sentiebat, cum quibus & inflatio aliqualiter imminens extra in ipso ventriculo apparebat, vomebat hic, & totus nauseabundus erat, ut facilè judicares, hunc in ore ventriculi inflammationem pati. Ad quem accedens ipse, illico per lenē clysterem depositis ex alvo fecibus, ex interna brachij dextri vena sanguinē pondere decem unc. extrahere feci, & loco dolēti extrinsecus admovere, quæ constringendi, ac reprimendi vires habent, ut sequens hoc. Recip. Oleorum cidoneorum, myrtillorum ana unciam mediam, pulveris myrobalanorum citrinorum drachmam unam, boli Armeniæ drachmam mediam, misce & tepido locus affectus inungatur. Cæterum, cum remedium hoc parum valeret, & dolor ingens cum anxietatibus, & nausea perseveraret, ex eodem vulnere brachij, iterum sanguinis missio ad uncias octo, repetita fuit, & emplastrum hoc admotum, quod habet. Recip. Farinæ hordei unciam unam, rosarum rubearum siccarum, santalorum rubeorum ana unciam mediam, pulveris summachiorum, hypocisthidis ana drachmas duas, olei rosati omphacini A unciam unam, succi omphacij, id est, agrestæ unciam mediam, cum succo endiviæ, & rosarum quãtum sufficit, misce, fiat emplastrum, quod sic frigidum ob intensam caliditatem dolenti loco admove, & sępè innova, quo vir hic melius habere cœpit, nec dolor ita intense eum vexabat. Porrò quod alvus singulis diebus responderet, soliciti admodū eramus, præcipuè lenibus clysteribus, ut hoc sequenti. Recip. Iuris pulli, vel decocti malvarum uncias quindecim, olei rosati, violacei ana uncias duas, vi- B telli ovi numero duo, sacchari unciam unam & mediam, cassiæ extractæ unciam unam, salis communis drachmā unam, misce fiat clyster. Elapsis verò quinque diebus, locus ut antea malè affectus, fomento ex rosis, & camomilla parato fouebatur, ac postea hoc aliud emplastrum applicabatur, quod habet. R. Acanthi, id est, branchæ ursinæ, rosarum rubearum, radicis malvavisci, ana pugill. unum, in aqua fiat decoctio, & abjecta aqua, in mortario marmoreo, omnia optimè pistentur, quibus ad- C de, farinæ hordei, camomillæ, s. lini, fœnugræci ana unc. mediam, santalorum rubeorum & alborum ana drac. duas, cum oleo rosaceo & camomillino, & pauca capi pinguedine, fac emplastrū, & dolenti loco tepidum admove: tertio verò die, post hujus emplastri admonitionem, phlegmon ruptus est, & æger per vomitum saniei parum rejecit, veluti per egestiones, sed tunc multo melius se habere sensit, & sequentibus diebus aquam mellis ad ulcus lavandum bibebat, cui quãdoque thuris mannam D Gal. consilio miscebamus, quibus intra viginti dies sanitatem obtinuit. Cibus huic, ptisana erat, ad octo præcipuè priores dies, cujus vice, amygdalatum, multa destillantia rosacea paratū quandoque veniebat, postea verò jus pulli gallinacei, illi elargiebamur: aut ex eo paratam panatellam, vel ex eius carnibus concinnatum contusum, potus verò aqua hordei per se, aut mistum illi granatorum vinum erat, sed aer circundans frigidus quoque erat.

SCHO-

SCHOLIA.

SÆvissimus, & lethifer is morbus est, à quo, qui evadunt Iovis filij & albę cornices dicendi sunt, quo morbo sic affectis, Galenus lib. 13. Methodi medendi, tenuissimam diætam constituit, item ne illis pharmacum purgatorium, aut vomitorium porrigatur suadet, adeò ut ne aloe quidem ex omnibus purgantibus medicinis sola stomacho cōducibilis, ab eo ipsis concedatur. Item medicamenta foris admovenda, stipticitatem in se habeant, veluti ea quæ jecinori imponuntur monet, ut ex Theagenis philosophi Cynici historia deprehendere quis poterit: est nanq. ventriculi munus, sicuti jecinoris maximum & toti animali commune. Accedit nanque omnibus animalis partibus maximum incommodum, sive non probè concoctum alimentum sit, sive non ritè in sanguinem conversum. Vnde Quintus Serenus poeta in sua medicina, stomachum tanquam corporis totius principem & regem describit, dicens.

Qui stomachum regem totius corporis esse
Contendunt, vera niti ratione videntur.
Huius enim validᵒ firmat tenor omnia mēbra:
At contra, eiusdem franguntur cuncta dolore.

Hunc cæterum providentissimus artifex Deus omnipotens, in medio totius corporis, tanquam escarum & ciborum receptaculum, aut promptuarium quoddam & refertam culinam posuit, ut ab eo cætera membra indigentiæ tempore, nutrimentum sibi ipsis exposcerent, captarentve, cujus os prisci tanti fecere, ut cor ipsum appellent, ut testatur Gal. lib. Aphoris. 40. enarratione decimiseptimi aphor. qui ait. Si quis febrem non habens, abstineat à cibo, & cordis morsum, & vertiginem patitur, & oris amaritudinem sentit, purgatione indigere per superiora significat, ubi particulam illam, cordis morsus. sic vertit, hoc est, oris ventriculi: prisci siquidem, & hoc cor nominabant, sic quoque ab eo hoc firmatur lib. 5. De locis affectis, & quarto De symptomatum causis, & sexto Epidemion, ut sexcentos alios locos præteream: quo fit ut cardiaca passio, vētriculi affectio dicenda sit, non verò cordis, cur verò os ventriculi cor dicatur, dicamus, primo quia ut Galenus lib. 5. De locis affectis cap. 5. ait, veteres os ventriculi, cor nominabant, ab accidentibus quæ inducere videtur, ita enim ex oris ventriculi affectione, equè fit syncopis, ac ex cordis affectione, quia os ventriculi maximè est sensibile, item quia inter os ventriculi & cor maxima existit per arterias colligantia vicinitasque. Cęterum non desinam hic unum referre, ut scitu dignum, ita à nemine (quod no

E rim) hucusque dictum, cartilaginem triangulam, quam ensiformem appellamus, barbari verò malum punicum dictitant, á natura perforatam esse, ut sæpè cum corpora dissecaremus, experti sumus, sed ad quos affectus natura in hac cartilagine hoc molita sit foramen, dignum investigatione est, ego vero cum id animo & cogitatione contemplor, foramen hoc á natura constitutum esse invenio, ut cum plus justo ventriculus gravatus sit, perspirationem aliqualem per eum habeat, & fumorum difflationem, tu verò bone lector, meliora considera: cum hęc Galeno ignota esse audisti.

F

Curatio nonagesimaquarta, in qua agitur de tinesmo, sive tenesmo, id est, prompta & assidua dejiciendi cupiditate.

SEbastianus sacerdos, à monasterio in Græcia, oppido mirum in modū frigido, ut hyberno tempore, in eo vi-
G num potens congeletur, & ova ita lapidosa fiant, ut quibusvis lapidibus duriora evadant, tinesmo hoc est, assidua & prompta egerendi cupiditate, magna cum tensione torquebatur, quæ ab ulcere, recto intestino hærente evenit, ut testatur Gal. libro sexto de locis affectis, capite secundo, & tertio de sympt. causis, & alibi pluries. Cæterum, cum in hoc morbo pauca admodum excrementa, & ea quidem mucosa & cruenta ejiciantur, hic cum hæmorrhoides pateretur vix quicquam emittebat. Vn-
H de magis & magis affligebatur, quia major distensio & major dolor, & major desidendi cupiditas oboriebantur, hunc igitur morbum curaturi, primo decoctum hoc parare fecimus, ut eius insessu dolores & tēsiones placaremus, simulq. ut per anum necessaria inderemus: habet autem fomentum ad insessum sic. Recip. Radicum altheæ, malvæ, camomillæ, s. lini, fœnugræci, rosarum rubearum, ana pugillos duos, in libris viginti aquæ fiat decoctio sufficiēs cui adde olei rosati, camomillini, ana uncias tres: in quo decocto repente in-

sessus

sessus fiat, ut non solum anus sed ingui A
na quoque madescant, vice cuius, filtro
aut spongia prædicto decocto imbuta,
& parum expressa, quandoq. uti sole-
bat, tunc vero clysteres abstergendi vi
præditos, injiciendos curabantur, quo-
rum exemplum tale habebis. Recipe.
Decoctionis hordei integri unc. quin-
decim, sacchari rubri unciam unam
& mediam, olei rosacei uncias tres, vi-
tellos ovi num. duos, misce fiat clyster,
in quo & mel rosaceum colatitium im
ponere, optimum sane est, quum ex ijs
quæ maximè ulcera abstergāt sit. Ab- B
stersione igitur facta ad clysteres ulcus
exiccantes & constringentes deveni-
mus, non minus ac in dysenteriæ cura
tione, qua de re clysteres sic descripsi-
mus. R. Summachiorum plantaginis,
balaustiorum, ana pugillum unum, in
libris duabus aquæ fiat decoctio suffi-
ciēs, facta colatura. R. Prædicti decocti
libram unam, sevi hircini unciam unā
& mediam, butyri recentis salis exper
tis unciam unā, thuris drachmas duas,
ovi integri numero unum, olei myrtil
lorum uncias duas, misce fiat clyster,
quem pro posse retineat, sic enim vi- C
cissim modo clysterium abstergēs, mo
do constringens, pro oblata occasione,
parare mandabamus. Sed cū æger gra
viter morbum ferret, & in dies peius
haberet, & dolor in eum sæviret, ad glā
des ex sepo hircino paratas, cūm mas-
sa pilularū de cynoglossa, adiecto uno
vel altero opij grano, aut ad glandes ex
smelle paratas, adiectis prædictis anody
nis medicamentis, prout hodie in fra-
tre Chirurgici operamur, devenimus,
vel ad clysteres ex lacte vaccino confe
ctos, & oleo rosaceo omphacino, cum D
prædictarum pilularum de cynoglossa
drachma media, adjectis quoque gra-
nis duobus vel tribus opij, à quibus
gummi tragacanthum & Arabicum,
veluti sevum hircinum & butyrum
recens, minimè eliminabātur, quibus,
& unguento ex plumbo foris ad anum
applicito, intra octo dies sanus fuit fa-
ctus, optimo semper assuefcens victu,
& acria fugiendo.

SCHOLIA.

*Tinesmus symptoma est, ulcus consequens,
ut in hoc homine visum est, aliquando ve
ro inflammationem recto intestino hærentem
insequitur, & tunc sanguinis missione & fo-
mentis ex decocto radicis altheæ, fœnogreci,
seminis lini, camomillæ, rosarum, branchę ur-
sinę, thapsi barbati, & similium cōfectis, cura
tur. Non minus ac injectionibus levioribus
& linimentis, extrinsecus adhibitis, prout in
flammationis tempora varia, varia postulant:
quandoque vero tinesmus evenit ab humori-
bus biliosis acribus, aut salsa pituita, & tunc
sæpè in ano punctio quædam, ac si ab acu aut
repungente fieret, sentitur, cuius cura est, ab-
stergentibus & refrigerantibus clysmatis eos
deponere: ut ex hordeacea, adiecta cassia re-
cens extracta, & similibus paratis, foris ta-
men anum & illi circunvicina membra un-
guento rosaceo, aut populeone vel huius gene-
ris altero, inungere oportet: quandoque vero
ab stercore, cero intestino impacto, obstructio-
nem faciente, tenesmus oritur, qui tunc clyste-
ribus emollientibus, & lenientibus curari
debet. Sed aliquando à frigore morbus hic ori
ginem trahit, quod vel ob aerem nivosum &
aquilonarem contractum fuit, vel ob moram
supra lapidem plus justo habitam, aut supra
aquam, & tunc tinesmus meraco vino libera-
liter epoto, evanescit, modo tamen inferiora
rutaceo oleo, aut laurino, vel anethino, aut li-
lino, aut lateribus calidis vel quadris, vel or-
biculis, aut similibus calidis fota sint. Porrò
dicitur tinesmos* ἀπὸ τοῦ τείνεσθαι, *quod est co-
nari, quia morbus hic conatus continuos &
cupiditates, desidendi facit, Leonicenus tamen*
τεινεσμὸν *tensionem in Aphorismis vertit, sic
enim Aphorismus 27. libri septimi legitur:
mulieri utero gerenti si tensio supervenerit fa
cit abortum. Cæterum quod in hoc morbo pur
gantia medicamenta per os dari non debeant,
notius est quam á me in hoc loco doceri sit
opus.*

*Curatio nonagesimaquinta, in qua
agitur de febre nocturna miti & len
ta: simulq. de hemitritæo, id est,
semitertiana febre.*

SAlsamentarius qui ad forum habi-
tat, nocturna febre laborabat, & ea

quidem lenta,& miti,ad hecticam dis-
posita: erat autem huic urina crassa &
turbulenta: pulsus vero languidus &
debilis, parum dormiebat, non dolebat
caput, sed non nisi clysteribus injectis
egerebat, vomebat aliquando pituito-
sa raro bili admista, cum quibus omni
bus optimè comedebat. Cęterum elap
sis nonnullis diebus, quibus multa pro
hac propulsanda febre machinati era-
mus, hemitritæus febris comparuit,
quæ ex pituitosa continua, & biliosa
intermittente gignitur, continuo enim
hic febriebat febri quidem pituitosa,
quam tertiana intermittens secuta est,
unde hemitritæus conflata est, tertio
nanque quoque die æger hic duos pa-
tiebatur paroxysmos, alterum tertia-
næ interpellatæ, alterum vero pituito-
sæ continuæ: secundo vero die, unum
tantum paroxysmum, hoc est, pituito-
sæ continuę habebat. Cæterum tertij
cujusque diei paroxysmi horror, non
adeo ingens erat, sed frigus potius ex-
tremas occupans partes, ut pituitam
prævalescere bili dicendum sit, cuius
hemitritęi adventus, formidolosus sa-
nè fuit, quum sua natura lethalis &
mortifer sit morbus. Post cuius appa-
ritionem, à propinato pharmaco pur-
gatorio, ex agarico, & rhabarbaro
composito, hoc decoctum, manè & se-
rò, pondere sex vel septem unciarum
bibebat. Habet autem decoctum sic.
Recip. Radicum apij, fœniculi, petro-
selini vulgò, rusci, ana unciam mediã,
seminis rusci, anisi, fœniculi, ana drach
mas duas, herbarum hyssopi, origani,
pulegij, ana pugillum unum, endiviæ
pugillum medium, hordei integri, pas-
sarum ex Corinthio ana uncias duas,
polipodij quercini recentis unciam
unam & mediam, florum camomillæ,
lupulorum ana unc. mediam. In libris
octo aquæ fiat decocto, quousque ter-
tia pars absumatur, facta colatura, ad-
de mellis rosati colatitij uncias tres,
aceti albi boni uncias duas, misce fiat
potus longus, quem, ut dixi, ebibat: quo
replicata purgatione, & quandoque in
eo decocto semidrachma pulveris rha

E barbari admista, intra mensem sanita-
tem adeptus est, quo in tempore de sto
machi robore semper admodum soli-
citi fuimus, ei sacculos ad scuti formã
redactos & rubro zendalo confectos, &
acu consutos, sive ut aiunt, rubro filo
interseptos, aut interpassatos admoven
do, qui ex ijs vel similibus pulveribus
referti erant. Recip. Pulveris rosarum
siccarum rubearum, absinthij, methæ,
mastichis, macis, nucis moschatę, gario
phyllorum ana drachmas duas, calami
F aromatici, acori, spicę nardi, ana drach
mam unam & mediam, specierum
Galliæ moschatæ Mesue scriptulos
duos, misce, fiat sacculus ut dixi, & vi-
no calido irroratus, ori ventriculi ap-
plicetur, sed & intus rotulum unum
vel alterum aromatici rosati, vel dia-
rhodonis Abbatis, accipiebat, quibus,
ut dixi, intra mensem ex toto sanatus
est.

G

SCHOLIA.

*Hemitritæus hoc est, semitertiana febris
composita ex continua pituitosa & ter-
tiana intermittente est, unde quia continuo
affligit, inter continuas febres reponitur: quia
vero in ea horror comperitur, inter horridas
connumeratur, ut sapientissimè admodum me
minit Galenus, ubi serio & ex proposito, de
ea tractat, libro 2. De differentijs febrium,
cap. 7. & 8. Cæterum, hæc dupliciter fieri
contingit. aut exquisite, aut non exquisite: ex-
quisita dicitur hemitritæus, quando neutra
febrium alteram vincit, sed ambę ęquipolle-
re videntur. Quia humores ex quibus ambæ*
H *ortum habent, æquales potentia sunt, & neu-
ter alterum vincit, & tunc febris ex utraque
conflata, horrorem præ se feret. Est nanque
horror, minor rigore, sed frigore maior &
intensior. Quo circa dimidiam hemitritæi por
tionem utraque illarum febrium, dico pitui-
tosæ continuę & intermittentis tertianę, oc-
cupabit. Non exquisita vero hemitritęus ea
dicitur quando in mistione harum duarum fe-
brium altera alteram exuperat & vincit.
Nam si bilis superat, tunc horridior fit tota
febris, imo rigorem in invasione sibi associat,
confestim vero & fervidior est huiuscemodi
febris, & incendij habet plus, magisq. ad sum
mum festinat, & aliquid bilis per vomitũ, aut
per alvũ, aut per sudores excernitur. Si febris*

pituitosa

pituitosa vero sit præpotentior, tunc frigus vehementius extremas occupat partes, & pauci adsunt horrores, ac pulsus magis & diutius comprimitur, tardiusq. accessio invalescit, ac longum post tempus consistit, non tamen aut sitim, aut magnum adfert incendium, neque in ea, ut in alia, bilis excernitur. Porrò, febris hæc genita ex pituita intra venas putrescente, & bile extra venas tertianam causante, propriè hemitritæus dicta, vel magna semitertiana, ex paroxysmis ipsis dignoscitur. Quia primo die hominem duo paroxysmi invadunt, alter febris biliosæ intermittentis, alter verò pituitosæ continuę. Secundo vero die, pituitosę paroxysmus hominem tantum affligit: tertio vero die, ut primo die, homo duos patitur paroxysmos, & sic vicissim affligit hemitritæus, de qua dixit Galenus lib. 2. De crisibus, eam constare ex biliosa pituitosaq. febre, per se totas confusis, quæ revera propriè semitertiana appellatur, febris ut dixi ex genere continuarum, lethalis, & mortifera syncopim & sæva symptomata inducens: unde intermittens febris, semitertiana appellanda non est. Porro tu optime lector si alias febrium complicationes apud Gal. hemitritæos, sive semitertianas appellari comperies, id scias ipsum licentiori vocabulo facere, & improprie eas sic vocare: ut ex citato loco deprehendere quis poterit, fit autem complicatio biliosæ cum pituitosa, præter iam citatam sic, ex tertiana continua & pituitosa continua, aut ex tertiana continua & pituitosa intermittente, aut ex pituitosa intermittente & tertiana intermittente: quorum paroxysmi quandoque simul coincidunt, quandoque verò separatè affligunt: quas sic complicatas & compositas febres si quis rectè curare proposuerit, simplicium naturam exactè prius teneat necesse est, quum simplices compositarum elementa sunt. Cæterum, hanc, quam nos veram semitertianam apud Galenũ appellari diximus, id est, ex tertiana & pituitosa continua, barbari barbaras scribentes practicas, hemitritæum, aut semitertianam minorem appellant, Galen. verò ex Agathini sententia, eam magnam semitertianam libello de typis vocat, quæ, ut dixi, continuo affligit, & lethalis est. Si verò ex atra bile intra venas putrescente, hoc est, ex continua atra biliaria, & bile extra putrescente, id est, tertiana intermittente, febris oriatur, tunc eam maiorem hemitritęum vocant: mediam vero, quando bilis intra venas, pituita vero extra putrescunt, hoc est, quando biliosæ continuæ & pituitosę amphimerinæ dictæ fit complicatio. Varijs autem modis alijs febrium fit complicatio, quas doctus medicus facilè dignoscet, si

A modò simplices rectè tenuerit. Semitertiana tamen, ut dixi, ex continuarum febrium genere est, gravis & lethalis, quæ Romę maximè invalescit, ut meminit quoq. Gal. lib. de morb. temp. & de ea ut ipse quoque tradit, Agathinus memorię unum integrum dedit volumen. Sed circa ordinem tradendi victum ijs, qui semitertiana laborant scire decet, quòd eo die, quo uno tantum æger affligitur paroxysmo copiosius & liberalius cibandus est: sequenti vero die parcius & subtilius tractandus est, quia natura duabus febribus attenta, afflicta & gravata comperitur. Item per contabitur hic curiosus medicus, si hemitritæus vera sit ex pituita intra venas putrescente, & bile extra venas quoque peccante, quomodo ex illis mistio fieri potest, quia alter humorum intra venas sit, alter verò extra. Nos huic dubio brevi respondemus, febres misceri & confun-

B di paroxysmorum tempore: ut aliter diximus. Quòd eo tempore, quo pituitosa continua suum habet paroxysmum, pituitæ fumi commiscentur bili, & sic obtunditur bilis caliditas, & pituitæ quoque frigiditas retunditur: unde frigoris loco horror in corpore fit, vel vice rigoris horror. Adverte tamen, apud Gal. aliud esse febres misceri, & aliud inter se complicari, quippe hemitritæus ex miscella & temperamento pituitosę continuæ & tertianæ febris oritur, ut libro de morborum temporibus percipitur.

C

Curatio nonagesimasexta, in qua agitur de febre lenta.

EQVITIS aurati puer natus annos decem, medio Maij mense lenta & miti febricula corripi cœpit, cum qua & tussiebat, & de capitis dolore querebatur. Cui occurrentes, eum in hecticam lapsurum prædiximus febrẽ, ni ut deceret brevi curaretur. Erat au-

D tem febris hæc à bile multæ pituitæ mista, ortum trahens: pro qua curanda, optimo victus ordine proposito, illico illi bolum hunc deglutiendum dedimus. Recipe Floris casiæ noviter extractæ drachmas decem, pulverisaniso rum drachmam mediam, cum saccharo q. sufficit: misce, fiat bolus, quem ante

prandium duabus horis deglutiat, quo alvus optimè respondit: tertio verò sequenti die syrupum hunc ebibebat. Recip. Syrupi capillorum Veneris, violacei ana unc. mediam, aquarum farfaræ tussilaginis dictæ, capillorum Veneris, violarum, ana unc. unam, misce, fiat syrupus, quem jejuno stomacho in aurora bibebat, & quinquies repetivit, in quo tempore lotium melius quàm antea apparuit, imò puer ipse de se optimam præstabat spem: qua de re pharmacum hoc illi propinavimus. Recipe Capillorum Veneris, florum borraginis, violarum, ana pugillum unum, radicum buglossi, seminis melonis mundi, ana unc. mediam, prunorum damascenorum numero sex, jujubarum, sebesten ana numero decem, seminis anisi drach. mediam, in aqua fiat decoctio ad uncias quinque, cui percolato, decocto, adde rhabarbari optimi pisti, drac. unam & mediam, agarici noviter præparati drachmam mediam, spicæ celticæ scriptulum unum, per noctem sic in fusa maneant, in aurora verò facta colatura & expressione, adde mannæ electæ uncias duas, misce, & bibendum præbe, quo optimè egessit: tunc verò sequentibus diebus, in quibus lenibus clysteribus alvus respondebat, sequẽti hoc unguento jecur, renes, & dorsi spina, ac cordis regio, illi inungebantur, & ita habet. Recip. unguenti rosati un. duas, santalini unc. unam, succi endiviæ unc. unam & mediam, olei rosati, ceræ, ana quantum sufficit, misce, fiat unguentũ, & ut dixi, citata membra tangebantur: quo tempore in aurora scutulum juris optimæ gallinæ, vel capi, sacchari pauxillo adjecto, bibebat, & demum hoc optimo successu, & restaurante sæpè comesso, convaluit, habet autem restaurans sic. Recip. Carnis caponis unc. sex, seminis quatuor frigidorum mundatorum ana unc. unam, sebesten, pistatiorum ana unc. unam & mediam, passularum lotarum cum aqua calida uncias duas, sacchari buglossati, borraginati ana uncias duas & mediam, specierum diarhodonis Abbatis, aromatici rosati

E ana drachmam unam, sacchari candis penidiarum ana unciam unam, sacchari tabarzet, id est, albissimi, libram unã & mediam, ad ignem, ut decet, misce, fiat conditum in morsulis, vel electuarij forma: perduravit autem universa cura, quinque supra viginti dies.

F *Curatio nonagesimaseptima, in qua agitur de selectis quibusdam remedijs, contra lumbricos & vermes.*

NVrsinus, qui publicè per universam Italiam contra vermes, pulveres venales clamabat, ita potentes & efficaces erant, ut omnibus admirationi

G essent. Vexari autem Itali solent magis vermium lancinatione, quàm Hispani universi, biliosi nanque exusti Hispani omnes sumus, Itali verò pituita magis abundant, & eo magis, quia herbis frequentissimè vescuntur, ut eas etiam in hyeme, sicuti in æstate pro oxyporo, in prandio & cœna continuò habeant, quod unum advertens ipse, vel continuò febricitantibus cùm medicor, semper aliquid vim contra vermes habẽs, inter medicamenta miscere soleo. Horum igitur pulverum eximias dotes considerans, gratum mihi facere posteritati visum est, si eorum descriptionem, ac veram componendi rationem in præsenti subsignavero. Pulve-

H res contra vermes, & lumbricos. Recipe Corallinæ, seminis sanctonici, ana uncias duas, dictamni albi, bistortæ, tormentillæ, ana unciam unam, omnia in pulverem redigantur, & aceto acerrimo irrorentur, ac ad umbram quousque sicci fiant, tractentur, quorum pondus à drachma media ad tres usque, pro virium & morbi magnitudine signatur, aliquãdo in vino, quãdoq. verò, aqua graminis vel portulacæ,

jurève alicuius carnis. Porrò Veneti A medici, viri me hercle doctissimi & sapientissimi, pro interficiendis vermibus, & ipsis abigendis, hoc utuntur condito. Recip. Seminis Macedonici, seminis sancti, ana drachmas tres, corticum granatorũ, cornu cervi usti, ana drachmas duas, dictamni albi, rhabarbari electi, gariophyllorum, ana drachmam unam, cinnamomi drachmas octo, croci drachmam unam, misce, & fiat pulvis, & cum libris tribus sacchari ad ignem fiant rotuli, novisti autem tu medice, singulis sex drachmis pulveris, sacchari alteram libram ponendam esse, quanquam nos, non exactè, ut vides, ordinem servamus hunc, datur autem rotulus unus vel alter, drachmam vel plus ponderans, pro medici judicio.

Curatio nonagesimaoctava, in qua agitur de symptomatis evenientibus, ante primam mensium eruptionem.

Filia Samuelis Segnioris, nata annos quindecim, cum nondum menses vidisset, in febrem incidit: cum qua nõ solum caput, & crura, sed universum corpus dolere se dicebat, imò magnum pondus in corpore persentire inculcabat, sitiebat, & tota rubicunda erat, & ad ventrem imum lancinationes & dolores sentiebat. Quæ omnia (ipse considerans) ob menses maturos non prodeuntes, evenisse detrahendi, & ea de causa pedis venam saphenam dictam incidere feci, & ex ea sanguinis uncias quinque fluere, neque minus syrupum hunc mane & vesperi ebibere. Recip. Syrupi cap. Veneris unc. ij. aquæ alkakengi, capillorum veneris uncias duas, misce, fiat syrupus, quem ut dixi in aurora ebibebat, & vesperi ante cœnam duas horas iteret, sed & coxis cucurbitas magnas multa flamma ignitas affigi curavimus. Cæterum, sexto die morbi potum hunc purgatorium ebibit, & ita habet. Recip. Syrupi de linozostide, id est, mercuriali unc. quatuor, diabenedictæ drach. tres, electuarij rosati Mesuæ drach. duas, cum tribus uncijs decoctionis capillorum Veneris: misce, fiat potus, quem in aurora bibat, & desuper per horam dormiat, quo nonnulla egessit, & dolores aliquantulum cessarunt: porrò duobus interjectis diebus, cucurbitæ iterum coxis applicitæ sunt, & subtus suffumigium adaptatum, ex ijs compositum rebus. Accipe ciperi, costi optimi, croci, myrrhæ, cinnamo- B mi, savinæ, cujusque partes æquales, cũ terebenthina optima, formentur trochisci: quorum duos vel tres super prunas injectos, optimè ipsa cooperta, ac pannis circundata, suffumigium in sede perforata recipiebat, quo remedio tandem menses apparuere, pauci tamẽ, post quos puella bene habere cœpit, tandem intra viginti dies integram sanitatem adepta est.

SCHOLIA.

C *Qvum in hanc puellam curandam inciderem, illico in mentem revoco Hippocratem medicorum primum parentem, libro de superfœtatione prope finem, ubi præcipuè incipit, si virgini menses maturi non prodeant, &c. Ubi graphicè morbum hunc describit, & curat, veluti libro de virginũ morbis, & alijs varijs libris de natura muliebri, & morbis muliebribus.*

D *Curatio nonagesimanona, in qua agitur de febre diaria, ephemera dicta, ab æstu solis ingenti contracta.*

Magnificus & generosus Marcellinus, quum extra urbem Anconitanam, longam sub sole traheret moram, in febrem cum capitis non admodum gravi dolore incidit, ad quem invisendum cum pervenissem, eum ephemeram, diariam dictam febrem,

pati deprehendi, ijs præcipuis indicijs. E Primò, quia absque rigore, horrore, frigore, & membrorum concussione, febrire cœpit. Secundo tactu, quia febrilis calor mitis erat, halituosus, absque mordicatione & punctura. Tertio ex lotio, quòd à naturali parum differebat, & in eo pendens nebula, & coctionis signa vera apparebant. Quarto, ex arteriarum percussu: nam pulsus magnitudo stabat, non multum tamen ab ea, qua sanitatis tempore fungebatur, distans. Sed diastole, id est, deductio, sive inspiratio, sistole, hoc est, compresione, spiratione dicta, major multo erat: nempe quia aeris multitudine natura ad caloris refrigerationem magis indigebat, quam fumorum fuliginosorum expulsione: indicium maximum quod in corpore nulla erat putredinis infectio. Nam in putridis febribus spiratio inspiratione major est. Demùm hanc febrem ephemeram esse, symptomata levia, & à malignitate aliena confirmarunt, cùm æqualitatem & symmetriã, quam secundum naturam membra obtinent, parum exciderunt. Sed præter hæc Avicenna suadet, ut si medicus dignoscere cupit, homo ephemera correptus, vel non, eum febrientem in balneum intrare jubeat, nam si ephemera correptus fuerit, nullus horror, aut membrorum concusio illi superveniet, cõtrario verò illi qui putridam patitur, omnia evenient. Vt igitur nobilis vir hic à diaria hac febre liber esset, neque in putridam laberetur, eius caput multo oleo rosaceo, aqua rosacea, & pauco aceto rosaceo simul mistis, perfundi fecimus, & id quidẽ sæpè eo die, quo lactucam coctam oxeleo, & salis mica respersam comedit, in potu verò frigidam juleb violaceo mistam ebibit: sequenti verò die cùm febris inclinaret, ad balneum ex rosis, vitis folijs, violis, lactucis, nimphea, & similibus confectum eum duximus, quo maximè delectari se dixit, & tandem sanus evasit.

(.·.)

SCHOLIA.

Tria sunt, ex quibus humanum corpus cõstituitur, & in quibus calor præter naturam succenditur, nempe spiritus, humores, & solida membra, quæ tria ab Hippoc. dicuntur, continentia, contenta, & impetum facientia. Nam cum calor in impetum facientibus, hoc est, spiritibus succenditur, qui vento calido, utri incluso similatur, diara fit febris, sic dicta, quòd unum tantummodo diem duret, quatuor & viginti horarum. Nam Arist. lib. 4. de Historijs animalium, cap 19. bestiolas quasdam apud Hipanim fluvium, qui ab Europæ parte in Pontum influit, nascentes meminit, unumq. tantùm diem viventes, ac ideo ephemeras vo- F *catas tradit. Proinde quibus spiritus vel sanguis supercalfiunt tantum, ijs ephemera supervenit febris, intra quatuor & viginti horas omnino desinens, modò error non interveniat. Dixi porrò, spiritus, vel sanguis, quia ita se habet spiritus ad se sanguinem, sicut scintilla ad ignem. Cæterum, diariæ multæ particulares differentiæ apparent, una cuius jam prorsus abijt effectrix causa, ut ustio, intolerabile frigus, violentæ & repentinæ ac inconsuetæ alterationes, maximi labores, & intolerabiles lassitudines furor, timor, angustia quibus adde* G *dolorem, diuturnam vigiliam, famem, sitim, & frequentem coitum: altera verò, cuius causa præsens adest, ut obstructio, quæ quandoque ex abundantia, quandoque verò ex humorum lentore, crassitieque fit. Cui adde, repletionem, crapulam, ebrietatem, cibos calidos, cibos pituitosos, tenaces, crassos, & coctioni pertinaces, vulnera, ulcera, & scabiem, vel pruritũ, á quibus diecularum harum febricularum curationis ordo desumitur, prout ab una vel altera causa evenire solent, de quibus, quum occasio se dederit differemus.*

H

Curatio centesima, in qua agitur de tuberculo antiquo vulgò natta dicto altam frontis partem occupante, extracto, & sola aqua frigida curato.

REverendus Thomas monachus, ordinis prædicatorij, vir crassus & bene

A bene rubicundus, tumorem antiquum in frontis alta parte habebat, magnitudine nucis tactu mollem, indolentemque. Cæterùm monachus hic cum tumore sibi ac naturalem haberet, quem fortè medicorum consilio, extrahi timebat, ecce fortè fortuna; nursinus quidam convenit, ex ijs præcipuè qui dex-
B trè ramices & rupturas, & ex vesica lapillos per sectionem extrahere solet, qui cum tuberculum hominē fœdans, contemplaretur, eum ad curationem hortatur, promittens se illum intra octo dies curaturum. Monachus verò cupiens eam turpitudinem fugere, ho-
C mini paruit, & eo magis quia Prioris officio tunc fungebatur & sæpè extra domum cucullam deponebat, qua deposita tuberculum eminens apparebat, ipsum omnino fœdans. Cùm igitur homini sese concredit, & illi quidem chyrurgo, chyrurgus curationem
D aggrediens, super tumorem scissuram secundum crucem facit, ac unguibus suo cum foliculo integrum extrahere proponens, eum disrumpit, ex quo sanies aquosa quædam, viridis exivit, qua deposita, & foliculo extracto, sola aqua frigida, à splenijs quibusdam madefactis, & desuper admotis, intra octo dies, ita liber & sanus fuit, ac si nihil prorsus inibi habuisset, bis autem in die aqua illa ulcus curabatur.

SCHOLIA.

TVmor hic ex genere eorum est, quos Avicēna nodos vocat, Haliabas verò selaas, qui iuxta varia in eis cōtenta, varia nomina sortiūtur Si enim velut adeps sit quod continetur στεάτωμα Grȩcis, Romanis verò nodus adipinus vocatur, si veluti mel, μελικηρὶς, Romanis meliceris & melleus nodus si veluti pulticula, ἀθήρωμα Romanis quoque atheroma, dicitur. Sed prȩter hos timores varia alia apostemata & tubercula comperiūtur, in quibus res aliȩ inveniūtur ut cœnū, trombus, mucus, ossa, ungues, pili, lapilli, lapides, arena, ostraca, ligna, cinis, carbones, & ut urina liquor, qui in tumore reverendi huius monachi inventus est, viri discoloris, odoris ingrati. Cȩterū tumores ij ad Avicenna nodos quos dubeletos pituitosos definit, referendi sunt, de quibus peramplè Galenus loquitur libro quartodecimo Methodi medendi; quem interea lector locum vide. Nam nos huic tertiæ Centuriæ finem imponimus. Sexto Non. Iulij more Romano annǫ 1552.

FINIS CENTVRIÆ TERTIÆ.

AMATI

AMATI LVSITANI MEDICI PRAESTANTISSIMI CVRATIONVM MEDICINALIVM, CENTVRIA QVARTA.

Curatio prima, in qua agitur de inflammatione iecinoris, cum tussi, & sanguinis screatu, alijsque symptomatis.

ILIVS Berosij Doctoris magnifici, annos natus duodecim, studio cum deditus sit, totus scabiosus est, nunc verò illi febris continua quædam supervenit, pro qua levanda, sanguinis unciæ quinque, (cubiti secta vena) extractæ sunt, & uno vel altero interiecto die, pharmacum illi ex rhabarbari infuso, cum casiæ Ægypciacæ flore propinatum. Cæterùm post ebibitum pharmacum, & convenientem factam evacuationem, uno vel altero interposito die, tussis ingens huic cum sanguinis screatu, & iecinoris dolore supervenit. Nam quando tussiebat, dolor ad iecur respondebat, cum quibus febricitabat, & urinam albam, & aquosam meiebat, quæ omnia inflammationem iecinoris gibbas partes comprehendentem præcipuè attestabantur. Diximus autẽ aliàs, iecinoris gibbas partes, cum thorace cõmuniõnẽ habere, veluti concavam E cum stomacho & intestinis. Hunc igitur ita malè affectum conspiciens, illico post alvi excrementa per clysterem deposita, sanguinem ex ea vena, quæ inter digitos anularem & minimum repit extrahere feci, pondere unciarum quinque, & syrupum hunc illi obtulimus, qui habet. R. Syrupi de cicorea simplici unciam unam & mediam aquarum endiuiæ, cicoreæ ana unc. F unam & mediam, misce, & bibat. Item iecori hoc applicitum fuit emplastrum. R. Farinæ hordei unc. tres, santalorum rubeorum unc. duas, rosarum rubearum unciam unam, olei rosati unc. tres, cum decocto endiviæ & cicoreæ misce, fiat emplastrum & iecori tepidum applicetur, & bis in die innovetur. G Victus huic ptisana tantum erat semine melonis apparata, vel amygdalatum optimè concinnatum: potus verò aqua hordei. A sanguinis missione hic melius habuit, & post quatuor dies à febri immunis videbatur. Sed pedes H illi tumuere, cum quibus lotium album adhuc excernebatur, quibus de causis syrupum hunc prædicti vice illi dedimus,

dedimus, & emplastrum quoque mutavimus, habet autem syrupus sic. R. Syrupi de cicorea cum rhabarbaro unciam unam, de duabus radicibus unciam mediam, aquarum cicoreæ, endiviæ, buglossæ ana unciam unam. Misce & tepidum bibat. Emplastrum vero admotum primi vice sic descriptum habet. R. Farinæ hordei unc. duas, rosarum, absinthij ana unc. unam, lupinorum unc. mediam, camomillæ unc. unam & mediam, cum decocto cicoreæ & absinthij & camomillæ, fiat emplastrum, adiectis unc. duabus olei absinthini, & altera rosacei, ijs autem pertriduum perseveravit, in quibus urina aliquantulum rubricare cœpit, & tunc perscriptio syrupo, rhabarbari & agarici optimi noviter in pastam redacti, utriusque scriptulos duos adiecimus, & concinnè paratum pharmacum bibendum dedimus, quod parum retinuit, imò id vomuit, sed eo ut cunque egessit, & qualia purgari opus erāt purgata sunt. Sed sequenti die, pedes & crura magis intumuerunt, imò mentula, & testes inflati tunc comparuerunt: de qua re anxij, hinc inde causam scrutabamur. Cæterùm omnia hæc symptomata ex aquæ frigidæ multo potu, quam illi Æthiopissa quædam clam dabat, evenisse assequuti sumus; qua abnegata, brevi sanitatē obtinuit. Porrò post pharmacum prædictum, huic puero pullum in prandio communis petroselini radicibus coctum concedebamus, in cœna vero assum, sed in aurora, ieiuno stomacho confectionis diarhodonis Abbatis, rotulum unum vel alterum gustabat, ac, ut dixi, intra quatuordecim dies, pancraticè habuit.

SCHOLIA.

PErcurrit Ætius, ex Galeno, sermone decimo suæ medicinę cap. 3. iecinoris inflammati exactè notas, & eius curationem, apud quem optimus medicus curiosè legere poterit, nos verò ea tantum signa & symptomata, quæ in nostra egrotante notavimus, & percepimus, signavimus, remediaque, quibus ipsum sanum reddimus, memoriæ mandavimus. Cæterùm suadet Gal. lib. 7. Methodi medendi, cap. 13. quod ex ventriculo, & iecinore vitiatis, non temere evacuemus, sed cum cautione id agamus, ne quid virtuti officiamus, quā de re lib. 13. prædicti voluminis, capite 20. repudiata aloe, in hoc casu alvum ducere, mercuriali, aut urtica, aut cartamo, aut aliquo talium iubet. Item suadet idem, imò in universa sua doctrina inculcat, quod iecinoris concava pars semper purgari debet per intestina, gibba vero per renes, & urinæ vias, pro quo axiomatè intelligendo, advertendum duximus, quod ut eius prima pars vera est, videlicet, pars concava iecinoris per intestina expurgari debet semper, ita altera non semper veritatem habet. Iecinoris gibba pars per urinā evacuari debet: quia quando iecinoris gibbosa pars, quæ cum vena cavā commercium habet, multo & vitioso humore referta fuerit, tunc per intestina inanitio fieri debet: si vero mediocri, per urinarios meatus. Ita autem Gal. ipse hæc à nobis intelligenda fore lib. 7. citati voluminis, prope finem voluit, inquiens. A figura vero indicatio ipsius modi vacuandi excrementi suggeritur, ad hunc modum, ventriculus vomitu deiectioneque inanitur, intestina deiectione tantum, sicuti etiam iecinoris cava. Renes verò & vesica ac iecinoris gibba, si multo vitioso humore sunt referta, per deiectiones & pharmacā deiectoria (catoterica Græci vocant) expurgantur, sin mediocri per urinales meatus. Hęc Gal. per quæ dicta lucida satis evadunt. Porrò quum imflammatio iecinoris gibbas parteis occupabat, puer hic utcunq; egerebat excrementa quidem biliosa. Sed urinam albam & percolatam meiebat, quæ omnia quum hæc scribo, contraria in huius fratre puero quinque annorum, noto: cui iecur dolet: & ictericus fieri incipit, & quæ comedit evomit, & si ea retinet in ventriculo corrumpuntur, ex quibus ructus fumosi æstuosique caliditatem extraneam arguentes consurgunt; & oboriuntur, illi urina crocea ad nigredinem tendens cernitur. Sed alvus sua sponte non respondet, sed balano, aut clismo irritata; quæ omnia concavas ipsius iecinioris partes, affectas esse attestantur. Nam bilis portio quæ ad intestina derivari solebat, ad gibbas regurgitabat, & inde per urinam pars excernebatur, unde stercus album evadebat, & à bile tinctum non videbatur, de qua re cum februarij curationes, attigerimus 1553. multa dicemus, æger verò, de quo agimus, Aug. mense ægrotavit 1552. Cęterùm ijs iecinorosis, ut mulsa & dulcia varia, inimica sunt; quia brevi

brevi in bilem abeunt, ut meminit Gal. li. 11. E *Methodi medendi, cap. 19. ita quæ astringunt multum, ut malum punicum, & malum codoneum, huic præcipuè qui phlegmonem aut obstructionem in cavo visceris habet, maximè nocent, ut idem docuit Gal. lib. 13. Methodi medendi cap. 14. Porrò tradit Gal. citato lib. cap. 13. si iecur phlegmone infestatur, exquisitissimo victu est opus, & sequenti capite ijs sic affectis, ex cibis ptisanam concedit, vt quę sine morsu deterget, ex pharmacis vero, oxymel aqua mistum, qua de causa nos, ut vidistis, dicto ordine puerum hunc gubernavimus. Sed advertendum duximus, quod Gal. lib. 10. Methodi medendi, capite 5. in quo ordinem, quo ęgrotantes nutriendi sunt, prosequitur, inquit. Vnaque salus pleuriticis, tum* F *peripneumonicis, adde etiam synanchicis, id est, qui angina laborant, est ipsum virium robur, non secus vero & quibus vel iecur, vel ventriculum phlegmone obsidet. Namquod ad phlegmonem, quæ in ijs est partibus spectat, minimè planè est cibãdum quoad virium infirmitatem utique sapè. Ita necessario aut vires resolventur aut phlegmone augebitur. Quibus in verbis suadet Galenus, quando phlegmone prædicta obsidet membra, & æger viribus constans est, tunc morbus vincitur, quia ęger ipse absque pleniori victu naturam* G *impediente, perdurare potest, unde natura tota circa morbum intẽta eum facilè vincit, & æger liberatur, rectè igitur ijs sic affectis robur virium unicam salutem proditum est. Nã si cum prædictis affectionibus vires imbeciles esse contingat, ægri maiori ex parte succũbunt, & moriuntur, quia cum imbecilles sint, cibo refici postulant, ad quem conficiendum natura divertitur, & inde morbus tanquam author absque reo, veluti solus litigans brevi vincit, & ęgrum in perniciem trahit. Porrò tametsi Gal. promiscuè citato loco de phlegmone varias partes corporis occupante loquatur 11. tamen lib. prædicti vol. cap. 17. in quo eos, qui cataplasmatis relaxantibus, &* H *balneo antè universalem corporis purgationem utuntur, redarguit, suadet tenuiori victu cibandos esse eos, qui iecinoris & ventriculi phlegmone laborãt, quàm qui pectoris inflammationibus, & vitijs cruciantur, ita enim citato loco ait. Neque enim sicut in iecinore & ventriculo, ita hic quoque hoc est ne ipsis phlegmone, tenuissimo victu est utendum, in illis nanque alimentum concoquitur, metusq; est, ne ipsis phlegmone laborantibus, neque nutrimentm ritè concoquatur, & phlegmone augeatur, in pectus verò tantum alimenti iam concocti pervenit, quantum uni ipsi particulæ nutriendę satisfaciat.*

Curatio secunda, in qua agitur de febre continua, cum symptomatis gravibus.

DAniel Coductus vir sexaginta natus annos, optima temperatura, & compositione præditus, quum varijs negotijs & curis implicitus esset, de renum dolore conqueri cœpit, caput parum dolebat, sed non sitiebat, neque febrem se pati percipiebat, secundo die bolum sequentem deglutivit, qui habet. R. Pulpæ à casia noviter extractæ unc. unam, diasebesten drac. tres, misce & sacharo excipiantur, & fiat bolus, quem duas horas ante cibum capiat, quo alvus optimè respondit. Vesperi vero per universũ eius corpus calor intẽsus percipiebatur, quẽ & ipse sentiebat, maximo cum colli & capitis dextræ partis dolore, tunc in nocte clyster hic iniectus est illi. Reci. Aquæ hordei libram unam & mediam, olei rosati, violacei ana uncias duas, casiæ extractæ unciam unam, vitelli ovi numero unum, sacchari rubri unc. unam, salis drachmam unam, misce fiat clyster, quo multa quoque evacuata sunt, tunc in aurora renum dolor levatus fuit, & capitis dolor oxyrhodino applicito evanuit. Sed lingua cisa, & arida tunc apparuit, quæ sæpè canna curva abstergebatur, & psilij semine humectabatur, sed febris tunc iam intensa palam apparebat, ac ideo sanguinis missio per venæ basilicæ sectionem, in brachij curvatura, ad unc. septem facta fuit, à qua illico syrupum hunc ebibit. R. Syrupi de succo acetosæ, de endivia, de buglossa ana unciam mediam, aquarum lactucæ, endiviæ, acetosæ, buglossæ ana unciam unam. Misce fiat syrupus, & cum albo ovi clarificetur, & pauculo pulvere santalorum citrinorum aromatizetur, & frigidum bibat instante canicula, in qua

qua syrupos frigidos febrientibus con A cedimus, quemadmodum Galenus suas solebat potiones febricitãtibus, & languentibus impartiri. Quarto verò & quinto die sic satis æger habebat, sexto pharmacum hoc ebibit. R. Foliorum endiviæ, lactucæ, cicoreæ ana pugillum medium, florum borraginis, buglossi; violarum ana drachmas duas, seminis acetosæ, lactucæ ana drachmam unam & mediam, tamarindorum unciam mediã, prunorum pinguium numero decem, omnia in libra una aquæ fontis ad ignem fiat B decoctio sufficiens, & coletur, tunc. R. Prædicti decocti uncias quinque, quibus adde mannæ electæ & pinguis uncias duas, rhabarbari optimi drachmam unam & mediam, diacatholiconis drach. tres, diaphiniconis drachmam unam, pulveris nostri contra vermes scriptulum unum, misce, & fiat haustus, quem in aurora bibat, & desuper per horam vnam, vel alteram dormiat, hoc verò multa per superiora & inferiora purgavit. Septimo sanguinis unciæ duæ ferè per nares illi effluxere, in fine cuius diei optimè æger C sudavit, sed non ut eo febris levata fuerit, quinimo ut antea gravis & aspera relicta est, quam ægrotus hic graviter ferebat, imo sequentem noctem absq; somno cum aliquali delirio transegit, qua de causa, ano hirundines duo admotæ sunt, & scapulis fixæ cucurbitulę siccæ, in aurora verò ab ingesto saccharo rosaceo, & desuper ebibita aqua hordei, iterum in sudorem devenit, & cum quidem priori copiosiorem, à D quo neq; febris quoque imminuta fuit, sed in idem perseverabat, cum quibus virtus constabat, & in urina hypostasis apparebat. Decimo ex se sexies egessit biliosa omnia, liquida, fœtida, putrida, tunc pulsus facti sunt parvi & frequentes, ut homo tunc vita periclitaretur. Sed vesperi facies reddita est bona, & pulsus bonus, & appetitus bonus. Vndecimo urina subalbida apparuit, & nocte antea non dormiverat, imò deliraverat, & bis sua sponte egesserat, tunc in gutture ulcera conspecta sunt, à quibus delirium ortum trahebat. Cæterùm cùm remedijs necessarijs, & sæpè à nobis inculcatis, contra ea uteremus, brevi sanitati restituta fuere, & æger ex toto liber, diversionibus tamen & frictionibus, pro eo iuvando, nostris monitis asśistentes utebantur. Aer frigidus & humidus arte redditus erat, in quo ægrotus hic vigebat, talis qualis à Gal. 10. Methodi med. lib. cap. 8. desideratur, quem quivis medicus parare novit, præcipuè aquæ putealis frigidiśsimæ irrigationibus, & ex ea paratis fonticulis ex alto currentibus, multis fruticibus, & arborum frigidarum ramis consitis, tum aquæ rosaceæ, & aceti rosacei irrorationibus veluti multis alijs similibus. Cibus huic ptisana, vel amygdalatum, aut lactucæ cauliculi saccharo confecti, aut pruna Damascena, aut cerasa acria saccharo incrustata, aut per se ad solem exiccata, prioribus diebus fuerunt. Postea verò ius pulli lactuca vel endivia, aut acetosa, vel agresta, alteratum, ex eo parata panatella, dein ex pullo paratum contusum ptisanæ mistum, cui semina frigida, & quandoque albi papaveris, ad somnum conciliandum iniiciebatur, demùm carnes ipsæ pullorum in cibi usum illi venerunt, potus hordeacea, cum iulebo violaceo, aut granatorum vino, per totum morbi decursum fuit, à vino verò meis monitis semper abstinuit, neque eo nisi post morbi universalem declinationem usus est. Cæterùm, omnia particularia percurrere, ut lectori tædiosum, ita ea tantùm, quæ nobis satis esse videntur, literis mandamus.

Curatio tertia, in qua agitur de quodam qui frequenter sternuit.

CArolus Vccilinus, iuvenis Florentinus, annos natus viginti, ita frequentibus

E quentibus & assiduis sternutamentis per intervalla dedecoratur, ut non solùm ab ipsis sternutamentis graviter molestetur, sed etiam ob ea hominum frequentiam fugiat. Is igitur tantum malum à se reijcere cupiens ad me venit, qui tunc ita multum coram me sternuit, ut morbi sui rationem reddere, etiam si tunc posset, non esset opus. Ego igitur tantum malum, ac vitium, iuvenem dedecorans quum considero, remedium aliquod, quo liber evadat, animo rimor. Sed quum hoc inquiro, F ecce se mihi offert celebratissima, sed brevis Hippocratis sententia, aphorismi quinquagesimi secundi, libri septimi Aphorismorum, ubi inquit, sternutamentum fit ex capite, cerebro calefacto, aut humectata capitis parte inani. Aer enim intus contentus extra erumpit, sonat autem, quoniam per angustum ipsi est exitus. Hippocrates ijs verbis, ut Galenus in enarratione notat, G de eo solo sternutamento agit, cuius generis principium est, naturæ motus spiritum flatuosum ex capite excernere appetentis, & eius duas causas assignat, calorem nimirum & humorem. Calor, autem humorem rarefacit, & in status convertit, quod subinde natura per sternutamentum expellit. Nam humor præter se solus in capite contentus sufficiens non est sternutamentum efficere, ut Galenus sapientissimè notat. Calor igitur dissolvens, & in humorem agens, ac ipsum in flatus vertens sternutamentum facit, ut huic evenit iuveni, natura bilioso, sanguinem crassum admodum habenti, H cuius vapores calidi ad caput delati sternutamenta gignunt, à quibus tandem infestatur, angustiatur & perturbatur iuvenis hic, quem ut ab hoc morbo liberaremus, ex iecoraria vena brachij dextri, sanguinis uncias sex extrahere fecimus, ac epotis quinque refrigerantibus, & sanguinem alterantibus syrupis, leve quodam pharmacum illi propinavimus, à quo sequenti die, capite raso, illi emplastrum hoc admovere faciebamus. Recip. Medullæ interioris cucurbitæ pistæ uncias tres, farinæ ordei uncias quatuor, portulacæ pugillũ unum, ova integra, numero duo, cum oleo rosaceo, & de salice, pauco adiecto aceto: in mortario misce, & fiat emplastrum. Item per nares oleũ hoc attrahebatur. Recip. Olei rosarum, de cucurbita, de nimphæa, ana unciã mediam. Misce, & ex manu naribus attrahat æger, aut per eas injiciantur, quibus & caput emplastri vice illinire optimũ est. Sed interea, dũ hæc fiebãt, æger ex nimphææ floribus saccharum paratum conditum, cõservam dictam, singulis diebus, singulas uncias jejuno stomacho comedebat, ac optimo victu proposito, sanus intra quindecim dies evasit.

SCHOLIA.

MEMINIT Aristot. problemate 46. libri 20. quod cùm quis paratus ad sternutationem, oculum fricuerit, sternutamentũ in totum levabit, aut saltem minuet, quia flatus in sternutamentum venturus, frictione illa, aut difflatur, aut ad oculum divertitur. Aetius verò cap. ult. libri sexti, docet, si ab utraque nasi parte juxta magnos oculorum angulos venas sitas digitis compresseris, sternutationẽ sedabis. Itẽ scire decet, quód qui coitui sunt dediti, & ab eo per dies aliquot abstinuere, & mulierẽ pulchrã contẽplãtur, aut vident, brevi in sternutamenta labãtur: sed sternutamẽta hæc coitus facilè solvit: hoc enim cõsilio præmunitus quidã, qui ad principẽ simul cũ uxore stãtẽ, accedebat, & sæpè frequẽti, sternutamento dedecorabatur, liber evadebat. Paulus Aegineta lib. 3. suæ medicinæ, cap. 24. ubi sternutamentum frequentius est, inquit, medicamento sedari debet: infunditur nardinum, vel rosaceũ, vel glycelæum: jamq. odorem movent, sternutamenta sedãt, anisum, ocimum, stipulæ contusa: sed ante hæc omnia, caput desiccandum est smegmatis ex nitro, & pumice factis, vel etiam asclepio vocato utendum: & Constantini sapone, & sale Cappadocico, & similibus. Aetius verò libri 6. cap. ultimo, eadem ferè dixit, quibus & plura alia addidit, sed uterque ocymũ redundantes sternutationes sedare fatetur, quibus ex directo Dioscorides lib. 2. De medica materia, cap. 129. contrariatur, cum dicat. Ocymum olfactu per nares attractum, copiosa excitat sternutamenta: potest idem, & ocymi herba, hæc ille,

ille, quæ ex directo Paulo, & Aetio contrariantur. Auicenna verò hæc animadvertens secundo Canonis sui libro cap. De Bedarungi, id est, ocimo, inquit, Ocimum suo odore sternutationes movet, proinde si sternutamenta à calore aut repungente evenerint, ocimum fugere decet. Cęterum, si sternutamenta, à re obstruente originem traxerint, tunc vt medicamento subtiliante, & incidente, ac arctâ & obstructa aperiente, uti expedientissimũ erit. Cæterùm ab obstructione sternutamenta irritari posse, verè prodit Avicenna, & eius sequaces, præter quas citatas causas, sternutamenta varijs alijs concitari novimus, ut si quis pinis & festucis nares infestaverit, quoniam ex illis narium musculi ad concusionem & expulsionem stimulantur, item quando cum tussi spiritus deorsum veniens ad naris meatus pertingit, sternutamentum incitatus, id quod fortiter tussientibus quotidie evenire percipimus, non minus, quæ cerebrum plus iusto pungunt, vel calfaciunt, vel quomodolibet irritant, sternutamenta provocant, vt radij solares, piper, sinapis, euphorbium, castoreum, & similia. Porrò Isach Israelita, ne ab hac chorea eliminetur, succum ocimi à proprietate sternutamenta sedare scriptis mandavit, est autem Isach hic idem author, qui mutato nomine Aliabas dicitur, ut ex operibus constat.

Curatio quarta, in qua agitur de alopecia: hodie verò & indubitato morbi Galli ci signo.

Mulier nobilis, quæ ad mare habitat, pulchra si qua altera, ingenti febre correpta est; quam per integrum diem passa fuit, sequenti die rau ca facta, syrupum ex capillo Veneris, & glycirrhiza ebibit, tertio febris desijt; sed paucis alijs interiectis diebus, alopecia, hoc est, capillorum defluxio, vera & indubitata ad morbum Gallicum via, laborare cœpit, demùm ut morbo Gallico affecta, curata fuit, & ad sanitatem integram reducta. Cæterùm, tametsi Galenus libro 11. De simpl. med. facultatibus, cap. de pinguedine & adipe, dicat verè esse proditum, ursinum adipem alopecias curare, quo tamen probatiora medicamēta ipse habebat, nos huic ursorum adipi, multum pro hoc curando vitio, & pilis gignendis tribuimus, experti enim sumus, inter præcipua huic rei facientia remedia, adipem hunc primatum habere.

Curatio quinta, in qua agitur de febre continua.

IAcobus Benivinisti, mercator Aulonensis, iuvenis, vigintiquinque annorum, temperatura sanguineus, hoc eodem tempore quum febre continua corriperetur, & lotium crassum & rubrum emitteret, illico illi interna cubiti secta fuit vena, & sanguinis unciæ octo extractæ, in nocte non dormivit, sed multa biliosa vomuit, in aurora verò sequentis diei, ad eum reversus, & febrientem ipsum inveni, & ut primo gravatum, tunc pulsus magnus illi erat; & capitis costarum gravedo, quibus indicijs, iterum totidem sanguinis uncias fluere feci, à qua sanguinis missione, biliosa vomuit, multa croceа, & amara, post quæ multum sudavit, & à febri immunis mansit: quarto vero, post syruporũ alterantiũ ebibitionem & concoctionem in lotio apparentem, & febris ferè ex toto expulsionem, pharmacum hoc propinavimus, & pancraticè habuit; pharmacum ita habet, R. Mannæ electæ unc. unam & mediam, syrupi rosati solutivi uncias duas, rhabarbari optimi drachmam unam & mediam, in decocto florum & fructuum fiat haustus unus, detur in aurora frigidus, & desuper paululum dormiat. Cęterùm post horam, pharmacum in totum vomuit, sed quater egessit, & optimè se valere dixit: sequentibus tamen sex diebus saccharũ rosaceum Neapolitanum, ieiuno stomacho comedit, & aquam endiviæ stillaritiã desuper ebibit.

Curatio sexta, in qua agitur de vulnere in capite.

VOllius lanio, à quodam milite in capite, magno vulnere spata colubrina, siue undulata dicta, vulneratus fuit: erat autem vulnus magnum capitis lateri inflictum, sed meninges nõ attingens, sequenti die, præsens ipse, vulnus rosario acuto secundum longitudinem, veluti altero ex latere secundum crucem adapertum fuit, & pericraneum optimè cum rosario, tum unguibus à craneo separatum, tunc ut primo vulnus ipsum ovi albo tractatum fuit. Cæterùm quarto die craneũ scalpro rosario secundum vulneris longitudinem ad diploen usque rasum fuit, neque enim ad inferiora, hoc est, ad meninges devenire, opus fuit, cum vulnus penetrans non erat, tametsi in similibus semper pervenire securius sit, quod vulnus tunc oleo omphacino curatum est, quo solo, quidam per omnia vulneris tempora quousque coalesceret uti contendebat: sed nos illi obviam fuimus, ac sequentibus octo vel decem diebus rosaceo oleo completo, ovi vitello adiecto, vulnus curari fecimus, veluti postea mundificante siue abstergente medicamine, super imposito splenio ex unguento gratia Dei, aut à betonica dicto, aut aureo chirurgico & ultimo, ceratum ex betonica ad exiccandas humiditates, & eas absumendas, ac caput roborandum, & cicatricem inducendam, superimpositum, ad aliquot dies mansit: in quibus ossicula quædam foras exiere, fuere autem curationis omnes dies triginta quinque, sed mente exciderat, quod ex brachio vulnus respiciente, sanguinis uncias quinque, primo die illi extrahi fecimus: simul, quod sexto ex cassia Ægyptiaca bolum purgatorium deglutivit, præbibitis syrupis frigidis, corpus alterantibus, & caput respicientibus, ut rosaceo de endivia, buglossa, borragine & similibus.

E



Curatio septima, in qua agitur de icteritia absque febre, eveniente.

PErotij à Monte sancto filius, annos natus decem vigente æstu, non præcedente febre, aut morbo aliquo, totus palluit, & ictericus factus est, optimè comedebat, & bibebat, sed oris amari-
F tudinem sentiebat, hic quum ex syrupo rosaceo solutivo dicto, uncias tres, cum totidem aquæ cicoreæ dilutas biberet, illicò sanus evasit: egessit autem optimè, sed quinque sequentibus diebus, ex unguento santalino illi iecur illinebatur, & conditum ex acetosa, ieiuno stomacho comedebat, & desuper parum aquę endiviæ bibebat.



G

Curatio octava, in qua agitur de erysipelate phlegmonoso, faciem fædante.

VIR ex monte Sarariano, iuvenis fortis & potens erysipelate phlegmonoso universam faciem apprehendente, laborat, ad quem accedens ipse insolitum ruborem illum cum maximo tumore faciem fœdãte, considero, cum quo febriebat, & dolebat, & angorẽ anxietatemq; ferebat, quibus de cau-
H sis protinus ex externa capitali dicta vena, sanguinis uncias octo extrahere feci, & syrupum hunc ebibere. R. Syrupi nenupharini, de succo acetosæ, rosati simplicis ana unciam mediã, aquarum nenupharis, lactucæ, portulacæ ana unciam unam, Misce, & cum frigidum bibat, & singulis diebus sequentibus iteret, porrò tenui victus ordine instituto, & abstemio facto ægrotante, ac de alvi correspondentia cura habita, supra locum affectum sic primo impositum fuit. Recip. Succi lactucæ, umbilici Veneris ana partes æquales

les, portulacæ partis unius medium. Misce,& eo pannus lineus imbutus supra locum affectum imponatur, & sæpè innovetur. Sunt autem erysipelati convenientia, refrigerantia, lib. 14. Methodi medẽdi à Galeno citata, hęc solanum,semper vivum,portulaca,umbilicus Veneris,psyllium,altercum,lactuca,intybum,palustris lenticula cerata, ex aqua admodum frigida alterata,& alia similia,quibus tu adde,violariam,folia cucurbitæ,melonis,melongenæ,tam vulgaris quàm spinosæ. Verumenimuerò erysipelas phlegmonosum non tantam exposcit pro sui curatione frigiditatem, quantam purum erysipelas,& eo magis faciem occupãs, & capitis partem. Periculum nanque minatur,si ab externis partibus ad internas transmutetur, quod Hippocrates libro sexto Aphorismorũ monuit, cum dicit: Erysipelas, si ab externis partibus ad internas transmutetur,malum,ab interiorib⁹ verò foras,bonum, animadvertant igitur medici, ne cum erysipelas, membrum externum & ignobile obsidens,curare conãtur, eum ad nobile internum refrigerantibus & propellentibus medicamentis intempestivè applicitis, retrocedere faciant, frigidis autem & humidis potissimum erysipelas curari debet,ut Paulus ex Gal. dixit, & nos secunda Centuria memoriæ cõmendavimus. Quarto die bolũ ex electario à psyllio composito & catholico,rhabarbaro adiecto & portiuncula diaphiniconis cum saccharo concinnatum deglutivit,& inde melius habere cœpit,tunc verò quum faciei inflammatio mitior reddita esset,ad emplastrum compositum ex farina hordei,seminis lini,fœnugreci,adiecto ibisco, & camomillæ pulvisculo, cum oleo rosaceo & camomillino, devenimus, & tandem brevi sanitatem adeptus est.

SCHOLIA.

Sanguinis missionem, Paulus Aegineta lib. 4. suæ medicinæ cap. 21. proerysipelate curando admittit:Gal. verò eam abnegat, A *lib. 14. Methodi medendi tum lib. artis curativæ ad Glauconẽ veluti varijs aliis suæ doctrinæ locis, quos tu sic concilia: Paulus in erysipelate phlegmonoso faciem & caput potissimum occupante sanguinis detractionem per venę sectionem admittit: Gal. verò in puro siue exquisito erysipelate, ab Auicenna spina dicto, eam abnegat: præcipuè sanguinis missionem, quam evacuationem appellamus, nam diversivam, ut Gentilis trahit siue parcam & retrahentem, non negat, imò libere admittit, ut Centuria secunda, si rectè teneo, quoque dixi.*

B

Curatio nona, in qua agitur de carbunculo, anthrace dicto, sævo & maligno, palpebram oculi inferiorem præcipuè inficiente.

HVius socius, iuvenis fortissimus, obesus, carnosus & musculosus, carbonem in palpebra inferiori oculi sinistri tunc passus est, adeo sævum & truculentum, ut mihi sæpè alios videnti, admirationi fuerit, ad hunc igitur tertio die accedens, eum sic lecto decum- C bentem comperio, habebat nanque (ut dixi) in palpebra sinistra pustulam, & eam quidem magnam, sub qua crustaceum ulcus nigricans postea (ut solet) comparuit, quo in loco dolor gravis in ægrum ipsum sæviens, ac si vinculis fortiter particula constringeretur, erat, cum quibus febris, quæ semper carbunculum comitare solet, cõtinuò affligebat. Illico igitur accersito vulnerario, ex cephalica vena, in brachij curvatura locum affectum respiciente, sanguinis uncias decem extrahi feci, & D vesperi totidem, ac supra locum affectum emplastrum hoc applicitum fuit. ℞. Arnoglossi, lentium, panis furnacei singulorum partes æquales, in aqua coquantur, & in mortario parum tractentur, cui adde scabiosæ optimè pistæ alteram partem. Misce, & supra carbonem admoue. Paulus verò in ijs non venenosis carbonibus ex malo

punico acido in aceto cocto, quoad ta-
buerit, emplastrum superimponendũ
jubet, cui postea, ut solet, subscripsit
Avicenna. Cæterùm post admotionẽ
citati emplastri, adjacentes partes ex
unguento defensivo, à bolo Armenia-
co dicto, præmunitæ sunt, linteolo ex
oxycrato super imposito. Sequenti die,
morbus non remittebatur, sed magis
urgebat, qua ratione iterum sanguis ex
prædicto loco abundè fuit extractus, &
locus affectus profundioribus vulnus-
culis scarificatus, ac tepente marina
aqua lavatus, demùm, ut multa paucis
concludam, ita morbus increbuit, ut
hominis caput cum facie giganteum
fuerit redditum, adeo ut ad plures dies
non viderit, tunc cauteria quinque
actualia, hoc est, candente ferramento
illi imposita sunt, duo cultelaria dicta
secundum capitis longitudinem ad la-
tera sincipitis, alterum rotundum, in
medio sincipitis, non procul à loco
ubi terminantur capilli, ad craneum
usque penetrans, alterum ad mandibu
lam affecti loci, alterum verò supra
ipsum crustosum ulcus. Sed ne tibi du-
riusculum hoc factum esse videatur,
audi, ex tribus locis in capite ustis, icho
res citrini malignitatem præ se feren-
tes exiere, ut facilè credere esset, huius
caput in gangrenam brevi venturum,
ni ita præsentaneo hoc remedio, utere
mur, sequenti verò die, & ichores exi-
bant aquei, citrini: sed caput & cætera
membra detumefieri cœperunt, quod
opus refrigerantibus medicamentis
nunquam obtinere potuimus, quan-
quam ut verum fateamur, nimis frigi
da & constringentia, in hoc casu peri-
culosissima sunt remedia, quia à mẽ-
bro ignobili exteriori, ad nobile inter-
num, morbi fit regressus, tum etiam ob
alia, quæ Galenus libro decimoquarto
Methodi medendi capite decimo me-
minit. Cæterùm cum crusta illa, piscis
modo nigricans extirpari, neque ex
toto erradicari multis machinamentis
fuerit possibile, scalpello incisorio, ad
viuam carnem eam resecare usq; feci-
mus: ac postea paucis abstergentibus

E & cõsolidantibus medicamẽtis curari.
Fuit autẽ ferè universa oculi inferior
palpebra amota, oculo ipso immuni re
manente. Plures alios antracibus malè
affectos ægrotantes curavimus, sed qui
non ita sæviebant carbones, sed indu²
cias præstabant. Avicẽnæ consilio, em
plastrum hoc imponi supra ipsos car-
bones faciebamus, quod habet. R. Fi-
cuum pinguium exicatorum numero
octo, fermenti uncias tres, salis drach-
mas tres. Omnia pistentur, & fiat em-
plastrum, & supra imponatur, vel hoc
F aliud, Pariensibus protritum & fami-
liare. R. Farinæ triticeæ uncias tres,
mellis boni uncias tres, vitelli ovi nu-
mero duos, salis drachmas tres. Misce,
fiat emplastrum, quod veluti primum
descriptum, carbunculos maturat, &
rumpit, & tandem ad medicamentum
ex apio vulgari, mundificans dictum,
devenitur, sed, ut dixi, ij carbunculi
leves sunt, in quibus hæc operantur.
G Solemus autem nos sæpè cũ primum
pustula aut pustulæ sunt disruptæ, su-
pra ulcus crustosum, medicamenta pr**ę**
potẽtia exiccãtia imponere, ab eis, quę
concoquunt & pus movent fugiendo,
ut suadet Galenus decimoquarto Me-
thodi medendi, capite decimo, quoniã
talia medicamenta particulæ putredi-
nem augent, sunt autem exicccãtia, ca
taplasma ex orobi farina oxymelite
exceptũ à Galeno libro secundo artis
curatiuæ ad Glauconẽ capite septimo
laudatum, aut ex ipsa orobi farina, &
lolij, & fabarũ cũ oxymelite paratum,
ut sequenti capite nouo prædicti volu
minis idem Galenus commendat, vel
H trochiscus Musæ medici antiquissimi,
vel Andronis, vel Passionis, vel Polyi-
dæ, qui trochisci, & medicamẽta ut re-
ctè supra imponãtur, sapa vel vino dul
ci, vel oxymelite, exquisitissimè triti,
ad mediocrem crassitudinẽ veluti sor-
diũ, reduci debẽt. In summa, si hæc non
cõferũt, & ulcus cũ putredine incedit,
ad Aegyptiacũ unguẽtũ devenimus,
quod si nõ iuvat, ad arsenicũ, vel calcẽ
vivã, aut sãdarachã cõfugim⁹ & demũ
ad cãdẽs ferramentũ, semper supra sca-
ras,

ras, crustas ab igne contractas, dictas, A butyrum recens aut pinguedinem porcinam, aut ex ovi vitello, & pinguedine aliqua paratum unguentum, aut ex prædictis, & malva emplastrũ concinnatum imponentes, veluti plura alia, quæ Galen. lib. secundo artis curativæ ad Glauconem capite nono, citat, & studiosus percurrere poterit. Cæterùm, ut lector trochiscorum memoratorũ descriptiones facilè habeat, placuit subjungere, & eo magis, quia Galenus præcitatis locis, & varijs alijs eorum, multam & crebram faciat mẽtionem. Ita igitur apud Galenum libro quinto de compositione medicamentorum κατὰ γένη, horum pastillorum descriptiones habentur, in quibus adnotandum duxi, quod in nonnullis codicibus, vice denarij decussatur * stella hæc, cuius vice dragma rectè imponitur. Verbi gratia, cytinorum pondo decem, quod est, denarium pondo decẽ, sed tu clarius dicas, dragmas decẽ.

Pastillus Andronis.

Cytinorum, id est, florum maligranati, denarium pondo decem. Aluminis scisilis, denarium pondo quatuor, calcanthi, denarium pondo duodecim, myrrhæ, denarium pondo quatuor, thuris, aristolochiæ, Galliæ immaturæ singulorum denarium pondo octo, & ut Eraclidi Tarentino placet, salis ammoniaci, denarium põdo quatuor, passo excipiantur.

Polyidæ sequens pastillus, sphragis dictus.

Malicorij, idest, corticis maligranati, denarium pondo sex, myrrhæ denarium pondo octo, alumninis scisilis denarium pondo quinque, thuris denarium pondo quatuor, calcanthi denarium pondo trium, fellis taurini denarium pondo sex: vino dulci excipiantur. Præter has vero Andronis, & Polyidæ pastillorum descriptiones, Galenus alios quoque pastillos illis tributos signavit,

Musæ medici antiqui remedium.

Aluminis scisi, aloes, myrrhæ, calcanthi, põdo denarium sex, croci, crocomagmatis, singulorum pondo denarium trium, citini, pondo denarium quatuor: mulso ex salerno facto assumuntur. Cæterùm Galenus citato libro prope finẽ ad carbunculos exquisitissima quæq. remedia investigans, ita prodit. Carbunculus ulcus est crustam cito cũ inflãmatione totius partis circundatæ valida faciens, ut & febres vehementes, & extrema pericula inferat: quare ipsi crustæ valẽs medicamẽtũ imponere oportet, & ex ijs, quæ ad nomas supra dictum est, cõducere: B circumpositas autem partes cataplasmatis fovere, quæ æqualem vim occupant, ut repellant, & mediocriter refrigerent, & digerant. Verũ de cataplasmatis in proprio libro dictum est, nunc Asclepiadis pharmaca percẽlebimus.

Ad Carbunculos medicamenta ab Asclepiade prodita, medicamentum Massaliotæ.

Hoc medicamentum civitati prodidi, quod carbunculi abundarent, & multos perderent, Chrysocollæ, nitri tosti, lapidis asij, arsenici sandarachæ, C misyos tosti, chalcitidis, aluminis scisi, diphrygis singulorum denarium pondo quatuor. Trita seorsum omnia simùl in vas æreum Cyprium reponimus, dum usus poscet, imponimus, apprimentes specilli latitudine, donec carbũculus nigrescat: deinde supra põnimus infra scriptum viride, quod ita habet: thuris, æruginis rasæ, squamæ æris singulorum denarij pondo unius, aluminis scisi, obolos quatuor, salis ammoniaci obolos quatuor, ceræ de- D narium pondo septem, & obolos quatuor, resinæ pityinæ aridæ denarium pondo quindecim, olei veteris heminam unam: arida in sole cum aceto teruntur, quæ liquefieri possunt, liquantur, & immittuntur, ubi rursus contuderis, assumens uttor apud Demosthenẽ Massaliotã, qui pharmacum cõposuit, olei habet duas heminas.

SCHOLIA.

Carbunculus, Græcis ἄνθραξ dictus, à sanguine supra modum effervescente, exassatore

tòve fit unde Gal. lib. 2. De differentÿs febrium, cap. 9. inquit. Si sanguis supra modum assetur, pars quidẽ eius subtilior, ac pinguior omnino in flavam convertitur bilem: quæ autem crassior in atram, quod ex ÿs tumoribus, qui carbunculi appellantur, contingit, nam & in his ex sanguine supra modum effervescente, ad atræ bilis humorem fit trãsmutatio: ita autem hoc loco accipi volo atræ bilis humorem, ut qui nondum exquisitè in atræ bilis naturam transierit, sed in quodam sit confinio constitutus. Caterùm carbunculis afflicti, necessario febricitant, & in multa mala incidunt, quo factum est, sic afflicti summa diligentia curari debeant, præcipuè evacuatione per sanguinis missionem ex vena quæ directè locũ affectũ respicit: & ea quidẽ ad animi defectionẽ usq. modo nihil obstet, ut commendat Gal. libris cicatis Methodi medendi, & artis curativæ ad Glauconẽ. Victus ratio parca sit decet ad frigidum declinans: veluti syrupi alterantes, ex nimphæa, dictus rosaceus simplex, de cicorea, de acetositate citri, de acetositate limonis, de succo acetosæ, oxysacchara syrupus de ribibus, & similes, qui in hoc casu rectè admitti possunt: post quos pharmacũ purgatorium unum vel alterũ damus, secundũ virtutis robur, & tẽporis cõstitutionem. Qui enim tẽpore pestilenti pullulant carbunculi, ÿ pestiferi sunt, secũ animi deliquium afferentes: cordis tremorem, appetentiæ prostrationẽ, vomitum, nauseam, febrẽ pestilentẽ, & delirium: pro quibus curandis, medici scopus eo dirigi debet, ut virium robur servetur, & venenũ extra mittatur, cũ emplastris, tũ etiã cucurbitulis, & varÿs alÿs attrahentib. remedÿs. Sed unum decet advertere, quod sanguinis missio semper fieri debet ex loco abcessum respiciẽte, verbi gratia si in capite, aut cervice, vel retro aures tumor fuerit, externa cubiti vena humeralis vel cephalica dicta, incidẽda est: quod si inflãmatio urgeat interius, sub lingua etiam venæ post illas apperiri debent: quod si vero intermedÿs partib. à cervicè ad usq. naturalia tumor proruperit jecoraria, vel cõmuni, si illa non appareat, incidi debet. At si malũ inguina, obsederit, aut loca illis vicina, tunc vena in talo pedis saphena dicta pręcidi debet, & eo magis si mulier fuerit.

Curatio decima, in qua agitur de urinæ suppressione.

PVer illius qui ad hortũ prope murũ habitat, in urinæ omnimodam E suppresśionẽ devenit, adeò ut eius venter tumidus, & elevatus videretur ex quib. puer ipse in vitæ periculũ inciderat: ad quẽ vocatus ipse, hinc inde inquiro, unde morb. originem forte trahere potuerit, tandẽ post longã investigationẽ invenio, puerũ hunc prope puteũ diversari, & pedes inde ex aqua madefactos contraxisse: quo audito, deprehendo à frigiditate aquæ illius, humorẽ aliquẽ inter collum vesicæ, & pudendũ contentum, concretũ esse: unde urinæ exitus impediebatur, qui & sola frigiditate fieri poterat: non interveF niente humore aliquo. Proinde contra morbum sic ordior. Recip. Parietariã oleo frixã, & eã calidã ad pectinem superimpone, vel inter anum & pudenda, urinã enim cit, vel cepam excavatam accipito, in quã infundito oleum anethinũ, vel cõmune, & ad cineres calidos, quoad tabescat, finito, & pistam calidam supra pędicta loca imponito. Aliorũ & ceparũ restis, minutim cesa, & oleo frixa, ac admota juvat, oleum lilinũ idem præstat. Sed puer hic quũ G multa essent tentata, ex oleo scorpionũ inũctus, multa minxit, & liber evasit. Radix meu oleo cocta, & pectini applicita, urinam pueris, unicè prouocat, familiaris autem radix meu hodie officinis aromatarijs totius Italiæ est. Ova frixa, & calida frixorij latitudine inferiori ventri admota, medici Longobardi, pro consequenda opera ista, usurpant. Multa & varia, quæ op⁹ hoc conficere solent, medicamenta, consulto prætermittimus, ut eringij decoctum, tam veri & aromatici, quã H uulgaris & communis, quod herbarij Itali, frequenter vendunt, & ex eo cum melle idiotæ conditum parant, victui non ingratum, apij varia genera, lithospermon, phalaris herba, & eius semen hodie millium solis dictũ, saxiphraga, sanguis hircinus, Lapis Iudaicus, & alia ferè sexcenta, quę tam per os ebibita, quã extra applicita, operantur.

(.·.)

Cura-

Curatio undecima, in qua agitur de pituita viscida, in ventriculi cavitate congesta.

MArgarella Scallia mulier biliosa si qua altera, per intervalla multam pituitam viscidam & tenacem in ventriculi cavitate aggerabat, à qua dolorem, & animi & corporis perturbationem contrahebat, ad eam igitur ipse vocatus, videns eam ad vomitum pronam, per quem sæpè pituitam hàc emittere solebat, sic orsus sum. Recip. Seminis raphani, anethi ana unciam unam. In libris duabus vini dulcis, fiat decoctio sufficiens, facta colatura, adde agarici boni drachmam mediam, oxymelitis unciam unã & mediam. Misce, fiat vomitorium: quo multum prædictæ pituitæ evomuit, tunc verò victu in ordinem disposito calido & sicco, extenuante & pituitam incidente, syrupos hos illi propinavimus. Recip. Oxymelitis simplicis unc. unam & mediã, decoctionis hyssopi, maioranæ, seminis anisi uncias tres, misce & octies vel decies jeiuno stomacho bibat, præparata vero & extenuata materia, bolum hunc deglutivit. Recip. Specierum hieræ Galeni, agarici optimi ana, drachmam unam, rhabarbari electi scriptulos duos, diaphiniconis unciam mediam, cum saccharo misce fiat bolus, detur in aurora, ut decet deglutiendo, quo ut opus erat, purgata est. Cæterum cum rectius valeret, sed non ex toto morbus eradicatus esset, quia viæ aliquantulum obstructæ videbantur, sic perscripsimus. Recip. Radicum apij, fœniculi, petrosilini, rusci singularum à corde interiori mundatarum, unc. mediam, calami aromatici, cinnamomi ana drach. tres, herbarum absinthij, hyssopi, pulegij, origani ana pugillum unum, corticum myrobalanorum chebulorum, emblicorum ana drachmas duas, uvæ passe uncias duas, seminis anisi, fœniculi ana drachmam unã

A & mediam, in libris septem aquæ fiat decoctio ad cõsumptionem tertiæ partis, facta colatura: adde oxymelitis compositi uncias tres, mellis rosacei colatitij uncias duas. Misce fiat apozema, vel ut aiunt, iuleb longum, & albumine ovi clarificetur, & cum speciebus aromatici rosati, aromatizetur, & singulis diebus, in aurora, singulas quinque uncias eius ebibat, ex cuius potu humor satis incisus & extenuatus fuit, & viæ ac meatus satis aperti, & reserati tunc catapotia hęc pro eo deponendo, deglutivit. R. Pilularũ de hiera cũ agarico scriptulos duos, stomachicharum drachmam mediam diagridij grana tria, cum syrupo de absinthio, formentur pilulæ quinque, inaurentur, capiat quarta hora ante diem, & dormiat, ijs enim quæ purgari debuerant, purgata sunt. Cæterum exterius ventriculus roborabatur, oleo nardino, vel absinthino, mastichino, de mentha, vel altero ijs simili, per se solo vel aromatis misto ladano odorifero, resina & cera, prout emplastrum vel unguentum parare decernebamus, sed elapsis multis diebus, post horum usum, culcitrulam ex aromatis semiplenam & serico filo interceptam, ventriculo admovebat, quã semper ac maximum pro stomacho roborando antidotum gestabat, quo in tempore, ieiuno stomacho, conservam ex floribus roris marini, quæ seplasiarijs, dianthos appellatur, comedebat, vel ex floribus betonicæ, aut salviæ paratam, quibus omnibus delicatior, & cordialior habetur ea cõserva quæ ex floribus arantiorum præparatur, quarum conservarum vice quãdoque electarij diapiperonis drachmam unam vel alteram deglutiebat: aut electarij de cinnamomo, aut diagalãgæ, aut dia moschi, aut gingiberis cõditi, aut aromatici rosati, aut diambræ, aut diacimini, sed cum mulier hæc dives esset, preciosa, & sumptuosa medicamenta illi describebamus: decreveramus autẽ nos, si ijs non rectè valeret, ad thermarum aquas eam mittere: quarum usus, Paulus Aegineta lib. 4. suæ medicinæ pro

(Margin letters: B, C, D)

pro curanda elephantiasi meminit. Cęterũ, cum optimè & basilicè ijs citatis habuerit, cætera respuit.

Curatio duodecima, in qua agitur de fluore muliebri, uteri ῥευματισμῷ, dicto.

HVius filia, puella annos nata octodecim, quum eius sororium repente ex apoplexia emortuum vidisset, illico in syncopim lapsa est, pro qua ab hoc tam gravi symptomate, recuperanda, mulieres assistentes multa machinatæ sunt, inter quæ cucurbitulæ fœmoribus applicitæ recensentur. Cęterum ab hac afflictione levata puella, intra biduũ per uteri os illi sanguis vividus effluere cœpit, qui succedente tempore multus fluxit, rubricans semper tamẽ, quem mulieres ob cucurbitulas femoribus affixas originem traxisse contendebant, quia uteri vascula plus iusto laxata erant. Ad hanc igitur vocati nos, ex brachij iecoraria vena, sanguinis uncias sex illi educi illico fecimus, & ad mammas cucurbitulæ sunt affixæ: quia Galeno teste lib. 13. Methodi medendi cap. 19. ad mamillas cucurbitulas imponimus, quum sanguis ex utero profluit, defixo maxime in ipsis communibus pectoris & uteri vasis, earum ore: & latius libello de cucurbitulis & revulsione, quæ antea Hippocra. lib. 5. Aphor. aphor. 50. paucis ijs verbis dixerat. Mulieri si vis menstrua cohibere, cucurbitulam quam maximam ad mãmas appone: neq. tantum ijs usi sumus, sed frictionibus, ligaturis & aversionibus, à partibus inferioribus ad superiores. Sed quæ per os sumebat, morbo diuturno facto, & per pharmaca universo corpore repurgato, ea erant quæ lotium ciebant, tum etiam, quæ vim exiccandi & constringendi habebant medicamenta: quorum sylvam centurijs prioribus, prosecuti satis sumus. Sed puella hæc post multa & varia remedia, quibus per annum integrum

E usa est, hoc uno sana est reddita, neque amplius in hanc fœdam affectionem recidit: habet autem remedium sic, ovi vitellum recentem aqua rosacea exceptum ieiuno stomacho sordebat, & intra quindecim dies sana & libera evasit. Cæterum, album ovi prædicta aqua rosacea concussum, & ieiuno stomacho ebibitum, nõ solum ad album fluorem facere, sed gonorrhæam sanare, satis sumus experti, ex quo ab albo fluore socrus Petrusij Bergomatis, annos nata
F quinquaginta, sanata est: veluti mulier Veneta, quæ ad hortorum portam habitat: sed hæc mastichis parum in albo ovi ponebat: plures verò alias ex semine cidoneorum in iure deglutito, sanatas observavimus.

SCHOLIA.

Dicitur morbus hic muliebris fluor, aut uteri fluxus, qui multum ab immoderata mensium purgatione differt: unde Paulus
G *Ægineta doctè admodum libro tertio suæ medicinæ, seorsum de unaquaque dicta affectione agit, ut capite 62. & 63. prædicti libri videre quis poterit: est autem muliebris fluor, Paulo citato loco teste, uteri defluxus, per quem universum expurgatur corpus. Vnde Galenus libro sexto de locis affectis, capite quinto, dixit. Muliebris fluor accidit, utero haudquaquam malè affecto, quum videlicet universum corpus per ipsum purgatur: in hoc itaque fluore, humor in toto redundans corpore, qui magna ex parte serosus & aquosus est: interdum etiam candidus aut pallidus: quandoque verò vividus sanguineus vacuatur, veluti à vena secta extrahi solet: sed tunc ne quædam in vul*
H *va erosio sit excitata, suadet Paulus. Cæterũ, ex hoc muliebri fluore Galenus uxorem Boethi curavit, præmissa purgatione, aquam ducente, cum decocto asari & apij, ut libro de præcognitione legitur.*

Curatio decimatertia, in qua agitur, de symptomatis ex plenitudine ad vasa dicta, simulq. multo semine genitali abundante, obortis.

HVius soror, mulier vidua, juvenis venusta, & bene compacta, gravatione

tione cum venarum & aliorum vascu lorum distentione, per universum corpus sentiebat, quæ gravedo, sive pondus, ex repletione, sive plenitudine ad vasa (ut ego puto) eveniebat; quum sanguis sua multitudine, venas, arterias, & cætera vascula distenderet, in altumq; attolleret, cum quibus rubor non solitus aderat, ex qua sanguinis multitudine, multum genitalis seminis (ut fieri solet) quoque coacervabatur, unde universi corporis pondus, sive gravitas, fastidium, suspiria, anxietas, halyces, & pandiculationes oriebantur, pro quibus deponendis, ex pedis una vel altera vena, illi sanguis copiosè extrahebatur, & ea victu parco utebatur, & eo quidem frigido, quin etiam abstemia tunc perseverabat, & vini vice, frigidã bibebat aquam. Cæterum, quum ad aliquot dies melius haberet, postea in easdem affectiones recidebat, pro quibus penitus tollendis pessi ex mercuriali herba, aut sabina, pulegio, vel origano, aut nepitha, aut antidoto mytridatico, vel theriaca, aut terebenthina parati, ab obstetricibus per os uteri illi immittebantur. Sed cùm quoq. parum iuvarent, ut nuberet consulvi, nam Venerem viduis similibus salubrem esse dixit Galenus, libro Artis medicinalis cap. 81. sed clarius libro 6. de locis affectis, capite quinto.

SCHOLIA.

Ex plenitudine, quæ ad vasa dicitur, universa dicta symptomata originem trahebant: unde scire licet, quod plenitudo duplex dicitur, altera ad vasa, altera verò ad robur, sive vires. Plenitudo ad vasa duplex habetur, quæ in unam vertitur, & pro una tantum reputari debet: nam altera est, quando humores quatuor ex æquo adaucti sunt: altera verò, quum sanguis solus abundat, quæ cum priori coincidit; quum fieri nequit, ut sanguis abũdet in venis, quin cæteri humores cum eo quoque crescant: quum igitur sanguis per se, aut humores quatuor ex æquo aucti fuerint, & venas & arterias distenderint, & eas tumentes fecerint, & ruborem insolitum creaverint, & pulsuum magnitudinem, & corporis gravitatem induxerint, tunc plenitudinem secundum

A *vasorum capacitatem vigere dicendum est, quę sanguinis missione copiosa, curari solet. Plenitudo ad robur, sive ad vires, ea dicitur, quæ vires prægravat, vel potius quando virtus non operatur pro obiecti ratione: verbi grã tia; contineatur pituita optima in ventriculo iuvenis alicuius, in pauca quantitate: non eam tamen vẽtriculi iuvenilis facultas alteratrix, sive concoctrix virtus dicta, alterare aut concoquere potest: non quidem pituitæ ratione, quia pauca & bona, ut facilè á quovis alio mediocriter disposito ventriculo alteraretur, & gubernaretur sed ventriculi potius imbecillitatis causa; unde claret plethoram & cacochymiam, quia vires gravant, plenitudines*
B *ad vires dici posse, non tamen econtra, ut ex exemplo á nobis proposito, elicitur. Cęterum, hæc plenitudo ad vires sola virium roboratione curatur. Cacochymia verò ea dicitur plenitudo, quotiescunque unus humor, vel duo, aut tres sua quantitate peccant, unde cacochymia humorum vitium dicitur. Curatur autem cacochymia purgatione humori superãti accommodata. In summa, plenitudo, aut est in omnibus humoribus ex æquo, aut in sanguine, & tunc plethora, vel plenitudo ad vasa dicitur. Si verò in uno humore, vel duobus, aut tribus fuerit* κακοχυμία, *id est, humoris vitium nuncupatur, ut ex Galeno lib. 4. & 13. Methodi medendi, & aphoris. 17. libri secundi Aphorismorum, & lib. de plenitudine per difficili &*
C *confuso desumitur. Cæterum, ex abundantia ciborum optimorum, sanguinis optimi multitudo, in corpore bene disposito gigni solet; á quo & seminis genitalis multum oritur: cùm semen genitale sanguinis in succum (gluten dictum) versi portio sit, quod ab universo deciditur corpore, ut libris de semine legitur, & per venas parvas & minimas ad cavam & arterias (attrahentibus vasis seminarijs & testiculis) venit, & per quatuor vasa; duas venas, & totidem arterias ad testiculos derivatur, in quibus calorem & perfectionem recipit, & inde postea ex epididymide vasa duo nascentia semen ad pudendum efferunt,*
D *quæ vasa varicosa, parastate appellatur; & iuxta originem testiculum contingunt, non tãmen ex eo procreantur. Cæterum in fœminis quatuor quoque vasa reperiuntur: per quæ & alia quomodo ad matricem semen deferatur, legito Galenum lib. de semine secundo, & decimoquarto de usu partium.*

(?)

Curatio

E

Curatio decimaquarta, in qua agitur de scabie & alopecia.

SImon prædictarum frater iuvenis septemdecim annorum, temperatura sanguineus, hoc eodem tempore caput dolebat, & scabiem cum nonnullis papulis patiebatur: non febricitabat, sed quandoque calorem præternaturalem per universum corpus sentiebat: pro quibus levandis affectionibus, præsens ipse, omnia considero, sed magis æstuale tempus, quod tunc maximè vigebat, & in eo à potentibus abstineamus purgationibus monemur: proinde levioribus quibusdam medicamentis, à nobis tractatus iuvenis, melius habuit. Cæterum, elapsis nonnullis mensibus, hic in capite pustulas passus est, à quo & capilli defluere cœperunt: cui malo occurrentes nos, considerantes utique iuvenem hunc limites morbi Gallici intrasse, illico catapotijs ex nitro Alexandri eum purgavimus, ac nõ nullis iteratis decoctis, materiam ad evacuationem parantibus, iterum eum per prædicta à nitro catapotia purgavimus, ac tandem ad guaiaci decocti potum eum traximus, quo per viginti dies usus est. Sed antea ut securus ab alopecia evaderet, per apophlegmãtia, & ea quæ per nares injiciuntur medicamenta, caput purgavimus: dein rasura per novaculam facta, ad applicationẽ medicamentorum discussoriorum devenimus, quibus vitiatus humor in cute evacuatur, & ita habet. Reci. Amygdalarum amararũ cum suis corticibus, crematarum, radicum cannarum ustarum, ana partes æquales, subtiliter pulverizentur, & cum adipe ursino excipiantur, & asperiori linteolo, confricto capite, illine: ijs enim prædicto tempore iuvenis hic sanus evasit, quia affectio hæc non admodum gravis, nec inveterata erat. Galenus verò libro 1. de comp. medic. per loca, contra profluvium capillorum, & pilorum, hoc summopere laudat remedium, dicens. Hęc quæ sequitur compositio, omnes vi sua præcellit, faciens item ad profluvium capillorum, cum oleo aut unguento dissoluta, facit & ad rarescentes in principio capillos, & in calvitiem prolabẽtes, estq. omnino admirabilis. Murium domesticorum ustorum, partem unã, panniculi ampelini, id est linei usti partem unam, adipis ursini partem unam, medullæ cervinæ partem unam, corticis calami partem unam, hæc omnia arida lævigentur, & sufficienti melle admisto, ad crassitudinem mellis redigãtur, indeque adeps & medulla liquefacta addantur, & pharmacum ipsum in æream pyxidem reponatur: ex eoq. alopecia, donec capillos producat, defricetur, similiter autem & profluï capilli quotidie ex eo illinãtur. Cæterum simplicia medicamenta ad alopeciam facientia, hæc præcipua sunt, ex tabella Dioscoridis decerpta, Harundo, iuglãs, avellanæ, erinaceus terrestris, hippocampus, ranæ, locustæ, adeps, fimum, raphanus, beta, cepæ, milium, sinapi, cyclaminus, asphodelus, barrachiõ, myosotis, nimpheæ, cynoglosson, adianton, thapsia, ærugo ferri, sandaracha, halcyonium, cotes, cinis ungularum caprinarum: quibus nos addimus, apes, muscas, muscerdam, & mel ex quibus confici possunt fomenta, unguẽta, & inunctiones: quibus si medicus rationalis, ut decet, ritè, probè, & opportunè usus fuerit, certa salus ægrotantibus eveniet, quia, ut nosti, & Galenus ex Herophilo tradit, libro sexto de comp. med. secundum locos, capite tertio, medicamenta per se nihil sunt, & ipsa Dei manus existimantur: nihil sunt, cum ipsis non rectè, ut decet, medicus utitur, & manus Dei existimantur, si ut decet, rectè & suo tempore eisdem utatur.

F

G

H

SCHOLIA.

QVomodo verò alopecia, & illi similia vitia curari debeant, docuit Galenus libro quartodecimo Methodi medendi, quę pro coronide ita habent. Porrò quemadmodum in

sinuosis

ſinuoſis ulceribus generatio carnis, ſic in capi-
te & palpebris productio pilorum, opus natu-
ræ exiſtit. Etenim ex ſuccis qui per cutim
tranſpirant, quod limoſum eſt, id pilos, tum à
principio gignit, tum de cætero veluti ſuccreſ-
cendo auget: hoc igitur, quoties vel prorſus
perijt, vel redditum eſt vitioſum, toties pilos
corrumpi eſt neceſſe. Corrumpuntur nanq. &
ſtirpes ipſę duplici de cauſa: aliàs nutriente
ſucco destitutæ, aliàs non idoneo uſæ, ac pror-
ſus perdito quidem eo, qui pilos alat ſucco, cal-
vities oritur, eodem vitiato, ophiaſes & alope-
ciæ proveniunt, in quibus & inhibere quod
influit, & abſumere & digerere, quod iam
occupavit languentem locum, conveniet. Er-
gò ceu in ulceribus illis purgationem nocen-
tis ſucci primum adhibuisti, eodem modo in
pilis ipſis ab hac primum exordienda curatio
est: ſcilicet æſtimato prius cutis colore, cuius
cernis corruptos pilos. Nam ſi is albidior, quā
pro naturæ habitu ſit, pituitoſi humoris pur-
gationem molieris: ſin pallidior, ciuſmodi bilis
purgationem, non ſecus, quam ſi nigrior conſ-
picitur, quæ nigram detrahunt bilem offeres:
Cùm autem iam planè purum expurgatione
corpus exiſtimat, eum qui in cute continetur
humorem digerentibus medicamentis diſcu-
ties: ſic tamen, ut in his caveas, ne adeò cali-
da, acriaque admoveas, ut cutis exulceretur.
Quinetiam ea, quæ valenter ſiccant, cavere
conveniet, ne videlicet cum vitiato humore
utilem etiam abſumas, & cætera quæ multum
huic rei faciunt, & conſulto prætermittimus:
quæ ferè eadem ſunt cum ijs, quæ apud ipſum
libro primo de comp. med. ſecundum loca le-
guntur, cum de alopecia, calvitie, & ophiaſi
agit: quo in capite adoleſcentem alopecia la-
borantem, & fungis ſe reficientem, à Galeno
curatum, notare est, quum eum in quinque die-
bus bis ex hiera cum colocynthide parata pur-
gavit, prima purgatione, quatuor ex ea drach-
mis, in ſecunda, quinque exhibitis, cui antea
catapotia undecim ex aloe compoſita, ciceris
magnitudinem habētia, exhibuerat. Cæterum
tineam morbum, Gręcorum ophiaſim eſſe qui-
dam contentioſe opinabatur: ſed rem non ita
ſe habere, vel ex hoc ſatis manifeſtum evadit,
quia Galenus ophiaſim morbum eundem cum
alopecia eſſe, a ſerpenteque nomen traxiſſe, cui
pars capitis denudata cernitur, ait: unde Ara-
bes, & eorum aſſeclę, morbum hunc tyriam
vocant: quia hac voce omnes ſerpentes, quan-
doque viperas intelligunt: ut aliàs ſecunda
Centuria ad reverēdiſsimum Hippolitum Eſ-
tenſem Ferrariæ amoliſsimum Cardinalem,
cum theriacos paſtillos examinarem, dixi. Se-
cundò, quia ophiaſis, ut Paulus ait, & Celſus

A *primò dixit, ab occipitio incipit, neq. duorum*
digitorum latitudinem excedit. Eſt igitur ti-
nea ſic ab Aliabate affectio dicta, apud Avi-
cennam ſaphatum, ut Fen ſeptima libri quar-
ti tract. tertij, cap. 1. deprehenditur, quæ inter
Græcorum achores & cerias adnumerari de-
bet, unde Meſue in ſua praxi, cap. de ſaphato,
remedium ex charta combuſta, ex Galeni au-
thoritate citat, quo remedio Galenus achores
exulceratos curare ſolebat, ut proprio capite
de achoribus legitur: meminiſſe tamen opor-
tet, pro tineę, & ophiaſis, & antiquæ alope-
cię curatione, ne medicus in medicamētorum
topicorum calidorum applicatione, plus iuſto
liberalis ſit, quum ex potentibus, & nimis po-
B *tentia calidis medicamentis cutis aliquando*
exaſperatur, exulceratur, & quodam modo
comburitur: ut ſuadet Galenus, prædicto de
comp. med. per loca libro.

Curatio decimaquinta, in qua agitur, de muliere morbo Gallico olim laborante, & nunc ſeminarium prædicti morbi habente.

C MVLIER quæ ex Iadera civitate
apud Dalmatas, Anconam venit
& apud Thomam à Vetula Bergoma-
tem mercatorem agebat, cum iandiu
morbo Gallico laboraſſet, & nunc ob-
ſeſſa eſſet, ſed cacochyma reperiretur,
ut in ea multam pituitam & alios hu-
mores ab ipſo morbo Gallico contra-
ctos, vigere eſſet certum, ijs tantum ſa-
na intra viginti dies evaſit. Reci. Sco-
bis ligni guayaci libram mediam, poli-
D podij quercini recentis & contuſi, un-
cias tres, ſenæ unciam unam & mediā,
corticum myrobalanorum Indorum,
chebulorum ana unciam mediam, paſ-
ſarum de Corinthio uncias tres, ſemi-
nis cartami unciam unam, radicum bu-
gloſsi pugillos duos, ſeminis fœniculi
unciam mediam, in libris decē aquæ,
fiat decoctio ſecundum artem ad me-
dias, facta colatura, adde ſacchari fini
libram mediam, & iterum parum ad
ignem bulliat, ex quo decocto ſingulis
diebus

diebus in aurora ieiuno stomacho, singulas octo uncias bibebat, quo bis & ter in die egerebat, & tandem huius decocti repetitione, ad viginti dies, optimo cõstituto victus ordine sana evasit, nec alijs medicamentis purgatorijs opus habuit. Cæterum, sequẽtibus octo diebus, ex roris marini floribus concinnatam conservam, quæ pharmacopolis diãthos dicitur, ieiuno stomacho comedit, & tandem optimè se valere dixit, & Romam profecta est.

Curatio decimasexta, in qua agitur de febre continua.

HAli Turca, mercator iuvenis, ex Prusia ultra Constantinopolim civitate inclyta, Anconæ gravissimè febricitare cœpit, cui illico secta fuit vena, & sanguis abundè extractus, deinde syrupos acetosos ebibebat, & clysteres admittebat: tandem sexto die epoto purgatorio medicamento bene potente, quo multa egessit sanus evasit. Huic victus, morbi initio, pullus gallinaceus cucurbita & agresta conditus erat, potus verò gelida iulebo mista.

Curatio decimaseptima, in qua agitur de mensibus plus iusto fluentibus, & symptomatis eos consequentibus.

LVna ex Brudis, mulier vidua, cum consuetum mensium suorum fluxum per triduum haberet, nũc verò vigente æstu ad quindecim dies fluxere, ex quo superfluo fluxu, macilenta, & imbecillis est reddita, ad hęc frigida & in syncopim sæpè deveniens. Cæterũ, hæc, quum medicamenta non admitteret, neque cucurbitas ad mammas, solo victu optimo, constringendi vim ha-

E bente, & vini rubri styptici potu, quo nunquam usa erat, bene sensit, & fluxus restrictus est, ad octo tamen dies priores, universum huius corpus, ita frigidum factum est, ut eam multis calidis pannis laneis, & varijs alijs machinamẽtis, ad se vix reducere possemus. Timor autem apud me erat, ne hæc in maciem & extremam siccitatem, quam senectutis hecticam, medici appellamus, devenisset, aut saltem in hydropem.

SCHOLIA.

F *QVantum periculi adferat menstrua plus iusto profluentia exposuit Hippocrates lib. 5. Aphor. aphor. 56. & 57. dicens. Si in fluore muliebri convulsio & animi defectio superveniant malum: item si menstrua immodicè fluunt, morbi accidunt, & si supprimuntur, ex utero morbi eveniunt. Vnde Gal. lib. 2. de facultat. natur. inquit. Siquidem ex diuturnis hæmorrhoidibus retentis, aut immodica vacuatione hominem ad extremam frigiditatem ducentibus non semel aut bis, sed sæpè iam, aquas inter cutem collectas vidimus: quemadmodum etiam mulieribus, tum menstruæ purgationis omnimoda cessatio, tum immodica vacuatio, quum scilicet vehementer*
G *sanguinis profluvio laboraverint, hydropem accersiverunt. Libro quoque de malis affectis locis sexto, cap. 5. idem scriptum reliquit, quum menses plus iusto fluunt sequi colorem fœdum, pedes molli tumore attolli, corpusque universum intumescere, & multa alia, quę Galenus ipse varijs suæ doctrinæ libris inculcat.*



Curatio decimaoctava, in qua agitur de febriente, qui gelidæ potu sanus evasit.

H BLanquinus, qui ad diversorium extra urbem agebat, & nunc apud pistrium viam habitat, cum gravissimè febriret, & non quiesceret, & intensissimè sitiret, & cibum non retineret, & aqua illi à medico abnegata esset: ad eum cum pervenissem & in urina coctionis notas contemplaret, & aquę appetentiam

petentiam inexpugnabilem cum linguæ nigritie & ariditate notarem, illi gelidam ad satietatem concessi, qua illico vomuit, & postea copiosissimè sudavit, post quem febris ex integro deli tuit, & æger non amplius sitivit, imò quæ comedebat, ea retinebat. Cæterũ, octavo die à propinato syrupo rosaceo solutivo cum aqua buglossæ, optimè egessit, & tunc ex toto sanus evasit: non nullis tamen sequentibus diebus, ieiuno stomacho rhodosaccharum comedit, & aquam endiviæ desuper ebibit, & eius ventriculus oleo codoneorum, inungebatur.

Curatio decimanona, in qua agitur de extirpandis excrescentibus in collo vesicæ carunculis.

GAlterius Partinopolitanus, vir nobilis, & magnificus, annos natus quadraginta: cum iandiu gonorrhœã, hoc est, seminis profluvium pateretur, & nihil remediorum contra malum in venisset, in urinæ aliqualem suppressionem. Ischurian Græci dicunt, devenit, quo malo cũ gravissimè torqueretur, à me remedium quo carnificem hunc morbum expelleret, exposcit. Ego verò omnibus paratus lubens provinciã suscepi, ac morbum & eius causas considerans, deprehendo, carunculas, hoc est, carnis excrescentias collo vesicæ & urinæ meatui inesse, cum ij, qui gonorrhœam diuturnam patiuntur ulcera in prædictis locis ferè semper habere soleant, quæ nisi citò curẽtur, in ipsis spõgiosa crescit caro, ut alijs evenire percipimus ulceribus: quæ spongiosa caro quo minus homo libere meiet, & hymeneço aperam det, sua obstructione in causa est, ita enim urinæ meatus carunculis ij obstruuntur, ut urina difficulter excernatur, & non eiaculetur: sed guttatim potius destillet, aut in unam aut alteram partem divaricetur, & maximis conatibus & laboribus reddatur,

A non sine egerendi cupiditate, ut nostro eveniebat ægrotanti. Nam Doctor Castillius, vir me hercle bonus & suavis, Romæ hoc vexabatur morbo, qui præter gravia tolerata ab eo symptomata eo tempore, quo lotium excernebat, hoc uno cruciabatur maximè, quòd nisi fortiter pudendi radicem manu comprimeret, exactè non meiebat, idque magnis angustijs & pressuris. Vidimus autem, si rectè teneo, & curavimus probum hunc virum Romæ, anno millesimo quingentesimo quinquagesimo, cũ

B à Iulio tertio summo Pontifice pro sui salute convocati essemus. Neque ijs tãtum exuberantes carnes in vesicæ collo & urinario meatu esse indicium desumpsimus, sed magis ijs sequentibus, nam apij tirsum sive coticulum amygdalarum dulcium oleo primo intinctũ per urinarium meatũ indidimus, quo ad vesicam penetrare non potuimus, sed & cerea candela postea id tentavimus, prædicto inuncto oleo, sed frustra quoque, quia candela plicabatur, tandem ad catheterem, sive argenteam fistulam devenimus, qua ob carunculas impedientes ad vesicam non per-

C venimus, ultra quas absque saltu & sanguinis effusione, sive cerea candela, aut specillo, aut cathetere opus hoc tenemus, progredi possibile non est, ijs faciunt hæ, quæ carunculas omnino urinario meatui hærere exponunt, videlicet, eo tempore quo vir hic hymenæum celebrabat, semen genitale non eiaculabatur, sed guttatim potius emittebat, ex quibus omnibus facile coniecimus hunc carunculas pati. Cæterum conjicimus obstructionem hanc à ca-

D runculis ortam esse, non verò à lapillo, quia uniformiter ferè urina in viro isto semper profluebat, nam in ea quæ à lapilli fit obstructione, non semper eo modo urina redditur, quia aliquando libere & copiose cum eiaculatur urina, repente supprimitur, lapillo nimirum ipso ex fundo vesicæ in collum eius incidente, cumq. apprimè obstruente, aliquando verò contrario evenit, ut urina ex toto suppressa ob lapillũ

omnimodo obturantem, eo tamen propulso, vel cathetere, vel specillo, vel cruribus elevatis, facta concussione, libere urina redditur, quæ carunculas patienti non eveniunt, sed (ut dixi) uniformiter urina excernitur. Item discernimus carunculam à lapillo, intromisso cathetere, tactu saltem. Item quia vexãte lapillo, ad penis radicẽ prurigo maximè viget, quæ obstruente caruncula non adest: sed quod neque à copia tenacium & viscidarum superfluitatum prædicta obstructio in ægrotante isto evenerit, ex hoc satis probatum iri volumus: quia quæ ab illis evenire contingit obstructio, cæteris maior plerunq. est, adeò ut ex toto supprimatur urina. Cognito igitur in via morbo, eum deponere, & eradicare omnibus machinamentis tentavimus. Cæterum ne cum hunc extirpare curabamus, alterum de novo circa eandem partẽ evocaremus morbum, humores ad eam ruere faciẽdo, per pharmacum eos purgare proposuimus, ipsis per syrupos cum vijs & canaliculis purgationi facientibus, primo præparatis: habent autem syrupi sic. R. Syrupi de fumo terræ unciam unam, oxymelitis simplicis unciã meam, aquarum fumi terræ, lupulorum orraginis ana unciam unam. Misce fiat syrupus, capiat quinque: post quorum potum, catapotia hæc deglutiat. Recip. Pilularum de fumo terræ drachmam unam, aurearum scriptulũ unũ, diagridij grana tria, trochiscorum alandaal grana duo, cum syrupo de fumo terræ formentur pilulæ quinque, inaurentur, capiat hora sexta noctis, & dormiat, quibus optimè egesit. Soleo tamen ipse ijs sic malè affectis hominibus decoctum radicis sinarum, vel rubi viticosi, quem Hispani zarzam parrillam vocant, propinare, & postea ad curationem particularem devenire. Cæterum post celebratas universales evacuationes, partes urinæ famulãtes, fomentis & balneis, ac unguentis relaxantibus, & urinariam fistulam ampliantibus fotæ sunt: quæ ex malvis, brancha ursina, anetho, radice altheæ,

E apij, fœniculi, petroselini, & similibus sunt composita. Porrò ægrotus hic optimo, sed tenui victus ordine utebatur, sed potissimum quando candela cerato imbuta per urinarium meatum inserebatur, nam tũc & abstemius factus erat, sola hordeacea aqua iulebo mista, contentus. In universo quoque huius morbi decursu, venter semper responderet, si non sua sponte, balano, vel clysteri saltem, soliciti fuimus. Iis autem in ordinem dispositis, ad extirpandas

F carunculas condescendimus: pro qua conficienda operatione, ceratum hoc ad manus erat, & ita habet. Recip. Viridis æris, auri pigmenti, vitrioli, aluminis rochæ ana unc. duas. Omnia hęc aceto acerrimo perfusa, inter duos porphyrites lapides quam accuratissimè ducantur, in levoremque tenuissimum reddantur, & soli æstivali exponantur: hæc rursus, sic exiccata, aceto affuso ducenda sunt, & leviganda, solique exponenda quo usque pulvis subtilissimus

G evadat, & à medicamentis ijs omnis prorsus acrimonia extincta sit, quod opus octo dierum spacio conficies: hoc confecto & parato pulvere. Reci. Olei rosacei uncias quatuor, lithargirij uncias duas, ad ignem fiat coctura quousque emplastri modo corpulenti adquirat consistentiam: tunc ab igne deposito, adde prædicti pulveris uncias duas, & tudicula vel spatula misce, & ad ignem omnia tractato, quousque medicamentum duriusculum evadat: ita ut si candelæ cereæ, vel plumbeæ

H virgulæ hæreat, non diffluat, etiam si digitis tractetur: hoc enim emplastrũ, huius lernei, & Herculei morbi, clava existit, quod hymnis multis, & laudibus varijs decãtari meretur: nec solum huic morbo prodest, sed varios alios arcet, & explodit, nam polypos unicè curat, & extuberantes carnes, in aurium meatibus, & alijs locis repertas, unicè extirpat, & resecat. Præter emplastrũ hoc, cereæ candelæ numero viginti quoque in promptu erant, quæ ex alba cera paucula resina terebenthina adiecta, parabãtur, longitudinis duodecim digitorum

digitorum transversorum, crassitudinis verò prout nobis meatum urinariũ ferre videbatur, neque enim ut modo lectores, intelligant, candelarum harum crassitudo multum excedit crassitudinem earum candelarum, quæ in cereis tabernis venales habentur, & singulæ singulis trientibus, sive quatrinis aut marobotinis, venduntur, à quibus fili suprema pars, quo ignis accenditur quum eisdem uti volumus, præscindimus, & cuspidem digitis, ut decet adaptatus, nec minus ex plumbo tres vel quatuor virgulas plumbeas paratas habemus, longitudinis eiusdem quà candelæ cereæ paratæ sunt, & eiusdẽ crassitudinis, quibus quando carunculæ refractariæ & difficiles sunt, candelarum vice utimur. Ijs enim in ordinem dispositis, candelam ceream unam vel alteram per circuitum excavatam, eo modo quo fusi in cuspide, ne fila decidant, excavari solent, ex prædicto emplastro inunctam, per urinarium meatum, ægrotante optimè sedente, immittimus, ac per sex vel octo dies, singulis diebus una vel altera, ut decet innovata candela, continuò æger in vrinario meatu insertam habeat, neque absque ea, nisi meiendi tempore, agat necesse est: quia quo tempore meit, eam deponit, sed illico ut decet concinnatam remittit, in qua facilè locum affectum, hoc est, ubi caruncula, vel carunculę insunt, deprehendimus, nam ea pars candelæ quæ carunculam tangit, aliquantulum contunditur, & comprimitur. Porrò dignoscemus carunculas ex toto extirpatas & absumptas esse, ex tribus quatuorve signis. Primo quod candela iam facilè penetrat, secundo ex multitudine carunculatum putridarum extra emissarum, & humoris purulenti effluentis, tertio ex urinæ eiaculatione, facilè enim & expeditè, copiosè, ac recto tramite urina emittitur (carunculis ipsis absumptis) neque minori facilitate semen genitale emittitur, quibus adde mordicationem quam æger ob exulceratam particulã persentit, septimo autem die in

A ægroto nostro carunculas defecisse ex prædictis signis manifestissimè deprehendimus. Extirpatis igitur ac ex toto eradicatis carunculis, per octo sequentes dies nihil per siphonem inseremus, sola candela crassiuncula sicca, absque alicuiuis rei inunctione, immissa, contenti: nam tametsi carunculæ extirpatæ sint, non tamen ex toto portiunculæ quæ emplastrum subterfugiunt, brevi illo tempore deponi potuerunt: sed magis ut exactè excernantur, longiori indigent tempore, quas ad fun- B dum vesicæ non sine ulcerum vellicatione, & ægrotantis detrimento, si modo per siphonẽ quid iniecerimus, retrocedere faciemus. Satis igitur septẽ dierum spatio confectum habere putamus, si carunculas exesas habuerimus: reliquis autem septem plus minus pro ęgritudinis ratione, urinariu m meatum per candelam crassiunculam patẽ factũ habuerimus, per quẽ urina abstergẽdi, exiccãdiq; vim habẽs, libere & expedite exeat, secum caruncularum reliquias nonnullas viribus emplastri subterfugientes, excernẽs, quod unum C hac in curatione tãquam præcipuum adnotandum decrevi, cuius inadvertencia multi illico exesis carunculis, per siphonem liquida abstergentia inserunt, non sine tamen multorum ægrotantium pernicie, ut in scholijs patebit. Elapso igitur hoc tempore, quo & carunculàrum, & crassioris puris effluxꝰ cessavit, ad nonnullorum liquidorum vires abstergendi habentium iniectionem, per siphonem devenimus, quæ ita habent. ℞. Hordei inte- D gri non spoliati à cortice pugillos duos, radicis aristolochiæ rotundæ unciam unam & mediam, plantaginis herbæ pugillum unum. In libris duabus aquæ fiat decoctio ad medias, facta colatura, adde mellis rosacei colatici uncias duas, misce, & siphone per fistulam urinariam inijce bis & ter in die, & virgulam plumbeã, aut candelã cereã æger remittat, hoc enim decocto abstersorio nos utimur continuo, quo ad sex dies, pro huiꝰ ęgrotãtis abstergẽ

dis ulceribus pervenimus, quod si fortiori opus fuerit, ad aquam laphranci viridem, pro ulceribus exactè abstergendis, pervenimus, quæ ita habet. R. Aluminis rochæ, viridis æris ana unc. mediam, auri pigmenti drach. unam, in libris duabus aquæ fontis, vel plantaginis, fiat coctura ad ignem, quousque semilibra absumatur, & per saccū laneum trajiciatur, & coletur, quam aquam caphura alteratam, per siphonem in meatum urinarium injicimus, veluti cicatrizans medicamētum post elapsos plures dies, quod ita habet. Recip. Cerusę unciam unam, aluminis rochæ, lithargirij, ana drac. duas, in aqua caudæ equinæ fiat decoctio ad medias, & per manicam laneam trajiciatur & coletur. Iis enim vir hic intra mensem ex toto sanus evasit, veluti Chius homo magnus & robustus, qui apud domum Dionisij Chij quoque agebat, ut plures alios silentio præteream, quorū nōnullis, symptomata curationis tempore superveniunt, videlicet dolor intensissimus, ad quem sequitur rigor insolitus, & febris, aliquando hæmorrhagia, id est, sanguinis profluvium & huiuscemodi varia alia, quibus deposita candela, subvenimus, pro uniuscuiusq. symptomatis ratione. Nam si dolor adest, per siphonem, urinarius meatus colluitur lacte, aut aqua rosacea caphuræ admista, aut decocto ex semine lini, & fœnugræci parato, quod si acerrimus dolor ita sit, ut eum pati æger nequeat, tunc ad alterci decoctum devenimus, aut ad trochiscū ex cynoglosso, vel opij unum, vel alterū granum disso lutum in aqua rosarum, vel decocto ex similibus parato, quo exteriora foveri, optimum quoque est. Si verò hæmorrhagia fuerit, tunc ad ea quæ leviter oras venarum compescunt, confugiendum est, ut albumen ovi aqua rosacea optimè concussum, decoctum balaustiorum, caudæ equinæ, centum nodij, adiecto pulvisculo sanguinis draconis, boli Armeniæ, & similium sanguinem con stringentium.

E

SCHOLIA.

Videor mihi operepreciũ facturus, si cū omnium utilitatis, tum etiam æstimationis nostræ ratione habita, quid de hac curandi ratione & unde originem habuerit, quambrevissimè explicuero. Lacuna enim vir medius fidius suavissimus, & magni in arte medica nominis, libellum abhinc triennio Romæ *edidit, in quo divinas penè laudes huic extirpandæ carunculæ invento tribuit, & illius authorem Philippum hominem mihi notissimum facit, & ut est singulari quodam erga amicos candore, rationem curationis ab eodem Philippo traditam, nudis penè verbis, & sicut ab eo acceperat, tradit, nolens quantum ego existimo, alieno in opere ingeniosus haberi: qua-*
F *re & nonnulla in eadem curatione perpendenda & temperanda mihi sentio, & illud fugitivum inventum ad me quasi postliminio reversum, mihi ascribendum; sed hoc posterius. Primum ergo à me perpendendum, & temperandum in hac caruncularum curatione est, quod extirpatis ac excesis, ut medico videtur, carunculis, tempore sex vel octo dierū, illico, nullo intermedio tempore, ad iniectionē collyrij abstersorij pervenit: habet autem collyrium ex Philippo sic. R. Centaurij minoris, apij, caudæ equinę ana manipulum medium, hordei contusi, unc. unam, coquantur in libris duabus aquę purissimę, donec media pars ab-*
G *sumatur, postea decocto excolato, rhodomelitos, vel mellis centaureæ uncias binas adjicito, & per siphonem injicito. Est certè remediū hoc optimum, & huic malo apprimè excogitatum. Cęterum quod illico eum post discussas ac extirpatas carunculas, intra sex vel octo dies, nullo discurrente postea tempore, per siphonē impellat, non probo, cum inopportunum opus hoc, ut experientia compertum habeo, maxime obsit, & ratio est, quia caruncularum ramenta nonnulla commota, sed non ex toto excesa ab emplastro, ad plures dies, quam sex vel octo, (etiam libere & expeditè urina fluente) excernuntur: imo & crassioris puris quędam pars ad plures quoque dies defluit,*
H *quorum exitus per collirij & humidorum iniectionem impeditur. imo ea ad vesicæ fundum retrocedunt, unde symptomata gravia oriri solēt, & mala multa, præcipue si smegmate ex marmore & cristallo parato, pro cicatrizādis ulceribus usi fuerimus, ut inferius dicemus. Igitur sanum consilium fore putamus, si cum corrosæ carunculæ intra sex vel septem dies, ut nobis videtur, sunt, & ex signis deprehendimus, alios sex dies solius siccę cādelę immissione transegerimus, neque ita furibundè ad*
liquidorum

liquidorum iniectionem properavimus, quum earum infusione quoquomodo caruncularum & crassioris puris reliquiæ retinentur, quas facilimè urina extergendi & siccandi vires habens, tempore hoc signato ex toto excernet, & postea iniecta, securius & melius munus suum conficient. Item post abstersionem, ad ea quæ cicatrizant, ut ratio postulat], deveniendum est: pro qua complenda operatione, Lacuna ex Philippo, ita agendum suadet, dicens. Vlceribus iam puris redditis, inducetur cicatrix huiuscemodi smegmate per siphonem infuso. Recip. Aquæ plantaginis, rosaceæ ana uncias quatuor, seri lactis caprilli uncias duas, cerusæ uncias sex, aluminis rochæ, marmoris candidissimi, spodij, cristalli, singulorum drachmam unam & mediam, caphuræ scriptulum unum. Arida terantur acuratissimè, cibroq. excussa tenuissimo, humidis diligenter misceantur: hoc enim remedium est, quo cicatrices ulceribus Lacuna ex Philippo inducit, sed ut ego ingenuè fatear, medicamentum hoc periculosum admodum est, ut quod ex lapidum pulvere constat, quod cum etiam vesicæ cavitatem ingreditur, difficulter remittitur: imò seva eo symptomata criri solent, ut ipse sæpè experientia notavi, præcipuè in Helia quodam mercatore, qui ex Aulone Anconam venit: nam is cum carunculas in urinaria fistula pateretur, & difficulter urinam redderet: imò illi virga curva ob morbum facta esset ut liberis operam dare non posset, per me tractatus intra sex dies, ex emplastro, liberè & directè urinam emittebat, ut si quando alias. Cæterum quidam ex libro medicus, tanquam ex commentariolis nautà factus, medicamentum à Lacuna pro ulceribus cicatrizandis paratum (me absente) iniecit, ex quo, cum antea expedite & rectè post extirpationem caruncularum meieret, in omnimodam urinæ suppressionem hominem traxit: ex qua intra tres dies mortuus est. Caveant igitur medici artem exercentes, ne quid calculosum, aut arenosum, lapidosumve per urinariam fistulam impellant, cum periculosum admodum sit opus hoc, & in pernitiem ægrotos trahat: si hoc tamen smegmate Lacunæ, vel alio simili quis uti vellet, eum primo per manicam lanci panni traiectum habeat, suaderem, veluti lasranci abstersotiam aquam, aut alteram cicatrices inducentem. Quod verò ad inventum attinet, vellem sané & Philippus ipse, quem nunc Damasci agere intelligo, adeßet, profiteretur enim ingenuè per quos profecisset: est enim homo neque malus, neque ingratus. Is Vlissipponi, eo ferè anno quo Tunetum urbs clarissima, Cæsaris auspicijs subiecta est, cum ad me officij causa evenißet: est enim (ut nemo non novit) chirurgus rerum magis experientia, quam autorum lectione insignis: memini, cum mihi diceret, venisse in eam urbem è regione proximam, virum quendam satis divitem, qui urinæ stillicidio, & ut sibi videbatur calculo etiam laborabat: precatus itaque me est enixissime, ut hominem adirem. Ego verò partim amici præcibus, partim etiam compendiolo adductus egrotantem inviso adolescentem annos natum viginti quinque, qui in Africa & India, multa stipendia fecerat, is, ut milites intemperantes maiori ex parte esse solent, ex promiscua venere in morbum, quem Gallicum vocant, inciderat, cui malo, seminis etiam profluvium accesserat, quo biennium integrum laboraverat: erat tamen robusta quadam & militari planè temperie, unde mihi suspicio incessit, eum calculo non laborare, malus enim ille & carnifex morbus, & vires attenuat, & pallorem inducit, & quodam quasi vitæ tædium secum affert, imò longè alia symptomata præ se fert, per quæ ab altero discernitur. Ratus itaque id quod erat, apij thyrso, & alijs ut dixi, prius amygdalino oleo intinctis, per urinarium meatum immissis, facilè illum carunculis laborare deprehendo, continuoque ad ea remedia quibus ipse Philippus postea Romæ usus, magnam sibi authoritatem cum maximo quæstu, comparavit, descendo, brevique adolescentem pristine valetudini restituo. Non est mihi animus Philippum ingrati animi accusare, neque enim ille hoc inficiatur: hoc tamen unum dolet, quod cũ apud viros in re medica illustres, tũ apud Lacunã, alterũ Hispaniæ Gal. totũ hoc curandi inventum didiscerit, id tamen sibi adscripserit, impudenter me hercule, & ut ingenue loquar, ingratè: affuere enim curationi nostræ viri me hercule doctissimi & magnæ apud suos authoritatis, Ludovicus Munius Coimbrensis, Georgius Henricus Vlissiponensis; medici & philosophi nobilissimi, Manuel Lindus, astrorum cognitione florentissimus. Et ne ego in idem cum Philippo vitium incidisse videar, fateor Salmanticæ cum agerem, ab Aldereto medico clarissimo, & præceptore meo doctissimo, id curandi genus accepisse: sicut alia per multa, quæ me hercule, ut magna, ita apud me maximo in precio, & sunt, & habentur.

Curatio vigesima, in qua agitur de cerea candela, per urinariam fistulam immissa, & intus manente.

ANdreas Musca, propola Anconitanus, quum iam diu ob lapillos à renibus decidentes, in urinarij meatus ulcerationes deveniret, & consequenter in carnis excrescentias leviores, nō ita facilè neque expeditè, ut decebat, meiebat. F Cæterum hic, ut tantum malum fugeret, lotium liberè & expeditè redderet per ceream candelā curabat, at cum semel per urinariam fistulam, solitam candelam ceream albā immitteret, neque filo alligatam, aut portiunculam eius fortis relinqueret, factū est, ut ex toto candela delituerit, & intus maneret, neq. ad tres vel quatuor dies, eam extrahere fuerit posibile, ad fundum autem vesicæ tota plicata ipsa candela descendit, ex qua magnum gravamen, & nocumentum intus sentiebat, pro qua extrahenda, ex argento subtiles quasdam forcipes, ad rostri gruini figuram & formam parare fecimus, quibus nihil profecimus, cum lōgitudinis maioris, utpote ad minus quindecim digitorum transversorum essent, opus erat. Decet autem catheteres varij sint parati, alter quindecim digitorū transversorum, magnis viris deserviens, alter duodecim digitorum, minimus novem, sed fœminis accommodatus catheter, sic haberi debet, maior novem digitorum, minor sex tantum. H Item incurvi sint catheteres ij decet, potissimū viris servietes: quia viris magis intorquetur vesicę collum. Aegrotus autem hic, quum vir corpore magnus sit, ea suprema longitudine quindecim suorum digitorum transversorū, forcipes ut vesicæ collum attingerent, opus habebat. Cæterum, cū ægrotus hic nihil per forcipes proficeret, commēdavi ut chirurgus per anum digitum medium manus mitteret, ac paulatim ex vesica E candelam comprimendo extra mitteret, eo solito more, quo faciunt ij, qui lapillos ex vesica detrudere solent, ut eos in inguine, scapello incisorio primo emissario facto, extrahant. Hoc enim coadiumēto, intra tridunm, cera ex candela liquefacta est, ut ea & elychnium liberè cum urina exierint, & tūc æger liber evasit.

Curatio vigesimaprima, in qua agitur de cautela in propinando pharmaco.

VIrgo delicata puella Recinensis cum febriret, & nullum per os admitteret medicamētum purgatorium, ecce illi iuleb saltem ebiberet offero, cui proprijs manibus, pro suo arbitrio aquam frigidam misceret quoque inculco. Illa verò annuens, iuleb vice illico à pharmacopola syrupi rosati solutivi uncias quatuor afferre iussi, cui ilG la aquam infudit, & ebibit ac octies vel decies egessit, & sanata est.

Curatio vigesimasecunda, in qua agitur de puero detento symptomate epileptico, & postea in paralysim brachij & cruris dextri devenit.

FIlius Petrutij, Bergomatis mercatoris, annos natus tres, cum bene valeret, repente epileptico symptomate cruciatus est: nam oculos extra prominentes & immobiles habebat, os distortum, dentes calviculos, ut intra eos cocleare ligneum mittere, ad anhelitum facilitandum, & spumam & humiditates extra mittendas per os, per difficile fuerit. Ad hæc manus & pedes trementes, cum quibus pulsus non apparebant, præsertim in brachialibus, & spumam ad os non referebat. Perduravit autem

autem paroxysmus hic ad horas quin-
que, in quo perdurante, hæc machina-
ta sunt, primo indito balano, brachio-
rum & crurum frictiones, & eorum li
gaturæ pro corpusculi ratione, sunt ad
hibitæ, dein caput, collum, tempora,
cervix & pectus, oleo rutaceo fota sũt,
superaddita lana succida, ut à pecude
mactata carpitur, quibus mẽbris quo-
que ruta pista, magno iuvamento su-
perponitur. Cæterùm ignorant, & tan
quam parum in anatomia exerciti de
lirant, qui in hoc morbo, ad nucham
tantùm localia remedia admovent, to
to capite & thorace spretis, sed per os,
piper oxymelite scillino exceptũ pen-
na mittebatur, veluti per nares, ad ster
nutamentum evocandum, adiecta quo
que castorei portiuncula. At quum pa
roxysmus perseveraret, & remedijs
morbus reniteretur, cucurbitulas duas
scapulis, & totidem ad nares, vulnuscu
lis sacrificata cute, affigi fecimus, & me
dicamentum hoc per os iniecimus. R.
Pulveris seminis peoniæ, radicis peo-
niç, ana drachmam mediam, belzuini
nigri scriptulos duos. Omnia accura-
tissimè pistentur, & uncijs tribus aquæ
maioranæ, & altera syrupi de betoni-
ca excipiantur, & fiat potus, quem pau-
latim, ac per intervalla, per os iniiciat,
quo & balanulo subdito, multa egessit.
Tandem post quinq; horas paroxys-
mus quievit, cui febris madida, hoc est,
cum sudore supervenit, quæ per totam
noctem duravit, sequenti verò die,
pueri brachium dextrum, & ipsum
crus paralysi affecta esse visa sunt, cum
quibus puer quoque timebat, & quasi
ab umbra detineri videbatur, pro qui-
bus curandis affectionibus sic orsus
sum. R. Syrupi de betonica, stæchados,
ana unciam mediam, aquarum maio-
ranæ, origani ana unciam unam. Mis-
ce, fiat syrupus, quem tepidum capiat
in aurora, ebibebat autem puer hic op
timè ea quç illi ebibenda offerebamus.
At interim syrupus bibebat, crus &
brachium, oleo vulpino, & liliorum al
borum inungebantur, quin suprà ad-
dita lana succida fasciabantur: post ali-

A quot verò dies, leve hoc pharmacũ pue
ro dedimus. R. Agarici optimi drach
mam unam, gingiberis grana quinq;
salis ammoniaci grana duo, rhabarba
ri electi drachmam mediam, omnia
subtiliter pulverizentur, & linteo sub-
tili, & rarò excepta, in uncia una &
media oxymelitis per noctem infusa
maneant, & in aurora optimè digitis
comprimantur, ut medicamentorum
vis in oxymel abeat, cui oxymeliti ad
de, iuris pulli gallinacei, semiscutulã,
cinnamomi parum, misce, fiat potus,
propinetur ut decet, & desuper parum
dormiat. Hoc verò pharmaco puer
optimè egessit, & nocte sequenti ala-
criter se habuit, quod parentes, & fa-
B miliares in bonum reiecerunt, id eve-
nisse asseveranter, ob depulsum humo
rem corpus antea infestantem. Dein-
ceps verò brachium, & crus proprio
motu destituta, per integrum mẽsem,
ex unguento de bdelio, cuius descrip-
tionem inferius leges, inungebantur,
& lana succida cooperiebantur, non
nisi ex trochiscis ab aromatis, & myr-
rha vera, & similibus paratis, primo
suffitis, quin & universum caput cum
spina ex oleo costino, & de piperibus
C fovebantur, quibus remedijs, intra qua
draginta dies, mẽbra hæc ad proprium
suum motum, restitui fecimus adeò ut
quindecim frequentibus alijs, ambula
ret, & propria manu comederet, quam
optimè exercebat. Victus huic puero,
primis illis afflictionis diebus, ius pul-
li, pulvisculo cinnamomi respersum
erat, cui quoque medulla panis indeba
tur, postea verò ficedulæ, & parvæ ali-
tes in dumetis vigentes, præcipuè assç,
aut aqua coctæ, ut capi & gallinarum
carnes, fœniculo, mentha, anetò, basili-
co, satureia, hyssopo, & similibus para-
D tæ & cõditæ, uva passa auidissimè ves-
cebatur, veluti sacharo incrustatis cin
namomo, anisi semine, & corticibus
arantiorum. Potus primis diebus aqua
cinnamomi erat, postea aqua mellis
cũ pauca salvia, optimè cocta, succes-
su verò temporis, parum vini puero
concedebatur: ijs enim (ut dixi) puer
hic

hic intra duos menses ex integro sanitatem adeptus est. Porrò unguentum de bdelio ita habet, quo nullum præstantius aliud, pro hac complenda operatione comperitur. R. Bdelij drachmas sex, euphorbij drach. quatuor, castorei drachmas tres, serapini drachmas quatuor, ceræ drachmas quindecim, olei sambucini drachmas decem, bdelium, & serapinum dissolvantur in aqua rutæ agrestis, & cætera linantur aqua calida, & fiat unguentum. Cæterùm, puer hic nono die mensis Decembris, ann. 1552. in eundem morbum relapsus est, non adeò tamen ut primo sævum, cùm nullum membrum inde paralysi affectum manserit, curavimus tamen puerum à paroxysmo omnibus machinamentis sublevare, prout à nobis primo paroxysmo actitatũ esse vidistis, in quo ultra topica medicamenta oxymel scillinum cum pulvere peonię & belzuini, per os propinabamus, quin & glandes ex melle adiectis speciebus hieræ ex colocynthide indebantur. Veluti clysteres ex centaurio minori, semine cartami, fœniculi, & cumini, adiecto oleo anethino, rutaceo, & electarijs huic rei facientibus, ut hie rapicra, diaphinicone, adiecto aliquando uno vel altero grano trochiscorum alandaal. Porrò, ut puer olim medicamenta optimè in potu admittebat, ita nunc nihil eorum ebibebat, qua de causa, quum opus esset, ut morbi causam præscinderemus, singulis mẽsibus per diacitoniten purgatorium, à nobis excogitatum, puerum purgabamus, quod avidissimè puer ipse comedebat, & ita habet. R. Purgatorium diacitoniten, cidoneorum mundatorum libram mediam, mellis vel sacchari libram mediam, saccharum, aqua vel vino liquefiat, & fiat conditum ad ignem, cui addespecierum diaturbit uncias binas, misce, fiat diacidoniten purgatorium, cuius dosis sit pro vice, ad unciam mediam, parum vel minus, pro robore, vel virium ægrotantis imbecillitate, habita ratione morbi, & cæteris ad eũ facientibus. Habetur autem diaturbit

E descriptio, apud autorem Luminaris maioris, ubi diarob cũ turbit describit. Ex hoc igitur diacidonite, puer hic semiunciam ieiuno stomacho comedebat, & optimè egerebat. Sed unũ silentio præterire non est, quòd quum puer hic malè affectus incideret, ancilla domestica, annos nata triginta, morbillis correpta fuit, quibus puer illico infectus evasit, veluti eius soror ætate minor, sed brevi sanus fuit factus. At cùm bis vel ter puer diacidoniten gu-
F staret, postea omnino abhorruit, qua de re martijpanes purgatorios, prædictis speciebus apparatos concinari faciebamus, quos puer comedebat, & optimè purgabat. Et ut autem noscas, parvulo martiopani, specierum prædĩctarum drach. miscebamus, quem in aurora comedebat, & optimè absque anxietudine, aut turbatione aliqua purgabat. Huic autem mediocri purgationi similem fieri desiderabat Galenus
G puero suo comitiali morbo laboranti, & Aetius ex citris cum scãmonio catharticum parabat, sermone 3. cap. 92. pueros sic affectos purgaret, ad quorum imitationem multa similia parare possemus, quibus pueros, vel eos qui pharmaca renuunt, purgemus. Cæterum, quum puer hic hac curatione præservativa ad octo menses perseveraret, quia optimè tractabatur, & singulis mensibus (ut dixi) purgabatur, & collo radix peoniæ recens succosa pendebat, illi ex se caput exulceratum est, à quibus ulceribus, ichores
H multi exibant, fluebantve, neque quicquam super ipsa ulcera præter folium caulis ponere admittebatur, nunc verò puer optimè habet, & morbus ex toto iam eum reliquit.

SCHOLIA.

DVO in hac curatione in dubium vertuntur, primùm si accessio prior, ex qua brachio & cruri subsecuta fuit paralysis, dicenda erat accessio epileptica, vel potius apopletica, secundum, an oxymel scillinum ante propinatum pharmacum, & corpus mundum,

tutò

tutò puero dari poterat, vel non. Ad primum
respondentes, sic habeto, ex epilepsia veluti
apoplexia, paralysis oriri potest: quod Galenus
libris De locis malè affectis fatetur, & Avi-
cenna non negat, proprio de epilepsia capite:
Sed an accessio illa, qua primum puer hic af-
flictus fuit, & inde membra paralysi affecta,
contraxit, dicenda sit apoplexia, vel epilepsię,
respondeo, quòd in apoplexia & epilepsia de-
pravatus cerebri motus deprehēditur, & con
sequenter omnium membrorum, ut refert Gal.
lib. 4. De symp. causis, varius tamen, ut pau-
lo inferius exponam, & Gal. ipse docuit lib.
2. Aphoris. aphor. 45. Nam si corpus in pa-
roxysmo immobile absq; sensu & motu (salva
respiratione) iaceat, tunc ægrotum apoplexia
detineri dicendum est, ut refert Gal. lib. 2.
Aphoris. aphor. 42. quia ex ea actiones, quæ
pendent à voluntatis imperio, ut sentiendi fun
ctiones à profundo somno offenduntur ut ipse-
met Gal. dixit lib. 4. de symp. causis: si verò
in paroxysmo sit motus aut tremor, aut mem-
brorum contractio, pandiculatio, extensio, aut
saltus, tunc epilepsiam vigere dicemus. Huius
discriminis ratio est, quia in apoplexia est pri
vatio sensus & motus in universo corpore re-
pente eveniens, cum functionum operantium
læsione, ob oppletionem ventriculorum cere-
bri, quia igitur est cerebri ventriculorum ob-
structio, siue meatuū per quos animales spiri-
tus transeunt, oppletio, membrorum fit dissolu
tio, & consequenter privatio sensus & motus.
Est igitur apoplexia, morbus in compositione,
obstructio in meatibus, siue vijs spirituum ani-
malium, aut oppletio ventriculorum cerebri,
ad quam plura sequūtur, præcipuè priuatio
sensus & motus in universo corpore: unde apo
plexia, universalis est paralysis, & hac de cau
sa, si membrum paralysi afficiebatur, prisci
non paralysim appellabant, sed paraplexiam
hoc est, particularem apoplexiam. Differt igi-
tur apoplexia a paralysi, tanquam totum à
parte, in apolexia omnia membra afficiuntur
in paralysi verò, membrum particulare. Fit
autem apoplexia, ut alias dixi, ab humore fri
gido & humido crasso, in capite semper præ-
sente, epilepsia verò, ut inferius dicemus, non
semper humore in capite existente, oriri solet,
in qua depravatus pręcipuè cerebri motus ha-
betur: concussorius tamen & vitiosus, quia
non exacta ventriculorum cerebri oppletio,
aut meatuum obstructio est, unde nervi cum ip
so cerebro a se materias, ut noxium reiicere
tentantes, concutiuntur, & retrahuntur, &
consequenter convelluntur, & spasmo afficiun
tur. In accessione igitur apoplectica, corpus in
sensibile & immobile manet, in epilepsia verò,

A membrorum adest tremor, & motus vitiosus
ab accessione tamen epileptica, paralysis oriri
solet, quia nervorum aliquorum oscula occlu-
duntur, unde animalium spirituum transitus
prohibetur, ex qua obstructione, nervorum fit
resolutio, & consequenter, privatio sensus &
motus, ut in hoc evenit puero. Fuit igitur paro
xysmus hic epilepticus, in quo sensum & mo-
tum utcunque habebat, percipiebatve, in fine
cuius paralysis brachio & cruri consecuta est.
Dicitur autem morbus hic epilepsia, quasi cor
reptio sive apprehensio, quòd mentem appre-
hendens, corpus pariter corripiat, qui & mor-
bus puerilis & infantilis appellatur, sive ma
ter puerorum, quod eo pueri sæpe & frequen
ter corripiātur. Dicitur & lunaticus, vulga-
B ribus caducus morbus, Romanis comitialis, eò
quod si in comitijs cuiquam contigisset, comi-
tia dimittebantur. Vocatur & Herculeus
morbus, ex eo quia Hercules hunc passus fuit
morbum, aut, ut vult Gal. commentario sexto,
in librum sextū De morbis vulgaribus, aphor.
7. non quòd Hercules illi fuerit obnoxius, sed
quia hoc nomine huius morbi indicatur mag-
nitudo & violentia, quin & sacer & divinus
à Platone in Timęo, quia sacram & divinam
hominis partem corripiat, appellitatur, quan
quam Hippocrates libro De morbo comitiali,
si Hippocratis liber ille est, dicat, non magis sa
crum, aut divinum morbum hunc dicendum
esse, quam tertianam aut quartanam, quod
C Galenus confirmat, ubi supra sextò De morbis
vulgaribus. Cęterùm epilepsia tripliciter fieri
solet; aut essentialiter hoc est, per materiam
præsentem in ipso cerebro & capite, & tunc
materia plerunque pituitosa est, ut testatur
Gal lib. 3. De locis affectis, cap. 7. aut per
consensum ab stomacho, & tunc materia esse
potest biliosa, unde Philotæus enarratione vi-
gesimanona libri tertij Aphoris. cum inter-
prætatur aphorismum hunc, Iuuenibus autem
sanguinis spuitiones, tabes, febres acutę, mor-
bus comitialis, & alij, sed pręcipuè antedicti
inquit, epilepsiam autem non ob temperatu-
ram ætatis, sed ob erratum quod committitur
in ratione victus, vel ob bilem. Fit autem &
D epilepsia ex flavabile, quemadmodum dictum
est in libro De arte cognoscendi, cum mordea
tur os ventriculi, & cętera, quibus nos addi-
mus, quod materia aliquādo esse solet atra bi
liosa, vel corrupta, prava, os ventriculi mor-
dicans, ex qua prædictus oritur morbus, & pa
vores, ac insomnia terribilia, de quibus ait
Hippocr. lib. 3. Aphor. aphor. 24. In ętati
bus autem talia contingunt, parvis & nuper
natis puerulis, oris ulcera, quæ aphtæ vocan-
tur, vomitus, tusses, vigilię, pauores, umbilici
inflam-

*inflammationes, aurium humiditates. Tertio
autem, epilepsia fieri contingit per alterius
cuiusque membri communionem, ex quo au-
ra elevatur ad caput, & tūc maiori ex parte
à flatu sive ventositate, hoc est, materia ven-
tosa fit, id quod nos fieri in nōnullis pueris &
hominibus observatum habemus, & ante nos
Galenus quoque vidit, & literis mandavit,
unde rectè mea sententia Aristot. lib. De som
no & vigilia, morbum hunc ab spiritu, & va-
poribus fieri dixit, & Averrois non siluit li-
bro sui collectorij, quod verum esse novimus
aliquando, sed præcipuè quando ab aliquo lon
ginquo membro, ad caput causa cōsurgit, quod
& Hippocr. fatetur libro De flatibus, & tunc
morbus hic per cauterium inditum tali mem
bro, ex quo aura, & flatus elevatur, curatur.
Porrò, quòd ab atra bile quoque morbus comi
tialis fieri contingat, docet Hippocr. sectione
octava libri sexti Epidemiorum, Aphoris. 55.
ubi inquit: Atrabiliarij etiam comitiali mor-
bo corripi plerunque solent, & vicissim comi
tiales fieri solent atrabiliari, uterque verò
morbus magis fit, prout ad alteram partem in
clinarit, si quidem enim corpus inclinarit, co-
mitiales fiunt si verò ad animum, atrabiliarij
melancholici dicti. Ex quibus verbis clarum
evadit, si atra bilis cerebri ventriculos, vel
meatus, per quos spiritus animales permeare
solent, motum & sensum membris impartien-
tes, obturet, quod inde epilepsia oritur: si verò
atra bilis non ventriculos cerebri, aut meatus
dictos, obstruere contingat, sed cerebri tempe-
raturam, quam animam appellat, inficiat, tunc
non epilepsia consurget, sed magis melancho-
lia, hoc est, mentis alienatio, cum ijs tamen di-
xit Hippocr. eodem sexto libro de morbis vul
garibus, sectione sexta à quartana correpti, à
magno morbo, id est, comitiali, non corripiun-
tur, si verò corripiātur & succedat quartana,
liberantur. VBALD. Quid ad secundum du-
bium tibi respondendum videtur, o Amate,
quia contentiosus quidam, non nisi post purga
tionem scillinum oxymel dandum esse nervo-
se contendebat. AMAT. Id tibi, ut paucis as-
sequaris, respondebo, o Vbalde, Galenus igi-
tur puerum epilepticum, cui consilium inscrip
sit, ante omnia, veris initio purgatum deside-
rat: quo tempore, morbi qui per intervalla re
deunt, moventur: ac postea remedia peragen
da illi, & medicamenta propinanda tutò dare
iubet. VBALD. Quid inde igitur de oxyme-
lite. AMAT. Eo dicto consilio, puero comitia
li morbo laboranti, & Ceciliani filio, scripto
Galenus oxymel absolute, hyeme calidum,
æstate frigidum, omni in tempore, vel ex eo
cappares conditos pro obsonio cotidiano ad-*

E *mittit, & laudat; & eo magis si acetum per
scyllas præparatum fuerit, sequenti tamen fo-
lio, medicamentum ex scilla sive illud, si-
ve scillinum, vel oxymel scilliticum, post com
pletam purgationem, dandum esse suadet, di-
cens: Verum medicamento ex scilla præpara
to, quod tibi a nobis traditum est, post purga-
tionem, quam adveniente vere, moliendam
esse consuluimus, utetur sanè singulo quoque
die filius tuus, priusquam ad palestram acce-
dat: ex quibus verbis, satis notum evadit,
Gal. ex scilla medicamentum, post purgatum
corpus tribuere, non verò ante. VBALD. Id
fortè Gal. imperat, quia eius scilliticum medi
camentum acre & potens erat. AMAT. Ita
res habet, quia scillā cōminutam in vas orifi-*
F *cij stricti, ex quo mel fuit extractum inijcit,
eumque ad solem æstivalem, per quadraginta
dies, ante caniculæ ortum viginti dies, & post
eius ortum totidem, optimè operculatum, &
corio coopertum insolari, quousque scilla ta-
bescat, & in humorem vertatur, iubet, cui hu
mori scillino, mel vel acetum infundendum po
stea doces, unde mel scilliticum, vel acetum
scilliticum, resultat medicamentum sanè acre,
fortè, & potens, quod mea sententia, si non in
accessione ipsa, non nisi post universalem exa-
ctam purgationem, tuto propinari poteris.*
G *VBALD. Optimè de Galeni scillitico medica-
mento iudicium tuum proditum esse credide-
rim. Cæterùm, quum hodie illud non eo modo
paratum habeatur: sed magis secundum Mes-
ves descriptionem, officinis & tabernis aroma
tarijs vinale præstet, dubium totum eo verti
mihi videtur, si ante purgationem, hoc tutò
ægrotis propinari poterit. AMAT. Oxyme-
litis scillitici triplex descriptio á Mesue ha
betur, altera simplicis, quod tutò & securè, ubi
opus est, etiam non præcedente purgatione
universali, dari poterit, altera verò, composi-
ti, ex radicibus, quibus oxymel compositum
dictum, parari solet, quod nō nisi post evacua-
tiones peractas universales dari debet, altera
oxymelitis Democrito tributi, quod nisi post*
H *corpus purgatum, etiam tutò non datur, sed
oxymel Iulianum potens & acre est, ad multa
valens, quod Paulus libro septimo, suæ medi-
cinę citat, & Alexander Trallianus libro
primo capite decimo, & libro undecimo, ca-
pite De podagra ex pituita, perinde fecit,
quę omnia Galeno, libro secundo artis curati-
væ ad Glauconem superaddita sunt. Vt recep-
tui igitur canamus, & paucis multa conclu-
damus: dicim⁹, oxymeli scilliticū simplex pas
sim in officinis aromatarijs repertū, tutò ante
purgationem factam, ubi opus est, dari posse:
aliud verò non, nisi in ipso paraxysmo aut ubi
materia*

materia ita crassa & viscida fuerit, ut illicò principio pro ea incidenda, & attenuanda, uti opus fuerit, nam tunc quocunque horum, rectè uti poßemus. Cæterùm, de scilla, nunc sermo nobis incidit, de qua commentarijs nostris in Dioscoridem, attigisse consonum erat. Sed quum silentio præterivimus, nunc ad memoriam revocare non ab re erit. Galenus igitur lib. 8. De facultat. simpl. medic. scillam in secundo ordine excalfacientium collocat, cepam vero libro septimo eiusdem voluminis, ex eis, quæ quarto ordine excalfaciunt, esse dixit, de qua re multi mirantur, quum scilla venenosa sit, & lethalis, adeò ut suo veneno interficiat, cepa verò tantum abest, ut interficiat, ut eam etiam crudam homines pro obsonio quotidiano habeant: unde scillam potius inter ea, quæ valenter excalfaciunt, & quarto ordine reponuntur, collocandam esse, cepam vero secundo ordine tantum opinantur. Sed ij mirari desinant, quum res ut à Galeno est tradita se habeat, pro qua intelligenda, scire decet, quòd cepa tametsi quarto gradu calida sit, eius tamen caliditas crassis partibus miscetur, à quibus commansa obtunditur, adeò ut in nutriti substantiam abeat, quibus faciunt panis, & alia quibus vescitur, edulia, quæ cepa miscentur, & eius infringunt caliditatem: unde à calore corporis vincitur, transmutatur, & in nutriti substantiam vertitur in scilla verò caliditas illa, & incisoria vis secundum gradum attingens, superficialis est, nullis crassis partibus mista, qua ratione commansa, stomachum & interna membra, quæ attingit, facilè vellicat, corrodit, & exulcerat, de qua re cum multa dici possent ex libris De temperamentis decerpta: ea tamen consultò prætermittimus. Cæterùm, quia paroxysmum epilepticum, mense Decembri contingentem citavimus, placet quoque nonnullos, eo mense intervenientes appoplexiæ & epilepsiæ casus hic subiungere.

Curatio vigesimatertia, in qua agitur, de apoplexia illicò interficiente, & de apoplectico paroxysmo tres dies perdurãte.

Didacus Ferdinandus à Lapide, vir qui diu apud indos egit, & inde nobilem lapidem adamantum magni

A pretij & valoris attulit, unde illi cognomen à Lapide inditum fuit, quum septuagesimum ætatis suæ propè annum ageret, & optimè valeret, apoplexia correptus fuit, ita gravi & forti, ut illico mortuus conciderit, neque pulsus aut respiratio vel minima apparuerit, quæ plerunque per aliquod vel breve tempus comparere solet, ut in speculo percipitur, vel gossipio subtiliter carpto naribus admoto, & ori, vel scutulâ aquæ plena pectori superposita, aut alijs similibus. Obijt autem 22. die mensis Decembris, anno 1552. Sed quum hæc scribo, memoriæ occurrit, olim apud Ferrarienses puellam quandam apoplexia detentam fuisse,
B quę ab omnibus medicis pro mortua habebatur. Cæterùm, cum mater puellã summopere amaret, eã non ita facilè sepeliri permisit, & eo magis quia ab alijs perceperat, quod qui subitò & repente gravioribus ijs morbus corripiuntur, & pro mortuis habentur, non sic facilè & repentè clero sunt committendi. Demùm mater puellam per triduum apud se, contra omnium opinionem detineri fecit, & tertio die, puella quasi ex inferis sublevata, revixit,
C & hodie adhuc, ut audio, pulcherrimè vivit.

SCHOLIA.

Apoplexia morbus acutißimus est, in quo cerebri ventriculi læduntur, non verò cerebri ipsius substantio, quæ levis vel fortis, facilis vel difficilis iudicatur, pro respirationis facilitate vel difficultate, ut meminit Galenus libris Aphorismorum, & varijs alijs suæ doctrinæ locis. Cæterùm, suadent medici apoplexia mortuos ad septuaginta & duas horas non esse sepeliendos: quia intra hoc tem-
D *pus ea affecti, solent reviviscere, & ad se redire, sed qua ratione, Conciliator Petrus Aponensis libro suarum differentiarum respondet, quia omnes humores intra hoc tempus septuaginta duarum horarum, motum suum complent: nam sanguis continuò affligit, pituita quotidie, bilis de tertio in tertium, quòd tempus, ab hora qua bilis affligere incipit, usque ad eam, in quam desinit, complet horas*

quadragintaocto, melancholia verò, de quartò in quartum movetur: quod tempus circunscribitur septuaginta duabus horis, ut computanti notum evadet. Sed quum hæc literis mando, mulier quædam Hebrea se offert, quę cum continuos quadraginta dies integros, Hebræorum more ieiunaret, inde debilis facta est. Cęterùm, cum postea mali succi cibarijs vesceretur, multùm humorem pituitosum exaggeravit, ex quo cerebri cavitates occlusæ sunt, & obstructiones factę, ad quas privatio sensus & motus sequuta est, pro quibus recuperandis, & obstructione levanda, multa illico facta sunt & ad cauterium usque in commissura coronali perventum est, cuius loco, primo caput optimè rasum, aqua vitæ, vel oleo de saxo petroleo dicto, illinebatur, & ignita candela accendebatur, quibus remedijs, mulier hęc, ad se aliquantulum redijt. Sed medicus inscius ad eam iuvandam præsens, ex brachij secta vena, sanguinis uncias octo vel decem extraxit, unde mors certa consequutura, brevi supervenit, non sine doctorum hominum iniuria, & filiorum hominis iactura. Consonum fuerit hic enarrare id, quod olim Salmanticæ celeberrimo Hispaniarum studio, evenerit, & ita habet. Doctor reginæ Isabelę (ita enim vir hic vocabatur) abhinc annis viginti octo, medicus, prout illa ferebat ætas, doctus, & in universa Hispania in maximo pretio & honore habitus: cum ęgrotum quendam invisere, ac illi pulsum nõ adeò debilem cõperiret, non illico neque ita brevi eum moriturum, assistentibus discipulis, qui eum comitabantur, prædixit. Cæterùm, cum vesperi eundẽ de more invisum rediret, & è mula iam desilierat, quidam ex illis qui ægroto astabant, illi ad scalas obviam venit, ęgrotum obijsse exponens: medicus verò utcunque rem novam admiratus, non ita tamen huic, qui ęgroti obitum exposuerat, fidem habuit, fortè iudicio suo, magis confisus, ut qui non multis antea horis, hominis malè habentis vires comprehenderat, ex quibus certus erat, eum non ita de facili moriturum, prout quoque assistentibus, & discipulis prędixerat. Vt generosus igitur & magnanimus medicus, ad ægrotum utcunque mortuum pervenire nõ dubitavit, quem primo aspectu, panno contectum, & Franciscana veste indutum conspexit, non nisi varijs reverendis monachis circum astantibus. Tunc verò gravissimus, magna animi constantia, eum detegere fecit, & eius in metacarpio arteriarum motiones exploravit, quas vigere adhuc deprehendit: proinde eum ad cubile reverti fecit, & præsidijs idoneis adhibitis, ad se redire fecit, qui postea multos vixit annos.

E

Curatio vigesima quarta, in qua agitur de puero epileptico, oculos torvos & aspectum horridum habente, solo cauterio ad nucham indito, sano reddito.

PVER viri probi, ex Monte sancto Recaneto civitati propinquo, annos natus duos, cum iamdiu epilepsia gravissimè torqueretur, ut ex ea oculos
F torvos, & aspectum horridum, contraxerit, & directè stare nequiret, cum multa pro eius salute excogitata essẽt, sed frustra, nostro consilio, ex Albucasi lib. 1. cap. 11. parti superiori nuchæ, candẽte ferramento, ignitus fuit, quo in foramine cicer inditum fuit, quod sæpè innovatur, & ex eo ita pus effluxit, ut puer ferè sanus sit. Nam post inditum cauterium, epilepticus paroxysmus, non amplius visus est, & oculi, & aspectus non ita torvi cernuntur, sed nondum directè stare potest:
G credimus tamen optimo victu proposito, puerum hunc ex hoc morbo liberatum iri, & eo magis, quo grandior evaserit, quum puerorum ætates in calidiorem & sicciorem temperaturam vertantur, unde Hippocrates, Aphor. lib. 2. aphoris. 45. dixit: quicunque iuvenes morbo comitiali laborant, mutatione maximè ætatis & temporis, & locorum, & victum quoque liberãtur. Philotheus verò in enarratione notat, dicens. Cum enim transmutentur iuvenum ætates, hoc est, puerorum, in calidiorem & sicciorem temperaturam,
H maximè confert epilepticis affectibus. Huius pueri avus, vir sexagenarius, per scalas cecidit, & varijs locis percussus fuit, præcipuè in frontis alta parte, unde oculi alterius palpebra, cecidit, & oculus claudebatur, neque ex eo videbat, nisi quũ manu palpebrã elevabat. Facta autem erat superioris nervi, sive musculi resolutio, qui cęteris alijs crassior

sior est, providente natura, pro sua obeunda functione, hoc est, pro substentanda palpebra superiori oculi. Cæterum, hic paucis elapsis diebus graviori apoplexia oppressus, suum diem obijt, credere utique est, etiam, quod quando per scalas cecidit, appoplexia correptus erat.

Curatio vigesimaquinta, in qua agitur de febre sanguinea.

Filius illius, qui ob nervorũ resolutionem, ut serpens repit, vigente æstate, continuo febricitabat, non dormiebat, oris dulcedinem primo sensit, quæ postea in amarorem versa est, lotium crassum, rubrum emittebat, in quo nebula spissa, ac sedimentum rubricans cernebatur, pulsus crassus erat, frequẽs, & plenus: nam hic iuvenis erat, bonæ habitudinis, ad quem accedens secundo die ægritudinis, illico post alvi excrementa, per clysterem deposita, sanguinis libram ex interna brachij dextri vena secta, fluere feci, & postea syrupum hunc ebibere iussi. R. Syrupi de cicorea simplici unc. j. acetosi simplicis unciam mediam aquarum endiviæ, acetosæ, ana unc. ij. Misce, & frigidum bibat. Elapsis verò tribus horis, panatellam simplicem pro victu habuit, & hordeaceam cum vino granatorum, & iulebo pro potu, vesperi vero cum de more eum inviserem, ab eo sanguinem extractum, ita infectum conspexi, ut ex eodem venę foramine, quindecim alteras sanguinis uncias extrahere fecerim: à qua sanguinis missione, optimè sudavit, & ea nocte, quievit, & placide dormivit, & ut paucis dicam, ita rectè habere cœpit, ut ante septimum diem, epoto syrupo rosato solutivo, decocto tamarindorum diluto, sanus evaserit.

A

SCHOLIA.

NISI enim ijs in febribus, copiosè ita sanguis dematur, in biliosam degenerare solent, ut prioribus dixi Centurijs.

Curatio vigesimasexta, de febre continuo affligente cum ingenti capitis dolore.

FRanciscus Vincẽtinus mercator, natus annos quadraginta tres, cum Venetijs Anconam se reciperet, febri

B

continua affligebatur, quæ singulis noctibus accessiones habebat. Cæterùm huic cum multa remedia & varia, post purgationes, & sanguinis missiones, fecerimus, & semper de dolore ingenti capitis quereretur, illi frontis venam secare fecimus, & sanguinem ad uncias sex demere, qua sanguinis missione dolor evanuit, & æger optimè se habere dixit. Porrò, cum æger in nonnullis deliquerit, dolor denuò pullulavit, sed iterum secta frontis vena, ex toto evanuit, & æger ex integro convaluit, fuere autem omnes ægritudinis dies viginti duo.

C

Curatio vigesimaseptima, de muliere febriente, quæ postea, cessante febre, in anxietudinem, & animi deliquia devenit.

D

HVius uxor, mulier iuvenis sterilis, marito malè habente, rigore primo affligi cœpit, ad quẽ postea sequuta fuit febris, ad aliquot horas durans; sequenti die, eadem hora rigor supervenit, succẽdente prædicta febri, ut duplici tertiana mulierem hanc corripi dicendum sit, pro qua propulsanda, & sanguinis missione, & debitis per pharmaca purgationibus usi sumus:

quibus optimo victus ordine constitu-
to, ex toto intra quindecim dies abi-
vit. Cæterùm propulsata febre, mulier
hæc in anxietudines, & animi deliquia
incidit, pro quibus tollendis frictiones
plures & retractiones in partes infe-
riores, à superioribus fiebant: quin
etiam per nares suffumigium ex rebus
malè olentibus fiebat, sed partibus infe
rioribus, hoc est collo matricis, pessi ex
mithridato & Gallia moschata inde-
bantur, tentatis prius alijs ex mercuria
lis thyrso paratis, quibus aliquãtulum
bene habuit. Porrò cum maritur re-
ctè valuit, & ipsam rectè valere inve-
nimus, appetebat autẽ uterus, ob com-
pressum semen, unde eiusdẽ uteri ad
superiora recursus erat, qui strãgula-
tus, seu uteri suffocatio, appellatur.

Curatio vigesimaoctava, in qua agitur de dysenteria.

MVlier Chia, nata annos quinquã
ginta, obesitatis mediocris, dysen
teria vera laborat. Nam intestinorum
dolores patitur, & assiduè egerit, sed
tribus elapsis diebus egestiones cruen-
tæ sunt redditæ: huic tunc clysteres
varij sunt facti, & exterius unguenta
constringentia applicita. Cæterùm
cum dolores assidua excretione perse-
verarent, & febris ingens compareret,
basilicam dextri brachij aperire feci,
& sanguinis uncias quinque extrahe-
re: qua sanguinis missione syrupum
myrthinum consuetum ebibit, & cly-
steres constringendi vires habentes
sunt inditi, quorum exemplum sic ha-
bet. R. Aquæ hordei, in qua balau-
stium verum incoctum erat lib. j. sevi
hircini, olei myrt. ana unc. ij. albi ovi
optimè concussi numero duo boli Ar-
meniæ sanguinis draconis, ana unc. ij.
pilorum leporis drach. j. Misce fiat
clyster quem proposse retineat, ab ijs
enim melius habuit. Cæterum cum ad
aliquot dies sic incederet, & non fre-
E quenter egereret, sed intestinorum in-
gẽtem dolorem pateretur, clysteres ex
decocto radicis altheæ cum sevo hyrci
no, & oleo myrtino paratos inijciẽdos
mãdavi, quibus melius valuit. Cæterũ
huic victus, panatella ex similagine, &
iure pedis vituli parata erat, potus verò
interim dum febris vigebat, aqua caly
beata, postea verò vinum rubrum cras
sum, quod de Aulone Anconẽ afferri
solet, & illud aqua calybeata & ferrata
diluebat, ultimo receptis suffumigijs,
basilicè & potenter valuit, habent autẽ
suffumigia sic. R. Thuris, mastichis,
sanguinis draconis, boli Armeniæ, la-
dani, corticũ pineæ, ana partes æquas,
omnia in polinem reducantur, & cum
resina terebẽthina, misce, & fiat massa,
F ex qua drach. unam vel alteram super
ignitas prunas, inijcito, & super sella
perforata sedens mulier optimè vesti-
mentis circumdata suffumigium reci-
piat: ijs enim ut dixi, mulier hæc sana
evasit; veluti plures alij hoc tempore
dysenteria laborantes. Cruciabantur
autem tunc pueri dysenteria, ut filius
Vincentij Chij, filius Celarij, filia Ioan
nis Teutonici mercatoris, prædictæ
mulieris ægrotãtis nepotes duo, puella
Antonij pharmacopolæ, filia Petrolij,
G qui ad portum agit, & plures alij.

Curatio vigesimanona, in qua agitur de recidiva cuiusdam ægrotantis.

DAniel Papus, iuvenis biliosus ad
ustionem declinans, ijs diebus fe-
H bricitavit, febri quidem continua: illi
bis secta fuit vena, & pharmacum post
humorum præparationem per syrupos
concessum, & tandem bene habuit, in-
teriectis verò octo diebus, in quibus
bene valuit, cum plus iusto comederet,
in febrẽ recidit, & eam quidẽ intensam
capitis cũ dolore, & oris amarore, pro
qua levanda, secundo die recidivæ
hunc

hunc potū illi obtulimus, & sequenti die à febri & symptomatis fuit immunis, habet autem potus sic. R. Syrupi rosati solutivi unc. quatuor, aque cicoreæ uncias tres, misce, fiat potus, quem ieiuno stomacho bibat, quo optimè alvus respondit, imo eo quoque evomuit, & tandem sanus ex toto fuit.

Curatio trigesima, de febre continua cum capitis dolore, & renum gravedine, ac oris amarore.

CArmonensis, qui magnas & ingentes casei Parmensis rotas vendebat, iuvenis annos natus triginta, febri continua corripi cœpit, cum qua & caput dolebat, & renum gravamen sentiebat, quibus & de oris amarore maximè querebatur, hic ex se primo bilem meram vomuit, ad quem postea ipse perveniens, illico haustum hunc illi descripsi, & ita habet. R. Syrupi rosati solutivi unc. quatuor, decocti tamarindorū unc. tres. Misce, fiat, haustus unus, quē frigidum bibat, quo optimè egessit, postea vero cum febris quoque vigeret, & lotium rubrum & crassum appareret, sanguinis unc. sex ex basilica educi feci: syrupos autem acetosos, & de endivia tunc bibebat: post quorum bibitionem, apparente concoctione in urina, pharmacū leve ex rhabarbaro propinatum fuit, & sanitatē obtinuit. Nam capitis dolor post primam evacuationem adhibitam, oxyrhodino applicito, evanuit: veluti renum gravitas, post eorum inunctionem ex Galeni refrigerante, cerato dicto. Victus huic, carnes pullorum & auicularum erat: potus verò, primò hordeacea vino granatorū excepta, sed postea vinū ὀλιγόφορον pauciferum dictum.

(⁂)

A

Curatio trigesimaprima, de vesicula duriuscula, & nigricante supra dentem nascente.

PVER natus annos octo, cùm dentem ex incisorijs superioribus, mobilem haberet, illi filo ad alligato, ut pueri facerę solent, eum extraxit. Cæterum elapsis ferè tribus mensibus, denuò dens non apparebat, sed indies magis vesicula nigricans, dentis loco conspiciebatur: quam pueri parentes sic videntes, maximè conquerebantur & condolebant: qua de re puerum ad

B me deferre curarunt, quem quum animadverto iudico subnigrum tuberculum illum comparentem, venæ alicuius oram esse: in quam sententiam postea medici alij, doctrina, & experientia nobiles venerunt. Demùm accersitus chirurgus, meis mandatis sub duriusculam vesiculam illam aqua argentariorum, forti dicta, tetigit, gossipij pauco ad os & linguam indito, ne aqua cadens, partes has vellicaret exederetve: quam cum ter, vel quater, in

C tra tres vel quatuor dies tangeret & exureret, ex toto vesicula corrosa & extirpata fuit, sub qua dens albissimus comparuit, non sine applausu parentum, & artis laude, poterat & opus hoc oleo vitrioli confici, veluti oleo ex antimonio & sublimato destillatitio.

Curatio trigesimasecunda, in qua agitur de febre.

D BArtolinus, qui melopepones ad forum herbarium vendebat, vir robustus rigorifica febre correptus fuit, & illico prima nocte deliravit, & anxie tulit, ad eum verò in aurora accedens, ex brachij dextri vena communi, sanguinis uncias decem extrahere feci, & syrupum hunc ebibere. Recip. Syrupi de succo acetosę, nenuphari-

ni, ana unc. unam, aquarum acetosæ, lactucæ, ana unc. duas. Misce fiat syrupus, sed & de ventris respõdẽtia, nobis cura erat: sequenti verò nocte, tametsi febriebat, placidè tamen & quiete noctem transegit, demùm, sexto die, ab epoto pharmaco, quo optimè egesſit sanus evasit, terminãtur autem Anconæ morbi, aut ad salutem, vel ad mortem, brevi, ut Centuria prima harum curationum medicinalium meminimus: præcipuè ubi de crisi & diebus decretorijs egi.

Curatio trigesimatertia, in qua agitur de puero febrem continuam patiente.

FIlius Benedicti lapicidæ, apud Iudæorum synagogam habitat, ætatis decem annorum febri corripiebatur continua, quæ noctu affligebat magis semper: huic ani venis applicitæ sunt sanguisugæ duæ, & post quartum ebibitum syrupum, apparente in urina concoctione, rhabarbarum cum agarico noviter parato, in decoctione florum & fructuum cordialium, adiecto electario catholico ebibit, & brevi sanus fuit. Iecori porrò, santalinum unguentum admovebatur, & ad aliquot dies postea, rotulos ex speciebus diarhodonis abbatis, & speciebus electarij trium santalorum saccharo confectos, comedit: super quos aquam stillatitiam endiviæ bibebat, & optimè habuit. Cæterùm unius rotuli pondus drachma erat, aquæ verò unciæ tres.

Curatio trigesimaquarta, in qua agitur de puella, quæ aqua ebulliente fuit excocta, unde symptomata gravia traxit.

PVella illius, qui apud Antinorium agit, aqua ex igne ebulliente, supra E ventrem ad umbiculum excocta fuit: unde vesiculę & bullæ, ortæ sunt, à quibus postea ruptis, ulcera evaserunt. Cæterùm puella tunc non adeò malè habuit, sed vesperi tota rubra est facta, & tanquam mortua iacebat: ad quam vocatus, ex populeone unguento totum eius ventrem illini feci, & vitis folia superaddere: quo remedio intra quatuor horas puella ad se redijt, & paucis postea diebus ex toto sana evasit. Quòd verò intus intestina ex aquæ ingenti F caliditate tumuerint, unde symptomata dicta ortum traxerunt, pro certo crediderim: ulcera tamen postea ex unguento à calce sepè lota parato, sana sunt reddita.

Curatio trigesimaquinta, de crurium dolore, cum aliquali tumefactione, ob moram in aqua frigida contractis.

G GAurius, vir fortis & robustus, cùm crura in gelida sepè haberet, in eorum dolorem cum aliquali tumefactione incidit, pro quibus curandis affectionibus, brachij interna vena secta fuit, & sanguinis uncię sex extractæ, postquam venæ sectionem, ac per pharmaca evacuationes, fomenta & lavacra, digerendi & roborandi vim H habentia, paravimus, quibus melius se habuit. Cæterùm retractionibus, & frictionibus, ac ligaturis circa partes inferiores ad superiores adhibitis, ex toto sanus evasit, ut verè proditum fit theorema à medicis & philosophis receptum, contrariorum contraria sunt remedia.

(?)

Curatio 36. de Epilepsia in muliere gravida Aborsũ causãte & de aliquibus post abortum symptomatis, in locum suppressæ à quodam doctore Barcinonensi substituta.

MVLIER nomine Maria Guillermi Portas sartoris uxor, in vico gladiatorum, annos nata viginti, gravida cum esset, & in ultimis spectationis partus diebus, nona Februarij circa horam quartam post meridiem, subitò convulsa manens stridebat, ab ore spumam emittebat non audiebat, & oculis inconniventibus, non videbat & minime loquebatur. At ex tam subitò evenientibus malis vicinæ & maritus moriturã mulierẽ unà cum fœtu pro certo sperabant. Ad hanc vocatus, ægram sympathica laborare epilepsia dignovi, non solum orta uteri causa, quæ videbatur evidens, sed & ventriculi, quam, ut mihi dixerunt, attestabant morsus orificij ventriculi, & anxietudo post, & ante cibum, de quibus conquerebatur iam multo antea diebus & mensibus transactis. Namq; ista mulier ex ante acta victus ratione, & quia plurimo potu erat dedita & intempestivo, abundabat circa primas venas humoribus crudis; & propter hoc, cum esset temperamento melancholica, ut ex faciei colore nigricante & totius corporis, ut illius actiones animales & naturales in testimonio erant, facile in hunc sympathicum epilepticum incidit affectum. Vnde occasione accepta à plenitudinis indicatione, ex precepto tam communi ab hyp. 2. aphor. lib. 22. sent. exarato, statim evacuare cœpi hoc injecto clysmate. R. Hieræ compositæ & benedictæ laxativæ ana. unc. dimidiam bu-

A tyri recentis unc. duas rhodomellis unc. quatuor olei rutacei & anethitini ana unc. duas pulveris trosischorũ Alandaal drach. ij. decocti ad enemata communis lib. j. ß. vesperè iniectione facta multum per sedem illa nocte evacuavit. Et cum morbus nullas aut paucas dabat fiducias sequentibus auxilijs urgentiori occurri: moderando primò rationem victus propter fœtum, de quo statim anxius fui, & prospiciendo cerebrum, tanquam a parte recipiente humoris fluxionem divertendo, & derivando ab onerato capite; cucurbitu-
B las cum scarificatu scapulis affigere cum magna flamma & phænigma utrique brachio apponere iussi; capillos etiam è capite radere, & lotione facta ex decocto florũ cammomillæ mel liloti, seminum anisi, anethi, fœniculi, lini, & fœnugræci, cum aliquibus herbis digerentibus & alterantibus, simul cum oleo anethino, rosaceo, camomellino, & pauco aceto rosaceo caput ungere feci, & pannum lineum simili unctione imbutum desuper imponi, pala-
C tum & linguam cum mitridati confectione fricare, nec non etiam confectionem cardiacam convenientẽ morbo, & fœtus conservationi diluendam, cum aquis viperinæ & buglosæ utendam fore præcipi, ut sic. R. Limonatæ smaragdorũ drach. duas, confectionis gentilis cordialis drac. unam, & dimidiam, pulveris seminis & radicis peoniæ maioris ana scrup. duos coralli rub. præparati, margaritarum præparatarũ & cornu cervi usti ana scrup. unum cum syrupo destoechade misce,
D Per totã illã noctẽ, facto prognostico ex hippocratico oraculo, mulierẽ acuto morbo correptã moribundã fore reliqui. Altero vero die ad illam invisendam cum vocatus fuissem hora quasi nona, mihi retulerunt hora octava filium mortuum peperisse, & a partu febrientem & catephoricam inveni. Illico cum iussissem ut me præsente insurarũ spatijs ligaturas stringerent, & vellicationes digitorum facerent, oculos quasi clausos aperuit, clamavit, &

voces claras & distinctas emisit: conquerens se pati lancinationes & dolores circa imum ventrem & regionem uteri, ut solent plurimæ mulieres post partũ vexari, & iudicãs expulsu de virium robore: de recuperanda salute fuit apud me certa fiducia. Nam succedente purgatione partus in nostra hac puerpera, quamvis erat diminuta & putrida, quam lintamina à me visa ostendebant, statim cucurbitulis cum magna flamma suris affixis & absque scarificatu (quia de fatigata ex labore transacto erat mulier) vesperi lochiorum purgatio non respondens sanguinis plenitudinis, ex pede sanguinem ad uncias sex extrahendum iussi, ut naturæ motum iuvarem: & ut purgamenta partus magis moverentur, syrupum ad potum præscriptum interdiu noctuque per quatuor continuos dies ebibit. ut R. decocti capillorum Veneris, agrimonij, melliss., betonicæ, endiviæ, seminis anisi, cinnamomi & trium florũ cordialium uncias decem, syrupi capillorum Veneris, de duabus radicibus, & endiviæ compositi ana unciam unam & dimidiam, cum pauco pulvere optimi cinnamomi pro potu miscendo. Quarto vero die adhuc perseverantibus aliquibus ex symptomatis dictis, & valida facta febri, cupiens venam ex altero pede aperire & eandem quantitatem sanguinis extrahere, me nesciente accercitus fuit quidam ex medicis nostratibus, qui multum in nostra arte sibi arrogat, sed vendit fumos, controvertens si sanguis mitteretur ex brachio. Veruntamen, cum indicationes stabant, & rationes in contrarium videbantur, ex inferis partibus ab altero pede eadem sanguinis quantitas extracta fuit, maximo cum ægrotantis commodo, & pro dolore ventris & uteri cedando, cum spongijs & lini filamentis fotum ex sequenti decocto præscripsi faciendum. ut, R. decocti artemisiæ, calamenthi, pulegij, origani, hysopi, ana manip. j. florum cammomillæ, melliloti, utriusque stœchados & lavendulæ
E ana pugil. j. seminum anethi fœniculi, carvi, & anisi ana drachm. j. seminis lini & fœnugræci ana unc. dimidiam, pro fovendo toto ventre: postea ex oleo anethino, rutaceo, cammomellino, butyro, pinguedinæ gallinæ, & anatis, facto linimento totum inungere ventrem mandavi. Sequenti vero die convaluit mulier: & videns assistens medicus ex illa sanguinis missione & ex reliquis factis remedijs cõmodum, a visitatione se abstinuit, & aliquali perseverante febricula in reliquis pur-
F gationum diebus, ut magis commoda & humoris digesta redderetur purgatio, & per uterum duceretur è toto corpore humor, solo hoc apozemate, & optimo & convenienti regimine seu victus ratione mulier per octo continuos dies utendo. ut, R. decocti quinque radicum aperitivarum, cichorij cũ toto, endiviæ, borraginis, buglosæ, capillorum Veneris, mellisæ, passarum, prunorum, seminis anisi, cinnamomi & trium florum cord. uncias sex, syrup. capillorum Veneris & endiviæ compositi ana unc. unam & di-
G midiam, misce pro duabus viscibus, & cũ non respõderet alvus, clyster ex eisdem rebus absque trocischis Alandaal, quia remissa erant symptomata bis, aut, ter fuit repetitus: die verò decima quinta a partu & decima sexta à morbo purgata fuit hac catartica potione ut R. Syrupi rosarũ ex novẽ infusionibus Alexandrinarum unc. quatuor pulveris specierum electuarij ex carthamo drac. tres, decocti florum & fructuum cõmunis in disolvẽdis solutivis
H in officina dicti, quantum sufficieret, in quo infusa fuit uncia una singulorum fol. & folicul. senæ & medullæ seminum carthami, expresione facta fuit mixta potio, ex cuius exhibitione multa humorosa melãcholica, & serosa ejecit, ex qua evacuatione manens sana & salva mulier in omnibus Deo adiuvante adhuc vivit leta, & optima fruitur sanitate.

SCHO-

SCHOLIA.

DEcantatũ pluries est. gravidę succedere
abor∫um, quãdo morbus acutus accidit:
non ∫olum ratione acuti morbi, ∫ed ex auxilio
rum adhibitione periclitatur mater & foetu-
ra. Quo probato con∫tabit quantum periculi
inferat affectionib. acutis prægnantes corripi.
Qua propter purgationem interdicit Hypocra
tes utero gerentib. ni∫i materia turgeat, ∫en-
tentia prima aphori∫morum quarti libri, &
venæ ∫ectionem abhorret ∫ententia trige∫si-
ma lib. quinti, dicens, utero gerens, ∫anguine
mi∫∫o ex vena abortit: inędiam vero morbis
acutis proficuam ∫u∫tentare nequit, ut ex Ga-
leni commentario ∫ententiæ ∫eptimæ libri pri-
mi videtur. At, cum duplex ∫it acutorum na-
tura; nam alij ∫ine febre exi∫tunt (qualis at-
tonitus, epilep∫ia, ac per∫imiles) quidam comi-
tem eam habent. His omnib. ut plurimum &
periclitatur mater, & foetus, cum non ∫olum
acuti morbi ∫int: ∫ed valde acuti. Vnde ∫i ac-
cidat prȩgnanti acutus morbus, ex eo, quia
∫tatus illius naturæ ∫int imbecilles, ut pluri-
mum, & deterioris habitus, quod probat Hy-
pocrates primo libro de mulierum morbis di-
cens, mulier cum in ventre habet, tota fit cum
virore pallida, opprimitur multis modis. Pri
mo, quod fere omnia auxilia renuit, tum quia
obnoxia est abor∫us periculo, & vi morbi, &
auxilijs: & cum ∫it deterioris habitus & im-
becillibus con∫tet virib. eam curare, & a cu-
ratione ab∫tinere periculo non vacat. Quo cir
ca cum auxilio de∫titui non liceat, moderari
in ea auxilia opus est, ∫umpta ∫emper indica-
tione ab ∫tatu ægrotantis, affectionis natura,
& periculo. Et inter men∫es, in quib. minus
periclitatur gravida abor∫u, est in quinto &
∫exti initio, ∫ecundo loco ∫equitur quartus &
∫exti finis, tertio ∫eptimus, mox tertius, deinde
∫ecundus tandem primus & ultimo nonus, &
rur∫us po∫t ip∫um octavus, qui citra compara-
tionem est lethalis. Vnde ∫i fœmina abortiat,
primo men∫e, minus periclitatur, quam in ∫e-
cundo, deinde in tertio magis, in quarto quin-
to, & ∫exto, pari pen∫u: in ∫eptimo vero & no-
no, ∫i vitales foetus non exeunt, periculo∫i∫si-
mum est: ut in no∫tra muliere contingit, quæ
cum gravida e∫∫et & in∫idißet in epilep∫iam
morbum acuti∫simum, abor∫um pa∫a fuit, epi-
lep∫ia namq. terribilis in acce∫sionib. morb.
peracutus & pernicio∫us est, cum ∫it convul∫io
totius corporis nõ perpetua, ∫ed per interval-
la recurrens, cũ mentis, ∫en∫uumq læ∫ione, quæ
prægnantib. fœminis, & puerperis fune∫ta est:
quæ aut primariam habet ∫edem in cerebro,
tumq. periculo∫a valde accidit, aut ab utero

A pendet, & minus mala videtur, ut in coacis te
∫tatur Hypocrates, convul∫iones in gravidis ∫a
ciles e∫∫e, atq. his omnib remedia non ∫unt quæ
renda, quandoquidem partu adveniente ce∫-
∫ant. Vnde ∫ympathica epilep∫ia ∫ępius, quam
idiopathica mulieres prægnantes mole∫tari ∫o
lent, idque ex con∫en∫u ∫tomachi, uteriq. ex
quorum corruptela & putri ∫purcitie, vene-
nata exhalatio ∫ur∫um in cerebrum a∫cendit,
quæ in fieri affectio est, ab∫q. morbo, & ob∫tru-
ctione ventriculorum cerebri, qualis ∫ingultus
videtur, ab oppre∫sione ∫tomachi, prę copia ci-
bi, aut vellicatione eiu∫dem ob condimenti
acrioris, & pungentis, ut piperis, vel bilis acri
moniam: at tam in ordinatos & violentos mo
tus ∫u∫tentare nequiens foetus, ex atrocia &
færitate morbi, a vita de∫truitur, & mater
opprimeretur, ∫i non a commoda partus purga
tione iuvaretur. Et cum no∫tra egra iam mor-
B bo correpta peperi∫∫et puerum mortuum, lo-
chiorum purgatione ∫uccedẽte, deplorata fuit
∫alus. Hæc enim expurgatio lochialis perfici
∫olet duobus modis, aut a naturæ con∫uetudi-
ne, aut artifitio, & quia ∫anguinis, ∫ive humo-
rum expurgatio diminuta erat, & cre∫cebant
accidentia, ex hac occa∫ione captans diligenti
cura ∫anationem, ab Hypocrate in libro primo
de mulierum morbis dicente, ∫i uteri angu∫tio-
ris, ip∫i fuerint & puerperij purgationem non
emi∫∫erint, inflamantur, & ∫i non curetur bre-
vi, omnia magis ip∫am affligent. Et paulo po∫t
advertit, ∫i purgamenta non purgentur, ut de-
C cet; his verbis, quandoq. vero non exit, ∫ed
mulierem mortem protendit, ni∫i quis venam
∫eccet, quod ∫i malum urgeat, in his immoran-
dum non eſt, ∫ed protinus ad inferas partes ∫an
guinem evocabis, vena tali ∫emel aut bis ∫ci∫-
∫a, nimirum quãtum ∫at ∫it, ut copia minuatur,
& retroce∫∫us humoris fiat, quo facto membri
recipientis cura habenda est, iuxta eam, quam
obtinuerint naturam & affectionem. Quib. au
xilijs, & præceptis diligenti cura adhibitis,
no∫tra ęgra, gravida, & morbo acuto correp-
ta, tuto & cito convaluit.



D *Curatio trige∫ima∫ prima, in qua a-
gitur, de vulnere inter co∫tas
mendo∫as illato.*

FIlius Ricci, natus annos undecim,
a puero inter mẽdo∫as, ∫ive nothas
co∫tas, gladiolo vulneratus fuit: ad quẽ
vocatus

vocatus ipse, per chirurgum præsentē, tentatum specillo vulnus fuit, quod longè penetrabat: tunc turunda albo ovi excepta intromissa est, & desuper applicitæ stupæ, eodem albo ovi intinctæ, in cuius circuitu oxycrato imbutus pannus lineus admovebatur: sed tunc illi basilica lateris eiusdem secta fuit, & sanguinis ad unc. quatuor extractus. Porrò sequentibus diebus, curatum, ut decebat, vulnus, multum puris ex eo fluebat, & plus, quam pro vulneris ratione decebat: qua de causa, vulneris ipsius oram, secundum costarum incessum, digiti longitudine, aperire feci, unde vulnus penetrans non esse conspeximus, & tunc puris fluxus cessavit, adeò ut brevi vulnus cicatricem obduxerit, & puer à tanto malo liber & immunis evaserit: ebiberat autem antea puer ex manna pharmacum.

Curatio trigesimaoctava, in qua agitur de febre erraticat, in quartanam degenerante.

ORientalis mercator bonæ habitudinis iuvenis, tepidiori & frigidiori facto aere, febribus erraticis, id est, nullum ordinem servantibus, affligi cœpit: quæ postea in quartanam degenerarunt: huic cum brachij secta esset vena, & sanguis, ut tauri crassus extractus, optimo servato victus ordine, syrupos dedimus, ac secunda quartanæ accessione, pharmacum hoc propinavimus, à quo liber & sanus factus fuit. Cęterum quum in Græciā postea iret, in eandem quartanam recidit: opus autem erat, meatuum & lienis obstructiones exactè reserare, sic autem pharmacum ab eo potum habet. Recip. Electarij de sena unc. mediam, diaphiniconis, electarij elescoph, ana drach. duas, syrupi de epithymo unc. unam, in decoctione senæ, quātum sufficit: misce, fiat haustus unus, quem in aurora tepidum bibat, & desuper dormiat.

E

Curatio trigesimanona, in qua agitur de ventris dolore, ob duram retentum stercus.

MErcator, cui ventris ingens erat dolor, & pro eo propulsando, clysteres plures pararunt, & absque fructu & profectu injecerūt: cum ad eum perveni, ex oleo communi ad manus habito, sed parum tepente, illico nulla interposita mora, clyster pararē feci, & immittere, sed interea dū clyster parabatur, F clysteres emolliendi vim habentes concinnabantur: dein potentiores, habent autem emollientes clysteres sic. Recip. Malvæ, branchæ ursinæ, foliorum caulis, betæ, ana manipulum unū, seminis lini, fœnugræci, ana pugillum unum, caricarum numero quindecim. In aqua fiat decoctio, facta colatura. Recip. Prædicti decocti libram unam & mediam: cui adde butyri, olei seminis lini, mellis rosati colatitij, ana uncias duas, salis drachmam unam. Misce, fiat clyster. Clysteres verò acres ita habēt. G Recip. Centaurij minoris, camepitis, camedreos, ana manipulum unum, seminis cartami, urticæ, amæos, syleris montani, ana unciam unam, ficuum pinguium numero duodecim, in lixivio leviori fiat decoctio. Recip. Prædicti decocti uncias quindecim, mellis rosati colatitij, olei rutacei, ana uncias duas, diaphiniconis unciam unam, trochiscorum alandaal scriptulos duos, vitelli ovi, numero duos, salis drachmam unam & mediam: misce, fiat clyster. Cęterum exterius eius alvus ungueuto de agrippa, & altheæ inungebatur, & H sanatus est.

Curatio quadragesima, in qua agitur de febre continua, excrescentias habente.

PAndolfus iuvenis nobilis Anconitanus literis operam dans, cum Patavio

tavio Anconam rediret, in febrim inci A dit, & eam quidem biliosam, malignam, ex genere earum, quæ nunc publicè grassantur: nam cum semper affligit, à meridie tamē gravius corripit, adeò ut æger noctu non dormiat, neq. quiescat, cum quibus aphtæ in gutture apparuerunt, ut omnibus ferè nunc febrientibus evenit: huic quum secta illi vena esset, & sanguis extractus, & syrupos acetosos & refrigerantes ebiberet, ac de aphtis, hoc est, oris ulceribus, cura haberetur, pharmacum ante septimum ebibit, & optimè egessit. Cæterū septimo die rigor huic parvus supervenit, B quem febris consueta sequuta fuit: pro qua abigenda, syrupos aperiendi meatus, & recludendi opilationes cum quadam refrigerandi vi, concessimus: properabat autem autumnus: habent autē syrupi, vel potius apozemata, sic. Recip. Radicum endiviæ, buglossi, borraginis, petroselini, ana unciam unam, tamarindorum, folliculorum senæ, liquiritiæ, ana unciam mediam, prunorum pinguium, numero duodecim, hordei integri libram mediam, florum borraginis, buglossi, cicoreæ, ana unciam C mediam, seminis melonis, cucurbitæ, citruli, ana drach. sex. In libris septem aquæ fiat decoctio, quousque maneant libræ quatuor: facta colatura, adde syrupi bisantini completi, hoc est, cum aceto, de cicorea cum rhabarbaro, ana unc. tres. Misce, fiat apozema: de quo singulis diebus in aurora ieiuno stomacho, septem vel octo unc. bibat, & desuper dormiat: exterius verò, venter unguento deopilativo à succis dicto, inūgebatur: cuius descriptionē prioribus Centurijs descripsimus. Porrò pro renum D dolore, quo maximè cruciabatur, unguentum Galeni, dictum ceratum refrigerans Galeni: aut album Galeni, paratum fuit, quo inungebatur. Huic vinum per totum hoc tempus abnegatum fuit, post septem tamen dies pullorum carnes concessimus: duodecimo verò die, ab ingesto syrupo rosaceo solutivo, cum aqua endiviæ, in qua rhabarbarum per noctem maceratū fuit,

quæ purganda erant, purgata sunt, & tandem decimoquarto sanatus est. Ori tamen ventriculi ob absumpta & morbum ipsum debiliori facto, ceratum roborans, scuti figura, in panno cocco infecto extensum, applicitum fuit, & saccharum rosaceum, cum speciebus diarhodonis abbatis, ad aliquot dies, ieiuno stomacho comedebat.

Curatio quadragesimaprima, de febre, & varijs alijs affectionibus, à calce & gypso evenientibus.

FRater illius qui gypsum parat, decem septem annorum, cum febriret, & de capitis dolore quereretur, illi ab ingesto clystere secta cōmunis brachij fuit vena, & sanguinis unciæ sex extractæ: victus verò ordine parato, & abstemio facto, post ebibitum syrupum acetosum quinquies; pharmacum ex electarijs bilem & pituitam respicientibus, decocto senę dissolutis, ebibit, & melius habuit. Postea verò, nonnullis interiectis diebus, in aurora ex diarhodonis abbatis, & trium santalorum speciebus paratos rotulos, singulos singulas drachmas ponderantes, gustabat, & desuper aquam endivię bibebat, & paulatim convalescere cœpit, donec integram consequutus est sanitatem. Cæterum, qui gypsum parat, maiori ex parte, phrisi affecti moriuntur, quia caput nimia siccitate à gypso contracta, debile & imbecille fit, unde quæ concoquere debuerat, non concoquit, & quæ retinere, non retinet: quo factum est, ut materia ad subiectas corporis parteis decidat, veluti hodie cuidam ex ijs evenit, nec minus hoc contingit, ijs qui calcem parant, ut viro illi robusto, qui ad caput montis agit. Sed mulier quæ ignitas prunas vasculo super caput ex vitri fornace portare solebat, in epilepsiam lapsa est, quam diu iam est patitur, resolutum namque est capitis innatum

tum calidum unde ipsum imbecille & E frigidum redditum, hoc malum facilè incurrit.



Curatio quadragesimasecũda, de varijs affectionibus melancholicis, simulq. de pugnantibus temperamentis varijs in membris.

QVum superioribus diebus quidam ex integerrimis amicis meis, qui nunc Romæ miserrimè agit, permittente Deo, omnium rerum maximo scrutatore, mecum fortè incederet, ille ut peritissimus, & rerum novarum avidissimus, ita quum propè officinam quandam librariam una essemus, non nullos intuetur libros, quos evoluens, Galatini opus contra Hebræos offendit, opus me hercle elegans, & eruditionis refertum: de cuius operis argumento, quum inter nos sermo esset, fortè venit illuc Azzarias Mãtuanus Hebræus & Hebraicis & Latinis literis apprimè instructus: qui tertius factus comes, iudicium suum de ea re interposuit, ad duos præcipuè Iesuos faciente, quos Galatinus in operis frontispitio introduxit, ut magnum illum Reuclinũ, Capnionem dictum, eo tẽpore carceribus obstrusum liberaret, à calumniaque defenderet. Cæterum post longum de ijs rebus inter nos tres habitum sermonem, rogat me Azzarias, digner illi cõsilium præstare meum pro sua recuperãda sanitate: diu enim erat quod multis & gravibus affectionibus affligi cœperat. Ego verò ut omnibus paratus, ita lubens provinciam suscepi, non solum verbo respondendi, sed chartis ea dandi, quæ ad salutem suam faciunt. In primis igitur se offert hic gracilis, macilentus, sicca scabie per universum eius corpus diffusa, facie subcitrina, ætate triginta quinque annorum, calidita te quadam extranea correptus, ut mihi tunc non admodum difficile fuerit præsagire, eum citissimè in morbum habitum (hecticam Græci dicũt) lapsurum, ni rectè & citò manu curaretur docta. Secundo, rem cunctãtius advertens, nosco hunc caput imbecille habere, à quo continua fit ad pectus & alias corporis subiectas partes destillatio. Tertio inest huic excedens in iecinore caliditas, pro qua propulsanda, dissidium cum inter medicos ortum fuerat, post longam medicamentorum exhibitionem, num ijs mittendus esset ad thermas acharias, vel potius ad calderias,

F in qua altercatione prævaluit Panitius Mantuanus, vir medicus doctus, qui cũ ad balneas calderias ire consuluit, quarum potum, utpote constringentium & refrigerantium (per ferrum nanque scaturiunt) iecinoris excedens caliditas paululum repressa fuit, sed lien constipatus obstructusque cum canaliculis, & meatibus ciborum ductioni inservientibus mansit, adeò ut paucis interpositis diebus, in quartanam inciderit, qua annum ferè laboravit: neque enim ignoro, ferri aquas (ut medicis placet)

G lienis minuendi vires possidere, quum & hac dote ab eis obstructio facta est, per accidens tamen. Quartò, lien omnino obstructus cum quodã hypochondriorum murmure & rugitu est. Quintò, huic ventriculus est debilis, adeò ut non rectè concoquat, non eo tamen ut in putidos, & ovum referẽtes incurrat ructus: sentit tamen eius declivem partem frigidam. Sextò, plerunque in famem is incurrit caninam, tam noctu quam diu. Septimò, huius in somnia

H melancholica sunt, & cogitationes melancholicæ. Octavò, pectoris coarctationem habet, quæ non eodem tenore semper affligit: vix enim aliquãdo respirare valet, aliquando tamen facilem spiritum tenet. Nonò, multum vigilat, parum quiescit, tametsi quandoque in carum, hoc est, somnum profundiorem deveniat. Decimò, persæpè dormiendo angitur, & premitur, magnis & difficilibus cordis pressuris, potissimum quando supra sinistrum decumbit

bit latus, à quibus affectionibus non ni A si magna & animi & corporis concussione expergefieri valet: nam tunc expergefactus magnam membrorum lassitudinem contractionemque persentit, & anhelitus attractio difficilis & gravis fit: quæ omnia remittũtur quibusdam ructibus, gemitibus, & lachrymis non minus quam per lotij magnam insuetam excretionem, quod lotium in hoc morbo semper lucidum citrinum, vel aqueum subtile conspicitur. Hæc enim sunt affectiones & symptomata, ac pugnantia variorum membrorum temperaméta, quibus hic premitur Hebręus: B pro quibus profligandis, causam, unde traxerũt paulisper investigare licebit. Hebræi natura sua omnes ferè atrabiliarij sunt, quod potissimum evenire multis de causis auguror. Prima quia captivi, unde timidi & mœsti fiunt, & consequenter atrabiliarij, iuxta Hipocratis, in Aphorismis sententiam, si timor atque mœstitia longo tempore habentes, perseverent, ex eo atra bilis significatur, tum quia Hebręi edulijs atra biliosis vesci consuescunt: præsertim Itali, qui anseribus, bobula exiccata fumo, anatibus, leguminibus, & multo salito caseo vescuntur: non minus artocrea, id est, carne mazza, incrustata carne, ciceribus & leguminibus discocta, lentibus, olivis, carne salita, & alijs varijs & multis atram bilem gignẽtibus: proinde omnes Hebræos atrabiliarios esse, in confesso est. Non igitur à consortio eorũ eliminabitur Azzarias hic, cum præter cætera, studiosus sit, & rei medicæ quoque operam navet: quibus adstipulantur corporis gracilitas, venarum exilitas, thoracis strictura: quæ omnia temperamẽtum atrabiliarium attestãtur, cum igitur atrabiliarius hic sit, & in eo bilis atra vigeat, facilè inclinabitur animus dijudicare, morbos citatos ortum ab atra bile habere, quod an ita sit, eorum unumquemque investigando, experiemur. Et primo se offert corporis gracilitas, quæ dubio procul arguit humoris siccitatem, & innati calidi resolutionem, ut corpus frigidum & siccum dicendum sit: neque minus sicca scabies id testatur: cum quia à sicco proficiscitur humore, sicca evadit, accedunt ijs, ut nonnulla postea dicenda prætercam; quod quia humore abũdabat melancholico, ita facilè in quartanam lapsus est. Huius cæterum atræ bilis, cum sensit receptaculum, facilè ad imam ventriculi partem eam mittit, quæ suis qualitatibus frigidam reddit, aciditate verò, & constrictione famem intensam incitat, illã præcipuè, quam caninam appellamus. Sunt quoque huius insomnia melancholica, & cogitationes melancholicæ, quę atram bilem in totum arguunt, ut ex Galeno in eo libro, cui titulum indidit. Quod animi mores sequuntur corporis temperaturam percipimus: veluti, ex ipso, & Hippocrate, libellis de in somnijs. Cæterum ob huius humoris à capite ad intercostales musculos descensum, pectoris fit coarctatio, & consequens difficilis respiratio, qui cum siccus & aridus potẽtia sua sit, vigilias efficit. In C cidit tamen hic nonnunquam in profundum somnum, ob aggeratam pituitam, ab inconcoctionibus assiduis ortam: novistis autem somnum & vigiliam ab activis potissimũ evenire qualitatibus, vigiliam à caliditate, somnũ à frigiditate, ut Galenus lib. 2. Aphorif. enarratione tertia, & lib. 3. de locis affectis, cap. 4. prope finem testatur: secundatio verò à passivis qualitatibus, humiditate, & siccitate, ab humiditate somnus, à siccitate vigilia. Primas igitur obtinent in somno & vigilia, activæ qualitates, secundas verò passivæ, D quod sic obiter dictum velim, ob quosdam morosos medicos, & philosophastros, qui secũdum Galenum, somnum & vigiliam, à siccitate & humiditate potissimum fieri contendunt, quod tamen falsum esse, ex dictis liquido evadit. Quum is igitur somno profundiori detinetur, in angustias & cordis pressuras devenit: potissimum quando supra ipsius cordis accumbit latus, humor etenim hic atro suo colore principalium virium sedem obscurat, & tenebris similem

milem reddit, ut Asclepiadi primo placuit, & Galeno ill subscribenti, libro tertio de symptomatum causis, & ejusdem numeri libro de locis malè affectis capite quarto, unde cordis angustia, & gravis ac difficilis totius corporis compressio fit: neque enim hac in re Averrois oblatrare desijt Galěo & antiquioribus contradicendo, quum prædicta symptomata non ob atrum colorem, sed ipsius humoris substantiam, evenire alta mente contendit. Difficulter autē, ut prædixi, ab ijs symptomatis, & non nisi magna cum corporis & animi agitatione, hic evigilat, neque minori ac difficiliori anhelitus attractione, quæ omnia sublevantur & minuuntur quibusdam supervenientibus ructibus, lachrymis, & suspirijs, humor enim agitatus subtiliatur, & in atros vertitur fumos: qui in stomacho & corde retenti, per suspiria, & ructus postea deponebantur, nō minus quam ipsius humoris altera pars, ad caput ascendens, quæ ad oculorum angulos & locellos iuxta illos positos, transmittitur, unde posteo concussione ingenti illa facta, per lachrymas excutitur, sic uti illa altera ad vesicam trāsmissa, quę per lotium excernitur, non nisi magna quantitate, quibus expulsis, tanquam deposito onere, levior sentitur. Cōvincitur ergo ex ijs dictis affectionibus, tā morbis quam symptomatis atram bilem vigere, & in isto dominium habere. Sed quæ nam atra bilis hæc est, scitu iustum est. Atra bilis alia est naturalis, quæ sanguinis crassior pars est, & ita in illo se habet, sicut pars casealis in lacte, vel amurca in oleo, aut fæx in vino: dicitur verò hæc propriè humor melancholicus, vel succus melancholicus, aut sanguis melancholicus, non verò rectè atrabilis, ut testis est Galenus libro tertio de locis affectis, & alijs varijs locis. Huius cæterum humoris dotes sunt, ut sanguini mistus, illi vim, robur ac crassitiem impertiatur, & per eum sanguis extra venatus concrescat, item ut sanguini mistus, nutritioni singulorum membrorum deserviat, eorū

E præcipuè, quæ pro sua tēperatura idoneam huius humoris portionē exposcunt: cuius excrementitiā partem lien ex iecore attrahit, & ea nutritur, & fovetur, eam primo subtiliando & minuendo: ita ut subtiliori nutriatur succo lien, quam ipsum iecur, ut alias prolixius dixi. Hic igitur humor, ut Galeno placet, libro quinto de usu partium ventriculo etiam conducibilis est: quia cum acidus sit, ventrem intendit, & in seipsum contrahit, & comprehendere

F cibos exquisite cogit & retinere, quousque plene coquantur. Porrò ambo humores ij, tam qui cum sanguine est, quā excremētitius dictus, frigidi & sicci natura sunt, sapore pontico, colore atro, à frigido diminuto effecti. Sunt igitur, ut in summa dicam, naturalis atræ bilis, sive naturalis melacholiæ species duę. Non naturalis verò atræ bilis species, plures comperiuntur. Altera, quæ per duarum naturalium dictarum ustionē & putrefactionem fit, & calida admo-

G dum acris & mordax est: eo discrimine à naturalibus differens (ut refert Galenus libro secundo de facultatibus naturalibus prope finem) quo fæx usta, à non usta dissidet. Sed adverte quod quādo dicimus naturales duas illas species melancholiæ, per ustionem innaturales fieri, nolumus intelligere humores hos in ultimum uri, ac in cinerē penitus verti, quum & liquidi & fluidi adhuc usti maneant, sed dicuntur à nobis adusti, quia substātiam ipsam, crassiorem, & minus fluidam, cum maxi-

H ma exiccandi potentia acceperunt: est igitur prima hæc atræ bilis innaturalis species, quæ per duarum naturaliū ustionem fit. Altera vero est, quæ per bilis assationem oritur, ex flava autem bile vitellina fit, ex vitellina porracea, ex porracea æruginosa, demum ex ęruginosa atra bilis evadit omnium perniciosissima, & tantò priori specie malignior, quantò bilis succo melancholico est acrior, & acutior: humi enim sparsa atra bilis hæc, suo acumine terram radit, quandamq. cum bullis, veluti fermentationem, ebullitionemq. excitat,

citat, ex qua manìa fieri ſolet, ferinis
cum ſymptomatis: nam corporis parti
culæ cum adhæreſcit, ſua craſsitie eam
arrodit, exulcerat, ac in pernitiem ſem
per trahit. Tertia ſpecies atræ bilis, ea
dicitur, quæ per ſanguinis putrefactio-
nem, & aſſationem gignitur: cum enim
ſanguis ſupra modum aſſatur, eius purs
ſubtilior ac pinguior omnino in flavã
convertitur bilem: quæ autem craſsior
in atram, ut meminit Gal. lib. 2. de dif-
ferentijs febrium, & alibi ſæpè: veluti
Avicenna libro ſui Canonis, & libello
canticorum. Ex iſto autem ſanguine
ſupra modum efferveſcente, & in atræ
bilis humorem tranſmutato, antraces,
carbunculi dicti, fieri ſemper ſolent.
Ita autem hoc loco accipi volo atræ bi
lis humorem (inquit Galenus citato lo
co, cap. 9.) ut qui nondum exquiſitè in
atræ bilis naturam tranſierit, ſed in
quodam ſit confinio conſtitutus. Cæte
rum, hanc ex ſanguinis uſtione geni-
tam atram bilem, Gal. lib. 2. Prædictio
num, mitiorem eſſe eã, quæ ex bile, vel
atro ſucco eſt genita, fatetur: non me
latet tamen in præſenti Paulum Ægi-
netam atræ bilis duas tantum ſignaſſe
ſpecies, ut apud eum quis legere pote-
rit lib. quarto cap. de elephantiaſi, quo
in capite, ut obiter hoc dicam, Paulus
ipſe, bona Guinterij Andernaci eiuſ-
dem interpretis venia dixerim, nullam
Æcij Cappadocis mentionem fecit, ſed
verius Aretæi Cappadocis, cuius opus
ſuperioribus diebus, Pauli Craſsi Pata
vini, viri doctiſsimi, & elegantiſsimi
diligentia, latinum legimus. Sed iam
ad atræ bilis ſpecies redeũtes, dicamus,
quod à pituita atra bilis fieri nequit, ut
Rabbinus Moſes in ſuis Aphoriſm. ex
Galeno commentatijs de flatibus, pri-
mo teſtatus eſt, & Ferrarienſes poſtea
memoriæ commendarunt: id quod ita
eſſe nos nũc ex Galeno indicamus lib.
3. de locis male affectis, capite de me-
lancholia: ubi pituitam nõ efficere me
lancholiam tradit, inquiens. Quæ ve-
rò à pituita parta eſt, in aliam affectio-
nem, de qua paulò poſt dicturus ſum,
permutatur; melancholiam verò, haud

A quaquam efficit. Tu verò Gale. verbis
addc, non ſolum melancholiam mor-
bum, ſed etiam humorem melancholi
cum: Avicen. tamen, ex pituita atram
bilẽ fieri minimè dubitat, ut ex eo Fen
prima libri primi ſui Canonis conjice
re licet: ſed re, inquit, vera pituita ipſa
non adeò aſſari poteſt, ut in atram ver
tatur bilem, tametſi ex ſalſa pituita, pu
trefacta efferveſcẽteve, humor quidam
atram bilem ſapiens ſæpè fiat, nõ quod
atra bilis verè dicenda ſit, ſed quia in
quodam atræ bilis cõfinio conſtitutus
reperiatur: ideo humor hic, atra bilis
B dicitur, à quo affectiones cutaneæ præ-
cipue, & aliæ variæ ſæpe pullulant, eve
niuntve. Iis enim præſcitis, propoſi-
tæ quæſtioni huic, quæ nam atra bilis
in iſto Azzario potiſsimum vigeat, reſ
pondemus, ſuccum atrum naturalem,
ſua quantitate peccaſſe. Cæterum tem
porum ſucceſſu, venarum obſtructioni
bus, & iecinoris caliditate extranea,
obortis, prædictus ater ſuccus aliquan-
tulum exuſtus eſt, adeo ut frigiditatis
loco, caliditas fuerit introducta, non
adeo tamen acris, ad quam ſiccitas in-
gens, & duplo maior quam antea erat
C ſupervenerit ab hac igitur atra bile, ut
morbi & ſymptomata dicta, originem
traxerunt ſuam, ita quoq. in hypochon
drijs, rugitus, & murmura fiebãt, ut pa
rum fuerit dicere, hunc hypochondria
cam pati affectionem. Huius verò atræ
bilis continuus ad cerebrum aſcenſus,
caput debile reddidit, adeò ut coquenda
minime concoquat, & aſsimilanda mi
nime ſibi aſsimilet, imo, quæ retinere
debuerat, non retineat, quo factum
eſt, ut deſtillatio continua ab eo in ſub-
D iectas corporis partes fiat, qui ſanè af-
fectus, & ſi primo ſymptoma erat, nũc
tamen ob contractam moram, in qua
introducta eſt mala intemperies, mor-
bus dicendus eſt: imo ſi verè loqui vo-
lumus, tanquam cæterarum affectio-
num fomentum haberi debet. Nunc
demum, poſt harum affectionum om-
nium cauſas inveſtigatas, ordinem
quem pro hoc Hebræo, ab eis liberan-
do, ſervavimus, proſequemur. Primo,

à rebus non naturalibus, ordiendo. Aer in quo hic versabatur, ad aliqualem frigiditatem cũ humiditate notabili, declinabat. Porrò, postea à nebuloso & caliginoso fugeret: quo maximè Mantua & Ferraria abundant, monui. Cibus, huic oblatus boni erat succi, & facilis concoctionis, & paucarum superfluitatum, non inflativus, nõ obstructivus: sed qui cum frigiditate temperata, humiditatem substantificam multam habeat. Panis igitur albus, levis, & bene pistus, pauco semine cari ad extinguendos flatus, respersus erat, non minus ac ille, qui Venetijs in publica Germanorum domo, parari solet: eum tamẽ pro posse ab azymis abstineret, monui, si per religionem tamẽ paschatis tempore ab eis fugere non posset, eos saltem saccharo & ovis parare iuberet, dixi, quia ijs faciliores & leviores evadent. Carnibus vescebatur pullorum gallinaceorum, eunuchorum gallorum, hœdi, vitulli & vervecis. Porrò carnes frigidiusculas fugeret, quas Iudæi comedere assuescunt, in totum consului, veluti bubulas, & fumo exiccatas, & nimio sale conditas, non minus ac carnes anserum, anatum, & similium: columbos verò nondum volantes admittebam, sed coturnices & turtures in hoc casu respuebam: veluti caseum salitum, & ex eo parata edulia, inter quæ numerare est, quod Calabri ex eo & mazza cõcinnant, & sua voce macatrones, appellãt: Latiniores verò turundas, sive ex mazza turundas: panatellam communem, vel ex iure carnium, aut alicuius alitis, paratam concedebamus, & illam quidem paucissimo vel nullo aromate cõpositam. Olera, quibus carnes coquebãtur, & per se quoque coqui solent, sunt buglossus antiquorũ, nostra dicta borrago, sircion, id est, vulgaris buglossa, endivia, cicorea, rumex hortensis, spinachia vulgò dicta, atriplex, oleus aureum dictum: quibus addimus, blitos, non ita insipidos, ut eos antiquitas faciebat, lactucã, petroselinũ vulgare, & huiuscemodi alias herbas. Ex fructibus uvam pensilem concedebamus ficus op-

E timè maturos, uvam passam Corinthiacam, amygdalas, & pistatia, non minus quoq. melopepones, vulgò melones dictos, quos hodie inscij iniuste detestantur, credentes, pepones, melones esse: apud Gal. lib. de aliment. facult. quibus & choleram morbum gignere, & varia alia mala creare posse, Gal. ipse tribuit. Sunt tamen, ut alibi dixi, pepones apud Gal. hodie citruli, officinis aromatarijs dicti, multis & varijs verrucis ornati, quos Hispani, Græca servata voce, pepinos vocamus: melopepones verò ab eodem Gal. sequenti capite descripti, vulgati melones sunt, fructus sanè optimus, & laude multa dignus: non solum huic morbo cõveniens, sed biliosis om-

F nibus, ut Alexander Trallianus capite de tertiana doctè admodũ notavit. Legumina in totum respuimus, præcipuè lentes, & fabas, quandoq. tamen cicerũ ius gustabat: ova recentia multũ laudabam, modo tremula & mollicula comederet, à duris vero & frixis omnino abstinebat. Pisces in hoc casu multum laudabamus, præcipuê petrosos: hoc est, inter petras & locum arenosum, semper ferè natantes: ut sunt buglossi, muli, tructa, ab Ausonio in Mosela, salar dicta, ijs similes, quos aqua coctos, aut supra

G craticulam assos, potius quam oleo frixos admittebamus. In victu porro talis servabatur ordo, quod prandium cœna maius semper erat, item quod à victu, conditum diacidoniten ex saccharo semper gustabat, sigillãdi stomachi gratia: item ut fumos ad caput ascendere impediat, cuius vice, ex pyris saccharo quoque paratum cõditum veniebat: veluti coriandrum saccharo incrustatum, interdiu verò, ex tragematis, & bellarijs huic concedebamus

H pyra saccharo condita, præcipuè moschata, lactucæ cauliculos saccharo quoque paratos, radices buglossi saccharo quoque concinnatas, Martij panes, pyno saccharatum, semina melonis saccharo apparata, & ijs varia alia similima. Potus, huic vinum album, leve, oligophoron dictum erat, aliquando vero hordeacea dilutum, quãdoq. vero

communi

communi frigida: hac tamen conditio ne & lege, ut ita parcè biberet, ne cibum potus superaret, & ipsum fluitare faceret. Somnus talis præmittebatur, ut nocturnus, longus quo ad fieri posset, esset: nam diurnum fugeret præcipuè meridianum, commendabam, ni nocturnus antea interruptus esset, aut ex toto ablatus, qui maiori ex parte supra dextrum latus fieri debet, & super illud æger accumbebat: quia cum supra sinistrum iacebat, illico symptomata dicta, præcipuè cordis pressuræ, illi veniebant. Hic annectere est studium nocturnum, quod tanquam malum & naturæ contrarium, omittendum est, turbationem enim gravem & difficilem corpori infert: secedunt quippe spiritus in nocte ad interiora, qui ad exteriora ob studij violentiam & conatum, pelluntur, unde gravis consurgit contrarietas, corpori malum afferens magnũ: diurnum vero, à cibo duabus ad minus elapsis horis, toleratur, & illud quidem circa res faciles: difficiles enim toto indigent homine. Concubitus, sive cum uxore congressus, talis erat, ut post eum, hilaris, & levior evadebat, ac si non nisi per intervalla eum exercebat. Motus post alvum exoneratam, & cætera, quæ à politico homine peraguntur, mane comitabantur: erat verò levis, suavis, fatigationem minimè inducens, post quem, discipulis suis lectionem suavi voce perlegebat. De repletione & evacuatione, inferius dicemus. Huius tamen gracillitas depelli minimè potest, nisi sanguinis optimi copia de novo fiat, quæ non nisi à bono & multo nutrimento fieri potest, proinde curamus, & summo studio soliciti sumus, ut cũ maciem ex isto exuere tentamus, cum ne in deteriores, & sæviores morbus, trahamus. Iram, tristitiam, mœrorem, & cæteros huiusmo di animi affectus proposse fugeret suadebamus: sed magis vitam degeret in gaudio, lætitia, & animi tranquillitate, quæ dubio procul multum ad sanitatem cõducunt. Iis autem in ordinem dispositis, & varijs alijs, quæ illis facere

A videntur, curationem sic auspicati sumus: & primo, cum humor peccans atrabiliarius sit, per universum redundans corpus, universali evacuatione, ut ipsum deponamus, opus est, qua (vel Gal. teste) nulla excellentior fit, quam, quæ per sanguinis extractionem adhibetur: at, quia corpus hoc aridum est & debile, ut sanguinis missionem per venæ sectionem in cubito ferre non posset, ea de causa: illius vice hirudines ani venis, quas hæmorrhoidales appellamus, affici fecimus, per quas ater hic humor evacuari solet. Admotæ igitur sunt hirudines duæ, quæ postquam infartæ, & multo repletæ sanguine fuerunt, sua sponte deciderunt, post quarũ

B decidentiam, sanguinem ex apertis venis fluere permisimus: si quando tamẽ sanguis plus iusto ex illis effluat, ut sæpè fieri solet, earum oscula facilè occludimus, luto, aut carbonis pulvere, aut aranearum tela, aut gypsi pulvisculo, vel albo ovi, constringentibus pulveribus mistis, & stupis vel linteo exceptis. Cæterum, quia humor hic per hãc tantum evacuationem ex toto depelli non fuit possibile, altera uti opus fuit, ea præcipuè, quæ per medicamenta per

C ficitur: quæ medicamenta, quum vir hic debilis, & imbecillis sit, & in eo materia calida & sicca, levia sint & frigida humidaque, aut non multum calida decet. Item quum hæc medicamenta melius reseratis meatibus, per quos ejici humor debet, evacuabunt, iuxta Hippocra. in Aphoris. corpora, quo modocunque quis purgare voluerit, fluida facere opportet, nonnulla prius vires habentia aperiendi, incidendi, & reserandi, præmittere opus fuit. At quum, ut plurimum, nimium hæc sint calida,

D temperatis, & ijs, quæ à ciborũ natura non multum distant, & ad rem faciũt, pro posse usi sumus: ex quibus multis pauca hæc citata veniunt, syrupus de fumo terræ, herba, quæ testante Aetio, in febribus tutò dari potest: nam & melancholiam respicit, & iecinoris obstructiones sanat, multasque urinas provocat: cum quibus, & ventris emolliendi

vim habet,& ventriculum roborandi, ut Galenus ex idiota didicit, syrupus de lupulis, syrupus de borragine, syrupus de buglosso, syrupus de pomis, decoctum senæ, syrupus de radicibus, qui cum addictione, de duabus radicibus, sine aceto appellari solet: nam syrupos acetosos, in hoc casu sęper despexi. Nos igitur ne ampliorem syruporum sylvam citemus, ordinem habitũ percurramus, & primò post hirudinum admotionē altero interiecto die, bolum hunc æger deglutivit, qui habet. Recip. Floris casiæ noviter extractæ drachmas decem, pulveris anisorum drachmam mediam, cum saccharo q. suff. misce, & ante prandium duas horas eum deglutiat: quo alvus optimè respondit. Duobus porrò interpositis diebus, post boli assumptionem, syrupos hos per sex dies ebibit, & ita habet. Recip. Syrupi de fumo terræ, de borragine, de lupulis, ana unciam mediam, decocti senæ uncias quatuor. Misce, fiat syrupus, quem in aurora bibat, & per sex (ut dixi) continuet dies, in fine quorum hoc illi propinavimus pharmacum. Recip. Syrupi rosati solutivi uncias duas, syrupi de epithymo unciã unam, rhabarbari boni drachmam unam & mediam, electarij de sena drachmas tres, decoctionis senæ, unc. quatuor. Misce, fiat potus unus, quem in aurora ieiuno stomacho, tepidum bibat: tepida etenim medicamenta purgantia, utpote laxantia dari semper debent: quo purgante, sed levi medicamēto, venter optimè solutus fuit, & humores multi nigricantes, & citrini evacuati: post quam evacuationem, æger singulis diebus & decem sequentibus, singulas decem uncias decocti sequentis bibebat ieiuno stomacho: habet autem decoctum sic. Recip. Radicum endiviæ, buglossi, petroselini, ana unciam unam, senæ unc. duas, polipodij querci ni recentis un. tres, prunorum pinguiũ numero duodecim, passarum de Corintho, hordei, ana unc. quatuor, pimpinellæ pugillum unum, florum borraginis, buglossi, ana unciam mediam, in libris

E septem aquæ fiat decoctio, ut decet quousque maneant libræ quatuor, facta colatura & expressione, adde syrupi de cicorea cum rhabarbaro, de pomis saporis, bisantini sine aceto, ana unc. duas: misce, fiat decoctum, ex quo in aurora ieiuno stomacho (ut dixi) ad decem unc. bibat, quo optimè alvus respondebat. Elapsis igitur decem diebus, in quibus decoctum hoc ebibit, eius vice, singulis auroris, singulas gabatas, sive scutulas, plenas iuris capi optimi & pin-
F guis, vel gallinæ similis, cum pauco saccharo bibebat, & tunc interdum unum vel alterum bolum ex casia fistulari deglutiebat, & omnium membrorum nobis cura erat, & primò capitis: ob quod sæpè cucurbitulæ scapulis siccæ admovebantur, & frictiones leviores in ipsis brachijs, & cruribus fiebāt: imò per nares, errhynis medicamentis caput ipsum purgabatur: sed interim, iecur quoq. ex hoc unguento inungebatur. R. Vnguenti santalini unc. duas,
G succi endiviæ, cicoreæ, ana unc. unam, olei rosacei unc. unam & mediam, pulveris rosarum drach. unã, cum cera alba, ad ignem para unguentum molle, quo mane & vesperi iecur illinatur, spleni quoq. hoc unguētum applicabatur. R. Pulveris scolopendrij unc. ij. succi malvavisci unc. iij. adipis anatis un. unam & med. aceti boni unc. unam, cũ cera rubra, & oleo capparorum quantum sufficit, ad ignem paretur unguentum, & ex eo, liene prius fricto, inungatur. Sed ori vētriculi, culcitrulã aroma
H tis refertam, semper admotã habebat, quæ habet. R. Cinnamomi, galãgæ, garyophyllorum, masticis, macis, ana un. mediam, ligni aloes drach. unã, galliæ moschatæ Mesues scriptulos duos, pulveris rosarum, absinthij, ana drachmas duas, in zendalo rubro, ad figuram culcitræ paretur, & serico filo intercipiatur: cavendo tamen, ne iecur attingat: novistis autem iecur huic calidũ supra modum esse, vētriculum verò frigidũ, quorum membrorum pugnantia temperamenta, magis exterius applicitis remedijs, quam intus sumptis, curari debent.

debent. Sed ijs diebus, quod alvus res- A
ponderet soliciti eramus:item,nisi tho
rax liber erat, errhyna medicamenta
non admittebamus: timor enim erat
de ipsius alicuius vasculi ruptura. Tūc
verò repetitis à nobis dictis,ad balneū
eum traximus, quod ex aqua Padana
parabatur, in qua decoctæ erant rosæ,
altheæ radices, senę folliculi,camomil
la, melisophyllon, malva, & similia,&
in eo per horam ferè morabatur, quia
eo delectabatur:post quod,absterso cor
pore, caput excipio,quod meis moni-
tis, aqua non attingebatur, oleo tunc
amygdalarum dulcium inūgebatur,ut B
membra humecta evaderet, propulsa-
ta extranea ariditate. Protracta autem
cura hæc est, ad quatuor menses, intra
quos pancraticè valuit: novistis autem
vos, longos morbos longa indigere cu
ratione: item, quia similia corpora,ut
suadet Gal. libris Methodi med. per epi
crasim corpus curare, ex eo paulatim
noxium & peccātem humorem deme
re,& eius vice,optimum per nutrimen
ta convenientia,paulatim quoq. intro- C
ducere. Vtebatur autem hic sæpè sac-
charo borraginato ex Neapoli advec-
to, veluti radicibus buglosi, saccharo
paratis, quandoq. verò conditis,& mi-
sturis,ut sequenti. Recip. Quatuor con
servarum cordialium,ana unc. j. specie
rum diarhod. abbatis drach. j. specierū
trium santalorum scrip. ij. margarita-
rum præparatarum drach. med. ligni
aloes,persicis calambuci dicti, scripr. j.
foliorum,auri fini,num. iiij. Cum syru
po de pomis, quantum ad mistionem
sufficit:fiat conditum mistura dicta, &
folio auri inauretur. D

Curatio quadragesimatertia, de febre continua, simul cum dysenteria affligente.

VIr probus, qui ad viam salsamentariorum, prope forum magnum habitat,continua febre simul cum torminibus,hoc est fluxu dysenterico corripi cœpit: erat autem iuvenis hic robustus,temperatura sanguineus,lotium crassum & rubrum habens: pulsum verò latum, crassum & robustum:cui occurrens,morbi die secūdo, iecorariam dextri brachij aperire feci, & sanguinis uncias octo fluere: à qua sanguinis misione, intestinorum dolores minui cœperunt, sed fluxus omnino perseverabat, contra quem clyster sic paratus fuit. Recip. Aquæ hordei uncias quindecim, olei rosacei uncias iij. ovi integri bene contusi, num. j. Misce, fiat clyster. Cæterum, cibus huic ptisana erat, aut ex pulli iure parata panatella, adiecto semper bolo Armeniæ optimo, quem veram lemniam terrā esse, aliàs tradidimus. Altero verò elapso die, hoc est, tertio post morbi initium, iterum sanguinis unciæ sex extractæ fuere, & clysteres constringendi vires habentes, ex sevo hircino iniecti, ac ori ventriculi emplastrum diaphinicon applicitum: in quo, ut obiter hoc dicam, cū concinnabatur, sorbas immaturas, pal mularum immaturarum vice, injiciendas mandavi, sed parti inferiori ventris, inunctio ex unguēto de corticibus castanearum dicto, fiebat, & potus vice, aqua hordei chalybeata veniebat: quibus omnibus multum semper egerebat, tametsi in aurora, singulis diebus syrupum myrtinum, & rosaceū ex rosis siccis dictis, confectum, aquis plantaginis,& stipitum rosarum dilutos bibebat: neque minus in nocte ad somnum conciliandum, syrupum de papavere aqua lactucæ dilutum, deglutiebat: septimo tandem die, etiam fluxu perseverante, vires utcunque constabant: ac tunc ægrotanti sequens pharmacum illi concesi. Recip. Rhabarbari optimè pisti drach. unam & mediam, diacatholiconis drach. sex, antidoti Philonis drach. unam & mediam. In aqua plantaginis: misce, fiat haustus unus, & capiat in aurora, & desuper pro posse dormiat: quo quater excrevit, & fluxus ferè continuus restrictus est, & deinceps convalescere cœpit, donec integrā

E consecutus est sanitatem. Cæterum, ab hoc purgationis die, ægrotus hic pullorum carnes assas, pulvere boli Armeniæ, & utriusque coralli respersas, gustare cæpit, & vinum rubrum ex Aulone, sapore austerum, ebibere: fuere autem omnes ægritudinis dies decem.

SCHOLIA.

Febre & disenteria simul invadentibus, venæ sectionem, non tantum semel, sed bis fieri admittimus: neque obstat id quod Galenus libro Artis curativę ad Glauconem tradit: cum, ut aliàs dixi, huic curationi non adversetur.

Curatio quadragesimaquarta, de stomachi subversione, nausea, & podagra simul affligentibus.

Illustrissimus dominus Vincentius de Nobilib. Iulij tertij summi Pontif. ex sorore nepos, & cui olim methodum & veram regulam tradendi decoctum radicis synarum, pro eodem Iulio tertio Pontif. max. dicaveramus: nunc demũ, ut olim nephritide & podagra, ac alijs affectionibus laborare solebat, ob exercitia solita derelicta, in easdem affectiones, cum stomachi maxima subversione, recidit, quæ ex distillatione à capite in subiectas corporis partes, eveniebant: rarò autem podagra, quam à capitis distillatione evenire solet: unde rectè mea sententia Hippocra. in ea epist. quam ad regem Antigonum scribit, caput malè affectum, omnium morborum originem esse dixit. Ad hunc igitur illustriss. virum, accitus ipse, quẽ magnum procerum, carnea obesitate pinguem, iuxta ac benignum, & affabilem noveram: eius caput temperatura calidum, & humidum comperio, sed in eo humiditas caliditatem superat: quò fit, quia caliditas humiditatem non vincit, neque regulat, imò humiditas caliditatem, ab ipso capite in subiectas eius partes, humores decidunt, à quibus affectiones dictæ oriuntur, & pullulant: pro quibus extirpandis, medici sanguinem ex venis minuerant, & varia alia confecerãt remedia, sed absque fructu & utilitate ulla, quæ omnia nos exactè considerantes, ac remediorum sylvam percurrentes, nullum celebrius aut divinius excogitari posse cõperimus uno hoc, qualitatibus in primis symmetro, & temperato: passivis verò exiccandi facultatem habẽte: hoc F enim divinum illud synarum radicis, decoctum est: cuius propinandi ordinẽ, uno antea anno, illustrissimo huic viro, non sine Dei optimi maximi providentia, dedicaveramus. In primis igitur optimo victus ordine proposito, syrupum hunc propinare cœpimus, qui habet. Recip. Geleniabim ex saccharo, syrupi de fumo terræ, ana unciam unam, aquarum melissæ, endiviæ, de fumo terræ, ana unciam unam. Misce, & tepidũ bibat, & quinquies iteretur: adverte quod geleniabim ex saccharo, nihil est aliud, quam mel rosaceum co G latiyum, ex saccharo paratum, ut aliàs iam dixi: sed syrupum de fumo terræ miscuimus, non sine attẽtione ad seminaria, ab scabie, morbo antiquo, derelicta. Ebibitis igitur syrupis, humores sufficienter disponentibus, catapotia hæc deglutivit. R. Pillularũ cochiarum, de fumo terræ, arabicarum, asaiaret, ana scriptulum unũ, diagridij grana quinque, cum syrupo rosaceo: formentur catapotia quinq. & inaurentur, capiat hora septima noctis, & desuper dormiat, H ijs enim peracta optima purgatione, ad decoctũ radicis synarũ devenimus, quod per viginti quinq. dies, põtificio, & regio apparatu, ebibit. Cœpimus autem nona die Septembris, anno 1552. Modum autem præparandi ex hac radice decoctum, sæpè aliàs, tum etiam secũda Cẽturia, uberius prosecuti sumus. Tu verò qui particularia ad unguem perscire cupis, legas epistolã Ambrosij Nicandri Toletani, viri doctissimi, ad Antonium Barberinum nobilem Florentinum

tentinum dicatam, in huius Centuriæ frontispitio præfixam: in qua, ut obiter hoc dicam, vir hic huius radicis dotes, & iuvamenta in seipso expertus, ut penicillo depingit, & prosequitur. Ad præsens tamen scitote, quòd illustrissimus vir hic in aurora ieiuno stomacho huius radicis decocti unc. duodecim, nõ nisi optimè calidas pauculo saccharo fino superaddito ebibebat, quia procerus, & corpore magnus est, quibus duas & tres sudabat horas, postea verò, linteis, & sudariolis, ac ut Varronis verbo utar, termentarijs, optimè aspersus, & subucula alba indutus, ac stragulis mutatis, una vel altera interposita hora, ad prandium se divertebat, quod ex capi quarta parte constabat, secunda in aqua ex tabulis relictis confecta, cocta, vel ad ignem assa, aut eius vice, alitibus parvis, ut ficedulis, quinque vel sex, aut semi perdice, adiecta semper pulvisculo cinnamomi, vescebatur: panis autem biscoctus erat, saccharo pinsus, aut qui Venetijs, vel Pisis, parari solet, pondere unc. quatuor, quem iuri ita confecto immergebat, postea verò Martij panis frustrum comedebat, dein parum diacidonitis saccharo confecti sumens, cœnam claudebat, potus vero, radicis decoctum erat, quod syrupi loco bibebat, sed tepidum, saccharo quoque mistum. Hora verò vigesimatertia, ut in aurora, omnia repetebat, sed carnes in cœna non gustabat, tantum amygdalis, & uva passa Corinthiaca, & pauco martio pane, aut conditis sacchareis, contentus: si alvus tamen non respondebat, ex secundo apparato decocto, clyster parabatur, adiecto oleo communi, sale, & sapa, & electario purgante aliquo. Cæterùm, singulis octo diebus, ex viginti quinque, illustrissimus vir hic purgabatur prædictis catapotijs, aut alijs, similem facultatem habentibus: qui post exactum vigesimũquintum diem, ita bene valere dixit, ut si quãdo aliàs. Postea verò cum Ancona discederet, & Romam per Montem Politianum propriam eius patriam iret, optimè quoque & regiè habere significavit. Porrò postquam Romam venit, elapso uno vel altero mense, de renum dolore conquestus est, & ita acerbe, ut ex hoc dolore eum è vita discedere multi putarent, cuius doloris causam, nonnulli lucrivoræ, in decoctum radicis ebibitum reijciebant, fortè ut ignorantiam suam melius traducerent, & illustrissimo huic viro blandirentur, sed rei eventus eorum immeritam contra me maledicentiam detexit. Nam cum iandiu illustrissimus vir hic lapillos ex renibus emittere solebat, contigit, quod ex longo tempore congestos in ipsis renibus nonnullos haberet, unde radicis decocti beneficio laxiores factę viæ & minores lapilli ipsi redditi, natura per eas lapillos ipsos expellere conabatur, unde dolores oriebantur, qui lapilli, cum ex toto expulsi fuerunt, illico dolores cessarunt, & ille sanitatem obtinuit. Desinant igitur moriones ij, lucrivoræ, linguaces, locutulei, & blaterones, sua infreni & æstuosa lingua, verborum solitam colluvionem profundere: nunc verò clarissimus hic dominus basilicè valet.

Curatio quadragesimaquinta, in qua agitur de arthritide.

GAbriel Fanensis, in automno arthritim morbum subito incurrit, nam omnes eius corporis articulis simul doluerunt, cœperant autem dolore omnes simul: sed circa pedes gravius. Cæterùm, ab habita per catapotia optima purgatione, tali & malleolorum, ac genuũ dolores, brevi recesserunt: sed postea brachiorum, & colli remanentes, gravius hominem affligebant, contra quos dolores, ex oleo anethino, & vermium terrestrium pulvere, pauca cum cera parato linamento, articuli inungebantur, & lana succida fasciabantur. Elapsis verò quinque alijs diebus, in quibus alvus per clysteres

steres respondebat, bolũ purgatorium huic dare decreveramus, sed cum potius epotum pharmacum desideraret, bolum pauco vino exceptum ebibit, & optimè egessit, & dolores ex integro intra decem dies, evanuerunt, manente tamen circa fauces, impedimento quodam, quod eo, quo bibebat tempore sentiebat, nam quando cibum deglutiebat, nihil mali huius percipiebat. Intus igitur considerans, fauces ingenti rubore & inflammatione tentatas, deprehendi, quarum vitium facilè gargarismo ex aquis plantaginis, rosarum adiecto diamorone, parato evanuit. Porrò, à sanguinis missione in hoc morbo, abstinuimus. Primò, quia iuvenis hic natura pituitosus est. Secundò, quia hyems tempus frigidum properabat: statueramus autem decoctum rubi viticosi, huic propinare, sed quum benè valere dixisset, ab eo destitimus. Est autem rubus viticosus herba, vel potius frutex, à radice una plura flagella sarmentitia, emittens, quæ superioribus annis ex Peru, terra noviter reperta afferri cœpit, & eam Hispani sua voce, zarzam parillam, vocitant, de qua brevi, Deo duce, multa dicturus sum: est enim medicina hæc optima, varijs morbis conveniens. Nunc verò de arthritide, sive morbo articulari, pauca audire ne pigeat.

SCHOLIA.

Morbus articularis, quem barbari barbaras scribentes practicas, artheticam appellant, à Græcis ἀρθρῖτις dicitur: Plinius verò libro naturalis suæ Historiæ, eum articularium morbum appellat, quia articulorum & iuncturarum morbus est. Est autem articulus, referente Galeno, libro de ossibus ad tyrones, eo primo capite, quod iandiu in studiosorum gratiam, in tabulam redegi, naturalis ossium compositio: ab Hippocr. verò, alterius ex cohærentibus ossibus extrema pars, articulus frequenter nuncupatur, ea scilicet, quę orbiculata est, ac in proximum cavum inseritur: ut lib. de articulis, & lib. De locis in homine, apud eum legitur, unde Plin. lib. 11. suæ naturalis historiæ, cap. 36. omnes corporis nodos, articulos vocat, intelligens iunctu-

E *ræ extremum articulum esse. Cæterùm Paulus Ægin. lib. 3. suæ medicinæ, cap. 78. articulum esse à iunctura differentem facit: per articulum, membrum intelligit, per iuncturam verò, suum extremum, sed hoc præter Hippocr. & Galeni, cui ille semper hærere solet, mentem. Nunc autem scire decet, articulorum dolores eam sibi denominationem vendicare secundum membrum affectum, in quo dolores ipsi fiunt: si enim pedibus dolor inest, podagra morbus appellatur, si manibus, chiragra, si coxæ, coxendicum dolor vocabitur. At si membro dolor hæserit, à quo affectio denominationem non habet, ut genu, cubito, & humero, tunc genuum dolor, & cubiti dolor, veluti humeri dolor, appellitabitur, & ut de ijs, ita de alijs dictum velim intelligatis. Cæterùm, omnes ij dolores quicunque ipsi fuerint, modo articulos occupent, arthritici, sive arthritides, hoc est, articulorum dolores,*
F *appellantur: unde idiotæ & vulgares, cum quis podagra, aut chiragra, laborat, eum artheticam pati, dicunt, per artheticam, arthritim vocem Græcam intelligentes, quæ nihil pręter morbum articularum significat. Unde Hippocr. lib. 3. Aphoris. aphor. 20. postquam docuit in omni anni tempore, morbos omnes fieri posse, & veris ægritudines particulares enumerat, inter eas arthritides recẽset, hoc est, quoscunque articularum dolores sive ipsi ponogrici, siue chiragrici, aut ischyadici sint, ut Gal. in enarratione assentitur: unde ipse libro definitionum sibi adscripto, arthritim definiens, inquit, Arthritis, inflammatio*
G *stabilis est, circa articulos consistẽs, doloremque ingerens vehementem, nervis nimirum patientibus, per quam definitionem, quemcunque dolorem articulorum intelligit, sive ipse sit podagricus, aut chiragricus, vel coxendicus, ut ex dicendis clarius hæc enunciabuntur. Porrò, arthritis alia significatione, apud Græcos accipitur pro sævissimo & gravissimo morbo, omnes totius corporis articulos apprehendente, & vexante, ut apud Hippocratem quis legere poterit in fine libri de morbis, qui extra. Unde Gal. lib. 3. Aphoris. aphor. 16. enarrans eos morbos per Hippo-*
H *cratem citatos, & qui in siccitatibus eveniũt, pręcipuè cum arthritides interpretatur, sic inquit. Quas igitur articulorum passiones in siccitatibus dixerit fieri, dignum est inquisitione: si enim immodicè factæ consumpserint articulorum humiditatem, difficilem motum & siccitatem efficient, forte verò & nonnunquam dolorem, eam passionem, quæ arthritis nominatur, haudquaquam efficient, nisi quispiam omnem articulorum dolorem ita velit*

nomi-

nominare. Atqui ipse in libro secundo Epidemiarum, ita inquit. In Aeno per famem, qui leguminibus vescebantur, infirma habebant crura, & qui orobos comedebant, genuum dolores patiebantur, non arthriticos, sed genua dolentes ipsos appellavit. Quispiam vero fortassis dixerit non unius articuli dolorem, sed multarum simul arthritim nominari, & iuxta hoc genua dolentes, nunquam arthriticos appellari. Hactenus Gal. qui ex Hippoc. arthritim, morbum in omnes corporis articulos savientem, uocat: quo factum est, ut lib. de compos. med. secundum locos decimo, eo præcipuè capite, in quo de ischiade, podagra, & morbo articulari, sive arthritide agit, arthritim morbum ipsemet, in omnes articulos sævientem ac lancinnatem, esse dicat, inquiens. Ex genere arthritidis est, tum ischias, tum podagra, quod enim in omnibus articulis arthrithidis est, hoc in uno iuxta coxēdicem quidem, ischiada, hoc est, coxendicum morbum appellant, iuxta pedem autem podagram, ex quibus Gal. verbis, liquido constat, arthritim morbum in omnibus simul articulis fieri, cui sententiæ innititur Aetius sermone 12. suę medicinę, cap. 6. quum dicat. Podagrica, & arthritica affectio eiusdem speciei inter se existunt. Differt autem podagra ab arthritide, non toto genere, sed affectis locis, in omnibus enim debilitas est articulorum, diuturna cum fluxione, quæ quidtm si in pedibus perficitur, podagra appellatur: si verò in aliquo coxarū vertebra, ischias, hoc est, coxendicum morbus nominatur, si verò in multis corporis totius articulis innititur, arthritis sive morbus articularis vocaur. Contingit autem aliquando, ut repentè irruat malum æqualiter per omnes articulos dispersum, quod ipsum evenire consuevit his, qui consueta exercitia concervatim relinquunt, & licentiore dieta utuntur, & subdit, ut morbum hunc sævissimum & pernecantem indicet, sic. Qui verò extremè ab hac affectione apprehenduntur, his & spinæ vertebrę & costarum iuncturę, & genæ dolent: aliquibus autem & iris, sive corona pupillā oculi ambiens, neque est aliqua ossium connexio, quæ ab hac affectione sit immunis. Hæc eadem, ut solet, Paulus Aegineta lib. 3. suæ medicinæ, cap. dicto 78. prosequitur, dicens. Si inferiores partes factus cursus pedum articulamenta repleat, podagra vitium nuncupatur, si cæteros corporis artus intricet humor, ἀρθρῖτιν Græci, nos articularios morbos appellare consuevimus: quo vitij nominē vertebras, humeros, & maxillas comprehendimus, omnemque articulum, quicunque morbo complicatur, nonnulli verò aures, dentes,

A fauces, & nonnunquam iecur, lienem, articularijs doloribus conflictari pronuciant. Et sanè morbus hic crudelis, & carnifex, quem olim nobilem quendam apud Germanos inferiores, pati vidi: qui ob imbecillitatē articulorum, ad quos humor à natura alienus confluit, fit, & varijs de causis evenire contingit, videlicet, à cruditatibus, inmodico venereo usu, vehementi deambulatione, equitatu assiduo, præcipuè propendentibus ex equis cruribus, ut Scytis evenire Hippocr. lib. de aere, aquis, & locis, testatur, suppressione excretionum consuetarum, intermissione exercitiorum familiarium, mœrore, curis, vigilijs, & reliquis animi affectionibus. A colico quoque dolore B perperam curato, arthritis oritur, ut meminit Hippocr. lib. 6. Epid. parte quarta. aphoris. 3. dicens: cuidam intestinum colon, ubi articulari morbo corripiebatur, dolore ferè vacabat, postquam verò ab eo sanatus est morbo, plus doluit. Post Hippocr. viri medici, doctrina & experientia celebres, tam Arabes, quam Romani, ægrotos febribus laborantes observarunt, qui ob malam in eos adhibitam curationem, in podagram, & alios graves morbos lapsi sunt: sæpè tamen articularis morbus, ob seminaria à parentibus contracta in filios & successores transfertur, de quo, & eius exactā curatione, plura brevi dicturus sum.

C

Curatio quadragesimasexta, in qua agitur de morbillis, & morborum observatione.

OMnes pueri, qui anno elapso variolis laborarunt, hoc etiam anno morbillis affligūtur, sed sani evadunt, filia tamen Dionisij Pinti, nata annos octo, eisdem cum correpta esset morD billis, & aere frigidiusculo alterarentur, in tormina & cruentam dysenteriam devenit, à qua quoque & ipsa, brevi levata fuit, instabat autem autumnus.

E

Curatio quadragesimaseptima, de febre continua, cum mentis turbatione.

NAta Chyroci, nobilis Anconitani, ætatis suæ tredecim annorum, vigente autumno, febre continua corripiebatur, ad quam elapsis morbi ipsius diebus undecim, accitus ego, eam continuò febrientem cum alienatione & mentis turbatione inveni. Cæterùm hæc ad oblata bene se gerebat, & viribus utcunque constabat: sed lotium aqueum colore & substantia meiebat, quod mentis alienationem, turbationemve satis attestabatur, proinde brachij dextri basilicam, in curvatura secare feci, & sanguinis uncias sex fluere. At chirurgus plus iusto audax, sanguinis uncias decem, ægrotantis bona fortuna extraxit: qui corruptione ita affectus erat, ut sequenti die, uberem secta brachij exteriori vena, cephalica dicta, sanguinis quoque semi libram fluere, qui sanè primo corruptior erat. Sed puella hæc (ut dixi) ad ea quæ illi offerebantur, bene se habebat, parum tamen dormiebat, cum quibus nihil dolebat, sed linguam atram habebat & siti ingenti cruciabatur, quia tamen mente non constabat, aquam non petebat. Huius fronti, oxyrhodinum applicitum fuit, & noctu frons ipsa, tempora, nares, & aures, populeone unguento, adiectis paucis opij granis, & exiguo aceto rosaceo, inungebantur, & syrupum de papavere: pondere dua rum unciarum & totidem aquæ lactucæ bibebat, aut illius vice amygdalarum cremorem, cui papaveris albi semina mista erant, concedebamus: ex se optimè egerebat, & pulli carnes aqua elixas, adiecto bolo armeniaco, margaritis ac corallo præparato, comedebat. Demùm post aliquot dies, febris & delirium minui cœperunt: tunc pharmacum ex manna rhabarbaroque compositum, illi propinavimus, tametsi sua sponte bene semper egerebat, quo multa liquida, putida, & magna corruptione affecta egessit, & melius habuit: quanquam postea ad aliquod dies insana semper mansit, in quibus diebus, ieiuno stomacho, conditum hoc comedebat. R. Sacchari borraginati unc. tres, nenupharini, buglossati, an. uncias duas, pulveris senæ optimè pisti, drach. duas, pulveris lapidis cianei, stellati dicti, præparato, drachmam mediam, foliorum auri numero quatuor. Cum syrupo de pomis, misce, fiat mi-
F stura, & folio auri inauretur: de qua singulis diebus, singulas uncias ieiuno stomacho, & sero ante cœnam semiunciam comedat, & desuper parum aquæ borraginis bibebat. Sed antea quā condituum hoc comedebat, eius caput embrochis irrigabatur, & tandem intra quadraginta dies ex toto sana evasit, habent autem embrocationes, sive irrigationes sic. Recip. Foliorum & folliculorū senæ, ana unciā unā, borraginis, buglossi, anethi, malvæ, radicum malvavisci, ana pugillum unum, hordei, seminis lini, fœnugræci, ana pug.
G unum & medium, in libris viginti aquæ fiat decoctio sufficiens, facta colatura, adde olei rosacei completi, camomillini, ana unc. tres. Misce, ex qua mane ieiuno stomacho, & vesperi ante cœnam, super caput irrigationes fiebant.

Curatio quadragesima octava, de febre continua, cum erysipelate ulcerato, faciem & universum caput corripiente.

H

PEtrus Critinus, ex Criniti illius doctissimi Florentini familia, iuvenis annos natus triginta, cum Anconæ carceri obtruderetur propter debitum febre maligna cum erysipelate ulcerato, faciem & universum caput corri-

piente, vexabatur, ad quę elapsis iam decem diebus, à morbi origine, vocatus ipse, hominem sic male affici comperio: cui sanguis per venæ sectionem in brachij curvatura minutus erat, & pharmacum propinatum, & erysipelati nescio quid admotum, non dormiebat hic, sed ea quæ illi offerebantur, optime comedebat: proinde eius ani venis hęmorrhoidalibus dictis, illico hirudines duas admovere feci, & optimo instante victus ordine, ac syrupis malam qualitatem alterantibus propinatis, ut postea per pharmacum, purgatio fieret, remedium hoc supra erysipelas ipsum admovere feci, quod habet. R. Succi plantaginis, sempervivi, lactucæ, solani, ana libram mediam, aceti rosacei uncias duas, cerusæ unciam unam & mediam. Misce, & lineis pannis applicetur, & sæpe innovetur. Hoc enim remedio, ita bene valuit vir hic, ut ex ipso erysipelate, & locis illi proximis, membranula quędam crustacea decideret, veluti ab angui spolium deponi solet, subtus quam, ex albo unguento inungebatur locus, qui prædictis sanatus est, & æger ipse in totum consecutus sanitatem.

Curatio quadragesimanona, in qua agitur, de oculi dolore cum rubore.

Iosephus Amatus frater meus, vir bene biliosus, cum de oculi dolore, ingenti cum rubore quereretur, ab optimo instituto victus ordine, catapotia hæc deglutivit, quæ habent. Recip. Pilularum mastichinarum drachmam unam, aurearum, opticarum id est de luce, ana scriptulum unum, diagridij grana tria, cum pauco vino formentur pilulæ quinque, & inaurentur, capiat ea quando vadit dormitum. Cæterùm, ijs optimè egesit, sed non quod hac de causa, dolor, aut rubedo discederent: sequenti die, scapulis

A cucurbitæ cum scarificatione cutis, sunt applicitæ: tandem quinto die cum oculum aqua rosacea tutia præparata excepta, & per manicam traiecta lavaret, brevi sanitatem obtinuit.

Curatio quinquagesima, in qua agitur de pleuritide.

Miles, qui palatio præest, frater Francisci notarij, qui acta criminalia literis excipit, pleuritide, thoracis altam partem occupante affligebatur; ad quem perveniens ipse, post alvi B deiectionem factam per clysterem, sanguinem mittere ad uncias octo ex axillari eiusdem brachij vena, ubi erat dolor, mandavi. Qui quum infectus ingenti putredine, & corruptione esset, & febris intensissimo cum dolore hominem infestaret, & tussis ingens & difficilis ob doloris respondentiam perseveraret, & respirandi difficultas instaret: vesperi ex eodem venæ orificio, totidem sanguinis uncias fluere C permisi, erat autem sanguis ultimus rubicundus, quo factum est, ut melius illico habuerit, tandem epoto quarto die medicamento purgatorio, ex flore casiæ fistularis, cum electario sebesten confecto, & decocto pectorali diluto, paulatim convalescere cœpit, donec integram consecutus est sanitatem. Primis autem diebus, syrupum violaceum ex decocto hordei dilutum bibebat: sed morbi initio, locus dolore affectus, sacculo milij & furfurum fovebatur. D Cæterùm, quæ bibebat, tepida (ut fieri solet) erant.

Curatio quinquagesimaprima, de muliere nobili, podagris laborante, cum mensium optima respondentia.

Soror Chyroci nobilis Anconitani, a iuventute sua, etiam si lunaris evacua-

evacuationis respondētiam optimam, E & consuetam semper haberet, in podagram labebatur: nunc verò etiam cum quinquagesimum tertium ætatis suæ annum agat, eodem vexatur morbo. Cæterùm huius parentes sani & liberi ab hac infectione semper fuere: at superiores, hoc est, avi sui, ut ipsa refert, gravissimè hoc morbo torquebantur: adeò ut hunc morbum veluti hæreditarium, à maioribus suis contraxisse, dicēdum sit, transferūtur autem aptitudines ad hoc malum, à parentibus, F in filios ac posteros. Sed cum hæc scribimus, in mentem venit Hippocratis aphorismus 29. libri sexti Aphor. qui ait. Mulier podagra non laborat, nisi menstrua defecerint, quod falsum esse in mulieribus sui temporis Galenus deprehendit, cum earum plures ob intemperantiam & luxum podagris laborare videret. Seneca quoque quandoque de luxu fœminarum sui temporis conquestus est, quod Hippocratem G falsum fecerint, dicentem, fœminas podagris non laborare.

Curatio quinquagesimasecunda, de sublimato, cuidam mulieri, ad eius internecionem dato.

MVLIER, cui sublimatum intra iusculum ad eius internecionem datum est, illico illud persensit, ac evo H cato vomitu, sana evasit: id autem persensit, quia cum iusculum cui sublimatum mistum erat, ebiberet, saporem gustase dixit, similem illi, quem æris rubigo in ore relinquere solet. Memores igitur huius saporis sint decet, quicunque veneno infici timent: quia certus, & indubitat⁹ pro sublimati, aut cuiusque arsenici altera specie deprehendenda, is sit sapor. Porro, lac huic veneno adversari, & huius generis alijs, quæ erodendo interimunt, medici fatentur, præcipuè Galenus,

E commentario sexto in librum sextum de morbis vulgaribus enarratione quinta.

Curatio quinquagesimatertia, de symptomatis subortis ex abortu, idest, puero ante maturum partum eiecto.

MVLIER iuvenis, quæ catapotia deglutiverat, quia plenitudinem intus in corpore (ut ipsa aiebat) persenserat, sed utinam non fœtum, post multam suprà infraque purgationem habitam, ac fœtum eiectum, in febrem continuam lapsa est hæc. Cæterùm cum per medicum doctum tractata esset, etiam ipse ad eam sum accitus: quam tunc insanientem pauca G cum febri comperi, cui tandem post multa habita remedia, cum frontis venam secari iuberem & sanguinis uncias quinque fluere, brevi resipuit, & paulatim convalescere cœpit, donec integram consecuta est sanitatem.

Curatio quinquagesimaquarta, de melancholia flatuosa hypochondriaca, sive præcordiali Arabibus myrachiali dicta.

H MANVEL Arius annos natus triginta quinque, cum iamdiu de stomachi cruditatibus, & inconcoctione quereretur, & interdum multa vomuisset, interiectis nonnullis mensibus, de aciditate ingenti ab ipso stomacho ad os delata affligi cœpit: quam aciditatem, sive ructus acidos comitabantur stomachi & hypochondriorum

tum gravitas, sed succedente tempore hypochondria ipsa sursum convelli videbantur, magna vigente flatulentia: quib. omnib. accrevit ingens calor à præcordiis ad supremã thoracis partẽ ascendens, & consequenter, alvi siccitas, & constrictio, fastidium, mœror, & animi deliquium, raro tamen mentis alienationem passus est, quod unum à doctis animadversum velim, tametsi enim melãcholiæ, sive desipiẽtiæ species affectio hæc sit, superq. illi est, ut talis verificetur, eam sequantur mæstitia, & à facili causa timor, & nonnunquam mentis inconstantia, quæ omnia melãcholica symptomata, concoctione, vel excretione, vel multis flatibus, vel vomitu, vel ructu levantur, prout huic eveniebat viro. Ad hũc igitur vocatus ipse, præter citata symptomata, cum hujus viscera attrecto, inter umbilicum, & lyenem, eius mesenterium prædurum deprehẽdi: quod unum notatu dignum apud me in hac curatione erat, præsertim cum membrum aut particulam, in qua morbus hic radices suas complantatas haberet, investigarem: nam Gal. lib. 3. De locis affectis, cap. de melancholia, præter quod ab atra bile morbum hunc fieri tradit, ex Dioclis sententia, inquit, huius morbi causam esse calorem immoderatũ venarum meseraicarum, obstructioneq. earũdem à crasso sanguine ortam, vel ut aliis placet, citante eodem Diocle, huius morbi causa est, inflãmatio pylori, sive portonarii, aut janitoris dicti, partis scilicet inferioris oris ventriculi, cui opinioni Gal. hæret, & eã ut veram amplectitur magis, cum dicat. Atque videtur quidem in ipso inflammatio esse, sanguis autem in parte inflãmata contentus, & crassior, & atræ bili magis conformis. Itaq. quemadmodum elato ex ventriculo ad oculos fuliginoso quodam aut fumoso halitu, aut crassis quoque vaporibus, similia suffusorum accidentia contingunt, eadem ratione sublata ad cerebrum ab atra bile evaporatione melancholica evenient in mente accidentia, & cætera. Ex quibus verbis, Gal. huius morbi causam phlegmonem pyloro impactã esse velle, satis clarè percipitur. Avicẽna tamen illi contrariatur, aut saltem non hæret, ut quisq. cordatus deprehedet medicus, modo eius verba contempletur. Fen prima libri 3. tract. 4. cap. 9. in quo, & Philothei, sive Theophili opinionem citat. At Averrois libro 3. sui collectorii, capite quadragesimo Galeno favet, qui contra multorum opinionem, ex pylori inflammatione morbum hunc fieri contendit. Cæterùm cum hos authores perlego, pro hoc juvando homine, in mentem venit Mundinus vir, prout sua ferebat ætas, doctus, qui in sua Anatomia, ubi de mesenterio agit, ex melancholia aggerata, in huius mesenterii glandulosis carnibus, hypochondriacam hãc pasionem, vel, ut ille loquitur, myrachiam, fieri tradit, quam sane sententiam, ut rationi consonam, non omnino reieci: & eo magis, quia tunc in huius viri mesenterio ingentem duritiem tactu percipiebam, quæ non procul ab umbilico versus lienem distabat: ut iure crediderim, ut morbus hic ab atra bile originem trahit, ita quoq. in meseraicis venis aliquando sedem suam habeat: quandoque verò in ipso liene, nõnunquam verò in ipsius ventriculi pyloro, in quo inflammatio fit, sed id raro, cum morbus hic maiori ex parte absque febre, non solum vigeat, sed etiam interimat, quæ dubio procul morbum hunc comitaretur, si modo inflammatio adesset: neq. nobis, & aliis artem medicam exercentibus, Averrois rationes philosophicæ satis faciunt, cũ à morbo calido symptomata frigida ob innati calidi resolutionem oriri posse dicat, quod ut possibile, evenire posse non negamus. Cæterùm ab inflammatione interna febrẽ inseparabilem esse, & ut necessariam gigni medici fatentur, & Galenus affirmat variis in locis suę doctrinæ. Proinde quam bene Gal. ipse, hanc secutus sit sententiam, quod affectio hæc hypochondriaca ab inflammatione oris

ventriculi semper eveniat, alij iudices
sint: ego verò, ut varijs in membris
morbum hunc fieri posse dixi, ita à va-
rio melancholico humore originem
trahere crediderim, unde merito cura-
tiones in hoc morbo variãt: quia ali-
qui, frigidis & humidis remedijs mor-
bũ hũc profligare cõtẽdũt: alii verò ca-
lidis & humidis, pro ratione materiæ.
Vtcunque tamen res habeat, hic præ-
dicta patiebatur symptomata, cũ qui-
bus sæpè vomebat: nam postquam co-
medebat, acidos ructus sentiebat, &
mori aut aperiri in pectore desidera-
bat: sed cum bilem aut varii coloris hu
mores vomebat, levis evadebat, & ite-
rum comedebat, sed in idem recide-
bat: adeò ut per quatuor longos men-
ses in hac perduraverit afflictione, quo
usque vitam cum morte commuta-
vit. Cæterùm in huius morbi succes-
su, priscorum medicorum diligentiam
admirari mihi subit, præsertim in eo
describendo, & quanta cura eius om-
nia symptomata, signa, causas ad un-
guem usque observaverunt: sed illi
fortè suo tempore ægrotantes maiori
cura tractabant, quàm hodie à doctis
medicis fiat, ut qui eos frequentius a-
dire solebant, & apud eos sæpius age-
bant, & interdum apud ipsos perno-
ctabant: quando præcipuè non admo-
dum fidebant, quòd ministri, & disci-
puli, ea omnia quæ medici manda-
bant, perficiebant, ut Galenus quo-
que facere solebat, ut commentario
primo, in librum De fracturis memi-
nit, enarratione vigesimaprima: sed
de iis satis. Nunc verò ordinem in hac
curatione habitum, tempestivum erit
prosequi, ut posteri feliciori successu,
huiuscemodi ægrotantes curare va-
leant. Erat autem vir hic natura sic-
cus, procera statura, ad rubedinem de-
clinans, & talis, qualis Galenus in-
quit, in melancholicam temperatu-
ram facilè transit: huic igitur optima
victus ratione constituta, syrupum hũc
ita descripsi, quem per quinque dies
ebibit: & postea pharmacum sequens
purgatorium propinavimus: habet

E autem syrupus sic. Recip. Syrupi de
fumoterræ, de borragine, de pomis,
ana unciam mediam, decoctionis se-
næ uncias tres. Misce, fiat syrupus, ca-
piat quinque. Pharmacum vero ita
quoque habet. Recip. Syrupi rosa-
cei solutivi uncias tres, diasenæ leniti-
vi unciam mediam, diaphiniconis
drachmas duas, decoctionis senæ un-
cias tres. Misce, fiat pharmacum, quo
optimè alvus respondit, & æger ipse
rectè se habuit, sed obstructio illa su-
pra mesenterium apparens, decocto
hoc irrigabatur, fovebaturve, quod ha
bet. Recip. Anethi, capillorum Ve-
neris, camomillæ, radicum altheæ,
seminis petroselini, anisi, fœniculi,
F foliorum senæ, ana pugillum unum:
in aqua fiat decoctio sufficiens, qua lo-
cus obstructus fomentetur spongia: &
postea hoc inungatur unguento. Re-
cip. Vnguenti de althea uncias duas,
nucis unguentariæ unciam mediam,
pulveris radicis capparorum drach-
mas duas, olei lilini, & ceræ ana pa-
rum misce, & ad ignem fiat unguen-
tum. Sed dum hæc vomitus fiebant,
aliquando evocabatur: præcipuè quan
do nausea instabat, & æger angustia-
batur, & non vomebat: sed opus hoc
conficiebatur lenioribus vomitoriis,
G ut aqua naphæ, decocto parato ex se-
mine anethi, raphani, rapæ, & simi-
lium: sed alvus cùm astricta erat, emol
lientibus clysteribus laxabatur. Cæ-
terùm cùm flatus plures abundarent,
neque remediis ad eos excogitatis re-
solverentur, clysterem sic paravimus,
quo flatus evanescebãt, & levior ægro
tus evadebat. Canalem medicum quẽ
vesicis bubulis, aut pellibus inserere,
pro conficiendis clysteribus solemus,
H folli fabrili adaptato, ac folle compres-
so, & spiritu ex toto emisso, per anum
eum immittito, ac postea ipsum ele-
vato, & aperito, & postea extrahito:
sic enim totus flatus intestinis conten-
tus, hoc instrumento attrahitur. Est sa
nè remedium hoc à nobis pro flatibus
deponendis, primò excogitatum, quan
quã ab Hippocrate pro ampliãdis in-
testinis,

testinis, in colicis affectionibus curandis, huius meminerit instrumenti, ut ultimis verbis primæ harum Centuriarum, memoriæ commendavimus. Item quũ ægrotus hic cibos fastidiret, intinctos parare faciebamus, quos Græci ἐμβάμματα appellant, quibus carnes & oblonia intincta comedebat, ex quibus exemplum tibi sit. Recip. Amygdalas dulces, albas redditas, pistatia recentia mundata, ana quantum tibi placuerit, in mortario pistillo optimè contunde: quibus adde jecinoris pulli unius, vel alterius, quãtum tibi videbitur, & pauco saccharo, & agrestæ, ac pulvisculo cinnamomi resperso, cum aqua rosacea: misce, & fiat intinctus, & eo utatur. Porrò, cùm Galenus morbi huius B initio, ægrotantes similes, solis balneis, & victu humido, sed optimi succi, explosis pharmacis, curasse glorietur: nos præter quã quod hierã picrã atrã bilẽ respicientẽ, quandoq. propinabamus, apozema hoc, vel simile ægrotãti huic tantũ cõcedebamus, & purgationũ vice clysterib. utebamur: quibus optimè valuit, & extra domũ ingenti artis gloria, & magno populi applausu exivit. Erat autẽ vir hic probus & candidus: qui pauperib. sua bona largissimè, & C munificentissimè propter Deũ elargiebatur. Sed ne mente decidat, apozema ita habet. Recip. Foliorum borraginis, absinthii, capillorũ Veneris, pimpinellæ, ana manipulũ unũ, polipodii quercini recentis, radicũ buglossi, anã unc. unã, liquiritiæ recentis, & rasæ, senæ, ana unc. unã, passularum de Corintho uncias tres, pomorum apianorũ numero decem, seminis anisi, fœniculi, ana drachmas duas. In libris sex aquæ fiat decoctio, quousq. maneant libræ quatuor, facta colatura, & expressione, adde syrupi de pomis, de fimo terræ, de D borragine, ana uncias duas. Misce, fiat apozema, cuius unc. octo in aurora, ad ignẽ tepidas ebibebat, & quandoque ante cœnam, per horã totidẽ: iis enim, ut dixi, optimè habuit. Cæterùm, quũ morbi seminaria adhuc latitarent, & vigerent, & ipse licentiori victu usus esset, in eundẽ morbum recidit: ad quẽ

A cùm quidam, qui se medicum simulabat, curare contẽdebat, curatum intraret, brevi ipsum interfecit. Parabat autem hic, ut obiter hoc dicam, apozema quoddam, quo omnes curare pollicebatur, & eo ægrotos omnes egerere multum faciebat, & maiori ex parte eos in marasmum trahebat, sed quã infestum simile apozema, & obnoxiũ huic morbo erat, ex Galeno primo, vel potius ex huius ægrotantis successu, quivis judicare poterit: nam brevi in extremã maciem ægrotum traxit, & tandem in obitũ, non sine multorũ dolore: veluti tres alios Anconæ ægrotantes, & alios nõnullos apud sanctum Severinum: unde ignominiosè fugam B fecit. Nã & antea Anconæ carceribus obstrusus fuerat. Simili morbo huic de quo agimus, anno superiori correptus fuit, bonæ indolis juvenis, filius Nicolai Patavini mercatoris Anconę agentis, qui leviter tractatus, cũ ad balneas Patavinas nostro consilio iret, & earum aquas per plures ebiberet dies, sanus evasit, neque amplius in eũdem morbum recidit. Sed juvenis hic cùm varia symptomata pateretur, nũquam tamen apertè insanuit. Lucensis por- C iò mercator, & sorori⁹ Gabrielis mercatoris Lucensis, eodem morbo vexabatur, sed insaniebat.

SCHOLIA.

Protritum & triviale argumentum, quum de hypocõdriaca affectione loqui solemus, proponi solet, & tale habetur. Si ab inflammatione meseraicarum morbus hic fit, quomodo flatus oriantur, quia flatus à diminuto calore oriri soleant, sed in inflammatione ingens, & consumẽs reperitur. Responsũ est, quòd D *interea dum inflammatio viget, flatus non sunt, sed in inflammationis fine, quia tunc calor parvus est, in cibaria, vel chilum agens, à quo flatus elevantur, exemplum est, quod vere & autumno venti plures, quam æstate vel hyeme sentiuntur: quia verè & autumno calor diminutus est, qui vapores elevat, sed non consumit. Sed responsum hoc multis peccat modis: primo quòd ij Galenum non intelligunt, quia Galenus ex Diocle, non ab inflammatione, sive apostemate*

[illegible] *meseraicarum,morbum hoc fieri tra-*
dat,sed potius à calore excessivo, & immo-
derato venarum meseraicarum , obstructio-
neque earundem, à sanguine crasso orta : ex
quo sanguine & chylo,saltem per contactum
hærente , fumi ad ventriculum, & inde ad
caput ascendunt. Secundò errant in sua res-
ponsione, cùm dicant, vigente inflammatio-
ne flatus non comperiuntur , sed in eius de-
clinatione : quia tunc flatus non nisi inclinan
te morbo comperirentur : quod falsum esse,
qui morbum hunc patitur,novit,& docti me-
dici non ignorant , quum illico à morbi ini-
tio,flatus vigeant, adeò ut ab eis morbus hic
denominationem traxerit , & flatuosus dica-
tur.Sed esto,quòd non ob inflammatas mese-
raicas , sed ob ingentem & excedentem cali-
ditatem in eis ortam,aut, ut aliorum relatio-
ne Diocles fieri tradit , ob inflammationem
sive apostema pyloro ortum, quos Gal. insequi
videtur. Quomodo flatus oriantur inquira-
mus Galenus uti suprà, huic respondet quæsi-
to,dicens:Sanguis autem in parte inflamma-
ta contentus,& crassior , & atræ bili magis
conformis est:itaque quemadmodum elato ex
ventriculo ad oculos fuliginoso quodã ,ac fu-
moso halitu,aut crassis quoq. vaporibus , si-
milia suffusorum accidentia contingunt:eadẽ
ratione,sublata ad cerebrum ab atra bile eva
poratione , melancholica evenient in mente
accidentia,& cætera.In quibus verbis Gale
nus non dubitat ex atra bile evaporationem
ad cerebrum fieri : ex qua melancholica po-
stea eveniunt symptomata humor autem atra
bilis est, non carbo ignitus, cui cibaria,si non
miscentur , saltem per contactum hærent : ex
quorum miscella fumi elevantur atræ bilis
naturam sapientes , & consequens acciden-
tia melancholica,sed præcipuè præcordiorum
fluctuatio,quæ,ut Diocles notat,non illico,ut
cibus accipitur,presentitur , sed post eum re-
tentum.

Curatio quinquagesimaquinta, de ulceribus Gallicanis in genu obortis.

VXor naucleri navis Belioti, ulcera
maligna à morbo Gallico contra-
cta,in genu patiebatur. Cæterũ , opti-
mo victus ordine instituto,post paratã
ad evacuationẽ per syrupos materiã,
& per catapotia eã expulsam, ulcerib.
putrilagine infectis,præcipitatũ inde-
te mandavi,ac paulatim tractatis ulce-
E rib. ipsis,& sæpè lavatis decocto Gua-
iaci,quod per triginta longos dies,sub
tili admodũ constituto victus ordine,
ebibit,& postea superposito ipsis ulce-
ribus unguento ex plũbo,brevi ex to-
to sanata sunt. Singulis tamẽ octo die-
bus,catapotia ex nitro,põdere quatuor
scriptulorũ,adjectis granis trib. diagri
dii, & totidẽ trochiscorũ alandaal de-
glutiebat,quib. optimè purgabatur: e-
rat autẽ mulier hæc quinquagenaria,
obesa,potens,& virago,quæ prædictis,
intra quadraginta dies, ex toto sana
evasit.

F
SCHOLIA.

INter ea corrodentia medicamenta,quæ ul-
cerum sordidorũ putrilagines corrodunt, &
absumunt,ut oleum vitriolum,aqua fortis ar-
gentariorum,sublimatum , & arsenici varia
genera:pulveres ij à præcipitato dicti,palmã
obtinent:quos Ioannes à Vigo , chirurgus me
hercle diligens & doctus,in antidotario suo,
hoc est,libro octavo suæ medicinæ chirurgicæ
descripsit. Conficiuntur autem pulveres,ij ut
obiter hoc dicam , æquis partibus argenti vi-
vi,& aquæ argentariorum fortis ad ignẽ,si-
mul coctis. Cæterum ut pulveres ij absq. do-
lore munus suum conficiant,sic apparato : eos
G *in catino immittito, super quos aquã vitæ in-*
fundito,& ad lentũ ignem coquito : quoad a-
qua absumatur,& pulveres ipsi sicci maneãt:
hoc autẽ modo concinnati opus suũ conficiunt,
absq. dolore tamen. Alij tamen eos succo plã
taginis,sempervivæ,solani, vel aliarum her-
barum frigidarum, præparant:ut absq. dolo-
re,& punctione operẽtur , sed modũ primò á
nobis signatũ,ut meliorẽ,& faciliorẽ habeto.
Porrò si virib.potentiores,pulveres hos para-
re decreveris, duplã aquam fortẽ ad argen-
tum vivum infundito, & vase vitreo optimè
obstructo, ad ignẽ excoqui sinito, quousq. ru-
bri exactè pulveres evadant.sed de iis, & si-
H *milib. ne dedignare Vigonem percurrere , &*
eius discipuli S. Borolitani opusculum eidem
conjunctum legere, cùm chirurgus doctus &
expertus sit,ut Venetiis,cùm non raró coram
nobis operabatur,experti sumus.

Curatio quinquagesimasexta, de vlcere antiquo in crure, & tandem sanitati restituto.

AD talum ulcus antiquum , & ferè
decem annorum, patiebatur pro-

bus

bus vir Damianus Illyricus, qui cùm multos adiret probos medicos & chirurgos pro eo curando diligentes, nunquam tamen inde sanus evasit. Ego verò ulcus sordidum considerans ex eorum genere esse, quæ difficulter sanitatem adipiscuntur (Græcis cacoethe dicta) deprehendo & ad quod natura longa consuetudine corporis totius immundities, & superfluitates transmittere solet, invenio quod ulcus si clauderetur, & cicatrice contegeretur, homo brevi moreretur, aliquo morbo pernecante superveniente, ut sæpè fieri cõtingit, & nos alias observavimus. Proinde nos fonticulum, sic enim recepto vocabulo, foramen appellare placet, quem in eodem crure infra genu prædictum respiciens ulcus, parare fecimus, non nisi corpore prius sæpè purgato, & guaiaci decocto, per quadraginta dies ebibito, & ulcere ipso ferè ad sanitatem redacto. Cæterùm fonticulum hunc, varijs rebus parare solemus, aut candente ferro, aut caustico medicamento, vel vesicatorio: nam interior cortex flagellorum sive virgularum brioniæ, carni supra posita, opus brevi conficit: mitto cantharides, vel ramunculi herbę, sive barrachij quodvis genus, ut varia alia præteream, quę vesicam incitant, cui disruptæ, ciceris unum, vel alterum granum superponitur, & fascia ligatur, unde foramen resultat, quod singulis diebus abstergitur, & innovatur, & eius grani ciceris vice ut fonticulus vigeat & ex eo sanies effluat indi potest illi, aut cerea pillula, aut plumbea, sed ciceris granum sæpius pro complenda hac opera, vsurpatur, quia humiditate tumescit, & locus amplior evadit, sic enim probus hic vir sanus intra duos menses evasit, hoc eodem modo, qui varices in crure patiebatur, & in cruris infima parte ulcus habebat, ab ulcere liber evasit, erat autem vir hic statura procera, qui in angiportu ad forum fontis habitat, & pannos tondet. Porrò Græcus Aulonensis, qui carcere Anconæ detinebatur, causa bibliopolæ Veneti, pro symbolo fe-

A

B

C

D

lem habentis, ulcus magnum rotundum in crure habebat, non tam sordidum, quàm putridum dictum, si modo cum Avicenna, & Vigone Genuensi, loqui debeo, sed hic febrem patiebatur, & ulcus gallicanum erat, quæ candentibus ferramentis exustum fuit, & postea æger melius habuit, sed quum chirurgo ignaro commissus esset, suum diem obijt.

Curatio quinquagesimaseptima, de puella continuò febriente varijs cum symptomatis, ex quibus mors fuit consecuta.

PVella annos nata septemdecim, & filia illius Hebreæ, quæ postea ex morbo fere simili obijt, cum illi menses consueti deficerent, in febrem continuam lapsa est, & eam quidem duplicem biliosam, continuam dictam, ad quam post elapsos duodecim dies ægritudinis, ingressus ipse, eam viribus impotentem inveni, ut pedibus stare nequiret, omnia fastidiebat, ita ut vix cibum videre, nedum gustare esset possibile, quibus optimè egerebat, sed circa iecinoris & lienis regionem, obstructiones patiebatur, vigebat autem autumnus. Cæterùm temperatura pituitosa puella hæc erat, obesa, pro qua curanda, primo ad ea quæ magis urgebant intentio nostra dirigebatur: proinde ut vires reficerentur, constarentve operam dedimus, idque optimis & boni succi edulis, & quæ facilè in sanguinem & ægri nutrimentum vertuntur, dein verò ani venis hæmorrhoidalibus dictis hirudines duas applicare feci, quæ sanguinẽ sugendo, quousque ex se ciciderunt, extraxerunt, imò post earum çasum sanguis multus effluxit: sed tunc syrupum de cicorea,

& radicibus, cum appropriatis aquis ebibebat, ac ex manna, & rhabarbaro, adiectis paucis drachmis electarij à palmulis, confecto pharmaco purgata fuit, sed postea nihil gustabat, ut per octo dies ferè nihil comederit, lente febricitabat, & delirabat, sed interiectis octo diebus resipuit, & vires constantiores sunt factæ, postea iterũ omnia fastidivit, & viribus impotens reddita est, & tunc ulcera in faucibus visa sunt sordida admodum, sed remedijs adhibitis melius sensit, ita ut morbus in declinatione visus esset, sed denuò fastidio repullulante, ex toto deiecta est, & imbecilla facta, adeò ut intra quadragesimum diem, suum obierit.

Curatio quinquagesima octava, de chœradibus, id est strumis, dictis scrophulis, non minus de nodis curandis.

FAmiliares admodum sunt chœrades collo & cervici, quas strumas sive scrophulas dictas, multi chymistarum, aquis, aut abditis & absconditis remedijs evellere, ac in totum eradicare contendunt. Ego vero anno 1552. & 1553. decem vel duodecim pueros, prædictis strumis affectos, sequenti incessu, curari feci, & sani ac liberi hodie habẽtur. Nam qui nodos magnos, unum vel alterum tantũ habebant, ij rasorio sectione facta, eos extrahebamus, & brevi sani evadebant, si quid tamen seminij mihi intus manere videbatur, pauculo sublimato, aut præcipitato fortiori & potentiori iniecto in totum extirpabatur: ita autem factitatum iri animadvertistis in filio Sebastiani Pinti, & puella illa, sorore Michaelis musici, in qua ita tracheæ arteriæ motus percipiebatur, ut nihil clarius videri potuerit, profunde admodum nodus hic iacebat. Porrò, qui patiebantur chœrades, hoc est, strumas plures, quas E vulgus scrophulas appellat, sublimato eas in totum eradicari fecimus, quæ si corio conteguntur, & nondum ad ulcerationem pervenerunt, vesicatorio locus ulceratur, aut multiplici alio remedio, & tunc supra strumam sublimati unum vel alterum granum superponitur, adaptato supra pauculo butyro recenti, & in circuitu ex bolo Armeniæ confectum unguentum ponitur: sequenti verò die deposita struma, pauculo butyro recenti locus fovetur, ac sic vicissim inceditur, quousque ex toto omnes ad unguem extirpatæ sint F strumæ, ut in filiabus duabus, viduæ brudorum evenire vidistis, & pueri cuiusdam probi viri, cuius nomen non sucurrit, & varijs alijs. Porrò si quis medicamentum ita potens ac sublimatum, absque tamen dolore opus hoc conficiens, invenerit, mea sententia multis laudibus dignus erit: hodie tamen apud Bononienses, chirurgus quidam oleum excogitatum habet, carnes ad os usque, absque tamen dolore, corrodens, cuius experimentum hic G Anconæ, in Ianeto Architecto viro probo, pro eius crure secando factum est: de quo oleo, & simili, in sequentibus, deo duce, maiora & meliora dicemus, sunt verè hęc talia, ut digna sint, quod inter theoremata Hipp. & Gal. reponantur, cum ex illis ars medica in dies clarior evadat.

H *Curatio quinquagesima nona, de muliere nephritide, ac interdum ischiadico dolore laborante, & postea in natis inflationem deveniente.*

MOnacha divi Bartolomæi, quinque supra triginta annos nata, mulier obesa & gravis nephritide, ac interdum coxendicum dolore cruciabatur, à quo dolore, humor plus iusto attractus, inflationem sive in nate tumorem peperit: ad hanc igitur accedẽs ipse,

ipse, illico basilicam eiusdem brachij inflationem respiciẽtis, secare feci, sanguinemque ad libram unam fluere, ac fomẽto locum affectum irrigare: quod habet. Reci. Parietariæ, malvæ, altheę, camomillæ, rosarum, anethi, seminis lini, fœnugræci, ana manipulum unum, in libris decem aquæ fiat decoctio sufficiens, cui adde, olei camomillini, rosarum, ana uncias duas, misce, & spongia vel filtro, ex alto fiat irrigatio, & ex prædictis fere, paratum emplastrum loco affecto admovebatur. Sed interim hæc fiebant, syrupos ebibebat, & cassiam à fistula sua extractam aliquando devorabat, sed succedente morbo, alternis diebus, pillulam unam vel alteram, ex aggregativis, & aureis deglutiebat, & topica medicamenta ex ijs quæ per difflationem opus suũ conficiunt, erãt, ac intra mensem inflatio resoluta est, & monialis hæc ex toto libera.

Curatio sexagesima, in qua agitur de vermium curatione.

LVbelli proxenetæ filius annos natus tres, vel circa, post habitos morbillos, qui non ita sævè in Italia ac Hispania affligere solent, lumbricos per os emittere cœpit, à quibus ferè strangulabatur: pro quibus propulsandis, pulveres nostros in vino ieiuno stomacho illi dedimus, & clysterem ex lacte & melle confectum injici fecimus, & sequenti die electario à sebestẽ purgatus puer per egestiones vermes plures emisit, & tandem sanitatem obtinuit.

Curatio sexagesimaprima, in qua agitur, de duplici tertiana.

VIllicus Ioãnis Guardij nobilis Florentini, in autumno duplici tertiana corripiebatur: ad quem accedens ipse, sexto iam ægritudinis elapso die, il-

A lico illi basilicam dextri brachij aperiri feci, sanguinisque uncias sex demere ac syrupum hunc ebibere. Recip. Syrupi de endivia unciam unam, de duabus radicibus unciam mediam, aquarum endiviæ, borraginis, acetosæ, ana unciã unam. Misce & quinquies iteretur. Cæterum cum is difficulter clysteribus ex hiera, & diaphinicone paratis, egeret, illis trochiscos alandaal injici fecimus pondere dimidiatæ drachmæ, quibus alvus optimè respondebat, sed urina postea aliquantulum concocta apparente, nullo perturbante symptomate, hoc pharmacum illi propinavimus, quod habet. Recip. Diaphiniconis unciam mediam, confectionis hamec, electarij
B Indi, ana drachmam unã & mediam, electarij de psilio drachmam unam, in decoctione senæ, fiat potus unus, & una unciola syrupi rosati solutivi dulcoretur, quo alvus respondit. Victus huic, pullorum carnes in prandio erant, potus verò, vinum pauciferum album, & ideo albanum dictum, quod aqua magis infrigidare prima Cẽturia dixi, & hodie ita esse firmamus, quia corpus nostrum vinum hoc & magis humectat, & magis quam aqua sua acerbita-
C te infrigidat. Sed ij, qui veram & solidiorem philosophiam ignorant, hæc non admittunt, Galeni fortè theoremati innixi, in quo ait, omne vinum esse calidum: sed ij mea sentẽtia, Galenum non intelligunt, ut qui ignorãt veram vini definitionem, quæ talis habetur. Vinum est succus ab uvis maturis extractus, depuratus & defæcatus, ad multa conveniens. Cæterum cum vinum hoc Albanum Longobardicũ ab uvis maturis nõ extrahatur, sed potius acerbis, & malè maturis, consequens est fri-
D gidum evadat, & vinorum communiũ naturam non adipiscatur: id quod sciẽs Galenus, in sua doctrina non semel dixit: nullum album vinum calidum est, ut lib. 12. Methodi medendi, cap. 4. legitur ad hunc modum. Neque enim invenias ex albo vinorum genere, calidum ullum: desinat igitur vinosus ille in doctos homines maledicta profundere:

dere, cum nihil præter authoritatum acervos congerere novit, & ad ægrotum revertamur, cui cœna nulla fere erat, quia in nocte febris eum invadebat, demum epotis syrupis aperientibus,& iterato pharmaco,sanatus est vil lanus hic, iuvenis robustus, qui iandiu apud bellum egerat, & militis nomen adeptus erat, non enim rustici Italiæ ut Hispani inertes sunt.

Curatio sexagesima secũda, de febre continua maligna, cum exanthematis pulicari morbo dicto.

F

PVer viduæ Brudorum, annos natus sex, boni habitus, vigẽte autumno, febri continua corripi cœpit:cui occur rens,& videns neque syrupos,neq. medicamenta alia in potu admittere,vice carnis cidoneosum conditum ex sebesten pondere quinque drachmarum illi propinavi, quo optimè egesit, & intra tres dies sanitatem obtinuit. Elap sis verò decem diebus,in quibus multos comedit fructus in eandem recidit febrem, & eam quidem malignam & malè morigeratam:ad quem denuo re diens diasebestẽ drachmas sex in aqua endiviæ dissolutas dedi, quas illico à potu evomuit, & ea de causa nihil eges sit, sed sequenti die,bolum ex prædicto electario dare iussi,quo vermen unum per superiora reiecit, per inferiora verò duos. Cæterum sequenti die, puer hic delirare cœpit, quo fit, ut ex communi brachij vena,sanguinem ad uncias quinque demere juberem, in quo die, vesperi magis delirabat, imò per totam noctem sequentem nihil dormi vit, sed multa loquebatur: quarto vero die, exanthemata per universum corpus effloruerunt(pulicare dictũ symptoma) quæ maiori ex parte rubra, alia verò nigricantia apparebant cum quibus pulsus utcunque constabant, & ea de causa, cucurbitas siccas scapulis &

E costis numero quatuor admovere feci, & vesperi,ani venis hirudinem unam, quæ inde multum sanguinis exhausit, imo post eius casum,sanguis quoque in de multus effluxit:tunc sequenti nocte, ex populeone unguento, inuncta sunt puero tempora,frons,nares,& aurium interiora, & optimè dormivit, imò & vires eius resectæ,& instauratæ sunt,ut optimè in aurora valere videretur. Cæterum vesperi eiusdem diei quinti,par vo quodam rigore puero oppressus est, quem secuta postea fuit febris per totã durans noctem,& ad finem usque sexti diei :septimo bis sudavit, non copiosè, neque per universum corpus, sed per partes superiores tantum ad imas thoracis:octavo,omnia leviora sunt facta: nono,ex electario mistariorum, ut suprà,purgatus fuit, post quæ morbus in duplicem tertianam leviorẽ lapsusest, & postea ex se sanus est factus. Cæterũ post priores dies, cum morbus hic acu tus & gravis esset, vires citò dejiciens, ad eas respicere, & eas instaurare opus erat,morbo tamen non neglecto: ac ea de causa illico ius pulli hordeo alteratum cum pulveribus utriusque coralli margaritarum præparatarum, & boli Armeniaci orientalis, bibebat, & ali-

G quid pulli ipsius gustabat,sed potus cõmunis frigida erat iulebo misto, aut granatorum vino:sed interdiu, iulebũ longum bibebat,& ex cordialibus con ditis parum edebat.

SCHOLIA.

IIs puerulis acutis & gravioribus morbis correpti, sanguinis missionem per venæ sectionem convenire,sępè diximus & inculcavimus, & indies audacius exequimur. Cæterum in puero isto, ante pulicaris morbi appa-

H ritionem, sanguinis missio facta est,dein vero quia delirabat , & de phrenitide timor erat, duo machinati sumus : alterum, cucurbitulas scapulis morbo,& delirio facientes: alterum delirio tantum , hirudinem scilicet ani venis admotam. Porrò advertant medici , quod ut post huius pulicaris morbi apparitionem , venam secare , & sanguinem demere plerunque periculosum est:quia à circunferentia ad centrum, hoc est, a partibus exterioribus ad in-

teriores

teriores fit humoris evocatio, ita aliquando, plethora præcipuè vigente, tutò & securè, pulicari ipso morbo apparente, sanguinis missio exerceri potest: neque minus huic evenit morbo, quam cæteris exanthematis, variolis & morbillis dictis, post quorum apparitionem, stante plethora, omnes docti medici sanguinis missionem fœcundam permittunt, dignoscitur vero plethora, ab ægrotantis habitudine, lotio crasso & rubro, tum quia symptomata prava instant. Item quia nondum evacuatio notatu digna antecessit; sed tunc sanguis cautè, & nō copiosè mitti debet.

Curatio sexagesimatertia, in qua agitur de pleuritide.

VIr robustus & fortis, Crassus dictus, pleuritide correptus fuit; continuò febricitabat, tussiebat, difficulter respirabat, ad costas mēdosas multum dolebat, & supra alterum latus, decubitus illi difficilimus erat, ut inflammationem internam costas velantē membranam occupare dicendum sit. Huic occurrens ipse, ex interna eiusdem brachij locum affectum respicientis, vena, sanguinis libram integram demere feci, & locum affectum ex fomento foveri, ac unguento pectorali illini. Cæterū syrupos ex violis, & ziziphis ebibebat, & arteriaca medicamenta leviora accipiebat, quæ comedebat illico, hic evomebat, nihil spuebat, sed sicca tussi cruciabatur, urinam turbidam, crassam, & rubricantem emittebat, & cum ijs in somnis erat, sed viribus utcunque constabat: qua de re, in aurora, ex eadem pertusa vena, sanguinis octo uncias iterum chirurgus extraheret, commendavi, sed chirurgus forte, imperitia sua, tres tantum extraxit, quem cum vesperi notarem, corruptione ingenti affectum, & putrefactum, iterum repetita fuit meis mandatis sanguinis missio, ex eodem vulnere ad libram mediam, & tunc melius habere cœpit, & urina clarior evasit, & screatus facilius reddebātur, & ventriculus (paucis illi admotis)

A cibos retinebat: instabat autem frigus, & mingere cœpit. Interiectis porro uno vel altero die, urina ut primo reddita est, & febris vigebat, & tussis sicca apparuit: sed tunc decoctum pectorale tepidum sæpè ebibebat, & pharmacum leniens illi propinavimus & tandem paulatim convalescere cœpit, donec integram consecutus est sanitatem. Cāveant tamen inscij, ne sua fœda verborum colluvie, dicant, morbi cruditatem tandiu perdurare, ob sanguinis extracti, in hoc nivoso tempore, multitudinem.

B

Curatio sexagesimaquarta, in quā agitur de febre.

PIstrix quæ ad portum agebat, & inde ad caput montis delata est, febri continua, quæ noctu affligebat magis, vexabatur: hæc cum puerum septem mensium lactaret, & illi menstruorum

C una vel altera gutta appareret, pedis saphenam venam secare feci, & sanguinem ad uncias sex demere, & syrupum hunc ebibere. Recip. Syrupi de duabus radicibus unciam unam, de endivia unciam mediam, aquarum asparagi, fœniculi, endiviæ, ana unciam unam. Misce, porro, ut venter responderet, nobis cura erat. Cæterum, cum morbus perseveraret, ex brachij dextri basilica vena, sanguinis uncias quinq; extrahi fecimus: demum in lotio nubecula apparente, pharmacum purgatorium illi dedimus, cuius portionem vomuit, re-

D liqua vero intus manens, exactè opus confecit, & tunc brevi sanata est, eius tamen ventriculus, ex cerato ab aromatis confecto, & applicito, illi roboratus est.

(?)

Curatio

Curatio sexagesimaquinta, de electario quodam restaurante: quo multi à morbis refecti sunt, & instaurati.

Aegrotantes varij, qui imbecilles erant, & refici indigebant, hoc restaurante & reficiente electario instaurati sunt, quod habet. R. Seminum quatuor maiorum frigidorum ana unciam unam, amygdalarum dulcium mundatarum, sebesten, pistachiorum, ana unciam unam & mediam, seminis papaveris albi unciam unam, passularum ex Corintho aqua calida lotarum uncias duas, sacchari buglossati, sacchari borraginati, ana uncias duas, specierũ diarhodonis abbatis, specierũ diamargaritonis frigidi, ana drachmam unã, sacchari Cãdi, penidiarũ, ana unciam unã, sacchari albissimi libram unam & mediam, carnis caponis uncias sex, ad ignem, secundum artem fiat electarium, vel confectio in morsulis ad formam pinosaccharati, cui addere vel minuere poteris, pro intentionis tuæ ratione.

Curatio sexagesimasexta, de ingenti & crudeli ventriculi dolore, cum bilis amaræ, & aliorum humorum vomitu.

Salomon à Camarino, vir annos natus quadraginta, temperatura biliosa exusta, iamdiu est gravissimo & sævissimo oris ventriculi dolore, per intervalla cruciabatur: ad quem dolorẽ, vomitus humoris amarissimi cõseque batur, cum quibus urina adeò intensi lutei coloris erat, ut ad nigredinem sæpè vergere videretur: intense sitiebat, & aliquando febricitabat, pro quo curando, plures medici accersiti sunt, qui uno consensu res calidas, utpote, ut ipsi

E putabant, contra morbum frigidum propinabant: sed non nisi patientis detrimento, ut qui peius semper sentiebat, & gravius torquebatur. Ad eum igitur ipse superveniens cõsiderans hominis temperiem, humorem excretũ, ac morbi ipsius naturam, & noxia à rebus calidis admotis, & ebibitis contracta, iudico morbum hunc malam esse iecinoris intemperiem calidam, & præcipuè concavæ partis: quanquam fieri nequeat ut concava affecta, convexa quoq. non afficiatur, ob quam intem-

F periem iecur multam gignit bilem, quam postea ad os ventriculi debilius factum, transmittit, unde dolor ingens oritur, & consequens natura irritata per vomitum prædictum remittit humorem, rarò verò per secessum. Hunc igitur ægrotantem in paroxysmo comperiens, sic contra morbum ortus sum, & primo clysteri sequente. R. Hordei, parietariæ, branchæ ursinæ, malvarũ, violarum, ana manipulum unum. In aqua fiat decoctio sufficiens, facta colatura. Recip. Prædicti decocti libram unam & mediam, olei rosacei, viola-

G cei, mellis violacei, ana unciam unam & mediam, cassiæ extractæ unciam unam, salis drach. unam. Misce, fiat clyster, quem ferè per totam noctem retinuit, & nihil egessit. Cæterum quia eo die multum vomuerat, à vomitorio medicamento abstinuimus, & iulebum hoc illi bibendum dedimus per intervalla, quod habet. R. Tamarindorum subtiliter incisorum unciam unam, in libris tribus aquæ endiviæ fiat levis ebullitio, cui adde, syrupi rosacei sim-

H plicis, de cicorea simp. ana unc. unam, misce & per manicam trajiciatur: ex quo iulebo, ad lubitũ bibat. Cæterum etsi morbus sanguinis missionem exposceret, quia tamen æger debilis erat, & valde anxius, & hyems rigida vigebat, eam prætermisimus: clysteribus tamen sæpè utebamur. Porro iecur fomento hoc fovebatur quod habet. Recip. Rosarum rubearum, cicoreæ, endiviæ, hordei, lichenis herbæ, acetosæ, ana manipulum unum. In libris xij. aquæ

aquæ fiat decoctio sufficiens, cui adde olei rosacei, violacei, ana uncias duas: aceti rosacei unciam unam & mediam. Misce & spongia, aut filtro iecur foveatur, & linteo abstersum, unguento hoc illinebatur. R. Vnguenti santalini unciam unam, pulveris rosarum rubearũ drachmam unã, absinthij drachmam mediam, succi cicoreæ unciam unam & mediam, olei rosarum unciam unã cum pauca cera alba, ad ignem misce, fiat unguentum, quo inungatur iecur, & os ventriculi: sed portiunculæ unguẽti quo inungebatur ventriculus, mastichis parum indebatur, neque minus æger diacodium simplex comedebat, quod ex decocto capitum papaveris, & saccharo tantum, rotularũ figura, conficitur. Habet autem rotula, sive orbiculus unus, plus minus drachmam: ijs enim sequenti die, melius habere dixit, & sequenti nocte optime dormivit, adeo ut multis ante diebus, nunquam tam bene dormivisse dixerit. Victus huic ius capi erat, aut panatella ex eodem iure parata, cũ semine mellonis: sed postea ipsius capi carnes erant, & pirum sub cineribus coctum: suaseram autẽ hominẽ, ut res fugeret calidas, & frigidas aliquali stipticitate præditas comederet: quales sunt, pirum & eius conditum saccharo concinnatum, mespila, sorba, sed hæc in fine cibi: ex herbis laudabam endiviam, cychoream, lactucam, & ijs similes, ex leguminibus, ius cicerum concedi potest, oriza, far, & cætera similia, sed lentes & si cõcedi possent, adeo tamen sunt aliorum morborum & symptomatum effectrices, ut eas præterire cõsultius sit. Ex alitibus, potius domesticas quam sylvestres commendo, præcipuè capum, gallinam, & pullos gallinaceos: ex quadrupedibus hædum, vervecem, ac vitulũ: sed carnes porcinas in hoc casu summopere laudarem, præcipuè, porci pedes, & lumbi partes: sed cum huic per suam religionem sint vetitæ alijs concedantur. Vinum in prandio, & cœna admittebatur leve tamẽ, quod ex aqua & musto, æquis portionibus hic Anco-A næ parari solet, vocatum lora, & acerbum maiori ex parte est: interdiu verò elapsis quatuor horis à prandio, aquã, quam vinum potius biberet, consulebam. Quarto die, diacidonitis purgatorij, unciam unam huic propinavimus, quo bis absque dolore & anxietate ulla egessit, ita multa humorosa, biliosa & crocea, ut mirum esset. Cæterum, post secundum secessum, ita dolore cœpit cruciari, ut ad philonium, & alia opiata devenire opus fuerit: sed primò clysteribus usi sumus: dein aquam hordei in potu dedimus, sed foris quoq. multa B applicita sunt, sed absque iuvamento aliquo, quum magis & magis dolor ipsum cruciaret: qua de re ad philonium prædictum, & Nicolai requiem, & similia opiata devenimus, quæ illi potanda obtulimus: post quorum assumptionem, dolor quievit, & totã noctem dormivit. In aurora vero sua spõte bis egessit, non nisi humorosa crocea, cum quibusdam strigmentis viscidis, intestinorum ramentis respondentibus: tunc vero ab omni opere destitimus, & interiectis tribus diebus, ad aquam lactis pervenimus, quam huic viro, more antiquorum, per decem dies ebibendam C dedimus, & sanus evasit, & hodie pancraticè habet. Datur autem aqua lactis, antiquorum more, eo modo, quo hodie thermarum aquæ bibuntur: pondere quatuor vel quinque heminarũ, librarum dictarum, ut prioribus Centurijs prolixius dixi.

D *Curatio sexagesima septima, in qua agitur, de herpete miliari.*

IAcobus ex Galicia, iuvenis annos natus viginti quinque, mense decembri, in herpetas miliares incidit, quæ costas & pectoris levam partem occupabant: pro quibus tollẽdis, illico ægro tanti pharmacum, bilem præcipuè & aliquantulum pituitam purgans, propinavimus: ex bile autem, & pauca mista

sta pituita, miliaria hæc ulcuscula oriri alias dixi. Cæterũ supra ulcuscula hæc, unguentum plumbeum & album camphoratum miste admotum, brevi deliterunt: intus tamen ad pectus æger dolebat, & multum angustiabatur: sed tũc hirudines ani venis admotæ sunt, quæ sanguinis multum suxerunt, & postea ebibitis syrupis acetosi simplici, & de endivia, ac devoratis catapotijs ex aloe & aggregativis cum agarico, ex integro tunc sanatus est. Porrò nunc mense decembri anno 1553. in thoracis similem dolorem relapsus est, quem nunc inviso & tracto, neq. extra quicquam ulcusculorum apparet.

Curatio sexagesimaoctava, de lippitudine, sive ophthalmia, hoc est inflammatione albi oculi, cum dolore ipsius oculi & frontis parte.

ABsque procatarctica causa externa dicta, filia illius qui vinum vendit, puella nata annos septemdecim, sanguinea, obesa: obesitate quidem carnosa, in ophthalmiam incidit. Est autẽ ophthalmia Græcis morbus, Romanis lippitudo dictus, in quo oculi album rubet: hoc est, membrana adnata, sive coniunctiva dicta, inflammatione affecta est, & tunc extolluntur cilia, & sine dolore palpebræ coniungi nequeunt. Cæterum cum morbus hic à varijs humoribus fieri soleat: in hac tamen puella à plenitudine universum corpus gravante ortum traxit: quod dignoscebatur, quia tunica, sive mẽbrana coniunctiva dicta, quæ natura alba est, ob sanguinis confluxũ, rubra apparet, simulque ob habitũ totius corporis, & ipsius calorem, ac antea habitum victum, nõ minus ex dolore oculi, & partium illi circumvicinarum, & maxima tensione, simulq. lachrymarum fervidarum copia, hoc percipiebatur. Curaturi igi-

E tur nos puellam hanc, primo subtili ad modum constituto victus ordine, prout expedit, è sanguinis missione auspicati sumus, illius præcipuè venæ oculũ affectum respicientis, quam cephalicã, sive capitalem appellamus: ex qua sanguinis integram librã minui fecimus, & syrupum hunc ebibere. Recip. Syrupi rosacei simplicis, acetosi, simpl. de endivia, ana unciam mediam, aquarum endiviæ, buglossi acetosæ, ana unciam unam. Misce, & quinquies iteretur. Porrò, cum syrupos bibebat, fomento quodam leviori oculum lavabat, quod ita

F habet. Recip. Rosarum, malvarum, fœnugræci optimè lavati, ana pugillũ unum, in libris duabus aquæ fiat decoctio sufficiens, & excolato decocto, spõgia imbuta fiat fomentum, & postea linteo absterso oculo, album ovi aqua rosacea exceptum, & bene concussum, exceptum linteis, illi admove: ebibitis vero syrupis, catapotia hæc deglutivit. Recip. Pillularum cochiarum, de luce maiorum, aurearum, aggregativarum, ana scriptulum unum, diagridij grana quinque, cum syrupo rosaceo, f. p. quin

G que inaurentur: capiat hora secunda, post mediam noctem. Tunc vero eius caput attrectans, in eo ulcuscula emanantia comperio, quæ an à morbo Gallico originem traherẽt, in dubium vertebatur. Tunc vero apozemate hoc usa est. Recip. Borraginis, lupulorum, fumi terræ, ana manipulum unum, polipodij quercini recentis, foliorũ senæ, ana unciam unã, hordei integri pugillum medium, corticum myrobalanorum citrinorum, indorum, ana unc. unam, passarum de Corinthio unc. tres. In li-

H bris quinq. aquæ fiat decoctio, quousq. maneant libræ tres facta colatura, ac expressione: adde, syrupi de fumoterræ unc. quatuor. Misce, fiat apozema, de quo in aurora singulis diebus singulas octo uncias bibat: quo ex integro epoto, iterum catapotia deglutivit, & optimè purgata fuit: tũc collyrio albo, & viridi usi sumus, ac altero ex aloe lota & tutia præparata. Cæterum, cum bene per tres vel quatuor dies valeret, denuò

denuò fluxio revertebatur, & inflammatio pullulabat: tandem ad laqueum supra nucham devenimus, & optimè valuit.

SCHOLIA.

Solebat enim Galenus in ijs oculorum fluxionibus, venas, aut frontis arterias incidere, quando precipuè per vasa imbecillia, & superficialia fluxio fiebat: quòd si vasa longè altius quam sectioni deceret, fluxiones percurrerent, tunc eas difficiles curatu Gal. indicabat: sed nos ad laqueum supra nucham eo tempore confugimus. Tu verò, ut rem ex toto teneas, Gal. lege, lib. 13. Methodi medendi, prope finem, quo nemo neque clarius, neque uberius rem hanc prosecutus est. Plura verò si de hac re tenere cupis, lege Hippocratem libro sexto Aphorismorum, & eius enarratorem Galenum, aphoris. 31. ubi inquit. Dolores oculorum, meri potio, aut balneum, aut fomentum, aut venę sectio, aut medicamentum epotum soluit. Mitto Iesum quendam Hebræum, qui de oculorum affectionibus libellum admodum doctè scripsit, veluti librum Galeno attributum, cui titulus est de oculis, à Demetrio trāslatum, non minus ac alios varios Arabas, qui de hac tractatione multa scriptitarunt.

Curatio sexagesimanona, de morbo Gallico repente eveniente, simul que de varijs alijs affectionibus, ipsum comitantibus.

Miles quidam, cum virgam tumentem & inflatam haberet, & eius glans à preputio denudari non posset, multis remedijs frustra præparatis, in capitis ingentem dolorem incidit.: ad quem accedens ipse, & prædicta considerans, eius caput attrecto, ac ulcusculà recens nata in eo & mento comperio, non minus ac in fronte tumorem magnum: unde hunc in morbum Gallicum lapsum esse deprehēdi, & eo magis, quia gonorrhœam patiebatur. Omnia igitur prædicta considerans ipse, in homine triginta annos nato, illico ob

A urgentem capitis dolorem, catapotia hæc deglutienda dedi, febri autem carebat. R. Pillularū de fumo terræ drach. unam, cochiarum scriptulū unum, diagridij grana quinque, cum syrupo de fumo terræ, formentur pillulæ quinq. & inaurentur, capiat quarta hora ante auroram: post quas dolor capitis illico levatus fuit, sed sequentibus diebus denuò dolor redijt, & tunc ano hirudines duæ admotæ sunt, quæ multum sanguinis suxerunt, & postea scapulis cucurbitæ, cute secta, affixæ, & interea syrupos hos bibebat, qui ex fumo ter-
B ræ, & epithymo componuntur, adiecto decocto senæ: post quos iterum catapotia ex nitro Alexandri cum de fumo terræ mista, deglutivit, & eis melius aliquantulum habuit. Cæterum, quum glandem denudare non posset, per syphonem aquam viridē laphranci injiciebat chirurgus: quia intus latitabant ulcera, & extra ita præputij labra obduruerant, ut in cancrenam venire timor esset: neq. enim foris defuit emplastrorum admotio, tum emollientim: tū etiam resolvendi vim habentium, ut
C fieri solet: primò, decocto malvæ, branchiæ ursinæ, adiecto multo butyro, aut oleo amygdalarum dulcium, membrū fovendo. Sed inter ea vim resolvendi habentia, emplastrum hoc fuit. Recip. Farinæ hordei, fabarum, orobi, ana un. unam, furfurum tritici pugillum unū, cum oxymellite: misce, fiat emplastrum. Sed cum hæc absq. fructu admota essent, ad argentariorum pervenimus: quæ quoque parum valuit: tandem ad præputij incisionem devenire opus fuit, quo reciso, visus est callus in
D eo durus admodum, & intra callum foramen exiguum, per quod urina fluitabat: tandem epoto decocto ligni guayaci, ad triginta dies, in quibus catapotia ter repetita sunt, hic sanus evasit, quo decocto frontis tumorem æger sæpè lavabat, linteolaque eo imbuta illi admovebat. Sed tunc quidam alius eodem ferè morbo laborabat, & uxor lapicidæ, quæ ad caput montis agebat, quos omnes Hamisius, chirurgus,

nostris mandatis, ut decebat, tractabat. Olim autem Galenus artem chirurgicam proprijs exercebat manibus, sed postquam Romam venit, anno ætatis suæ 32. ut commentario primo, in librum de articulis meminit, ab opera manuali destitit, munus hoc chirurgicis committendo, ut libro 6. Methodi medendi, prope finem memoriæ mandavit. Callebat nanque Galenus chirurgicam artem, ut qui omnes medicinæ partes exactè tenebat, & eas tanquam sibi pedissequas conciliaverat, quam cum opus erat, exercebat: sciens utiq. deorum filios hanc artis curatoriæ medicinę partem quoque exercuisse. Quis enim non novit Podaliriũ, & Machaona, si modo Homero, ut cum Plinio dicamus, scientiarum omnium parenti, fidem dederimus, Aesculapij filios, sub Agamemnone Græcis auxilium Troiano in bello, artem chirurgicam exercendo præstitisse magnum? Infelix nanque medicus ille dicendus est, qui cum doctoris nomine glorietur, ea tamen, quæ eius minister exercere novit, ille ignorat: si quando tamen doctor physicus, ea quæ ministri exercent, operatus fuerit, id non ut doctor, sed ut artis minister operatus erat, & tanquam navis rector iudicabitur, qui remigare novit, & malum scandere: neque hæc tãtum novit, sed ea, & alia similia, quæ ad nautas pertinent, quando potissimũ opus est, exercet & operatur: neq. minus ac rex, vel imperator habebitur, qui militis officio plerunque fungitur. Quæ omnia cũ approbet Galenus medicinæ ditissimus oceanus, ita commentario 5. in librũ sextum de morbis vulgaribus, enarratione prima prosequitur, dicens. Quam enim proportionem architectus ad alios fabricatores, fabros, cæterosque artifices, quibus ipse præest, eandem habet medicus ad suos ministros: isti vero sunt herbarij, unguentarij, coqui, cataplasmatum confectores, fomenta administrantes: item qui clysteres infundunt, qui scarificãt, qui venam incidunt, qui cucurbitulas affigunt. Quod si nos & hæc didiceri-

E mus, atq. etiam moliamur, similes erimus gubernatori, qui remigãdi quoq. peritus sit, quique summum navis malum expeditè ascendere, & reliqua munia obire, quæ ipsi nautæ faciũt, novit, atque facit. Multi nãque Imperatores, arcu uti, iacula vibrare, cominusq. gladio aut hasta pugnare sciunt, & id ipsum etiam agunt, nec non Reges: sed non quomodo Imperator erat Alexander Macedo, aut eius pater Philippus, hæc militaria munera præstabant, sed per alias quasdam artes imperatoriæ ac regiæ ministras: sic igitur quatenus medici sumus, cuiuscunque auxilij qualitatem, quantitatem, occasionem, atq. utendi modum callemus: ut verò cædi
F mus venam, cucurbitulas apponimus, & alia manibus operamur, iam ministri sumus. Quare medica ars medicis dignitate antecellit, medicus verò artibus ministrantibus, illæ ministris, ministri alijs artibus sibi instrumenta & materias parantibus: illæ autem artificibus per eas operantibus, artifices materijs ac instrumentis præparatis.

SCHOLIA.

G *Ægrotus iste omnia, quæ ad morbum Gallicum faciunt, patiebatur: nam in eo soluta continuitas ab exustis humoribus per contagium in concubitu genita, reperiebatur, quæ à malignis quibusdam pustulis incipiens pudendorum præcipuè, caput postea, & exteriores corporis partes infecit, non sine pilorum aliquali decidentia, quæ affectio si veterascit, intimas partes ingreditur, & articulos occupat, & circa os & caput, ac ossa, noctu, præcipuè dolores facit, veluti abscessus duros, ulcera pessima, & ossium vitia: quæ omnia morbi Gallici definitioni rectè conveniunt. Gonorrhœa, quam æger hic patiebatur, tametsi à*
H *Galeno, & medicis post eum definiatur, seminis assidua profusio, & invita ob imbecillitatẽ retentricis facultatis in seminarys vasis eveniens, scire licet, semen hic à Galeno, & medicis, non progenitali semine prolifico & inculpato accipi: quia si esset, impossibile videtur, ut homo per tantum tempus perduraret: præcipuè tam assidua seminis profusione, quam ad tres & quatuor annos, homine rectè valente, perseverare sepè notavimus, qui impossibile*

tandem

tandiu esset perdurare, si modo semen optimum esset, ut ex ijs qui plus iusto coeunt, docti evadimus, qui brevi imbecilles, graciles, ac consumpti redditi tabescunt, & moriuntur. De ea vero gonorrhœa quæ ob plenitudinem fit, vel ob spermaticorum vasorum convulsionem, quam epileptici dum convelluntur, semen exprimendo, patiuntur, alibi loquemur. Novistis autem gonorrhœam tribus modis fieri, aut imbecillitate vasorum seminalium, quæ plerunque ijs, qui multum coeunt, evenit, aut colluvione benignorum recrementorũ: quæ raro evenit, nisi ijs qui Cereri & Baccho indulgent, & cum Venere nullum commercium habent: tertio, ob vasorum seminalium convulsionem, ut epilepticis evenire diximus.

Curatio septuagesima, & docetur quo modo medicamentum epotum, & brevi evomitum, operetur, & evacuet.

VIR cui pharmacum purgatorium propinatum est, parum eum retinuit, imò assistentium iudicio multo magis evomuit, quam in pharmaco habebatur: nihilominus tamen eo die ita bene purgatus est, ac si pharmacum retinuisset. Quæritis undènam evacuatio hæc orta est, & an ab agitatione, & turbatione in ipsius pharmaci expulsione habita, vel aliqua alia re evenerit simili? Ego verò, ut qui secunda Cẽturia huic quæsito responsum dedi, nunc brevius respondebo. Gal. libris de elementis, & de facult. naturalibus, & tertio simpl. medi. cap. 24. & sæpè alibi, & ante eum Hippo. libro, seu magis fundamẽto totius naturalis philosophiæ, cui titulus est. De natura humana, dicunt, medicamentum purgatorium attrahere ad se humorem, ob quandam similitudinem habitam inter humorem attractum & ipsum medicamentum attrahẽs: ut latius Fracastorius Veronensis vir omnium consensu doctissimus, libello suo, cui titulum fecit de antipathia, & sympathia, diffusè probavit, sed in medicamento potẽtia, sive activitas maior est, quã in humore: unde humor attrahitur ab ipso medicamento, & nõ medicamentum ab ipso humore, & hanc similitudinem, sive medicamenti activitatem, Galenus sæpe virtutẽ specificam appellare solet: quanquam aliquando cœlestem vim, specificam formam sive virtutem specificam quoque vocet, ut cum de lapide sanguinem sistente, lib. 9. de faculta. simp. med. agit, dicens, ubi de lapidibus in genere agit. Nam facultates quæ proprietatis totius substantiæ ratione insunt, à methodo sunt, atque ratione alienæ, & per solam experientiam noscuntur: nam cur hic lapis tacto vulnere, unde sanguis prorumpit, cursum eius reprimat, haud novimus. Iis enim præscitis, ad quæsitum respondeo, quod quando medicina reducitur de potentia ad actum, tunc actione calidi innati partes subtiliores medicinæ consurgunt, quæ per venas & arterias, ac meatus, ad humores evacuandos perveniunt, ut proximiores facti, facilius eos humores dictos deponant, expultrice membrorum interveniente facultate: sic enim Centuria secunda olim huic quæsito respõsum dedi. Sed nunc memoriæ occurrit longè aliud respõsum olim à me datum, cum publicè Sãcterenæ iuvenis ego, ab hinc viginti & amplius annis, magna spectante hominum literatorũ concione, apud cœnobium D. Dominici ab Alto, cõclusiones varias publicè sustinerem, eo anno quo rex hic Ioannes tertius, elapsis nonnullis annis, post terræ motus horribilis eventum Olisipponæ, & regioni ei circumvicinæ, apud Almerinum oppidum, agebat, & universa eius curia Sanctere neę erat. Distat autem Almerinum à Sãcterena, nobili apud Lusitanos oppido, cũ quavis opulenta civitate conferendo, quarto lapide, inter currente Tago aurifero flumine, qui Sãcterenam præterlabitur, & eius campos fertiles irrigat, de quibus Plinius, ob eorum amenitatem, & aeris clemẽtiam ac temperiem, lib. 8. Naturalis suæ historiæ, cap. 42. in quo de equorum

rum natura differit, inquit. Constat in Lusitania circa Olisipponam oppidum, & Tagum omnem, equas favonio flante obversas animalem concipere spiritum, idque partum fieri, & gigni pernicissimum, ita sed triennium vitæ non excedere: cuius rei, antea lib. 4. prædicti voluminis, cap. 22. meminerat, & postea lib. 16. cap. 25. memoriæ iterum commēdavit, sed hæc quasi per excursum sunt dicta, & responsum tale habetur ex Gal. dictis erutū, quod quemadmodum pharmacum purgatoriū per se totum potens erat ad se humores trahere, & eos evacuare, ita evomito pharmaco, eius subtiliores partes manentes, imbecilles & impotentes redditæ, ab humoribus, qui pharmacum respiciebant attrahuntur: quia ut antea, in ipso pharmaco integro potētia & activitas erat, ad humores regulādos, & ad se trahendos, ita pharmaco evomito, eius subtiles partes relictæ, si quæ sunt, ab humoribus trahuntur, & vincūtur. Cæterum cū pharmaci partes subtiles & humores peccātes simul iuncti comperti sint, natura gravari & irritari incipit, ac expultrix facultas suo fungens officio, humores cum partibus pharmaci, simul expellit & detrudit, unde evacuatio consequitur ampla & perfecta, quæ sanè respōsio hodie summè doctis arridet, & placet, & eo magis quia ex Galeni dictis deducta sit. Scire tamen medicum oportet, quod multis de causis medicamentum pravos commovet humores, sed non evacuat: prima ob ipsius actionem remissam, & debilem, secunda, ob materiam expelli contumacem, quæ commovetur quidem, sed expulsioni resistit, & latius in corpore spargitur, & increscit, vel ob imbecillam sumentis virtutem, non potentem in medicamentum agere, quo fit, ut neque medicamentum in virtutem & naturam agat: vel ob flatus crassos medicamentum sublevantes, & in poros corporis impingentes (unde febres putridæ, syncopis & mors festina) vel ob facultatis expultricis imbecillitatem, vel ob meatus, per quos vacuandū est, ob-

E structos, aut constipatos, ut theoremate tertio libri primi Mesues dixit, quem Sylvius Parisiensis, medicus doctissimus, & elegantissimus superioribus annis Latinissimum, & ab eluvie sordida tersum, ac purum, in lucem, elegantioris & solidioris medicinæ iuvandæ gratia, misit, cuius conatus feliciter Deus maximus, ut Avicennam quoq. similē reddat, & in lucem ad omnium utilitatem mittat. Est sanè Avicennæ opus, ut vastum, ita impeditum, & caligine obscura, obsitum, altero Galeno, ut à mendis, & erroribus purgatum in totū restituatur, indigens. Cæterum ut ad
F institutum nostrum revertamur, scire quoque decet, quibusnam de causis, medicamentum purgatorium, vomitum, & animæ subversionem excitat, quas omnes felicissimè prosequitur idē Mesues, prædicto theoremate, cum de medicamento illegitimè & molstè vacuāte agat, non minus ac eas, ob quas hypercatharsis, hoc est medicamento purgante vacuatio immodica fiat, quas ex Gal. lib. 3. de facult. simp. med. cap. 26. & 27. deprompsit: & eas omnes, medicus artem exercens, ante oculos teneat decet: ut Centuria prima memoriæ commendavi.
G

Curatio septuagesimaprima, de quodam animam agente, & oremone laborante: simulque de altero simili, qui cum bibebat, quasi ex alto potus caderet, intus sonabat.

H
VIR qui ad rupes D. Cyriaci ægrotabat, & diuturna dysenteria laborabat, à multis mihi commendatus est. Cæterum cum ad ipsum perveni, cum oremone laborare inveni, qua de re, præsagio habito, quod is intra paucos dies, ne dixerim horas, moriturus esset,

esse, aquam destillatitiam ex capo, bibendam iussi, qui, ut postea percepi, brevi vitam egit. Porrò eo tempore cũ ad alterum diverterem diu febricitantem, & malè habentem, cum bibebat, quasi ex alto potus caderet, intus sonabat, percepi: proinde, hunc brevi quoque moriturum dixi, quando signum hoc mortis certum est præsagiũ, ut ex Hippo. lib. 7. de morbis populariter vagantibus percipitur, ubi de Chartado, & Cidis filio sermonem habet.

Curatio septuagesima secunda, in qua agitur de mulieribus parientibus.

MVlieres, quæ mẽse Decembri Anconæ peperere, omnes masculos habuerunt, si quæ tamen puellam peperit, illico illi puella moriebatur, contrario vero omnia mense Ianuario sequẽtis anni 1553. euẽerunt, cum omnes fœminas peperere, si qua tamen masculũ peperit, illico puer aut moriebatur, aut gracilis & imbecillis erat, nonnullæ tamẽ mulierum octimestres, hoc eodem mense, ex masculo abortierunt.

SCHOLIA.

MVlieres parientes mense Decembri, cur masculos peperere, quæ vero mense Ianuario fœminas, causam reddere, difficile sane est, ad influxus forte cœlestes recurrendum esse, quis autumarit: sed cur octimestris fœtus non vivit, id in causa est, ut refert Hippocrates libro de octimestri partu, & Picus Mirandulanus contra astrologos maximè adnotat, quia mulieres octavo mense afflictiones semper patiuntur, & cõsequenter in utero mater, no pueri affliguntur, unde si hac afflictione pueri detenti, altera, quæ partus tempore evenit, affligantur, eos mori necessarium est, sic enim prædicti libri initio, Hippocra ait, de octimestri partu sic sentio, impossibile esse, ut duas consequenter succedens afflictiones pueri ferre possint, & propterea octimestres non superstites manere, contingit enim ipsos consequenter affligi, tũ ea, quæ in utero fit afflictio-

A *ne, tum ea, quæ in partu accedit, & ob id nullus octimestris vitalis est. Hanc autem rationem libro de septimestri partu idem Hippocrates primo, sed longis verbis astruxit, ut eam Hippocratis esse, non sit ambigendum. Huic subiungenda est altera, ex libro de carnibus ratio, ubi hominem in septem diebus perfici, & vitam habere probat: primo experimento, quia intra hos dies septem meretrices publicè conceptum perdunt, qui postea tanquam caruncula elabitur, quam carunculam in aquam frigidam coniectam si exactè cousperexeris, omnia membra habere reperies, ut Hippocra. ipse quoque expertus fuit, in mulieris sibi familiaris famula cantrice, magnæ existimationis, libro de natura pueri sive fœtus, unde septem*

B *diebus hominem perfici dicendum est, quod etiam ex hoc manifestum redditur, quia homo per septem dies tantum, absque cibo, & potu perdurare potest, tertio quod hominis liniamentum septem diebus compleatur, ex hoc manifestum evadit, quia puer septimestri partu natus, pro ratione natus est, & vivit, & rationem talis habet, & numerum ad hebdomadas, ac septenarium exactum. In octimestri autem natus, nullus unquam vixit, quia nihil horum habet, ita enim octavus mensis imperfectus, ac imminutus habetur, sicut dies octavus, inter decretorios, ut quoq. Hippocrates innuere videtur libro de septimestri partu: item, ita habetur octavus mensis pregnantibus, sicut nox difficilis & laboriosa ijs, quibus*

C *crisis die sequenti futura est. Cæterum astrologi ijs alteram addunt rationem, à planetis desumptam, dicentes, Saturnum supremum & primum planetarum genituram primo fovere, & suo aspectu, ac siccitate eam cõdensare, ac in corpus redigere, post quem, secundo mense, Iupiter ipsum fœtum respicit, tertio Mars, quarto Sol, quinto Venus, sexto Mercurius, septimo Luna, octavo verò iterum Saturnus, qui quum vitæ sua frigiditate & siccitate hostis sit, fœtui contrariatur, neque eum vitalem esse desinit, hæc verò pro dubio proposito diluen-*

D *do sufficiant. Cætera verò varia huic rei facientia, etiam à signis zodiaci desumpta, consulto prætterimus, quæ curiosus lector apud autores legere poterit, præcipuè apud Hippocratem & eiusdem enarratorem: sed ex iunioribus legere ne pigeat Leonardum Fuchsiũ Germanum, commentarijs suis, in librum 6. Hippocratis de morbis vulgaribus & Hieronymum Cardanum Mediolanẽsem, libro suarum contradictionum. Cęterum cum hæc & similia observabamus D. Petrus à Toleto in Neapolitano regno prorex cũ eius filio nobili Garsia, magnis copijs, & ingenti navali apparatu*

contra Senarum civitatem venere, obnixè defendente eam Hippolito Estensi, Cardinali Ferrariæ amplissimo, ac vice Galliarum regis, in Italia prorege, & Carolus quintus imperator, obsidionem à Mediomatricibus civitate Lotharingiæ precipua, deposuit.

Curatio septuagesimatertia, de erysipelate ulceroso, faciem & oculi dextri universam regionem præhendente.

FILIA Falconis, nata annos duodecim, erysipelate ulceroso, faciem & universam oculi dextri regionem cum ingenti pruritu præhendente, fœdabatur: ad quā accitus ipse, & illico, à propinato bolo ex flore extracto à cassia fistulari, unguentum hoc illi supra locum affectum apponi feci, quod habet. Recip. Vnguenti de plumbo unciam unam & mediam, albi camphorati unciam unam, populeonis unciam mediam, opij grana tria, camphoræ scriptulum unum, cū aceto acerrimo, misce & in mortario plumbeo optimè tractetur, quoad mellis crassioris corpusculum acquirat. Cæterum sequēti die syrupos hos ebibere cœpit. R. Syrupi rosati simplicis, de succo acetosæ, de cicorea, ana unciam mediam, aquarum lactucæ, endiviæ, acetosę, ana unc. unam. Misce, fiat syrupus, quem per sex dies ebibit, & postea, ex rhabarbaro & catholico electario, pharmacum concinnatum ebibit, quo multa purgari debita, purgata sunt, & postea ad errhina medicamenta devenimus, s. succum radicis, & foliorū syclæ & maioranæ, qui potissimum per eam narium partem injiciebatur, quæ sacrum ignem respiciebat: sed tunc misturam accipiebat, hanc, quæ habet. R. Sacchari violacei, borraginati, rosacei, ana unciam unā. Pulveris santalorum cittrinorū, drachmam unam, cum syrupo rosaceo simplici, misce, fiat mistura, & folio auri inauretur, cuius in aurora semiūciam

E comedat, & desuper unc. duas aquæ endiviæ bibebat. Huic victus optimus erat, ad frigidum declinās. Vinum porrò, nunquam in vita sua gustaverat, ea de causa hordeaceam, iulebo adiecto, bibebat, quibus ita tractata intra mensem sanitatem obtinuit.

Curatio septuagesimaquarta, in quâ agitur de febre continua.

MOnachus ordinis Prædicatorij, annos natus viginti, cum intensæ nebulæ, & caligines densissimæ præ
F cesserant, in febrem continuam cum capitis ingenti dolore lapsus est: cui ab alvi excrementis per clysterem depositis, illico sanguinis unc. octo, extrahi feci, qui sanè ita corruptione affectus erat, ut omnibus admirationi esset, quod tam brevi, talem tamque ingentem putredinem contraxerit, qua de re, vesperi, ex eodem foramine totidem uncias sanguinis effluere permisi, à qua sanguinis missione, febris mitior reddita est, & capitis dolor ex toto abla
G tus & urina melior apparere cœpit, adeo ut ebibitis syrupis, & epoto pharmaco, intra septem dies sanitati restitutus fuerit, ut varij alij qui eo tempore simul eisdem febribus similibus correpti fuerunt.

Curatio septuagesimaquinta, in quâ agitur de ephemera febre.

H ANgelus Ferretus, ordinis Prædicatorij monachus reverendus, & totius Anconitanæ Marchię vicarius dignissimus, in fine mensis Ianuarij 1553. horrorem quendam per integram horam passus fuit, quem postea febris per totam noctem durans, excepit, quam vigil & insomnis totam transegit: ad quem in aurora vocatus, omnia contemplor,

templor, & eius pulsum considero, cuius collationem, ad suum naturalem facio, quem sæpè tetigeram, & eius hodie notitiam habeo, & ut conieci, parum à naturali differebat, sed & lotium contemplor, quod substantia & colore, cũ nubecula optimum apparebat, quæ omnia considerans, eum bono animo esse iussi, ephemeram autem febrem, hanc esse non dubitabam, sed undenã originem traxerat, ignorabam, tunc ille, post multa hinc inde quæsita, bardocucullum Gallicum vestis genus, altero antea die se expoliasse exposuit, ex qua forte causa febrem illam evenisse æger ipse non dubitabat, quod ita esse postea visum est, cum non alteram passus sit.

SCHOLIA.

Quorum pulsus in sanitate tetigimus, & eorum sumus memores quando ægrotãt, ut iudicium per arteriarum pulsus faciamus, non ad pulsum temperatum, eos pulsus referre debemus, sed magis ad suum proprium, cuius notitiam habemus, & eius meminimus. Cæterùm suadet Gal. lib. 2. De dignos. pulsib. pulsus referẽdos esse, ad pulsum temperatum, quẽ tanquam regulam, & mensuram constituit: sed id in causa esse scitote, quia in varios, & fere infinitos incidimus ægrotantes, quos nunquam vidimus, & alios, quos si vidimus, eorum tamen pulsuum notitiam non habemus. Porrò quorum pulsus sanitatis tempore cognovimus, quando ægrotant, eorum pulsuum collatio fieri debet ad suos naturales & sanos: ut prædicto libro suadet Galenus, & nos Centuria tertia harum curationum medicinalium meminimus, in ea præsertim curatione, qua Barbosij prosequimur morbũ & pulsum.

Curatio septuagesimasexta, in qua agitur de quartana continua.

EBen Maior, ex Galilea, hodie Safeto dicta civitate, vir annos natus triginta tres, post annuam quartanam simplicem, in continuam lapsus est: in A qua optimè tractatus, & secta vena sinistri brachii, lienali, ac epotis apozematis atram bilem respicientibus, & vim reserandi obstructos meatus habentibus, sanatus est. Cæterum tametsi à febri quartana continua hic liber erat, nihilominus tamen facie pallidus, & tumidus apparebat, ut hunc malum habitum morbum pati dicendum esset, tumentem autem lienem habebat, & jecur male affectum, pro quibus destruendis, topicis medicamentis utebamur. Cæterùm paucis interpositis diebus, B sanguis huic per narem dextram effluere cœpit, & ita copiosè, ut homo ad magnam pervenerit imbecillitatẽ: tunc cum multa pro sanguine sistendo peracta essent, per aliquot horas sanguis restrictus est, sed postea ut primo rediit, tunc secta fuit vena reptans inter minimum digitum, & anularem in manu dextra, & variæ aliæ retractiones molitæ sunt, cum quibus, & per intervalla sãguis fluebat, unde vir hic angustiabatur, & multum tristabatur. Variis igitur machinatis remediis pro sanguine compescendo, tandem supra C eas duas venas, quæ per frõtem repũt, & aliquantulum tunc tumebant, apponi duas semifabas, tanquam laminas, & fascia optimè fasciari jussi, supra quas etiam albumen ovi leviter concussum, adjecto gypso, stupa exceptum, admovebatur, & tandem sanguis ex toto constrictus fuit, & homo paulatim convalescere cœpit, donec integram consecutus est sanitatem.

SCHOLIA.

D *IN ijs sanguinis per nares fluxionibus rebellibus animadvertendum duximus, si in temporibus venæ aut arteriæ, aut in fronte ipsa, venæ duæ tumeant, tunc eas numismate aliquo, aut fabis siccis permedium in lõgum dissectis, intersepire, & intercludere fasciæ interveniente, optimum & supremum remedium esse: ut in hoc ægrotante actitatum vidistis, & altero, in quo, vasculis per tempora currentibus solis digitis compressis, sanguinis narium fluxus restrictus fuit: sed hæc præter Galeni mentem dicta non sunt, præcipuè cum* de

de fluxionibus ad oculos per vascula superficialia, currẽtibus, libro 13. Methodi med. loquitur.

Curatio septuagesimaseptima, in qua agitur, de dysenteria ab atra bile orta.

ANdreas Caupo, qui in via stricta & angusta habitabat, dysenteria ab atra bile originem trahente, vexari cœpit. Cæterùm cum multa huic morbi initio facta esset, & humor pro posse excretus, & succedente tempore melius habere visus esset, nihilominus tamen morbus ita sævus, & carnifex factus est, ut hominem vicerit, & ipsum ad interitum traxerit, fuere autẽ omnes ægritudinis dies quadraginta.

Curatio septuagesimaoctava, de dysenteria vera.

MILES qui Senensi bello Anconam reversus est, & extra urbem ad turrim tabernulæ agebat, jamdiu ex dysenteria laborabat, ad quem accitus ipse, eum prædicto morbo laborare inveni: nam hic multum egerebat, cum sanguinis aliquali permistione, & circa umbilicum dolebat, & non febricitabat, & ad oblata non bene se habebat. Huius igitur curationem suscipientes nos lac ferreis soleis equorũ ignitis bene coctũ, quo ad serosa pars ex toto consumpta sit, bibendum jejuno stomacho dedimus, ex quo lacte clysteres quoq. parare illico fecimus, neque minus per exteriora vẽter inũgeretur ex unguento à corticibus parato curavimus, quibus intra biduum optime se habuit. Cæterùm cibus huic ex capo asso parabatur, non nisi respersus boli Armeniæ pulvere, aut simili, sed postea clysteres parati sunt, ex plãtagine, centumnodia, summitatibus

E rubi, in aqua calybeata, adjecto sevo hircino, oleo myrtillorum, pulveribus thuris, mastichis, sanguinis draconis, boli Armeniæ, & similium, de quibus secunda Centur. multa, si rectè teneo, dixi.

SCHOLIA.

DYsenteria hæc, neque á bile meraca ortum trahebat, neque eam febris comitabatur: proinde eam lacte sic curavimus, & ægrum brevi in sanitatem traximus. Tu verò optime lector, qui huius rei multa & pulchra desideras, lege secundam nostram Centuriam.

F *Curatio septuagesimanona, de quodam qui titimali generis cuiusdam fructum comedit, & in animi deliquium, & cordis pressuras devenit.*

PÆdagogus, qui ingenium subtile, & memoriam tenacem habere desiderabat, ut anacardinam confectionem fugeret, carpasii fructum (cubebam hodie pigmentarij, & officinarũ

G mangones appellant) comedere summopere desiderabat, & eo magis, quia eius usu prædicta consequi, à viris doctis acceperat, & revera, cubebam opus hoc complere, & multa alia non negamus. Cæterùm cum ad pigmẽtarium, ut cubebam semen odoratum sibi per puerum deferendum amandaret: ecce, pharmacopolæ, ut sæpè fieri solet, parum instructus minister, vice cubebæ seminis odorati, fructum quem piscatores vulgò coccam vocant, & eo pis-

H ces fluviatiles & lacustres interficiunt, & quem nos semen titimali cuiusdam esse putamus, misit: cuius cum quatuor ad summum grana, miser pædagogus avidissimè comederet, illico in nauseam, & singultũ, ac animi angustias, incidit, ad quem, cum amici & familiares pervenissent, & rem considerarent, videntes carpasij sive cubebæ seminis

vice, coccam, illico rem ex toto tenẽt, A & ad me confugiunt, remedium pro tanto depellendo malo, quærẽtes. Ego vero cum primum rem teneo, illico vomitorium parandum jubeo, quo vel intra horam, ex integro ab eo agone, & periculo liber est factus, habet autẽ vomitorium sic. Recip. Seminis anethini, radiculæ, cumini, ana unciã mediam, in aquæ libris duabus, fiat decoctio, facta colatura, adde oxymelitis simplicis unc. duas, agarici boni, & albi pulverizati, drachmam unam. Misce fiat vomitorium, & tepidum ex eo quantum potuerit uno haustu bibat: B quo brevi omnia non solum comesta, sed pleraq. alia evomuit, & sanatus est.

Curatio octogesima, de quodam duplici tertiana laborante.

COmachienus mercator vir annos natus quinq. supra triginta, & qui multa anguillarum vascula Anconæ vendenda cõduxerat, in duplicem tertianam lapsus est, ad quem ipse perveniens, & omnia ut decet considerans, illico clysteri præmisso, & alvi excrementis depositis, ex brachii dextri jecoraria vena, sanguinis uncias sex extrahi feci, & syrupum hunc ebibere. Recip. Syrupi acetosi simplicis unciã unam, de endivia unciam mediam, aquarum endiviæ, buglossæ, acetosæ, ana unciam unam, Misce. Victus huic in prandio pulli gallinacei carnes erãt, vesperi ob paroxysmum occupantem, parum cœnabat: sed potus, vinum oligophorum erat, quo ordine brevi altera tertianarum deposita est, altera manente: quæ quoque ebibitis apozematis aperiendi & refrigerandi vim habentibus, brevi extirpata fuit præmisso tamen levi quodam pharmaco, & jecoris roboratione, ut decet: quia ut nostis, in atrabiliariis lien, in pituitosis ventriculus, in biliosis vero jecur, roborari debet: fuere autem omnes dies viginti.

Curatio octogesimaprima, de phlegmone ori ventriculi impacta.

RAgusinus, qui inflammatione oris vẽtriculi laborat, & ita imbecillis est, ut sanguinis missionem ferre non valeat, solis clysteribus, ac fomentis rectè admotis, & subtili victus ordine instituto evasit: evasit autem septimo die curationis, quarto decimo vero à morbi initio. Cæterùm in memoriam revocare decet, quòd ij qui ventriculi & jecinoris inflammationibus tenentur, subtiliori victus ordine tractari debẽt, quàm qui pleuritide, vel altera pectoris inflãmatione correpti sunt, ut sunt, ut suadet Galenus, lib. Methodi medẽdi, & nos in hac Centuria abundè prosecuti sumus.

C *Curatio octogesimasecunda, de puero obstructionem in jecinoris partẽ concava patiente, & icteritia laborante.*

FIlius Berosij doctoris magnifici, annos natus quinque, jecur dolebat, & in eius oculorum albo icteritia percipiebatur, cuius lotium, ac si multũ croci in aqua perfusum esset, non nisi ad nigredinem vergens: & stercus album conspiciebatur, cum quibus ventriculus infestus erat, & ad vomitum pro- D nus: quo fit, ut ea, quę puer comedebat, sæpè vomebat, si ea tamen retinebat, in putidos ructus, caliditatem extraneam arguentes incurrebat: cum quibus omnibus aliquantulum puer hic febricitabat: quæ omnia jecinoris cõcavas partes obstructas esse attestantur, ut huius Centuriæ curatione secũda abundè dixi, cùm huius fratris curationem prosecutus sum. Ad hunc igitur deveniens ipse, victum tenuem ei insti-

institui, qui ptisana cum semine melonis parata, aut amygdalinus cremor, aut pulli jusculũ erat: potus verò hordeacea, post quem syrupum hunc descripsi, quem in aurora jejuno stomacho bibebat, & ita habet. Recip. Syrupi de endivia, lupulorum, ana unciã mediam, aquarum endiviæ, cicoreæ, lupulorum, ana unciam unam. Misce. Porrò jecinori emplastrum hoc applicitum fuit. Recip. Farinæ hordei, rosarum rubearum, ana pugillum unum & medium, absinthii, lupinorum, camomillæ, ana pugillum unum, schinãti drachmas duas, croci drach. unam, olei rosacei, camomillini, ana unciam unam & mediam, cum decoctione camomillæ, & rosarum, fiat emplastrum secundum artis ministerium, quo brevi optimè valuit, adeò ut epoto sexto die ex rhabarbaro cum manna pharmaco, sanitatem integram obtinuerit. Mente tamen exciderat, quòd ventriculus hoc illinebatur linimento. Reci. Olei cydoneorum unc. unam, rosarũ unc. mediam, ceræ parum, ad ignem Misce, fiat unguentum.

Curatio octogesimatertia, de sputo sanguinis cum tussi, & alijs symptomatis.

IVVenis ex Meninis, concionator egregius, annos natus triginta, temperatura biliosus, exustus, collum oblongum habens: pectus verò non adeò latum, medio Februarii mense, ægrotare quadam levi ægritudine cœpit: ex qua, medicorum auxilio, brevi optimè habuit: postea verò interjectis paucis diebus, subcruenta sputa ingenti cum tussi, sed absque dolore, emittere cœpit: post octo verò elapsos dies à prædicto sputo, æger ad costas mendosas gravissimè dolere cœpit, quem dolorem comitabatur tussis prædicta, cum sanguinis tamen vividi, sed non spumosi, rejectione: ad hæc difficultas respirandi, febris continua, & difficilis ad

E utrunque latus decubitus: quam affectionem medici pro pleuritide curarunt, & septimo die æger in copiosum sudorem devenit, à quo symptomata omnia diminuta sunt, imò paucis postea diebus ex toto sublata sunt, perseverante tamen sputo sanguinis, multæ pituitæ viscidæ misto, & aliquali, sed miti dolore prædictum occupante locum: rarò is febricitat, non sitit, nõ alibi quàm signato loco dolet: si quando tamen febrire contingat, levi & vix perceptibili febricula febricitat. Quæritur, an morbus hic ab initio pleuritis fuerit, vel nõ fuerit pleuritis, & fuerit venæ alicuius ruptura, vel corrosio: agitur autem jam trigesimus dies, ab eo, quo sanguinem spuere cœpit, & vigesimus tertius, ab eo quo symptomata omnia, quæ pleuritidi sunt propria, pati cœpit. Cæterùm quòd affectio hæc nõ fuerit pleuritis, sed verius venæ ruptura in thorace, vel juxta pulmones, quidam sic astruebat: quia primò ægrotus hic sanguinem spuit absq. symptomatis aliquibus, quæ si postea

F

G supervenerunt, id in causa fuit, venæ ipsius ruptura aut corrosio, ad quam humores postea defluxum habuerunt: secundò, quòd non fuerit pleuritis, probat, quia pleuritide laborantes, quatuordecim diebus necesse est purgentur, ab ea scilicet hora, qua spuere pleuritici incipiunt: quod si non purgãtur, in suppurationem abeunt, ut docuit Hippoc. lib. 5. Aphoris. aphor. 8. cùm dicat. Quicunq. laterali morbo laborantes in quatuordecim diebus non re purgantur, ij ad suppurationem vertuntur. Porrò cùm plures dies sint, qui

H bus hic affici cœpit, & expuere cœpit, & in eodem sputo perseverat, & non devenit ad suppurationem, id est, trãsmutationem inflammationis ad pus, vel puris ipsius collectionẽ, intra thoracem & pulmones, consequens est, non esse morbum hunc pleuritim, sed potius venæ alicuius rupturam, vel rosionẽ, ex qua sanguis deciditur. Neq. enim Anaxionis Abderitani historia apud Hippocratem vulgata, ex lib. 5. Epid.

A Epid. quam Gal. lib. 1. Aphor. & De crisi citat. Is torquetur, aut ab opinione sua fugatur, cùm etsi triginta & quatuor dies pleuritim passus est: intra tamen quatuordecim dies, per sputum purgatus fuit, supputationem faciendo à die, in quo expuere cœpit, qui septimusdecimus fuit, ad trigesimumquartum, qui morbi finis est. Continẽtur autem quatuordecim dies, intra 17. & 34. Alii verò morbum hũc pleuritim esse statuunt, sed à principio, ut aiunt, levis morbus erat: postea verò increbuit, & symptomata omnia sunt aucta: à qua inflammatione sanguis exit, partim floridus, partim verò subniger, multa cum pituita, mistus: neq; enim argumentum in eos deductum, quod pleuritis in tam longum non deducatur tempus, eos terret, cùm termi nus pleuritidis expurgandæ ad quadraginta dies extendatur, ut memoriæ commendavit bonus Hippocrates libro de morbis, qui extra, & aphoris. 15. lib. 5. ubi legitur. Quicunq; ex mor bo laterali suppurantur, si in quadraginta diebus purgantur, à die à qua fit ruptio, liberantur: si verò non, ad tabẽ transeunt. Neque defuere alii, qui hac in consultatione dixerunt, sanguinem in morbi huius initio, ex alicuius venæ rosione, aut ruptura fluxisse, ad quã postea pleuritis fuit secuta, & ea quidẽ gravis, non solùm internam costas suc cingentem membranam præhendes, sed etiam externam: id quod attestaba tur decubitus ad utrunq; latus difficilis, & pulsuum varietas. Cùm igitur in morbo isto dignoscendo, dissensio tanta fuerit, quæ artem variam, & dubiã reddere solet: in eo tamen curando, talis servatus est ordo, ut homo intra quinquaginta dies sanatus sit, & primò cibus huic, ptisana mista contuso ex pullo gallinaceo concinnato erat, tam in prandio quàm cœna; postea verò succedente tempore, ipsiusmet pulli carnes superaddebat: potus verò aqua hordeacea erat: nam à vino semper no stris monitis abstinuit. Sed post victũ cidoneorum caro sigilli gratia veniebat, aut coriandrum prima sacchari coopertura incrustatum. Cæterùm, ex medicamentis syrupus hic erat, quem jejuno stomacho bibebat, & ita haber. Recip. Syrupi capillorum Veneris unciam unam, myrtillorum unc. mediã, aquarum capillorum Veneris, solatri, plantaginis, ana unciam unam. Misce, sed interdiu diadraganthum ex bolo Armeno in ore semper habebat, & saccharum rosaceum cum bolo Arme no quoque mistum, sæpe comedebat: quibus paucis remediis, & nonnullis paucis topicis appositis, sanguis à fluB xione, cursum suum desiit, & sic intra quinquaginta dies, æger hic ex toto sanatus est.

SCHOLIA.

QVOD sanguis quatuor modis effluere à vasis potest, docuit Galenus libro quinto Methodi med. ubi pro coronide ita habet: sanè profluit ex vena, aut arteria sanguis, aut reserato earum ore, aut tunica earum divisa, aut transcoldatus, sive sudoris instar transfusus. Porrò dividitur ipsa tunica, aut vulnerata, aut contusa, aut rupta, aut erosa. Anastomosis (hoc est reseratio) accidit, propter tum vasis imbecillitatem, tum sanguinis, qui ad os C eius impetu ruat, copiam: ad hæc, acrem quãpiam, quæ illic extrinsecus incidat, qualitatem: diapedesis verò, ex tunica rarefacta, & attenuato sanguine oritur: accidere tamen potest, & ob gracilium vasorum os adapertum, & cætera quæ multum huic rei faciunt; & lector studiosus percurrere poterit.

Curatio octogesimaquarta, de ramice aquoso. D

QVI ex monte securo, puer annos natus decem, febribus intensissimis affligebatur, nullis adhibitis remediis, ex se sanatus est. Cæterum brevi, non multis postea elapsis diebus, in alium graviorem morbum lapsus fuit, ramicem scilicet aquosum, quem ut rectè curaremus, Anconam deferri fecimus, qui ita scrotum in totum infla-

tum

tum cum ipsa mentula habebat, ut parum fuerit ne ex se membra hæc rumperentur: color illis albus erat & lucidus, aquositatem præ se ferens, tactu scrotum prædurum erat, quod de facili cùm tangebamus, multum dolebat. Vt igitur morbum hunc extirparemus, levi per pharmacum præmissa purgatione, ac victu ad siccitatem declinante, facta fuit in eodem scroto, scalpello acuto, duplex incisio, unaquæque ab ejus medio incipiens, juxta longitudinem ad pubem ferè, non multum à linea scrotum ipsum per medium secante, distans. Nam, & tunicam erythroidem incidimus, & multum aquositatis extrahi fecimus, & per emissacula turundis ex ovo illitis intromissis, & exterius oleo chamomillino membris vicinis optimè fotis, emplastrum hoc desuper applicitum fuit. Recip. Pulveris chamomillæ, meliloti, anethi, rutæ, baccæ lauri, orobi, lolii, fabarum, ana pugillum unum, salis ammoniaci unciã unam, olei rutacei, laurini, ana uncias duas. Cum lixivio ad ignem fiat emplastrũ, & desuper ponatur, & fascia optimè fascietur. Sequenti verò die, ita scrotum cum mentula detumefacta erant, ut omnes assistentes, miris laudibus artem extollerent, ad Deum Opt. Max. eius creatorem laudes fundendo. Sequentibus verò diebus, abstersorio medicamento intinctis turundis, ac desuper unguento basilicone applicito, & emplastro prædicto semper admoto, intra paucos dies, ex toto sanus evasit. Cæterùm, quum in pagum reverteretur, intra mensem, malo forte regimine usus, totus tumefactus, illæsus (quod mirum dixerim) mentula & scroto, suum diem obiit.

Curatio octogesimaquinta, in qua agitur de pleuritide.

VXOR à Tauro, annos nata trigintaquinq. temperatura sangui-

E nea, eo tempore, in quo menses illi fluere debuerant, cohibiti sunt: unde dolor illi ortus est, fixus (ut ipsa aiebat) scapulæ dextræ, sed brachio eidem dextro respondens, adeò ut ita acriter de brachii dolore per intervalla quædam quereretur, quemadmodum de ipsius scapulæ dolore, cum quo febris continua gravis erat, tussis ingens dolori respondens: adhæc difficultas respirandi, sed in thorace nullus erat dolor. Ad hanc igitur, tertio die ægritudinis accitus ipse, illico ex pedis vena, saphena dicta, sanguinis uncias decem minui feci, & syrupum hunc ebibere. Recip. Syrupi violacei unciam unam,

F de endivia unciam mediam, aquarum farfaræ, violarum, ana unciam unam & mediam. Misce, & tepidum bibat, & ad aliquot dies repetat: item ut interdiu & noctu, elambendo sumat. Recip. Loch de althea, de farfara, ana unciam unam, sacchari Candi violacei, penidiarum, ana unciam mediam, cum syrupo violaceo, q. suff. misce. fiat lambetivum. Cæterùm, cùm non dormiret, syrupum de papavere, cum aqua lactucæ, vel solani, bibebat, & somnus conciliabatur. Victus huic ptisana erat, vel amygdalarũ cremor:

G septimo veró elapso die, jus gallinacei illi in prandio erat: in cœna verò quatuordecimam usque, ptisana colata semper fuit, sed potus, aqua hordeacea julebo violaceo, vel saccharo mista erat. Cæterùm hæc primis diebus, multa expuere cœpit, & nonnunquam sanguinolenta, ad sextum usque diem, sed octavo, bolum ex casia illi obtulimus, quo satis purgata fuit: tandem quatuordecimo sanata est, copioso quodam sudore universum eius corpus irrigante, superve-

H niente.

(?)

Curatio

Curatio octogesimasexta, de febribus errantibus, nullum servantibus ordinem dictis.

ANTONIVS ex Baptista Longo, juvenis honestus & bonus, mẽse Februario, febre horrifica corripi cœpit, quæ postea in affligendo, nullum servabat ordinem: huic cùm urina rubra & crassa esset, & juvenis ipse bene corpulentus, sanguinis uncias octo extrahi feci (alvo primo consueta respondente) & syrupum hunc ebibere. Recip. Syrupi de endivia, de borragine, lupulorum, ana unciam unam, aquarum de fumoterræ, borraginis, lupulorum, ana unciam unam. Misce. Cæterùm, sequenti die cùm graviter se habuerit, iterum sanguinis unciæ quatuor extractæ sunt, non nisi optimi, unde indicium accepi, hunc brevi evasurum, & à febri liberatum iri, sexto pharmacum ebibit, & ter vel quater egessit, tunc in inguine panus extra prodivit: quem febris ingens, maximo cum capitis dolore, comitabatur: pro quo curando emplastrum maturans applicitum fuit, qui ad multos dies, ex se disruptus fuit, & postea ex eo deposito pure, syrupos ebibit, atram bilem respicientes, & pharmacum optimè purgans: à quibus paulatim sanitatem consecutus fuit, sæpè cõdito ex floribus fumiterræ comesto.

Curatio octogesimaseptima, de horis distorsione ob nervorum dissolutionem, paralysim dictam eveniente.

IOANNES Franciscus publicus notarius, gravissimo & sævissimo

A dolore juxta sinistram autem, per aliquot dies afflictus est: ei quo dolore in in oris torturam intra biduum lapsus est: quæ quod propter nervorum dissolutionem, paralysim dictam evenerit, non verò per convulsionem sive spasmum, ex iis satis probatum iri non dubito, primo, quia dolor cum sinistram occupaverit aurem, factum est, quod nervorum illius partis oræ obstructæ à pituita sint, unde spiritus animales sensum & motum præstantes, per prædictos permeare non valentes nervos, universa illa pars suis functio-
B nibus destituta est, & nervi dissoluti & laxati, quò factum est, ut nervi partis dextræ partes sinistras traherent, & sic labrum sinistrum à parte dextra attractum est, & oculi sinistri angulus magnus distractus à dextra parte sit, ut continuò, vel invitè lachrymetur: quæ omnia attestantur torturam hanc per paralysim evenisse, quia si per convulsionem facta esset, membra sinistra dextras partes ad se traherent, & contrario iis, quæ evenerunt, contigerat: quib. adde id quod Galenus scriptum demisit, videlicet, quod in tortura à pa-
C ralysi facta, alterum trium in ea parte affecta reperiri necessum est, aut sensus, aut motus, aut utriusque amissionem, quæ in viro hoc non deerant, ut latius hæc secunda Centuria, curatione septima, prosecuti sumus. Sed jam curationem aggrediamur hanc, qua probus hic vir notarius curatº evasit: ægrotavit autem in hyeme, sed veris initio curari cœpit, & primo, victus huic, turtur vel pullus columbinus assus in prã-
D dio erat, in cœna vero, uva passa Corinthiaca, & amygdalæ dealbatæ, sed panis nauticus semper ad mensem veniebat: vini vice, aqua mellita erat. Iis enim propositis, ac de alvi respondentia cura semper habita, syrupum hunc ebibere cœpit. Recip. Syrupi stœchados, betonicæ, de fumoterræ, ana unciam mediam, decoctionis stœchados, betonicæ, fumiterræ, cum semine fœniculi, parate uncias quatuor, misce fiat syrupus, quem octies repetat, post

cuius potum; catapotia hæc degluti-
vit. Recip. Pilularum de agarico, co-
chiarum, ana scriptulos duos, diagridii
grana quinque, cum syrupo de beto-
nica f.p. v. & inaurentur, quib. alvus
optimè respondit, & sequenti die cly-
ster lavans injectus fuit: post quæ om-
nia, scriba hic, ut primo se habebat, se-
quentibus verò diebus, errhinis medi-
camentis, & apophlegmatismis, caput
jejuno stomacho purgabatur, & de-
coctum hoc ebibebat in aurora & ves-
peri, quo multum sudabat. Recip. Po-
lypodii recentis, unc. quatuor, senę,
folliculorum senæ, seminis peoniæ, se-
minis cartami, seminis vrticæ, syleris
montani, ana unciam unā, hermoda-
ctilorum drachmas sex, stœchados, ma
ioranæ, betonicæ, salviæ, origani, pule-
gii, dictami Cretensis, coryzæ, ana pu-
gillū unum, uvæ passæ Corinthiacæ li-
bram mediam, scobis ligni guayaci un
cias octo. In libris viginti aquæ, fiat de-
coctio secundū artem, quousq. maneāt
libræ octo, facta colatura, adde mellis
rosacei colatitii libram mediā, & mis-
ce: cuius uncias decem in aurora jeju-
no stomacho bibebat, & totidē tertia
hora noctis, quib. optimè sudabat, &
alvus aliquantulum respondebat. Cæ-
terùm cum apozema hoc finitum fuit,
tunc catapotia hæc deglutivit, quæ ha-
bent. Recip. Pilularum fœtidarum,
drachmam unam, hermodactilorum
scriptulum unum: trochiscorum alan-
dahal grana duo, diagridii grana tria,
cum syrupo de betonica, f. p. v. inau-
rentur, capiat hora quinta noctis, &
dormiat. Sed tunc post hanc exactam
purgationem, vir hic melius habere
cœpit, & prædictum apozema denuò
iteratum, ebibere cœpit, & caput tunc
hoc fomēto lavabatur, quod habet. R.
Salviæ, maioranæ, stechados, conyzæ,
origani, pulegii, rutæ, foliorum lauri,
ana pugillum unū, seminis fœniculi,
ameos, melanthii, ana unciā unam. In
lixivii libris quindecim fiat decoctio
secūdū artē: ex qua coma tonsa, & bar
ba optimè rasa, laventur, & postea lin-
teolis abstersis, ex unguento de bdelio

E inungantur: modo in unctione id ser-
vetur, quod ad suum locum, faciem fri
ctionibus, & manibus, reverti curemus:
cui prædicto unguento, & de aggrip-
pa, & de althæa, & martiatonis aliquā
do miscebantur, quibus omnibus repe
titis, paulatim tortura desiit, & omnia
membra ad suum locum versa sunt, a-
deò, ut brevi vir hic ex toto sanitatem
consecutus sit. Fuere autem omnes cu-
rationis dies quadraginta, in quibus
æger hic semper ad speculum calybeū
sæpe se respiciebat, & pro posse oculū,
& membra ei vicina, ad locum suum
reverti conabatur.

F

SCHOLIA.

*ORIS distorsio hæc repentè ferè fit, &
plerunque absque febri, ut huic con-
tigit notario: nam quandoq. post acutißimas
febres, & sævos morbos, lente evenit, de quo
Cornelius Celsus agere videtur, libro suæ me-
dicinæ 4. & Razza ultimis verbis, capitis
huic rei dicati, lib. 9 ad regem Almansorem:
sed tunc mortis præsagium est, ut spasmus cy-
nicus, sive caninus appellatur. Porrò ut ali-
quid de nervis, & musculis huic rei servien-
tibus, dicamus, Gal. audiamus lib. 4. De ana-
tomicis administrationibus ubi pro coronide
ita habet. Nunc verò de faciei, & capitis par*
G *tibus, opportunum videtur dicere. sunt autem
duo musculi tenues, simul & lati, in buccam,
& labra descendentes, à colli spina orti, unde
membraneum fibrosumq. ligamentum proce-
dens, substantiam ipsorum constituit. Complu-
res etiam fibræ ex scapularum spinę regioni-
bus, quemadmodum & ex universa clavicu-
lę sede, in buccam terminantur, atque opor-
tet hosce musculos quum usus aliquis postu-
laverit pro fibrarum natura incidere: nam si
experiantur magnam incisionem trāsversam,
buccas ad alteram partem revellunt. Cæte-
rùm nervorum principium, omnibus faciei
musculis, aliisq. propemodum omnibus ipsius*
H *partibus, tertia nervorum est conjugatio, qui
à cerebro proficiscuntur, quorum sanè distri-
butio tam recta sicuti, & aliorum omnium
æquissima dispensatio, non fortunæ, aut casui,
sed arti, ac providentiæ debetur, ut latius
hac lib. 11. De usu partium legun-
tur, & studiosus lector
percurrere po-
terit.*

Curatio

Curatio octogesima octava, in qua agitur, de pleuritide.

QVI ruri ægrotabat, vir dives, annos natus propè triginta, ut ex signis relatis deprehendi, pleuritide laborabat: qua de re, meo consilio, illico interna ejusdem brachii, locum affectũ respicientis, vena illi secta fuit, & sanguis abundè extractus, & nonnulla alia quæ pleuriticis debentur, sunt peracta. Cæterùm post sex elapsos dies ad eum accitus, jam eum dolore liberum inveni, sed tussim difficilem patiebatur, & parum vel nihil expuebat, cum quibus intensissimè febricitabat, & noctu nõ dormiebat: imó ut assistentes exponebant noctu delirabat: huic vires parũ constabant, & ad oblata malè se habebat, & urinam jumentorum modo turbatam emittebat. Protinus igitur, cum ad hunc perveni, ani venis hirudines duas admovere feci, quæ sanguinem abunde suxerunt. Cæterùm cum ruri ageremus, ubi remedia ad morbũ facientia deerant, cœpi alioqui cunctatius hinc inde animo inquirere ea, quibus probus hic vir sanus evadere posset, tandé cum agrum percurro, has forte offendo herbas, & primo, capillum Veneris, quam ex putei ore collegi, postea in farfaram, bechion herbam, quã officinarum seplasiarii ungulam caballinam appellant, incidi, dein radices maluavisci eradicari feci, & ultimo summitates herbæ Kalendulæ dictæ, quæ in hortulo erat, lectæ sunt, quibus omnib. uva passa exacinata adjuncta fuit, & parũ hordei excorticati, & violarum flores: quæ omnia aqua excepta, ad ignem ut decet cocta sunt, & excolato decocto, parũ mellis ad manus habiti, discocti, & expumati, mistũ fuit, quo decoctũ dulcoratum evasit, & eo sæpe gustato, & ut decet, capite supino deglutito, magnum persensit juvamẽ, & expedite spuebat. Item ex hyosciamo, & altera solani specie, succus expressus fuit, pauco adjecto aceto, quo

A tẽpora, frons, & aures, ac nares inũctæ, brevi somnus in nocte conciliatus est: sed pectus pauco recenti butyro, vel axungia gallinacea inungebatur. Demum octavo die, cum per cassiã Ægyptiacam purgavimus, & ex gallinacei carnibus contusum paratum illi dedimus, veluti in potu, parum vini aquosi, quod tãtopere in toto morbi discursu, appetebat: nam antea sola aqua hordeacea utebatur. In victu vero ptisanæ cremore, aut amygdalino, aut levi panatella, aut pane aqua lavato, & sacchaB ro resperso: sic enim iis ad quatuordecim dies morb. prorogatus est, & æger ipse postea sanatus.

Curatio octogesimanona, in qua agitur, de pleuritide sæva.

QVi ex Iadæra ciuitate apud Dalmatas, Anconam venit, vir annos natus trigintaocto, fortis & rubicũdus, repentè pleuritide correptus fuit, & ea quidem sæva, & forti: nam ad sinistrã C mammam dolorem pernecantem pũctilem patiebatur, febriebat, tussiebat, & difficulter respirabat. Is igitur ex se, cum sic morbo isto affligeretur, absq. medicorum consilio, per chirurgum venam axillarem eiusdem lateris, ubi erat dolor, aperire fecit, & sanguinem ad uncias octo demere: postquam sanguinis missionem, æger hic nõ minus, quàm antea affli ctabatur, & à dolore cruciabatur. Ad eum igitur perveniẽs ipse, illico ex eodẽ facto foramine, toti D dem sanguinis uncias fluere permisi, qui sanè non ita corruptione affectus, ut primus, comparuit. Cæterùm, cum ad pharmacopolam diverterem, ut fomentũ pro dolore sedando, & lambetivum, ac nonnulla alia ad morbum facientia describerẽ, ecce huius socii, eũ invisum veniunt, & pro eo juvando, uteri picati frustum quoddam afferũt, quod supra dolentem locũ admoverũt, & dolor ex toto brevi levatus fuit, & paucis interjectis diebus ebibito

levi pharmaco purgatorio, paulatim E
convalescere cœpit, donec integram consecutus fuit sanitatem, quo tempore Chyrosius nobilis Anconitanus, à pleuritide quoque liber fuit, sed Petrus Hieronymus juris civilis doctor Picenus, ex rocha cõtracta, ex eodem obiit morbo, coiverat autem ea, qua ægrotare cœpit, nocte octies.



Curatio nonagesima, in qua agitur de angina.

RICCA mulier vidua, angina laborare F cœpit, nihil deglutiebat, febricitabat, ad guttur dolebat, & difficulter respirabat, sed multa, & quidẽ saniosa expuebat, sed eo tempore, quo expuebat, caput à lateribus manibus comprimebat, ut illi caput dolere indicaret: nam tunc non loquebatur. Ad hanc igitur ingressus ipse omnia prædicta considerans, ac mulierem juvenem obesam, instante æstu, ex brachii cephalica, exteriori dicta vena, sanguinis uncias sex demere feci, neq. enim clysteri uti opus fuit, quando bis, & ter sua sponte alvus quotidie respõdebat: sed exterius collo emplastrum hoc G applicitum fuit. Recip. Nidi hirundinis numero unũ, altheæ, camomillæ, ana pugillum unum. In aqua fiat decoctio sufficiens, & in mortario postea omnia pistentur: quibus adde, farinæ hordei, unc. duas, camomillæ unc. unam, olei rosati, camomillæ, ana unc. unam, croci drachmam unam, cum prædicto decocto, q. suff. misce fiat emplastrum, & tepidum collo applicetur. Gargarism⁹ quoque is paratus fuit. Recip. Aquarũ plantaginis, rosarum, ana libram unã, H syrupi acetosi simpl. unc. unam, diamoronis unciam unam & mediam, croci drachmam mediam. Misce fiat gargarismus. Ijs autem ita optime valuit, ut ad venarum sub lingua sectionem nõ opus fuerit devenire: veluti in milite, qui bello Senensi Anconam reversus est, & jã à dysenteria liberaveramus.

SCHOLIA.

VT autem in præsenti aliquid de angina, dicamus, Hippocrates affectus omnes, qui cum spiratione difficili guttur, aut fauces infestant, cynanchas, hoc est anginas appellat: ac sunt quidem anginæ genera quinque, primum est, ubi inflammantur fauces, hoc est, internus oris locus, ubi & gulæ, & gutturis partes extremæ coeunt: secundum est, ubi neque fauces, neque reliquæ oris partes, neque etiam externarum partium ulla inflammata videtur, laborans tamen suffocationis periculum in gutture sentit: tertium ubi extrinsecus circa fauces inflammatio apparet: quartum ubi gutturis partes, tam externæ, quam internæ similiter inflammatæ videntur: quintum deniq. cum ad anteriores partes colli luxantur vertebræ, id quod sane contingit, vel solis musculis, qui cum ipsis communicant, tumore præter naturam affectis, vel nato ibi tuberculo, vel gula pariter vitiata, nonnunquam musculis quoque, qui gulam gutturi jungunt, proprijsq. aliquando gutturis musculis, qui ipsum aperiunt oblæsis. Hæc enim pro coronide ex Gal. lib. 4. De locis affectis, cap. 3. sint dicta. Nidus hirundinum, an per se totus, anginis conveniat, olim in dubium traximus, & meritò sanè, quia multi hodie celebres medici, ipsius admotionem, pro emplastro timent & formidant, quia terreus cum sit, repercussorius videtur. Item, quia prisci potius cinere hirundinum pro hac complenda operatione utebantur, quàm ipsarum nido, ut ex Dioscoride colligitur, & Galeno, & nos commentarijs nostri in Dioscoridem editis diffusè diximus. Nos brevi huic quæsito respondemus, cinerem hirundinum pro extirpandis anginis optimum esse remedium, si tamen non ita facile habetur, neque à seplasiarijs in pyxide, ut eo uti possimus, depromptus: suadeo integro nido terreo cum suis paleis simul & stercore, pro conficiendo emplastro, & medicamento anginis conveniẽte, medici utantur, cum ut ex Gal. percipitur, lib. 6. De comp. med. per loca, cap. 3. Nidus hirundinis præcipuè sylvestris, aridus, multã discussoriam vim habet. Id quod Aetius quoq. postea memoriæ commendauit, & optimi medici norunt. Præter quam vim, particulares quoque dotes pro cynanchicis juvandis, admirandas obtinet, ut experientia cotidianã testatur. Cæterùm pro vario huius morbi tempore, varia medicamenta, & remedia applicãda esse, sciunt docti medici.

Curatio nonagesimaprima, in qua agitur de dentium dolore.

QVI de dentis dolore infestissimè torquebatur, radicis hyosciami ramentum supra dolentem dentem admovit: ac intra horam ex toto dolor evanuit, neque amplius rediit, ab humore autem calido, dolorem ortũ traxisse credere par est.

B

Curatio nonagesimasecunda, in qua agitur, de evocando lacte ad ubera.

MVLIER, quæ puerum lactabat, & lactis defectum patiebatur, nõ propter mamillarum, aut corporis totius siccam intemperiem, non quia sanguis altera quatuor qualitatum infectus erat, calida, frigida, humida, sicca, non quia puer imbecillis, ut non probe sugere ex mammis valeret, sed quia sanguis bonus, paucus in corpore est. Vt igitur mulier hæc scopum attingat, optimis cibariis, bonũ & multũ sanguinem gignentib. utatur cõsului, ut ovis recentib. testiculis gallorũ, carnibus gallinaceorum, ficedularum, turdorũ, perdicis, phasiani, attagenis, & similium, tum assis, tum etiam jurulentis, adjectis oryza, vel cicere, vel ocimo, anetho, fœniculo, malva, & lactuca, quibus quoq. carnes vervecis, aut vituli, vel hœdi, & similium quadrupedum parari possunt, sed oryza, lacte & saccharo parata, & amygdalis vel pistatiis, aut pineis adjectis, multum cõmendatur, placẽtulæ, sesamoides, melle vel saccharo confectæ præstantes in hoc casu sunt, non minus ac ex melanthio nigro, vel citrino paratæ, sed ferculum in mensas magnatũ passim veniens, album dictum, id quod Græci λευκοφάγον appellant, per se solum sufficiens est multũ gignere lac, sed lac in hoc casu optimũ est, & butyrũ, & ubera optimorum animãtium, veluti pisces optimi, quib. addimus, pino saccharatum, martios panes, amygdalas saccharo incrustatas, semina melonũ saccharo cooperta, & uva passa, & varia alia bellaria, sed vinum vermiculum & odoriferum, optimum est: cum quibus omnibus frictiolenis ad mammas, secunda hora post habitum cibum fiebat, quibus omnibus lac intra octo dies recuperatum fuit, & ad mammas attractum. Porrò Anconitanæ mulieres hippocampum pisciculum flexuosum, in pulverem redactum, & vino exceptum, ad lac provocandum, bibũt & optimè votis respondet.

Curatio nonagesimatertia, in qua agitur de febre catharrali.

HADRIEL Hæbræorum hodie summus concionator, anno ætatis suæ quinquagesimoquinto, temperatura biliosa exusta, si qua altera, raucedine sive brancho, hoc est humore in thoracem, & asperam arteriam destillante, mense Maio leviter affligi cœpit, contra quem pellendum, saccharum Candum ore tractabat, veluti tragacanthum, pillulas bechichas, & similia arteriaca, quibus humor etsi parabatur, & obediebat, in dies tamen morbus magis hominem affligebat, ut cum febre postea apparuerit: pro quibus propulsandis affectionibus, medicorum consilio, pharmacum hoc illi propinatum fuit. Recip. Hordei mundi, capillorum Veneris, florum violarum, ana unciam unã, jujubarum, sebesten, ana numero quindecim. In libra una aquæ fiat decoctio secundum artis ordinem, & coletur. Recip. Prædicti decocti, uncias quinque, in quibus infunde agarici optimi noviter in pasta parati, scriptulos duos, quos per noctem macerari finas. In

aurora vero colatura facta, & agarico abjecto, adde prædicto infuso, mannæ electæ uncias duas & mediam; misce fiat potus: quem aliquãtulum retinuit, sed postea vomuit, & octies vel decies egessit, non nisi citrina biliosa, quibus viscida nõ pauca pituitosa, imum petentia, mista videbantur: à qua purgatione, melius habuit. Cæterùm cum extra domum veniret, ira & furore percitus, gravius in morbum recidit, tussis frequens erat, cum qua aliquid semper screabat, quam febris intensa comitabatur, capitis dolor, & totius corporis lassitudo, tunc etiam lotio rubro, & crassiusculo apparente, interna brachij vena secta fuit, & sanguis ex ea ad uncias sex effluxit: qui in totum corruptus, ac putredine maxima affectus erat, à qua sanguinis missione, melius habere videbatur: nam tũc lecto decumbebat, & clysteribus juvabatur, & amygdalarum, vel ptisanæ cremorem, aut panatellam simplicem, emulsione seminis mellonum concinnatam, pro victu habebat: in potu vero, hordeacea julebo violaceo mista veniebat: sed singulis auroris singulos syrupos bibebat, qui habẽt. Recip. Syrupi violacei unciam unam, capillorum Veneris unciam mediam, aquarum violarum, farfaræ, ana unciam unam. Misce, & interdiu, ac noctu, ad sputum facilitandum, aliquid semper pitissabat, ut syrupum violaceum, jujubinũ, loch de althea, de farfara, saccharum Candum, violaceum, sanoneam, diatragacanthum, sed successu, syrupum de liquiritia, & huic similes. Cæterùm cum morbus adhuc ingravesceret, duobus interjectis diebus, à prima sanguinis missione, iterum sanguis ad uncias septẽ ex brachii vena emissus fuit: postquam sanguinis missionem melius habuit, & postea nonnullis interjectis diebus cassia, Ægypciaca epota convalescere cœpit, donec integram consecutus est sanitatem, fuere autem omnes ægritudinis dies duodecim.

E

Curatio nonagesimaquarta, de dysenteria, Philonij Romani potione curata.

VIR, qui extra urbem negotiabatur, annos natus triginta, & febri ingenti corripiebatur, Anconam venit, qui cum nihil contra morbum ageret, in dysenteriam lapsus est, ipsa quoque vigente febre. Cæterùm elapsis quindecim diebus ad eũ F accitus, hunc adhuc dysentericum, prædicta cum febre, sed mitiori inveni, qui indies multa, & sæpe egerebat, & non dormiebat, sed intense sitiebat: nam intestina tunc non adeo dolebant. Hunc igitur exactè considerans, & eius pulsum utcumque constantem inveniẽs, hora tertia noctis, Philonis antidotũ dare jussi, in hũc modum. Recip. Philonii Romani drachmã unam & mediam, trochiscorum de bolo Armeniæ drachmam mediam. Misce, & cum G pauco vino bibat, ut dixi hora tertia noctis. Ita enim medicamentum hoc contulit, ut æger ea nocte optimè dormiverit, & nihil ferè egesserit, adeo ut paucis postea clysteribus ex sevo hircino, & rebus constringentibus concinnatis, immissis, & ori stomachi roborante emplastro applicito, intra octo dies sanitatem obtinuerit. Huic victus gallinacei carnes erant, quibus vervecis, vel vituli pes unus, vel alter incoctus erat, aut panatella prædicto jure ex similagine parata, aut oryza, primo tosta & postea jure prædicto co- H cta. Potus vinum rubrum stypticum erat, non nisi aqua calybeata dilutum, sed aliquando conditum ex philitide herba, lingua cervina dicta, & saccharo paratum comedebat, quod summopere valere in hoc casu, tum ex Dioscoride, tum etiam Galeno, percipi potest, cum de philitide loquuntur: neque enim ambigas linguam cervinam philitim esse, ut proprio diximus capite.

SCHOLIA.

SCHOLIA A.

PHilonis antidotus efficacissima, à Philone medico Tarsensi descripta est, ut apud Galen. legimus, lib. 9 de composit. med. secundum locos: qui carmine elegiaco, sed ænigmatibus obscurato, eam posteritati scriptam reliquit, quam postea Galenus inibi candide interpretatus est. Cæterum antidotum hoc vel hãc, Mesue in suis antidotis describit: qui à Philonis descriptione per Gal. citata in hoc discrepat, ut vice euphorbij, castoreum admittat, in cæteris vero conveniunt. Porrò hoc antidotum Avicenna lib. 5. sui Canonis, & Nicolaus, Philonium Romanum appellant, non ab inventore Philone Romano, ut ineptè interpretes nugantur, sed fortè quia Romę in continuo & frequenti usu erat. Alteram vero huius antidoti descriptionem Mesue habet, in eo cap. quo de fluxu sanguinis ab ore agit, sed longè à dicta diversam, & Philonium Persicum appellat: fortè quod in Perside eius frequens erat usus aut inventio. Nos ad priscorum imitationem, ut ex Gal didicimus, lib 12. Meth. med. cap. 1 ob tria opiata, & stupefacientia medicamenta damus: aut propter dolores ingentes, aut longas vigilias, aut propter rebelles fluxiones, & contumaces destillationes: in quorum propinatione, vel Gal. teste lib. 9 de comp. med. secundum locos tria quoq. servare debemus, nimirum ut sensus stupefiat, secundo, ut nullum in posterum inde circa particulam nocumentum permaneat, tertio ut affectio ipsa maximè inde iuvetur. Stupefit autem sensus anodinorum improprie dictorum medicamentorum immodica frigiditate, quæ frigiditas nervorum & meatuum spiracula, per quæ animalis spiritus sentiendi & movendi vim habens, distribuitur, densat, & obcludit. Cum igitur nervorum spiracula hæc contracta & præclusa sunt, spiritus extra trãsmitti non possũt; unde membra sentire desinunt, & per consequens partes non dolent, quia dolor citra sensum tactus fieri non potest, ut docuit Hippocrates libro de natura humana, & Galenus libro de elementis, & duodecimo Methodi medendi, cap. 7. Secundum pręceptum erat, ut nullum in posterum inde circa particulam, detrimentum permaneat: securius autem opiata & stupefacientia admoventur, quam intus propinantur, & tutius correcta & refracta alijs medicamentis, quam per se sola: composita tamen, ut Philonis hæc antidotus, non nisi sexto elapso à compositione sua mense, aut integro anno, ut placet Gal. in usum medicum venire debent, quæ post sex annos viribus minui incipiunt: ut suadet Gal. lib. 12. Methodi medendi, Cęterum hęc

A ventriculo vacuo dari cupiunt, neque post devorata ad quinque horas comedi quicquam debet: imo non nisi post celebratas evacuationes universales stupefacientia hæc medicamenta regulariter propinantur: secus autem necessitate cogente. Porro post horum operationem, uno vel altero interposito die, aromatica, & membra roborantia calida medicamenta, concedimus, ut illorum malam impressam qualitatem frigidam extirpemus. Tertium autem propinationis præceptum est, ut affectio ipsa inde maxime iuvetur: pro quo a nobis in pręsenti unum proponendum est dubium: an opiata & stupefacientia medicamenta, tutius dentur in frigidis affectionibus, quam calidis, vel
B contrariò. Mesue descriptione Philonij, indubitanter securiùs & tutiùs philonium frigidis affectionibus dari, quam calidis contendit, ut ex ijs paucis verbis liquidò constat, ita enim Mesue. Antidotus Philonis efficacissima, & expertissima, ad sedandos vehementes & lethales partium dolores ventriculi, coli, hypochonariorum, hepatis, lienis, renum, uteri excitatos à crudis humoribus, aut flatu crasso, aut amborũ causa intempestivè frigida, valet etiam ad suffocationis periculum, singultum vehementem, urinæ difficultatem: ob hæc à morte impendente, vindicat. Hactenus Mesue: ex cuius verbis manifestò evadit, philonium antidotum frigidis affectionibus magis subve-
C nire, quam calidis, cuius assertionem secuti sunt viri hac ætate, iudicio, & doctrina celebres, & eo magis, quia philonico antidoto calida medicamenta misceri videant, quibus addunt Galeni ultima verba, capitis primi lib. duodecimi Methodi medendi: quæ ut ipsi putant, ipsis multum favere videntur. Sed quod ij hallucinentur, ac ut aiunt, toto aberrẽt cœlo paucis demonstrabimus: cum opiata & stupefacientia medicamenta tutius affectiones calidas & dolores á causa calida procedentes, sedant, quam á frigida originem trahentes, ut ratio ipsa indicat, & Gal. suffragatur, quia opiata & stuporem inducentia medicamenta,
D etsi affectionum frigidarum symptomata, & dolores à causa frigida ortos infringant, parũ tamen tuta sunt, neq. adhiberi, nisi summa necessitate debent, quia eorum causas augent, & curationi contumaces morbos reddunt: calidos vero affectus & dolores, prædicta hæc medicamenta tutiùs & securiùs sedant, imo horum causas unã semper abigunt, unde tutiùs pro ijs calidis affectionibus, & doloribus profligandis, quam frigidis, ea concedimus: neq. enim Mesuę fides ulla hac in re habenda est, quando Gal. non admodum feliciter intellexerit, quò factum est, ut multi hodie cum eo de-

tepti;

cepti, in eadem erronea perseverent opinione: habent autem Gal. verba citato loco sic. Ergo sicuti cavendus est, quoad fieri potest eiusmodi medicamentorum torporem inferentium usus: ita si necessitas urget, neque admodum nova sunt offerenda, quod frigida, quæ in ijs sunt prævalentes vires adhuc habeant, neq ita antiqua, ut spem nostram frustrentur: sed uti comprehensum est, tandiu dimittenda sunt quoad violentia refrigerantium, ab eorum quæ calfaciunt vi mitigetur, & talium quidem medicamentorum usus, eorum qui adversus symptoma pugnant, est proprius, potissimum ubi ex frigida causa dolor est excitatus: obsunt enim talia plurimum toti affectui ac curationi, contumacem eum reddunt. Hæc enim Gal. sunt verba, ob quę, Mesuæ & eius sequaces seducti sunt, credentes utique medicamenta torporem inferentia, tutius dolores à causa frigida procedentes iuvare, quam à causa calida, quod falsum esse ex ijsmet verbis indicabimus: quæ aliud nihil docent quam quòd inter ea medicamenta torporem inferentia, recentia sunt, periculo non vacant, ac ideo propinanda non sunt, quoad violentia refrigerantium ab eorum quę calfaciunt vi mitigetur: quod intra sex menses potissimum fit, & exactius & tutius (ut Galeno placet) post elapsum annum. Cæterũ, ijs Galem sequentibus verbis, universa consistit dubitatio, quæ habent. Et talium quidem medicamentorum usus, eorum qui adversus symptoma pugnant, est proprius, potissimum ubi ex causa frigida dolor est excitatus: quæ cùm non intelligant in fœdum hunc dictum errorem labuntur, firmantes, tutius quæ inferunt torporem medicamenta dari posse ijs, qui patiuntur morbos frigidos quam calidos, quod quam falsum & erroneum sit, Galeni sequentia verba indicant, quæ ita habent. Obsunt enim talia plurimum toti affectui, ac curationi contumacem eum reddunt. Sed multo clarius docuit Galenus hæc, capite octavo eiusdem voluminis, ubi dolorum variorum curam prosequitur, & ita inquit. Si mordens humor est, qui affligit, adversissima huic sunt, quæ extenuant & calfaciunt. Postulat nanque huius generis affectus, si modo curandus est, ut ea quæ contristant, vacuentur, si id omnino fieri nequeat, ut per epicrasin sanetur, sin id quoq. fieri non possit, ut quæ torporem inferant medicamenta exhibeantur: quæ quanquam sunt reliquorum communia, minus tamen hos affectus quam alios lædunt, quippe tenuis consistentia & calidarum virium plurimi talium humorum sunt: quę autem ex papaveris succo, & alterco, & eo modo frigidis composita medicamenta sunt, simul omnino & refrigerant

E & siccant: qua ratione non solum ut sensus torporem inducentia salutaria sunt, sed etiam ut humorum tenuitatem cogentia atque crassantia, præterea vehementem calorem refrigerantia: ubi verò crassi glutinosiq. humores habentur, alienissima sunt quę torporem inducunt, cavendusque magnopere in huiusmodi affectibus eorum usus est. Ex quibus verbis satis clarè percipitur id quod à nobis propositũ est, cui sententiæ adstipulatur Averrois ille post Aristotelem, philosophus admirandus, lib. 7. sui collectorij, cap. 18. in quo agit de syncopi eveniente causa doloris, & hanc eandem sententiam omnes doctores medici, ut veram amplectuntur. Cæterùm torporem inferentibus medicamentis, calida medicamenta miscentur, & inunguntur: ob quæ non ita frigidis affectionibus ea obsunt: miscentur tamẽ calida medicamenta stuporem inferentibus,

F ut placet Gal. lib. 9. de comp. med. secundum locos, ut citius distribuantur, & totum affectarum partium profundum penetrent, simul nocentes humores discutiant, & viscosos extergant, vel potius dissecent, & crassos attenuẽt, & ventosos flatus resolvant & evacuent, neque Mesue si quis eius penitus deprehendat verba, philonium antidotum frigidis ægritudinibus tantum convenire dixit, sed varijs calidis, ut Sylvius Parisiensis medicus doctissimus cùm Mesuem interpretatur, enarrat.

G ## Curatio nonagesimaquinta, in qua agitur de colica affectione.

VIR qui colica affectione graviter cruciabatur, ad eum accitus, folle fabrili, ut nosti, parato, & omni spiritu impulso, clysterem paratum ex oleo communi ad manum habito, injici mandavi, & postea alterum ex rutaceo oleo, sed exterius est stercore caballino recenti, formato emplastro, ad ignẽ in frixorio, adiectis olei com-

H munis fæcibus, semineque pseudonardi, lavandulæ dictæ, & loco dolenti admoto brevi à dolore liber & sanus evasit.

(?)

Curatio

Curatio nonagesimasexta, in qua agitur, de febre.

LErma musicus insignis, annos natus triginta, temperatura biliosus, quum febrire cœpit, ex syrupi rosacei solutivi uncijs quatuor, adiecta pauca aqua cichoreę, primò purgatus fuit, sed febris continua, sed levis ipsum tenebat. Cæterùm singulis sequentibus diebus, syrupi vice, saccharum rosaceum eiusdem anni, pondere unius unciæ co B medebat, & postea parum aquæ endiviæ bibebat, quibus multum sudabat, sed febris instabat: unde ijs de causis, ex brachij curvatura iecoraria secta fuit vena, & sanguinis unciæ sex extractæ: tunc alvus ex se respondebat, & ex pectore per sputum æger viscida quædam emittebat, & altero interiecto die optimè sudavit, & tandem febris remissa est: sequenti verò die levi pharmaco epoto, optimè egessit, & sanatus est, sed postea roborandi ventriculi gra C tia, ex diamargaritone unum vel alterum rotulum, ieiuno stomacho comedebat, hoc eodem tempore, simili febre correptus fuit Rosatus, & Stroganus aurifex, & plures alij, veluti Arij Valascij, olim apud Paulum III. Pontif. max. astrologi frater: sed hic tertiana laborabat, & prioribus paroxysmis, in auriginem morbum arcatum dictum incidit, sed celebratis evacuationibus, ut decet, septimo paroxysmo sanatus est.

Curatio nonagesimaseptima, de quodam, qui se ægrotare simulabat.

D FAmulus quidam, qui Anconam ex Monte sancto venerat, & iterum ad parētes reverti desiderabat, se ægrotare simulabat, & ventrem dolere dice A bat. Ego vero illius versutiā veris coniecturis deprehendens eum verberibus affici, ac lecto levari iussi: huic pulsus optimus erat, & lotium optimum, & quandoque plorabat, & gemebat: tu zerbi cautelis, ut similes dignoscas ornari, & Galenum proprio libro, huic rei facienti, cui titulus est. Quomodo morbum simulantes sint deprehendendi, non prætermittas, veluti plures eius historias lectu dignas huic rei facientes.

Curatio nonagesimaoctava, de quodam tertiana laborante, cui initio paroxysmi cibum elargiebamur.

IVvenis annos natus vigintiquinq. natura biliosus ad ustionem vergēs, colore nigello, corporis habitu gracili, & hirto, & ad tactum calido, & qui nunquam antea ægrotaverat, in tertianam simplicem non longè ab exquisita lapsus est: is cùm primùm in paroxysmū veniebat, multum affligebatur, angustiabaturve, bilem meram vomebat, oris amarorem sentiebat, & syncopim patiebatur: unde ut tanta effugeret mala, paroxysmi initio, semper panem lotum, & aliquali agresta respersum (qua multum se delectari dicebat) in victu concedebamus: hoc enim ordine incedentes, & clysteri quandoque iniecto, prædicta symptomata æger hic fugiebat, tandem syrupis refrigerātibus epotis, & levi pharmaco propinato, sanitatem intra septē paroxysmos obtinuit. Dicuntur autem huic similes calidi & sicci, biliosi, picrocholi, de quibus Galenus libro octavo Methodi medendi, capite secundo, Hippocratis sentētiam secutus, libro de victus ratione in morbis acutis, multa dixit, veluti libro Artis medicinalis, & undecimo Methodi medendi: non igitur ægrotantes quietiori paroxysmi, aut morbi tempore, semper cibandi sunt.

Curatio nonagesima nona, de cephalæa, id est, antiquo capitis dolore.

AVrelius Passer V. I. Doctor, vir annos natus trigintaquinque, temperatura biliosus, ab hinc tres annos, sævissimo & crudelissimo capitis dolore cruciari cœpit: qui dolor, una cum febre parva & lenta, initium habuit, & altam capitis partem occupabat, & (quod mirum dixerim) oculorum radicibus nunquam respondit, sed eum capitis magnus pulsus caliditatem præ se ferens, semper comitatus est: delitescebat autem dolor hic, aut non ita fortiter in æstate, sicuti hyeme cruciabat: erant autem huic viro renes supra modum calidi, & consequens iecur, sed stomachus optimè concoquebat. Cæterum, hic cùm per triennium, continuo crudeli hoc dolore vexaretur, & dives satis esset, universam oberravit Italiam, doctos quousque medicos quærendo, ut remedium pro tanto profligando dolore inveniret. Demum, cum Anconam venit, ad eum sum vocatus, anno 1553. à quo cùm multa & varia interrogo, quæ ad suam faciunt valetudinem, ille quoque multa in medium affert, & præcipuè per alios machinata medicos, præcipuè Romanos, inter quos Franciscum Nursinum ut præcipuum nominabat, senem capularem Romæ alterum habitũ Hippocratem: quem cum hæc scriberemus animam egisse, ab amicis Romanis accepimus: qui varia illi propinaverat apozemata, & syrupos plures, quibus addebat guayaci toties repetitum decoctum, ut catapotia & varia pharmaca prætereamus, & ex herbis innumeras super caput irrigationes confecerat, non minus apophlegmatismata, & per nares iniecta medicamenta varia inculcabat, ac supra ipsum quoque caput varios sinapismos, & multa rubricantia: imò eo, quo ad manus nostras pervenit tempo-

E re, varia foramina, & ulcuscula plura, causticis medicamẽtis oborta, per eius universũ caput disseminata habebat. Huius igitur temperaturam cum reliquis cõsiderans, quæ calida & sicca est, eius quoque proceram staturam contemplamur, faciem pallidam, adhæc capitis antiquum dolorem, partem interiorem semper, tam ante prandium, quam post prandium æquè affligẽtem: quanquam & capitis exteriorem partem quandoque prehendebat, sed tunc foras tubercula prominebant, & ut

F multa paucis dicam, dolor hic pulsativus semper erat, profundus, ob quem tristi lamentatione & eiulatu querebatur diu & noctu, & insomnis semper ferè agebat, & eius universum caput, plus iusto calidum reperiebatur, & à prandio febricula illum detinebat, quę ipsum in maciem traxerat, ut eum in hecticam febrem tunc brevi lapsurum non admodum difficile esset divinare. Cæterum, dolorem hunc per consensum, an primogeniam capitis affectionem fieri, varia erant hominum iudi-

G cia: item à causa calida, vel potius frigida, originem traxisse, non minus inter se digladiabãtur: neque enim rationes pro utraque fulcienda assertione deherant, quando multa ex relatis habita, caliditatem attestantur, utpote dolor pulsativus, febris, temperatura calida & sicca, color pallidus, capitis ad tactũ ingens caliditas: item quod calidis medicamẽtis peius semper habuit: quibus addunt, non contemnendum argumentum, quod humor calidus arterijs contentus hunc gignebat dolorem: quia dolor magna cum capitis pulsatione fie-

H bat: qui aliundè quàm ab arterijs malè affectis evenire nequit: unde de secandis arterijs ex ipso capite sermo instabat, ut Galenus agendum suadet libro sexto de sanitate tuenda, & latius, ultimis verbis libri de sanguinis missione. Iis verò contrarij, quod morbus à causa frigida originem traxit, morbi ipsius diuturnitatem adducunt, qui tandiu nisi à causa frigida dependentiam haberet, non perduraret: item quod in hyeme

hyeme morbus violentior est, quàm in æstate, imò æstate aliquando ita debiliter affligit, ut quandoque ex toto delitescat. Sed horum rationes, primæ partis doctores facilè solvũt, quia aeris ambientis ratione, æstate spiramenta operiuntur, & materia calida morbum fovens, & gignens dissolvitur: hyeme vero ob frigus contrahuntur, densantur, & consequens materia tanquam carcerata manens, dolores gignit, malam qualitatem & solutionem cõtinui inducendo. Ego verò prædicta omnia considerans, & ventris eiusdem constructionem conspiciens, ut qui per triduum & quatriduum consueta nõ respondebat, iudico circa nutritoria membra plurimum atrę bilis aggeratum habere: ex qua fumi, tum sanguis atrabiliarius per venas ad caput nutriendum ascendentes, malam qualitatem in eo imprimunt, & solutionem continui: ex quibus dolor conflatur, & homo tristatur, & in ægritudine tandiu perseverat: pro qua ægritudine levanda, & homine à tam sævo morbo liberando, mense Iulij, in quo calor non adeò vigebat, imò universa illa æstas temperata, vel non adeò acris fuit, cùm acerbissimè à dolore cruciaretur, ad radicem synarum eum traxi, cuius decoctum per viginti quinque dies illi bibendum dedi, ita magno iuvamento, ut omnibus admirationi fuerit, imò rem incantationi plures similem dixerint, quum elapso quarto à potu die, illico dolor abierit, & non amplius redierit, & æger se sanum dixerit: cum alvus sua sponte excrementa reddere cœpit, ut successu curationis, purgatione non indiguerit: initio tamen morbi, antequam radicis potum aggrederetur æger, decoctum ebibit describendũ, & ex syrupo rosaceo solutivo, adiecto electuario de sena, purgatus fuit, habet autẽ decoctũ sic. R. Foliorũ & folliculorum senæ unciam unam, polypodij quercini recentis, & cõtusi unciam unam, thymi, epithymi, seminis cartami, myrobalanorum indorum, ana unciam mediam, prunorum pinguium numero quindecim, florum borraginis, fumiterræ, ana unciam mediam, seminis fœniculi, anisi, carui, ana drachmas duas, carnis caponis unius optimè exanterati. In libris octo aquæ fiat decoctio ad medias: facta colatura. Recip. Prædicti decocti uncias quatuor, syrupi de pomis unciam unam, de fumo terræ unciam mediam. Misce fiat syrupus, quem ieiuno stomacho frigidum bibat, & in nocte hora somni eum iteret, ac ex toto eporo decocto, prædictũ bibat pharmacum. Nunc autem pancraticè valet, veluti Capitaneus Augustinus Pisanus, vir mehercle, vt nobilis, ita bonus & humanus, qui cum à morbo antiquo sævas traheret affectiones, ut ulcera serpentia, dolores ingentes, & insomnia multa, ita post huius radicis potũ illico ex omnibus liber evasit. Modum verò tradendi decoctum radicis huius synarum ex secunda parte Centuriæ.

Curatio centesima, in qua docetur quomodo puer scævola, hoc est, manum sinistram agiliorem habens, nequaquam dexter reduci potuit, simulque de pondere ossium humanorum, & de corio humano.

ILlustris & generosus Ranconus, filium quatuor annos natũ habet, qui cum lævam manum dextra ad omnia magis agilem haberet, omnia ea conficit, ut sinistri nomine mereatur. Cæterum pater illustris ægrè ferens pueri vitium, remediũ quærit, quo puer dexter evadat. Porrò, cum multa machinata sint, & per plures dies manũ alligarẽt, & vincirent, ut dextrã exerceret, & ea functiones cunctas obiret, nihilominus

nus tamen puer sinister semper mãsit. Sed qua ratione, nemo (quod sciam) dixit, cum id ex anatomica diligentia, quam ex rationibus philosophicis, deprehensum sit. Cum igitur superioribus annis, plura & varia corpora dissecaremus, anatomiæ exquisitam cognitionem desiderantes, non tantum corporum sectione, & particularum cognitione, contenti evadebamus: sed etiam eorum vascula, syphone, sive syringe impulso spiritu, primo alicubi dissecta, impellebamus: unde multa & varia nunquam antea scripta, neque fando audita, invenimus: ut Centuria prima, cum de pleuritide egi, dixi: sed non hæc tantum machinabamur, sed ossa ponderabamus, dextra sinistris conferendo, ex qua libratione, quæsiti rationem invenimus: nam cum os brachij dextri, & sinistri, à cubito ad humerum incedens, æqua bilance librarem, dextrum in uno latere, sinistrum in altero ponens, dextrum sive brachij dextri longe plus gravitate os sinistri osse inveni, quod tunc considerans, ac in dubium trahens, forte id evenire ob dextrum exercitatum brachium, ad quod nutrimentum maiori in quantitate confluit, hæsitabam: neque pro hac roboranda affectione, exempla mihi deerant, prout ex Amazonibus, hoc est, sine mammis mulieribus Scythiæ desumitur: quibus dextra mamma urebatur, ut omnis vis, ac robur in dextrum humerum & brachium deferatur, ut meminit Hippocrates libro de aere, aquis, & locis. Cæterum restabat id experiundum in puero parvo, qui nondum brachium exercuerat: cum eius dissecandi corpusculi occasio daretur: sed ecce, cum periculū facio, id quoque in puellulo evenire prout in homine inveneram, deprehendi: unde iudicium facio, eos qui à natura dextrum brachium robustius habent, rarò vel difficulter, ambidextros evadere: si tamen contingat brachio dextro, non admodum additamentum illud plurimum esse: tunc

E exercitatione, & longa consuetudine, ita bene sinistra manu ac dextra utetur hic, cui hæc evenerint, & tunc ambidexter evadet: ut multis evenire experimur, & Galenus notat enarratione quadragesimaquarta, libri septimi Aphorismorum: quibus tu addas Aod Hebræorum ducem ambidextrum, qui octogesimum supervixit annum, ut libro Iudicum legitur. Porrò, si ut à natura brachio dextro, additamentum illud semper ferè elargitur, brachio sinistro evenire contingat, tunc vir sinister omnino evadet, & ut dixi, ambidexter quoque erit, modo tamen non magna intersit ponderis disparitas: est nanque brachium dextrum F (si modo Hippocrati fides habenda est) sinistro robustius, quum universa dextra membra, sinistris robustiora, libro tertio de morbis dixerit: neque me latet Galenum, prædicta enarratione, libri septimi Aphorismorum, oppositum dixisse, sed Hippocrati experientia ipsa suffragatur, quæ tum ab operatione, tum ab anatomia, desumitur. Sed Galenus, cum nunquam corpora humana secuerit, neque hæc ita ad unguem scrutatus fuerit, philosophorum more dixit, dextram manum G natura sua debilem esse, lævæ scilicet ratione. Vnde eorum multi dicunt, sinistram manum firmiorem esse ad scutum tenendum, dextram verò ad omnia magis agilem: sed & contra Hippocratem multi dicunt, sinistrum oculum dextro firmiorem & robustiorem esse: ex quibus Aristoteles libro Problematum unus est: sed revera oculus dexter sinistro fortior & robustior est, ut apud Hippocratem legimus. Cæterum, cum de ijs ago, in mentem H venit, cum hominum ossa ponderarem, unius vel alterius pellem, me parare iussisse eo, quo pelles albæ evadunt modo, ut postea nigræ, vel coloris alterius ab artifice fiant, quæ sanè pellis humana ita apparata, crassa, sed intus tomentosa evasit, similis omnino pelli cervinæ, quam Hispani & Napolitani

parare

parare solent, ut ex ea calceos æstivales conficiant, & gestent. Erat autem pellis hæc humana extra porosa, sed cum sicca absq. confectura aliqua exiccatur, latis spiramentis, & foraminibus amplis redditur, ut ad tectoria inutilis omnino sit, id quod Oribasius ex Historia dixit, enarratione Aphorismorum, inquiens. Iussit quidam Persidis imperator corium à quodam tolli, atque inde aliquas umbras tegumenti fieri. Vnde probatur patentiores texturę cavernas, hominem habere, quam cætera animalia, de quibus & similibus, plura quandoque, modo Deus op-

A timus maximus votis nostris respondeat, sumus dicturi. Nunc verò quartæ huic Centuriæ colophonem imponamus. Anconæ 17. Calen. Septembris

B millesimi quingentesimi quinquagesimi tertij: quo tempore, bellum intestinum inter Carolum quintum Imperatorem, & Hēricum Galliarum regem, apud Belgas flagrabat, & classis Tur-

C cica pro rege Galliarum Corsicam insulam Ligurum dominio subiacentem, occupavit, & ætatis authoris anno qua-

D dragesimo secundo.

FINIS QVARTÆ CENTVRIÆ.

AMATI LVSITANI MEDICI PRÆSTANTISSIMI, CVRATIONVM MEDICINALIVM.

CENTVRIA QVINTA.

Curatio I. De sanguinis reiectatione, ex parte superiori asperæ Arteriæ.

RÆCESSERAT hyẽs partim rigida, partim verò pluviosa. Sed Veris prima pars subfrigida erat: media autẽ, hoc est, Aprili mense, concalescente aere. Magna populi pars in capitis gravedines, & ab eo defluxiones incurrit. Erant autem ij pueri, adolescentes, & maiores natu, viri mulieresq. Quorum nonnullis catarrhus, hoc est, destillatio, sive ad os & eius partem uvam, seu columellam, defluxus progressu temporis apparebat. Alijs autem ad nares, quem defluxum Græci Coryzam, Romani verò gravedinem appellare solent. Alijs autem ad fauces & guttura excrementum descendebat, ex quo sanè defluxu Branchos, id est, raucitas oritur. Sed multis omnia simul evenire contingebãt: ad hæc tusses, excrementis nimirum capitis in Thoracem defluentibus, ex quibus venæ nõnullis ruptæ sunt, & ex ipsis multus sanguis effluebat. Alijs Anginæ cõparebant: alijs autem oris ulcerationes & inflammationes, & secundum aures E parotides pullulabant, nonnullis verò pleuritides gravissimæ, & periculosissimæ infixæ erant. Sed multi quoq. phthisi, hoc est, pulmonis exulceratione, vexati postea sunt. Epidemicus autẽ morbus hic est, quia populi magna pars eo corripiebatur, præcipuè catarrho, cum quo pauci in febrim incidebant: sed ab eo plures evadebant: à quo cæteræ citatæ affectiones ortum trahebãt. Quia in F hyeme coacervati pituitosi humores, veris caliditate commoti, & diffusi, tales generant morbos, qui (ut docuit Hip. li.3. Aphoris. xx.) verno tempore potissimum evenire contingunt: cum quibus aeris influxus maximè concurrebat. Hæc lues (ut audio) universã Italiam, & Dalmatiam, ac Illyricã regio- G nem grassata est. Ex tam multis igitur malè sic affectis, primò mihi se offert Manuel Hamisius è Castello à Vite, Iuvenis natura biliosus, coloris nigelli, capillamenti verò nigri & hirti. Qui quũ catarrho vexaretur, & tussi torqueretur gravi, in sanguinis, per os, reiectio- H nẽ incidit. Eũ autẽ multũ & fervidũ, ac satis flavũ, bis, vel ter emisit: sed per intervalla excreãdo. Quẽ quoq. tussi rejiciebat, & eũ nõ aliũde quã à tracheę arteriæ

teriæ superiori parte effluere, hæ mihi attestantur notæ. Prima, quia excreãdo solùm, & validè tussiendo sanguis rejiciebatur. Secũda, quòd ipse æger ex ea eminenti parte sanguinem exire percipiebat. Tertia, quòd in collo ad mentum, ubi tãquàm nodus, caput tracheæ arteriæ multis apparet, & larynx dicitur, dolebat, dolore quidem ad sinistrã claviculam usq. ascendẽte. Huic igitur de repẽte occurrẽs, sãguinis uncias sex ex dextri brachij vena iecoraria demi iussi: quo detracto, hominem quiescere, neve altè loquatur, aut magnam edat respirationem suadeo: ac illicò album ovi, optimè concussum, pulveri sequenti permixtum, ebibẽdum offero, habet autem pulvis sic. R. Gummi arabici, tragacãthi, singulorum unciã mediam, sanguinis draconis optimi, boli armeniaci pallidi, terræ lemniæ, vulgo boli armeniæ, lapidis hæmatitis, sarcocollæ, utriusq. coralij, ana drach. duas, seminis hyosciami albi, sem. portulacę, plantaginis, cicutæ, ana drach. unam, radicis symphiti, drach. unam, & alterius mediam. Omnia hæc in pulverẽ redigantur, & misceantur, & fiat pulvis: ex quo scrupuli duo, in ovi albumine pro vice propinẽtur. Exteriùs verò, album ovi quoq. pulveribus constringentibus mistum, & stupa exceptum, loco dolẽti applicabatur. Cæterum, ab ebibitis, per intervalla, tribus vel quatuor ovorum albuminibus, prædicto modo apparatis, sanguis effluere desijt. Interdiu tamen per intervalla, syrupum myrtinũ aqua stipitum rosarum, & plantaginis dilutum, adiectis nõnullis, ex prædictis pulveribus, cochleari lambẽdo accipiebat, nonnunquam verò ex hoc electuario pitissabat, capite nõ nisi ad dorsum recurvo. R. Radicis symphiti recentis unciam unam, boli armeniæ pallidi, & veri drac. duas, seminis papaveris, portulacæ, an. drach. 1. gummi arabici, tragacãthi, an. drach. unam, sacchari rosacei uncias tres. Philonis antidoti drac. duas. Omnia syrupo de papavere excipiãtur, & fiat electuarium, ac folio auri inauretur: sed tunc secundo die, retractiones, & in membris ligaturæ sunt factæ, imò philonij persici à Mesue descripti drachmam unam, exiguo rodosaccharo mistam, illi dedi, quo optimè valere dixit. Nam & rectè dormit, & ex toto sanguis cohibitus fuit, nec opus fuit ad Diaspermaton tantopere decantatum medicamentum à Galeno, libro quinto Methodi medendi, & alibi sæpè, devenire: cuius descriptionem veram (si rectè teneo) superioribus nostris Centurijs, memoriæ commendavimus. Huic primò cibus, ex similagine pulticula fuit, manè & serò: quandoq. simplex, quandoque verò illi semen rhois, hoc est, sumachiorum admistum, quod prisci olim obsonijs miscere solebant: quandoque verò ptisana, huius loco, veniebat. Postea verò, elapsis tribus diebus, ex oriza, eadem apparabatur pulticula, prædicto cum semine, vel plantaginis, vel portulacæ, vel taleolis radicis symphiti admistis. Potius huic ad multos dies, aqua hordei calybeata fuit: postea verò vinum rubrum paulùm adstringẽs, & tunc pyrum unum, vel alterum illi elargiebamur, veluti diacydoniten ex sacchato concinnatum. Nam pulticula illa similaginea, vel ex oriza, ad aliquot dies (ut dixi) sola aqua, aliquando adiecto sumachiorum semine, vel taleolis radicis symphiti, parabatur: postea verò ex pulli gallinacei iure, vel pedum vervecis, aut vituli apparabatur: demùm, ut alas & pectusculum pulli ederet suasimus, semper tamen ut clysmis vel glãdulis, alvus responderet, in universo morbi processu, curavimus. Tandem elapsis quindecim diebus è cubili sese erexit, & domi ad vigesimum diem mansit: post quam pancraticè semper habere dixit: sed nostro consilio, bolum armeniacum pallidum, & quem Gal. lib. 10. de Facultatib. simp. med. describit, & huic morbo mirum in modum prodesse tradit, per plures dies aqua plantaginis, vel farfaræ dissolutum ebibit. Nunc verò integra & secunda fruitur valetudine.

SCHOLIA.

Κατάῤῥους, sive Katarrhus, latinis fluxio sive destillatio dicitur, à Καταῤῥέω, quod est fluo, vel destillo: unde à multis, catarrhus, pro quacunque fluxione, sive distillatione licentiori vocabulo accipitur: unde Plinius secundus libro primo de re medica, capite secundo, ita tradit. Est quidem catarrhus humor defluxus ad nares, ad fauces, ad pulmones, unde catarrhus dictus est á fluore, Greci enim hunc fluorem dicunt. Propriè tamen Κατάῤῥους apud Galenum libro de Symptomatum causis, distillatio dicitur ea, quando ad os excrementum defluit, ve ad palatum, ut libro secundo de cap. præsagiorum enarratione 49. idem refert. Quod perinde est dictum ac ab Aetio sermone octavo suæ medicinę, capite quinquagesimo tertio catarrhum eße, si ad uvam, seu columellam humor defluxerit: est enim uva (ut omnes norunt) oris pars. Nec minus à Paulo dictum est, libro tertio suæ Medicinæ, capite 28. Catarrhum esse, ubi ad fauces & palatum humor descendit, quum & fauces oris partem esse, omnibus conspicuum sit: si verò humor ad nares delabatur, Græcis κόρυζα, Romanis verò Gravedo. At si humor ad fauces descendit, a Galeno & Græcis βράγχος appellatur, à Celso, Plinio, & Latinioribus Raucitas. Paulus tamen raucitatem fieri tradit, cùm humor ad guttur & asperam arteriam defluit: nec mirum quum facilis est delapsus humoris in faucibus existẽtis ad guttur, & asperam arteriam: sic igitur legendi sunt versiculi, in omnium ore habiti.

Os, uvamque petens humor, stillatio nostris,
Fertur Romanis, Graij dixere Katarrhum,
Quod si guttur habet, faucesve, hæc horrida pestis.
Branchos erit Graijs Medicis, Raucedo Latinis.
Græca Coryza premit nares, Romana Gravedo.

Cęterùm scire operępretium est, quod sanguis à vasis quatuor modis effluere potest: ut nos docuit Galenus libro quinto Methodi medendi, quem percurrere ne pigeat potissimum tamen tribus de causis palàm excitari sanguis à vena vel arteria contingit, aut earum ruptura, aut earum erosione, aut quum earum ora adaperiuntur. Dignoscimus autem sanguinem ob vasis rupturam evenire, quia extrinseca aliqua causa præcessit, ut delapsio ex alto, aut si luctando plus iusto vasa distensa sunt, & consequens rupta, aut in terram homo cõcidit, aut si gravius aliquod pondus elevavit, vel in pectus ceciderit. Item ob clamorem magnum quomodocunq. editum, vasis ruptura fit: in quo

E reponatis velim tussim asperam: ut ex ea huic evenit iuveni: aliquando verò ruptura evenit ob humorum multitudinem, & tunc sanguinis effusio repentè & coacervatim facta cognitionem exhibet. Sed tunc deposita per evacuationem multitudine, sanguis compescitur, & postea ad ulcus curandũ devenimus. Sed quando à causa procatarctica sive extrinseca, ruptura evenit, tunc curatio nõ admodum difficilis est: quæ potissimùm cõficitur, pręter retractiones, & derivationes, per conglutinationem vasis disrupti: præcipuè medicamentis adstringentibus, & alijs illis mistis, citra mordacitatem resiccantibus, & glutinosum quiddam habentibus, velut est, terra lemnia, & samius aster, & bolus harmeniæ pallidus verus, quo hodie abũdamus & de eo Galenus mira prodit, & varia
F alia à nobis citata in pulveris compositione. Pręterea pastillos à succino paratos, quos a Karabo, Mauritaniæ factionis Medici appellãt, & eos Galenus ornatissimus medicus, libro septimo de comp. med. secundum locos describit, veluti ex Coralio dictos, aut a terra sigillata, hodie bolo Armenio dicto, ut varios alios pastillos taceã, & propè infinita remedia, ab eodem Galeno, Paulo Aegineta, Oribasio, Aetio, Alexãdro Tralliano, Aretęo, & practicis varijs citata. Nos verò, ea quibus usi sumus, remedia in medium tantum adducimus, & eorũ mentionem facimus. Ampla etenim remediorum sylva est, non advertentibus hodiernis Medicis, qui vel pro minimo in dissidium, & discordiam vel ad arma usq. veniunt: sed ij à con
G sortio hominum eliminandi sunt, aut inter hominum hostes reputãdi: ut qui favere honori, & rei caducæ ac pertinaciæ, quam hominum saluti, magis velint. Estote igitur concordes, quia concordia (ut nostis) parvæ res crescunt, discordia magnæ dilabuntur. Fit quoq. ut dixi, sanguinis reiectatio ex vasis, sive venæ corrosione: quę potissimũ evenit ob acres & mordaces a capite in thoracẽ, delabẽtes humores: vel in ipso thorace genito: sed tunc per intervalla parva evacuatio, sed cum tussi contingit. Quã quam aliquando compertum habeo, etiam ob corrosionem, copiosam & coacervatam sanguinis eductionem cum tussi fieri. Sed hęc sangui
H nis reiectatio periculosa admodum est, & rarò ab ea ęgrotantes evadunt, ut ante nos docuit Galenus in suis dogmatibus, & meritò sanè, quia eã ulcus consequitur, quod multis de causis difficillimam acquirit consolidationem, & consequẽs hectica febris & tabes, mortis imago introducitur. Curantur autẽ exesa, aut corrosa vasa, quoties per cibos boni succi, & pharmaca carnem gignentia, renutriuntur. Cæterum, Galeni pręcepto, medicamentis constringentibus,

gentibus, huic morbo facientibus, nonnulla calida, & tenuium partium, miscemus: portione tamen exigua, ut ea constringentia ex stomacho ad iecur, & inde per cavam venam ad cor, & consequens in pulmones distribuant, & ea penetrare faciant, ac illis viam sternant, ut nos docuit Galenus libro septimo de cõp. med. s. l. ubi de reiectatione sanguinis agit. Cæterũ, tu per calida intellige, medicamenta tenuium partium arteriaca, quæ constringentia medicamenta ad pulmones & thoracem trahant, & veluti manu ducant: quæ omnia magna solertia, & maturo consilio, Medici exercere debent, non minus ac in stupefacientibus medicamentis propinandis, & eisdem pharmacis ad sanguinis reiectationes facientibus, miscendis. Contingit quoque sanguinis reiectatio, quoties vasis osculum reseratur, & quasi per resudationem transcolatur, quod potissimùm fit, cùm quis calidis balneis utitur, præcipuè in regione calida, & tempore calido, & cibarijs calidis assuevit. Etenim multitudo sanguinis, aut eius acuties acredòve, venarum ora aperit, & laxat, & tunc sanguis in principio est paucus, deinde absq. dolore augetur. Curatur autem venæ os dilatatum pro varia eius causa, potissimùm per obturationem, quę obturatio per astringentiam conficitur: ut in curatiotionibus Tisauri fusius dicemus.

Curatio 2. De inflammato isthmo, seu uva, & tonsillis.

MVlier nata annos viginti, cũ eius uva, isthmus dicta, & tonsillæ, ob defluxum à capite vehemẽter rubricarent, & tumentes apparerent, ut vix deglutire posset, multa spuebat, & per nares varia quoq. emittebat. Hæc cũ paucula & liquida in cibo admitteret. Syrup. violaceum, & de endivia eisdem cum aquis, sed parum dilutos, in aurora bibebat, & membrorũ frictionibus utebatur, & ad nares materiam venire, ipsis sæpe manu attractis, curabat: imò eisdem naribus aquam violaceam, in qua dilutum erat parũ sacchari candi, adiecto quoq. exiguo succo betæ, non rarò attrahebat, & ex aqua decoctionis hordei, adiecto syrupo acetoso gargarizabat: tribus verò elapsis diebus, à deglutito bolo ex cassia ægyptiaca tãtùm meliùs habuit. Ex tunc ex atramento eiusdem cassiæ ægyptiacæ, aqua decoctionis hordei excepto, gargarismum parabat, & brevi sanitatem obtinuit. Cæterum nata Proxenetæ Græci, duodecim annorum, qui ad fonticulum habitabat, in hanc eandem affectionem lapsa est, sed aliquantulum febriebat, & altera tonsillarum ulcera affecta fuit. Huic sanguis ex cephalica vena, in brachij curvatura secta, missus ad uncias quinq. fuit, & gargarismo sequenti utebatur. ℞. balaustiorum, citrinorum, rosarum, plantaginis, ana pug. medium, hordei mundi, pug. unum, calicum papaveris albi. drach. unam, libris tribus aquæ pluvialis omnia excipiantur, & ad ignem fiat decoctio sufficiens, & coletur: cui adde, diamoronis, syrupi rosati simplicis, ana unc. unam, pulveris boli armeniæ pallidi unc. unã. Misce, fiat gargarismus, & eo assiduò utatur, post quem, ulcus ex melle rosaceo colatitio, adiecto pulvisculo thuris, & prædicti boli armeniaci inungebatur, & tadem brevi sanata est: veluti plures alij, vario tamen artificio. Vxor tamen illius, qui alituum Pernities vocabatur, post intẽsam febrem, ulcera quoque sordida in tonsillis passa fuit, pro quibus curãdis, ad aquam ex sublimato, post multa & varia adhibita, confectam devenimus, & sanatus est.

SCHOLIA.

NON discedam ab hoc loco, quin oris totius partes priùs exactè percurrã, ut tyrunculi eas in totum teneant, neq. in eis nominandis errorẽ committãt. Dicitur igitur palatum totum fastigium supra linguam usq. ad fauces Græcis ὑπερῶα, *sed Aristoteli* οὐρανὸς, *& Galeno nostro* οὐρανίσκος. *Sequuntur fauces, fauces Græcis* φάρυγξ, *quæ Galeno authore, libro quarto de locis affectis capite quinto, ubi anginæ quatuor percurrit genera, sunt oris interna pars, ubi simul conveniũt, & gulæ & gutturis partes extremæ. Cæterum, Græci* φάρυγγα ἰσθμὸν *appellant, in quo spacio Gurgulio & amygdalæ sunt, unde nonnullis gurgulio, sive gargareõ isthmus appellitatur, quia inter duas cavi*

tates, tanquam inter duo maria collocatur. Amygdalę latinis tonsillæ & glandula dicuntur, Græcis ἀντιάδες & παρίσθμια duæ evidentes, & magnæ, totidem occultæ. Cæterum, ne nominũ vicinitate decipiaris, nota quòd à pharinge larinx multùm differt: nam pharinx (ut dixi) fauces sunt, larynx verò tracheæ arteriæ caput, sive gutturis nodus, qui nonnullis foras prominet, & bronchorum caput quoque vocatur, aut absolutè bronchus. Supra laryngem est Epiglottis, cartilago mollis, quæ laryngis operculum est: simile folio hederæ, factum à natura ad claudendam tracheam arteriam, ne cibus, aut potus illabatur rursus, ad aperiendam eam in aere attrahendo. Porrò Glottis, aliud quidem est, lingula scilicet in orificio tracheę arterię, qualis est in fistulis musicorum, rima duabus tenuissimis membranis facta. Cæterum, pro curandis destillationibus advertendum duximus: quòd à capite in fauces, & iugulum destillantes humores, non ita temerè & inconsultè gargarismis coercendi sunt, aut sistendi, ni suffocationis, aut anginæ immineat periculum: repurgato verò corpore, tunc etiam apprimè constringentibus tutò uti possumus. Non enim iam timor est, ut retenti & congesti in capite humores, decidant & ruant, & repentè suffocent, ut Mesue præ cæteris clariùs nos docuit.

Curatio 3. De Viro singulis mensibus, per hæmorrhoides, sanguinis purgationem habente, ut mulieres per uterum.

IOhãnes Baptista Propola, vir annos natus quinque supra quadraginta, & qui iam olim morbo Gallico correptus fuerat, tandiu per hæmorrhoides, singulis mẽsibus, ut mulieribus menstrua contingunt, sanguinis evacuationem copiosam habebat. Qui nũc, quum illi ad aliquot dies constringeretur, nec solito modo flueret, ecce per os sanguinẽ absque tussi, & febri, subflavum & rubrum multum coacervatim emisit: perterritus igitur hic, consilium petit, quo tantum fugiat malum. Ego omnia, ut decet, perpendens, iubeo hominem bono esse animo, ac illico hæmorrhoidibus quatuor apponi iubeo hirudines, quæ sanguinis uncias sex sugendo ex-

E trahant: quo verò modo, ex scholio percipies: postea verò præscripta optima victus ratione, syrupum ex endivia, & fumaria herba, ac lupulis, earundẽ herbarum decocto dilutũ, ad aliquot dies ebibit: hinc pharmacum, ex manna, rhabarbaro, & portiuncula electuarij Diaphiniconis cõstans: quibus optimè habere dixit. Ad plures tamen postea dies conditum ex floribus fumariæ, saccharo, veluti floribus cichorij concinnatum ieiuno stomacho comedebat: super ebibita aqua cichoreæ singulis vi-
F cibus, pauxilla, hoc enim ordine, sanguis cursum suum cõsuetum consequebatur: cuius fluxu hic optimè valebat. Alios tamen, hoc morbo affectos, nota vi, quibus refrigerato sanguine, temporis successu, & ætatis ratione, sanguis ex se cohibitus est, & rectè habebant. Cæterum, qui ob hæmorrhoidum solitum sanguinem restrictum, in capitis dolorem incurrunt, catapotia ex Aloe non lota deglutiunt, & bene habent: quia Aloe venæ aperiuntur, & deinde sanguis fluit. Huic casui non ab re es-
G set quoq. annectere unum vel alterum hominem: quibus singulis mensibus ex gingivis ad radices dentium, absque dolore aliquo, sanguis exijt, qui si tamen ad aliquot dies moratur, & solito non respondet modo, in capitis dolorẽ incurrunt, ac sic eum ex gingivis ipsis evocare necesse habent: ex ijs autem studiosus quidam est. At ægrotus is, de quo agimus, elapsis posteà multis diebus de totius corporis lassitudine conquerebatur, qua & sæpè in animi deliquiũ, & capitis vertigines incurrebat: adeò ut, ne in Epilepsiam incideret, ali-
H quando, timeretur. Cęterum, huius corpore expurgato per medicamenta respiciẽtia humorem, morbum gallicum foventem, illi decoctum radicis Synarum ad 24. dies dedimus: quo ita valuit, ut omnes ad huius decocti radicis potum invitaret. At, præscribebatur huic, victus ratio hoc modo, in prãdio turdum assum habebat, exceptum (ad stomachum dissolutum iuvãdum) intinctu, sive sapore, parato cinnamomo,

momo, saccharo, & decocto eiusdem radicis synarum, tandem abstemius factus panis nautici uncias quatuor cō medebat: & totidem in cœna, paucis cum uvis passis & amygdalis. Porrò vino, sale, & similibus (ut nostis) abstinebat, singulis tamen octo diebus, catapotiis purgabatur. Iis enim (ut dixi) pancraticè habuit. Sex tamen interjectis mensibus, hic, cùm ad comessationes, & intempestiva convivia suis cū congerronibus, & compotoribus frequens esset, ac semel aliis, & vino se ingurgitasset, repentè apoplexia enectus obiit.

SCHOLIA.

QVVM sæpè hirudinibus utamur, dignum quæsitu est, an deceat post earum admotionem cucurbitulam affligere, ut Galenus agebat, & agendum proprio quoque libro de hirudinibus suadet, ad levandam scilicet venenositatem ab ijs animantibus derelictam. Nos huic quæsito breviter respondentes, dicimus, non opus esse, quando nos hodie eisdem utimur, purgatis, & à veneno alienis, quas pharmacopolæ vitreis vasculis diu asservant, sæpè affusa, innovataq. aqua. Cæterùm, in exercenda hac per hirudines evacuatione, ut omnes sciant, hunc servamus ordinem. Postquam affixa sunt: & sanguinis suctu hirudines sanguisugæ dictę tumefieri incipiunt, per mediū eas forficibus pręscindi mandamus: nam tunc meliùs sugunt, & ex ægroto super perforata sede sedente, supposita aqua calida sanguis in vasculum, aut scutulam cadens, eà à nobis perscripta quantitate servatur, ut posteà de eius colore, & substantia judicium feramus. Sed licet admirari hodie Bononiensium Medicorum quorundā stupiditatem, ne dixerim ignorantiam, qui indiscretè venas hæmorroidales phlobotomo aperiendas jubent, vos verò cavete, inde enim multa sequi mala, certum est, & scalpelli vice in aperiendis, & reserandis venis hemorrhoidalibus, quæ ad anum terminantur, sanguisugis utimini: vel saltem parietaria helxina dicta herba, aut folio ficus, vel simili alio, quib. fricto eo loco, sanguis prosilit, earū venarum reseratis osculis. Placuit autē nobis huiuscemodi evacuationis modum docere: quū sciamus eam hodie apud Hispanos prætermissam esse, qua utinam deinceps utantur, & eam in praxim trahant.

A

Curatio 4. de hectica febre, intromissa post longas alias febres.

IOHANNES ab Ægydio Gradu, Teutona, Antuerpiensis mercator, Vir annos natus triginta tres, longus, gracilis, & temperatura biliosus, quum in hyeme, per duos vel tres menses febribus laboraret, quas, cuius naturæ essent, ad præsens referre non puto operæpretium, eum tamen hectica febri laborare, primo occursu comperi. Nā
B
macie aff. ctus, ingenti f. bre laborabat, sed à prandio, hoc est, ab assumpto cibo, graviùs & intensiùs à febri ipsa affligebatur: cui pulsus debilis & parvus, & subdurus quadam cum æqualitate erat, lotium verò tenuè, lucidum, & subcitrinum, & (quod peius est) à Medicis pro deplorato derelictus erat. Ad hunc igitur ingressus ipse, eum dicto modo habere cōperio: præter hæc etiam semper sudabat, sudore quidem
C
frigidiusculo, & copioso, adeò ut duæ mulieres in eo abstergendo, pannis calidis, diu noctuq. continuo se fatigarent. Hunc igitur curaturus, cùm sex res non naturales animadverterem, ecce hunc ægrotantem, in cubiculo peramplo, & valde alto jacentem, percipio: cuius cubiculi aer humidus admodum, crassus, & frigidus erat: unde non falsa conjectura deprehēdo, quòd aeris frigiditas, quæ calidos vapores ex intima corporis parte, in cubili ad cu
D
tem delatos, attingebat, eos condensabat, & in aquam vertebat: unde sudor continuò huic, & madores copiosi, hærebāt: pro quibus abigēdis, summo, sed gravi & philosophico consilio (absit dicto invidia) usus sum. Focum namq. ex accensis carbonibus, in cubiculum inferri jubeo, ut aeris huius frigiditas, malâve eius temperies contemperarentur. A quo illato, intra quatuor horas, videres rem incantamento similē, & illas duas mulieres applausus manibus

bus omnia mihi felicia præcari, quod E
tanto labore eas sublevarim: diu no-
ctuq;enim (ut dixi) abstergendo eius
sudore,magna angustia premebantur.
Nam intra quatuor illas horas sudor
hic continuus levatus fuit, nec posteà
illum amplius persensit. Vnde ægrotus
ipse iam de me optimè opinari cœpit,
& brevi fore, ut à me sanaretur, pro
certo habebat. His igitur perfectis, hu-
jus victum ita præscribo. Primùm cũ
hic gracilis sit, ut obesior evadat, &
pristinas recuperet carnes: multis, &
optimis cibis vescatur oportet. Cæte-
rùm, cùm hi cibi dari debeant pro con
coctricis virtutis tenore, & robore, ea
de causa, maximo cum iudicio offe-
rendi sunt: ad hęc, ut suis qualitati-
bus febri opponantur, & optimum ad F
generent succum. Talia enim cibaria
erant, ex pullo, aut capo, lactuca, aut
hordeo mundo incocto absque sale,
contusum, adiecta portiuncula prisanæ
optimè coctæ, aut amygdalarum &
seminum melonis cremore, vel capri-
no lacte, ex quo gabatam iustam, fri-
gidusculo bibebat, & desuper pa ũ pulli
gustabat. Quæ omnia in cœna itera-
bat: sed interdiu cõdita sacchar ea gusta
bat, videlicet, lactucam, portulacam, se
mem melonis, cucumerem, citrulum, G
pyra moschata, & hujusmodi alia sac-
charo incrustata, vel parata. Et posteà
id, quod in potu continuò habebat, ebi
bebat: videlicet, aquam hordei, iulepo
violaceo illi admisto, contusum ex pul-
lo, adiecto cremore seminis melonis,
cucurbitæ, vel citruli, aut lactucæ, vel
papaveris & portulacæ, quo multum
oblectabatur, illi repetebant. Hic verò
plerumq; noctu tres vel quatuor horas
dormiebat, & quandoq; vigil manebat:
sed tunc iusculis, aut contuso, semen H
papaveris albi, unius vel alterius drach
mæ pondere, infundi iubebam: sed eius
vice, sæpè syrupi papaveris unc. duas,
aqua lectucæ dilutas bibebat. Cæterũ,
successu temporis ob epota medicamẽ
ta, stomachus laxior factus: prædicto
contuso pulvisculum cinnamoni, &
coralli, & margaritarum præparata-
rum, immisci jubebam, ventriculi ip-
sius roborandi gratia: aut portiuncu-
lam specierum Diamargaritonis frigi-
di: cuius descriptionem, à nobis evul-
gatam, prima harum centuriarum ha-
betis, sed tunc exterius os ventriculi
oleo mastichino fovebatur, ut inferiùs
latiùs hęc patebunt: cætera verò quæ
ad sex res, non naturales, spectant, ut
hecticis conveniunt, debito ordine ha-
bebantur. BRANDANVS. Si ve-
rum est Medicorum nostrorum axio-
ma, contrariorum contraria sunt re-
media, hecticis aer conveniens, frigi-
dus & humidus sit decet, ut qui æquali
intemperie, calida sicca laborent, ad
quid igitur, ô Amate, in hectici cubicu
lum ignes inferendos curasti? AMA-
TVS. Nunquam, me herclè, te tam le
thargicũ, aut obliviosum putaram, ut
qui paucis antea lineis à me signatam
causam memoria deponeres. Norunt
vel garruli barbitonsores, nedum cor-
dati Medici hecticis aerem frigidum,
& humidum convenire, ignem ta-
men intra egroti cubiculum inferen-
dum curavi, ut aquea quædam, sed
pessima aeri mista humiditas ex-
pelleretur. Quæ frigiditati juncta sub-
levatos, ex intima corporis parte, va-
pores in cute augebat, densabat, & in
aquam vertebat: unde ille madidus, &
sudore respersus continuò affligeba-
tur. Vt duæ mulieres noctu diuque id
solùm agerent, ut eius sudorem deter-
gerent. Solet sæpè, cameris occlusis, &
in quibus jamdiu ignis nõ fuit, similis
vigere humiditas, ut docuit quoq. Ga-
lenus libro 1. de Sanitate tuenda, & eo
magis si parietes novi sint, aut vasti &
lati, ut in turribus & carceribus eveni
re videmus, qui sanè aer cutis poros
obstruit, & magis obest, quàm prodest:
unde Galenus, aerem nimis frigidum
hecticis tanquàm obnoxium detesta-
tur. lib. decimo Meth. Med. & libris
de diff. febrium. BRANDANVS.
Placent hæc, sed in illa domo ullà ne
alia cubicula erant, in quæ ægrotans
transferri posset? AMAT. maximè,
domus namq. quam bonus vir hic ha-
bitat

bitat perampla, & magnifica est, quæ ad porticum ubi Mercatores negociãtur, & suis mercaturis operam dant, posita est: & nonnulla alia cubicula habet: sed cubiculo hoc quo ægrotus decumbebat, nec maiora, nec ita, ut illud, apta. BRAND. Cur igitur extra domum illam, atq. in aliam oportuniori aere eum transferri non jussisti? AMAT. Cordate ais, & eò magis, quia Galenus vir medicus consumatissimus, Romæ sæpe ægrotantes non tantùm ex una domo, ad aliam traducebat, sed extra urbem eos ad alias lõginquas regiones sanitatis acquirendæ causa, relegabat, ut ad Tabias, & longè distantem Syriam: aut (ut Celsus primo tradit) ex ipsa Roma, Alexandriam: quod Hippocrates ante omnes, ut Primus medicorum Parens docuit, dicens libris Epidemiorum, & Aphorismorum, solum mutare patrium, in diuturnis morbis, bonum. Is tamen ægrotus (ut paucis tibi dicam) extra domesticos lares migrare noluit: imò & ego cùm aerem correctum parato artificio viderem, non admodum labo raui de eo ad alteram domum transferendo. BRAND. optumè, ne graverè tamen, pro tua humanitate, nobis rationem medicamentorum, quibus hũc, veluti ex perturbato mari ad portum, incolumem, & sanum perduxisti, recensere. AMAT. Lubenter faciam, & paucis absolvam, & eo magis, quia in re gravi, & difficili, hucusque morati sumus: item, ut tu apud Britannos, præsertim Bristolii similia rectè operis. Primò igitur hoc descripsimus apozema, cuius in aurora sex ebibebat uncias, & ita habet. Recip. hordei mundi, uncias duas, foliorum borraginis, endiviæ, cichoreæ ana pugillũ unum prunorum pinguium, sebesten, ana numero xij. senę drachmas duas, pimpinellæ pugillum medium florum borraginis, buglossæ, violarum, ana drach. unam, seminis portulacæ, lactucæ, endiviæ, papaveris albi ana drach. duas, seminis melonis mundi uncias duas. In libris sex aquæ fiat de-

A coctio secundum artis ministerium, ad medias, facta colatura, & decenti expressione, adde Syrupi de cichorea, de violis ana unciam unam. Misce, fiat apozema, ex quo, singulis diebus in aurora, jejuno stomacho, singulas sex uncias bibat, & insuper dormiat, tunc verò pectus universum, & costæ, cùm universa dorsi spina, hoc inungebãtur unguento. Recip. olei violacei unciã unam, & alterius mediam, butyri recentis, axungiæ gallinæ ana unciam mediam. Pauca cera alba, ad ignem fiat unguentum molle. Cæterùm, hoc

B eodem tempore & sequenti, curæ nobis erat, ut alvus responderet, præcipuè clysteribus refrigerantibus, ex aqua hordei, oleo violaceo, saccharo, & ovo, nonnunquam verò atramento Casiæ ægyptiacæ adjecto. At, interdiu, noctuque conditum hoc gustabat. Recip. Sacchari rosacei, violacei, buglossacei, boraginacei, ana unciam mediam. Sacchari candi, drach. quinque pulveris coralii rubei drach. unam. In mortario marmoreo omnia conterantur, & syrupo de pomis excipiantur, &

C fiat mistura, de qua per intervalla gustet: & desuper aquam violarum & boraginis simul mistam pitisset: huius tamen misturæ loco, condita sacchárea (ut dixi) comedebat, præcipuè quando eam fastidiebat: ijs enim placidè ægrotus hic habebat, consueta tamen habituali febre infestus. Elapsis curationis, diebus duodecim, ad balneum dulcis aquæ eum vocavimus: quod ita habet, Recip. Foliorum endiviæ, lactucæ, malvæ, hordei mundi, an pugillos duos. In magno aquæ caldario ple-

D no fiet decoctio sufficiens, & in cortina lignea, ad id parata, secundum hominis longitudinem, infundatur, prædicta decocta aqua, & si opus fuerit, ex frigida illi adjungas, ut tepida sedetis collum usque attingat, in quod balneũ intrabat, & universum eius corpus (capite excepto) magna eius voluptate, ad dimidiam horam, vel integram, morabatur. Sed tunc quando ex cortina exire volebat, prædictum bibebat apozema:

zemat:& frigida irrigabatur aqua, suadente ita Galeno, tandem leviter corpore à madore absterso, eum dicto unguento, aut simili inungi jubebamus, præcipuè circa spiritualia mēbra universa, & dorsi spinam, & circa ventriculi os, ex oleo cotoneorum, & circa jecur, unguento santalino. Sed tunc cū cubile ingrediebatur, non dormiebat, quia à balneo somnus corpus emaciat. Elapsis verò aliis octo diebus, ventriculus debilis ei redditus est, ut ægrè concoqueret, & retineret, quæ comederat: imò ea ipsa citò per secessum remitteret, incocta, & non malè olentia, tunc ori ventriculi ceratum applicitū est hoc. Recip. Ladani optimi, benè & suaviter olentis, & quod ad candelæ ignem facilè accendatur, unciam unam, rosarum rubrarum, thuris, mastichis ana drachmas duas, spicæ celticæ, indicæ, ana scrup. duos. Galliæ moschatæ Mesue drachm. mediam, coralii utriusque ana drach. unam, & alterius mediam, terebinthinæ parum: misce, & ad ignem fac ceratum, & pāno cocco infecto, ad scuti formam excipiatur, & ori ventriculi admoveatur: itē, ut omnino os ventricoli robur acquireret etiam ferculis, quibus vescebatur, & actu parùm calida comedi debent, ut suadet Galenus lib. 10 Metho. med. pulvisculus is misceatur, qui habet. Reci. Cinnamomi optimi drachmam unam, coralij rubri præparati, margaritarū præparatarū, ana drachmas duas, Seminis sumachiorū, drachmam mediam. Omnia subtiliter pulverizentur, & misceantur, ex quo pulvere drachmam mediam pro vice, juribus infundebat: sed audi, ut omnibus machinamentis ventriculo adjumentum præstaremus, initio prandii, & cœnæ parùm diacitonitis ex saccharo parati comedebat, & à potu decocti sive apozematis descripti, nostris monitis destitit. Porrò, quum sic aliquot dies transiret, & ventriculus robur adeptus esset, hic in tussim incidit, & in ore salsum saporem percipiebat, sed extreabat: & tunc syrupum violaceum, & de

E succo farfaræ paratum, adjectis similibus aquis, in aurora bibebat, & interdiu & noctu, loch de althæa & farfara lingebat. Cæterùm, quum rectè à tussi valeret, à capite ad os excrementum descendere percipiebat, cuius portiuncula ad pectus quoque labebatur, & tussim irritabat: contra quam affectionem decoctum hoc parare illicò jussi. Recip. plantaginis, hordei mundi, rosarum rubearum, violarum, ana manipulum unum, seminis melonis mundi, cucurbitæ, citruli, ana unciam mediam, in libris quinque aquæ, fiat deco-
F ctio ad consumptionem duarum partium, facta colatura, adde syrupi rosacei de rosis siccis uncias duas: misce, fiat potus longus, cuius uncias quinque in aurora bibat, & subhinc dormiat. Interdiu autem diadragacanthum, cum bolo armeno in ore tenebat, & aquam ex decoctione coriandri bibebat: & noctu diacodii simplicis rotulam unam, vel alteram drachmæ pondere gustabat, quib. brevi à tussi & catarrho immunis evasit. Qua de causa, iterum ad
G consuetum balneum, eum traximus, in fine cuius uncias octo lactis caprini optimi, & calidi, recens emulcti, pauco saccharo fino adjecto, bibebat: à quo non tantùm balnei ratione, sed lactis ipsius causa, non dormiebat, quia post epotum lac dormiendum non est, nec exercitatio ulla corporis habenda ad quatuor saltem horas: ut meminit Aetius sermone secundo, suæ medicinæ, capite 93. cui titulus est, de Modo, tempore, ac mensura utendi lactis. Quum verò in lactis potu perseveraret, quod ex capra (ut dixi) erat, quæ lactucis, en-
H divia, cichorea, rubi summitatib. hordeo, & similibus vescebatur: restaurans hoc conditum sæpè comedebat, quod habet. Recip. Carnis capi junioris, uncias tres, pistaciorum, mundatorum & lotorum, amygdalarū dul. lotarum, ana unciam unam, & alterius mediā. Seminum quatuor communium frigidorum, ana unciam mediam, specierū diamargaritonis frigidi, drachmas tres. Sacchato tabarzethico aqua rosacea

cea dissoluto, ad ignem misce, & fiant morsuli tenelli. Iis enim, & optimo constituto victus ordine, à nobis perscripto, intra duos menses hic sanatus est, magna artis medicæ gloria, ut qui ab omnib. deploratus habebatur: nūc verò viget, & gaudet, & lactis potum sibi familiarem habet, ut omnes Teutoni solent: imò ex se non rarò balneū parari jubet, in quod ingreditur, quia eo maximè delectatur.

Curatio 5. de pleuritide, furculam, & scapulam dextram prehendente.

MVLIER Illyrica, annos nata quadraginta quinq. & quæ jam consuetos menses amiserat, robusta, magna, carnosa, ut eam ex Gigantea prole quivis diceret, in pleuritim incidit: nam furculam sive claviculam cū scapula acriter dolebat, continua febri laborabat, nonnihil tussiebat, sed ægrè spiritum ducebat. Hanc igitur sic malè affectam, ubi primùm vidi, illicò sanguinem ex axillari ejusdem brachii dolorem respiciētis ad integram usq. libram emittendum curavi: postquam sanguinis emissionem fomentum exceptum filtro loco dolenti adaptabatur: habet autem fomentum sic. Recip. Hordei mundi, matrum violarum, foliorum malvarum, camomillæ, branchæ ursinæ, radicum malvavisci, parietariæ, rosarum, ana pugillum unum, seminis malvæ fænugræci, s. lini, ana pugillum medium, in aquæ libris decem fiat decoctio sufficiens, cui posteà adde olei violacei, rosacei, ana uncias duas: misce, & in ea filtrum imbuatur, exprimaturq. & dolenti loco calidū admoveatur, & iteretur. Ac posteà ex unguento pectorali locus prædictus doloris inungatur, sed tunc syrupum violaceum, aqua hordei dilutum, in aurora bibebat, & interdiu syrupum eun-

A dem violaceum cocleari lingebat, aut loch ex althæa, vel farfara, & hordeaceam iulepo violaceo mistam bibebat: & panatellam simplicissimā penidiis paratam, aut ptisanam optimè coctam in victu habebat: iis enim ita gubernata, intra septem dies convaluit: clysteres tamen, quum opus erat, injiciendos curabamus. Simili modo sanitati restituta fuit filia Marini, prędictæ mulieris vicina, puella septemdecim annos nata, quæ & ipsa, eodem die pleuritide correpta fuit. Veluti homo Antonii Carrionis, natus annos triginta,
B coloris ruffi, qui tunc ex Neapoli per Anconam, Bruias nobilem apud Flandros civitatē, patriā suā se recipiebat.

Curatio 6. de sāguinis rejectatione, per intervalla, simulq. de fonticulo in brachio adaperto.

IOHANNES Baptista Vccelinus, juvenis Florentinus, optimis litteris, & moribus apprimè imbutus, tempe-
C ratura atrabiliarius, gracilis, collum oblongum habens, pectus admodum strictum, capitis destillatione, subjectas corporis partes offendente, laborare solebat. Qui subinde per intervalla, sanguinem per os rejectabat, absque tamē tussi, & anxietudine aliqua, paucum: aliquando satis floridum, & vividum. Cæterùm, quum optimo victus ordine uteretur, & varia medicamenta, & remedia experiretur, & nihil commodi
D consequeretur, languescebat: & contra artem medicam, & eius ministros irascebatur. Petiit igitur, quum morbus ex iis sit, qui inducias præbeat, & temporis intercapedinem ponat, nec sævitiem, aut periculum aliquod secum afferat: ex latè patente, tamque divina arte remedium decerpamus: quo liber immunisq. ab hac sanguinis rejectione evadat. Ego verò, ut qui sciam artem medicā universam perfici, uno ex

ex tribus instrumento, suadente id sæpè Galeno, & Avicenna, eius interprete: nempe diæta, hoc est, victus ratione: medicamento, id est, remediorum potu, & assumptione, & opera manuali, Græcis chyrurgia dicta: vides utiq. nec diæta, nec pharmacis juvenem hucusque juvatum, ad opus manuale, tan quam certum, & à me, & cæteris hodiernis doctis Medicis, pro comperto remedio habitum, confugi. Id autem est, fonticulus paratus in brachio, trib. vel quatuor digitis ab humero, inter illos musculos, qui in molles carnes habentibus, solo vesicatorio admoto ex cantaridibus pauculo cum fermento, & aceto parato, excitatur. Vesicula enim ex eo levata forficibus scinditur, & ciceris granum superimponitur, & & stricta fascia superligatur: ita ut carnem penetret, & fonticulus adapertus maneat, sed ciceris posteà loco, pilula ceræ viridis, vel communis, introduci poterit, ægrotantis arbitrio. In ijs verò qui duras carnes habent, candente ferramento foramen excitatur. Sed in juvene hoc vesicatorio fonticulus excitatus est, ex quo tantum juvamenti consequutus est, quantum ipse votis cupiebat: bis tamen in die, manè & serò, fonticulum illum apertum curabat, & à sorditie abstergebat, novo semper mutato cicere. BRAND. Hoc unum jampridem à te ô patrue amãtissimè, scire vehementissimè desideravi, an prisci fonticulos hos, & ijs similes, gravibus in morbis, rebellibus, & diuturnis admittere in corpore cõsueverint? AMAT. Extant nepos charissimè (ut paucis tibi respondeam) omnes ferè libri Medicorum priscorum, tam Græcorum, quàm Latinorum, qui testantur, quum gravis se offerret morbus, illicò ad cauteria, & excitata ulcera, authores cõfugisse: ex Græcis Hippocrates est, Medicorum omnium primus parens: dein Galenus eius maximus ampliator, & syncerioris medicinæ uberrimus fons. Tertius ante eum ætate, magnus rerum investigator, & singularis doctrinæ author Dioscori-

E des est, cuius præclarã in Hippocratẽ Commentaria, sua lingua conscripta, nunc Constantinopoli haberi, à fide digno homine accepimus, quæ nos omni diligentia, pro salute juvanda humana, & arte ipsa medica amplianda, habenda brevi curabimus. Cæterũ hos sequuti sunt posteà viri doctissimi, & eruditione multijuga ornati, Aretæus siccam, nec adeò succulentam doctrinam præ se ferens. Paulus Ægineta, doctissimus vir, & qui Galenum in cõpendium redegit, ut Galeni simia dici rectè mereatur. Ætius diligentissimus medic⁹, & qui ex multis & doctissimis libris, sermones in medicina sexdecim, universam complectentes medicinam, compilavit. Alexãder Trallianus, cognomento Medicus dictus, &

F meritò, ut qui suo judicio multa arti medicæ adjunxerit, nec sic facilè omnes ante se imitetur, sed Galenũ quandoque, recto cum judicio, vellicet: & ab eius dicteriis meritò discedat. Hic, ut artem medicam rectè teneret, magnã orbis partem peragravit, ut ex Græcia non modò in Italiam, sed in Galliam, & Hispaniam, & in Africam pervenerit: ut ex suis dictis elicitur. Magnus Oribasius, cuius ex tam multis & vastis operibus, parvum volumen hodie

G tantùm habetur. Hi, & multi alij, quũ in morbos graviores, & contumaces, ac curatu difficiles, ægrotos incidisse viderent, quos nec victus ratio, nec medicamenta ulla juvarent: illico ad imprimenda cauteria in capite, in scapulis, in brachiis, in spina dorsi, in cruribus, prout morbus postulabat, unum, duo, tria, plura & varia pro morbi genere, & ægroti tolerantia, cõfugiebãt, & ulcera incitabant. Hippocrates sic,

H post diætam multam, & medicamenta varia adhibita, ac lac narium propinatũ, ad cauteria se divertit, ut apud ipsum legere potes (ut cæteros suos libros taceam) libro secundo de Morbis: ubi præcipuè à capite morbos exortos, prosequitur, quo in loco crustas octo, ex ustione fieri jubet, duas circa aures, duas in occipitio, hinc atque

hinc

hinc ad cervicis nervum, duas in naso, ad oculorum magnos angulos, sed latiùs libro de Internis affectionibus. Qui sanè liber, totus ustionibus, & sectionibus scatet, sæpè autem pectus, & dorsum in eo Hippocrates urit: & supra usturam statim porrum multum, tritum imponere, per diemque permanere jubet. Nos verò hodie butyrũ per se, aut malvæ & ovi vitello mistũ superponimus, aut ex iis cõpositũ, pauco oleo rosaceo exceptũ. Sed in eo morbo, ubi medulla spinalis siccatur, præcipuè à Venere, varia cauteria affigi jubet, veluti quum renum morbos B curat: videlicet ad scapulã, ad acetabulũ coxæ, ad nares, ad medium femur, ad genu, ad malleolum, hac cõditione, ut si carnosa fuerint loca, ferro utãtur: si verò ossea, & nervosa, ignitis fungis. Tu verò hodie dicas, aut causticis medicinis, ut oleo vitreoleo, id est, ex vitriolo, cõposito, vel oleo ex Mercurio, vel ex Antimonio, cõcinnatis, & chimica arte extractis, aut caustico medicamine, ex viva calce, & prima saponis aqua, cõflato, quod ornatæ officinæ pharmacopoliæ paratũ, & promptum C semper habent: ut varia alia silẽtio prętereã, quib. opus hoc confici potest, sed ex cantaridib. vesicatoriũ, adjecto aceto acertimo, & pauculo euphorbio, cũ fermento paratur, satis bonũ, & medicis vulgare. Sic autẽ, eodẽ libro citato Hippocrates, & splenem, & varia alia membra, quum opus est, urit: ut libris Epidemiorum, & sexto aphorismorũ, & libro de Articulis, quem secutus Galenus idem facit: ut ex eo elici potest, prædictis cõmentariis supra Hippocratem: præcipuè lib. sexto de Morbis vulgarib. & sexto libro aphorismorum, aphorismo sexagesimo, & libro de articulis, & libris de locis affectis, ubi propè genu crus, & brachium ad humerũ inurere jubet. Quod Hippocrates, & Gal. idem faciunt cæteri Græci medici à nobis citati, ex quib. unus præ cæteris Paulus Ægineta medicus cordatissimus, & sapientissimus lib. sexto suę medicinæ consulendus venit. Veluti & A cæteri Romani medici, ut C. Celsus magnus Hippocratis imitator, in universo suo opere medico, præcipuè lib. tertio, cap. 23. in quo de morbi comitialis curationib. agit: & libro quarto, capite secundo, ubi capitis morborum curationes persequitur, & cap. 22. eiusdem lib. quarti, quo docet ulcera à cauterio contracta diu aperta tenenda esse, quousq. morbus conquiescat. Missos facio cæteros huius viri libros, in quibus id in primis agit, & magno ægrotantium juvamento exercet. Idẽ agendum suadet author libri, cui titulus est Trotula, antiquis Romanis medicis adnumeratus. Idẽ Marcellus vir pręclarus, idem Scribonius Largus, vir antiquissimus: idem Plinius Secundus libris suis de re medica quinq. idem Celius Aurelianus Siccensis medicus doctissimus & absolutissim⁹ in quinq. de Morbis cronicis libris: idem Theodorus Priscianus, scribens ad Timotheũ, ad Victoriam, & ad Eusebium: idem, & Mauritaniæ factionis authores præcipui: Avicenna quarta fen lib. primi, & prima fen lib. 3. capi. de Apoplexia: idem Razes, & Alzaravius. Sed ex iis, & eorum sectatorib. nemo est (ut ego arbitror) qui doctius, clarius, aut cordatius uno Albucasi, rem hanc tractaverit, in eo præcipuè tractatu, qui chirurgiæ Petri ab Argillata, adjectus est, & ab hinc vigintiquinq. annos, variis chirurgicis instrumẽtis pictis, Venetiis fuit excusus. BRAND. Optimo cõsilio hæc à te ô Amate dicta sunt, ut ea cùm mihi dabitur investigandi occasio apud præclaros hos authores percurrere possim, sed cùm ad opus devenerim, ut operari sciã, dicas (rogo) quibus nã locis sapientes hodie medici in D cõtumacib. defluxionibus, & antiquis catarrhis cauteriũ admoveant. AMATVS. Hoc differenter, pro varia destillationis ratione, medici agunt, & (ut rem teneas) audi, in juvene hoc, de quo agimus, ut qui destillatione antiqua laboret, fonticulum in brachii dextri parte sylvestri, quatuor digitos ab humero inter musculos aperire

rire iussi:& ita semper, vel maiori ex parte, quum in brachio candente ferramento, vel caustico medicamento ulcus excitare decreveris, eò in loco fieri debet, ut etiam superioribus diebus factum esse vidisti, Sallustio Barquesio viro nobili, & Coronelio Anconæ, cui ob defluxum à capite in pectus, & subjectas corporis partes, duo cauteria ambobus brachiis inflicta sunt, singulum pro parte. Qui sæpè voce privabatur, & corporis functionibus destituebatur, nihil proficientibus medicamentis variis, & potu aquarum è thermis, tandē hodie fonticulorum horum beneficio, ita rectè valet, ut nunquàm melius: aliquando vèrò ad nucam, quandoq. ad scapulam, sed in cruribus sæpè quoq. fonticuli ii aperiuntur, sed præsertim in articulorum doloribus. BRAND. Qua igitur parte in cruribus parandi fonticuli ii sunt? AMAT. Non secus ac in brachiis, quatuor digitos à genu, sylvestri in parte, inter musculos, ad hos nanque fonticulos, humores soliti in pectus fluere per coxas, & subjectas corporis partes trahuntur, & per eosdem purgantur: unde superiores corporis partes mundæ, & liberæ evadūt. In uteri tamen vitiis, & affectionibus, interna potiùs cruris pars aperienda est, ut infrà dicetur. Cœterùm, cùm quatuor digitos dico, intelligas velim, plus minus pro corporis ratione, vel ipsius ægrotantis mensura. BRAND. Beasti me ô Amate, ut qui hæc ita clarè docueris, ut jam deinceps non sit futurus medicus, qui ante oculos ea habiturus non sit: imo iis & similibus tandiu à te edoctus ego, non verebor publicè Londini, aut Bristolii, apud Anglos, aut Olysipponi apud Lusitanos, & Sanctere me mea patria, artem medicam exercere, sed unū (ut ego reor) prætermisisti Patrue dulcissime, & est, an in commissura coronali dicta, cauterium ignitum affigendum sit, præcipuè in desperato catarrho, ut omnes hodierni factitāt medici. AMATVS. Id consultò prætermieram, ut qui Secunda Centuria harum curationum quæ-

E situm absolveram, & pro summa dixeram, in catarrho calido, à candentibus ferramentis, & causticis medicinis abstinendum esse: ut Alexander Trallianus, magno judicio, contra Galenum cōtestatur. Quia humores magis igniti, fluxibiliores evadunt, & consequens maius nocumentum inferunt: nec est, quod cauterii juvamenta adducas: quādo ea in humore calido nullius sint momenti, secus autem in frigido. Nā cùm catarrhus à frigido humore pendeat, tunc commissuræ, sive suturæ coronali, cauterium inditum, summum F est juvamentum. Hæc autem obiter sint dicta, de cauteriis, & ustionibus, dicturus tibi multò plura, cùm occasio se obtulerit: præcipuè in coxendicum dolore, inurenda coxa quum varient Authores. BRAND. Eò mihi gratius erit, quia cùm de hac re dissserueris, illud Galeni, contra quosdam medicos, ex commentario secundo in librum sextum de morbis vulgaribus mihi interpretaberis, quod à te pridē audivi, & mihi mente excidit. AMAT. O, te-G neo id, quod cupis: est enim locus apud enarrationem nonam prędicti cōmentarii, quæ huic nostro colloquio multum favere videtur: in ea nanq. Gal. unum proponit, quod quidam cùm in coxendicum dolore, coxa inustus esset, illicò dolore liber evasit: quæritur tandem quid in causa fuerit, quod dolor coxendicus levatus ita brevi post inustionē illam fuerit? cui quæsito respondent nōnulli, quòd huius rei causa fuerit dolor cōsequēs inustionē, quod falsum esse Gale. tradit. Et eos, tanquam in arte medica, & philosophia, parum H exercitos detestatur, quū dolentib. nullum dolor præsidiū afferat: adferunt autem auxilium anodyna remedia, hoc est, dolorem levantia, affectū tollendo, per quæ, multæ dolentes partes sanantur. Non igitur ob dolorē dolor coxendicus sedatus fuit, quia dolor exasperat, & magis contristat: ob inustionem igitur adhibitam, quam consequitur membri roboratio, & humoris difflatio, & expulsio, & malæ qualitatis im-

pressæ

pressæ extirpatio prædictus sublevatus fuit dolor, non veró ob dolorem, inustionem sequentem. Hæc enim tibi, satis ad præsens fore duxi: dicturus multò plura, cùm casus varii se nobis obtulerint.



Curatio 7. in qua agitur, de lumbricis cum febre.

FILIA Trapezitæ, qui ex Pisauro Anconam venerat, puella nata annos quatuor, obesula, & boni habitus: febri continua affligi cœpit. Qua, & per intervalla, tremore quodam, universum corpus corripiente, cruciabatur, quo inter dormiendum quoque vexabatur, & eò sæpè expergefiebat. Adhæc, manus ad os, & nares sæpè admovebat: imo os ipsum sæpè aperiebat: per quod halitum, vermes præ se ferētem, expirabat, ut nunc puellam hanc vermibus laborare cum ingenti illa febri, mihi certū esset, & eò magis, quia ante paucos dies, eorum nōnullos egesserat. Puellam igitur hanc sic afflictam considerans vesperi, quo tempore stomachus jejunus ferè erat, sic illicò remedia illi paro. Et primò per os electuarium ex Rhabarbaro concinnatū, quod officinis paratum prostat, illi ebibendum tradidi, cuius descriptionem infra habes, & clysterem ex lacte injici curavi. Sic enim medicamentum habet, ex rhabarbaro compositum. Reci. Rhabarbari, Agarici, ana unciam mediam, spicæ celticæ grana octo, salis gēmæ, drachm, unam, sacchari albi, librā unam, aqua graminis sufficiēti omnia excipiantur, & fiat electuarium: cuius docis ad unciam integram sit: re vera tamen sequens medicamentum hoc, interjectis nonnullis diebus, illi propinavimus. R. Electuarii de Rhabarbaro unciam mediam, diasebesten leniētis, drachmas duas. Seminis sancti scrupulū unum, cū aquæ portulacæ unciis tribus: misce, fiat haustus unus, à cuius potu, illicò ex lacte clysterium injectū fuit. Recip. Lactis caprini, uncias decem, sacchari rubei unciam unam, vitellum ovi unum: misce, fiat clysteriū. Porrò, medicamentum epotū, post horam evomuit, & parum egessit, ut nullum emisisse vermem, nec integrum, nec comminutum (ut sæpè fieri solet) crederetur. Tunc victus, panis affusus jure pulli portulaca incocti, illi erat, cui aromatum vice, pulvisculus coralii præparati, scordii, & dictami Cretensis erat: potus verò, aqua Coriandro incocta, pauco vino granatorum mista, sequenti nocte puella melius non habuit. Itaque parentes maximo dolore afficiebantur: in aurora verò clysterem parare jubeo, ex decocto coriādri herbæ, portulacæ, graminis & acetosę, adiecta semiunciahieræ picræ, & oleo violaceo & rosaceo, singulorum uncia una, quo multa & varia egessit: tunc verò aliquantulum quievit. Cæterùm, quum per vetulam quandam ceratum supra cor, huic admotum esset, ex aloe, myrrha, & aliis huiusmodi compositū: ecce autem fortè fortuna, caliditate, & attractione, febris intensè aucta est: unde puella angi cœpit, & aliquantulum delirare. Tunc ad eam vesperi ingressus, eodē modo eam afflictam, & eius parentes non mediocriter turbatos reperio: qui tunc post varia ultrò citroq. dicta, ceratum supra cor applicitum illi esse, id quod anteà occultaverāt, mihi significarunt: quo percepto, & deposito cerato, epithema (ut errorem à vetula cōmissum sarcirem) supra ipsum cor poni jussi, quod habet. Rec. Aquæ acetosæ, rosarū, portulacæ ana uncias tres, aceti rosacei, unciam unam, & alterius mediam, croci, grana vj. specierum diamargaritonis frigidi, drachmā unam, vini odoriferi optimi, unciam unam, coriandrorum præparatorum subtiliter pistorum drach. unā. Misce, fiat epithema, & cordis regioni applicetur, & sæpè innovetur. Itē, ori ventriculi remedium hoc applicitū fuit. Re. portulacæ pugillum unum, & aceto acerrimo incoque & sic tabefactā herbā ori ventriculi admove, iis enim remediis

mediis febris imminui cœpit, & puella melius habere: tunc victos & potus, dicto modo erant. Revera tamen universam hanc curationem clausit bolus armeniæ verus, quem (ut verum fatear) nunquam antea videram, & is est, quem tantopere Galenus libro nono de Faculta. simpl. med. ad varia morborum genera laudat: est autem terra hæc, meritò lapis cognominandus. Quum gleba terræ sit, gravis, coloris pallidi, saporis butyrosi, nihil arenæ referentis, odoris non injucundi, quam si in aquam infuderis, illicò ut calcem liquefieri videas, hujus igitur scruptulum unum, vel alterum in aqua acetosa, vel condito ex acetositate citri, puellæ dabamus, qua ex toto sanata est. Cæterùm, hanc sive terram, sive lapidem, sive lutum, sive bolum armeniæ appellaverimus, Galeni modo nihil interest, quæ dubio procul, vera & germana est: & qua olim Galenus uti solebat, præcipuè in lue pestilenti illa immani & læva. Contra quam hodie Venetiis scentillantem, utinam medici Veneti ea utantur, & in praxim trahant.

Curatio 8. de talpa sive talparia, hoc est, tuberculo cum cranei corruptione, quod ad melliceridas, vel atheromata, vel steatomata reduci jubet.

FILIVS Romerii chirurgici, qui postea è carceris fenestra se præcipitavit, & miserrimè obiit, annos natus octo, gracilis, nec adeò bonæ temperaturæ, nulla interveniente extrinseca causa, per aurem absque dolore, anxitudine, aut febre aliqua, saniem multam emittebat. Cæterùm, annum posthuic in capitis laterali parte, tuberculum doloris expers, in manu præmeretur, apparuit: succedente verò tempore, puer febri correptus fuit: quem

E cum pater infelix sic afflictum videret, eius tuberculum capitis aperire, multis convocatis chirurgicis & medicis, decrevit. Quo tandem aperto tuberculo, cranei magna pars corrosa, perforatave conspecta est. Sed vice cranei exempti, sanies quædam carnis modo concreta, nata erat, quæ supra duram meningem sedem habebat: tertio verò die, ab hoc opere, quum chirurgus scalpro rasorio corrosas cranei partes adæquare tentaret, & nonnihil prædictæ concretæ saniei extraheret: ecce post peractam operarionem, & puerum fasciatum, illico puer convulsione & tremore correptus fuit: ut illico eum moriturum putaremus. Sed

F inde utcunque roborato capite, ex optimis herbis parato emplastro, fota quoque nuca oleo costino, & similibus, evasit. Sed tunc puer nihil gustabat, imò omnia fastidiebat, tandem sequenti die, eadem hora, simili adventante paroxýsmo, diem suum obiit. Quo die, in eadem domo puella quoq. phthisi consumpta, mortua est.

SCHOLIA.

G *QVI practicas ex recentioribus scripserunt, medici, tumores in capite vario modo appellant: videlicet, testudines, cartes, rimas, & talpas, vel talparias, aut topinarias: quæ genera abscessuum, dubio procul, ad ea, quæ Græci atheromata, steatomata, & melliceridas appellant, referri debent, pro contenti ratione, de quibus Galenus 14 Methodi medendi tradit, & alibi sæpè, veluti & nos, qui eum pro viribus maximè imitari cupimus, his in Centurijs, fusè enarravimus. Dicitur tamen tumor hic, de quo agimus, talpa bene adaptato vocabulo, ab animalculo talpa muri simillimo, sed visu carente: quod terram fodiendo, sub qua vitam degit, eam in*

H *monticulos, & eminentias levat. Hunc ferè morbum Hippocrates describit libro secundo de Morbis popularibus, capitulo tertio, quem non lethalem esse tradit, & re vera, maiori ex parte ægrotantes ex hoc evadunt morbo: obijt tamen puer hic, de quo agimus, quia excedens materia non solùm craneum corrosit, sed duram meningem imò subtilem, & ipsam cerebri substantiam malè affecerat.*

Curatio

A

Curatio nona de verrucis in balano à coitu contractis, qui morbus Græcis Thymus fortaßis dicetur.

ASCANIVS Bronchonius nobilis Senensis juvenis vigintiquinq. annos natus, post habitum cum muliere coitum, verrucas in balano cõtraxit: cæteris sui corporis partibus rectè valentibus. Cæterùm hic, quum ex membro virili fœdationem hanc depellere conaretur, ne fortè eius contagio reliquæ corporis partes fœdarentur, chyrurgos & medicos accersivit, qui post corpus sæpè expurgatum, & guayaci ligni decoctũ ad multos dies ebibitum, & varia adplicita topica remedia, meliùs non habuit, quum verrucæ semper fixæ manserint, si quandoque tamen remediorum vi delitescebat, brevi posteà repullulabant, ut ad quatuor menses morbus hic, sic progrederetur. Ad eum igitur ipse novissimè accitus, post propinata catapotia à nitro dicta, quibus alvus optimè respondit, verrucas hoc remedio brevi extirpavi, quod diligentissimè chirurgus nostris mandatis apponebat: habet autem remedium sic. Recip. Aquã argentariorum, quam fortem vulgò appellant, ampulla excipe, in quam frustula aliquot chartæ dentibus contractæ, & exactè masticatæ, ad minus per horas duas macera: dein verò unicuiq. verrucæ unãquamq. dictæ chartæ portiunculam adapta, pro loci, & magnitudinis ratione: butyri tamen recentis parum, aut unguenti albi portiunculam, lineo panno exceptã, superpone: ipsis enim eradicatis, earum vestigia, ac derelicta ulcera, ex plumbeo unguento ad cicatricem reducta sunt: ijs enim tãtũ, intra paucos dies, hic ab hac fœdatione sanatus est. Qui posteà (ut audio) misere in bello Senensi interemptus est, magno parentum, & amicorum suorum dolore.

Curatio decima, de carneis excrescentijs, & ragadijs quibusdam, intra anum ad primum intestinorum, adnatis.

FABRITIVS de Medicis illustris familię, apud Florentinos, iuvenis, unum de viginti natus annum, post habitum morbum gallicum, à quo curatus fuerat: intra anum carunculas, & B ragades, rectum intestinum occupantes, ab eodem morbo derelictas, & contractas patiebatur, adeò sævas, & malignas, ut quũ egerere vellet in ingẽtem inde incurreret dolorem, anxitudinem, & animi deliquium. Quo factũ est, ut sæpè non nisi singulis sex vel octo dieb. egereret: ita enim hoc cruciabatur morbo, ut post cõsultos Florentiæ, & Senarum medicos, Romam venerit, ut illic quoque à doctis curaretur medicis. Quorum opera (ut paucis dicamus) nullum nobilis hic juvenis juvamentum consecutus fuit, sed in C dies peius habebat: adeò ut Anconam se receperit, ut saluti consuleret suæ, eique provideret, ad quem vocat[9] ipse, morbum considero talẽ, qualem à me descriptum percepistis. Sunt namque intra podicem carunculæ, ficos referẽtes (novistis autẽ locũ hunc propitium ficis esse, veluti & caput, non sunt tamen fici carunculæ hæ) quæ primum intestinum infestabant, variis cum ragadibus: ob quas, quum egerebat, mulD tùm dolebat. Causam porrò hui[9] morbi referre, non puto operæpretium: pulcherrimus autem hic juvenis erat, qui & morbo gallico infectus jam fuerat: quantùm verò, ad curationem audi. Hic optima victus ratione, & subtili constituta, post eius corpus rectè præparatum, & purgatum, decoctum rubi viticosi ad triginta dies ebibit: ita enim sarzam parrillam vocitandam meo in Dioscoride, primò sancivi, quũ ex directo sarza parrilha, Romanis, rub.

viticosus dici debeat, quæ (ut hodie compertum habeo) apud Dioscoridē smilax aspera appellatur, ubique planta obvia, in dumetis spina sua sæviens, cuius radices rotundas, sed oblongas à Dioscoride prætermissas, sarmentis æquales hodie eradicamus, in totum similes iis, quę ex Peru afferri solent: & Romæ, & Venetiis publicè venales habentur. Proinde, quum radices hæ jam hodie recentes ubique haberi possunt, non est, quòd ab India, & terra nova, eas ampliùs petamus. Gaudeant igitur Gallicana scabie infecti, quum tam præstans antidotum pro ea domanda, tam paucis nummis paratum habeāt. Receptui igitur canentes, post epotum huius smilacis asperæ decoctum ad triginta dies, quo semper juvenis hic optimè sudabat, rectè valere videbatur. Sed interim hæc machinabamur speculo instrumento ferreo, quod matrici adaptabatur: unde speculum matricis nomen adeptum est, Latiniores spicillum oricularium dicunt, podex aperiebatur, & carunculæ rubricantes, & nigricantes, aqua forti argentariorum, aut oleo ex vitriolo, aut Mercurio, aut ex Antimonio, inurebantur, quæ facilè cadebant: ac postea balanum ex pinguedine porcina filo adligatum intromittebatur. Quod per diem integrum, ni egerendi necessitas impediret, retinebat: & toties repetebat balanum, quoties aqua illa, aut oleo inurebātur carunculæ. Cæterùm, apprimè extirpatis carunculis, Syphone hæc impellebatur aluminosa aqua, quæ habet. Recipe plantaginis, centumnodię herbæ, hippuris, rosarum rubearum, balaustiorum, citrinorum ana pugillum unum, radicis symphyti, Aristolochiæ rotundæ ana unciam unam, aluminis rochæ uncias duas in libris quinque aquæ, fiat decoctio secundum artis ministerium, ad medias, & coletur, ac syphone impellatur: & (ut dixi) ulcera irrigentur. Posteà verò balanis concinnatis ex medicinis propitijs nunc, nūc, dicēdis, ulcera fovebantur: habent autē balani sive glandes sic. Recip. sarcocol-

E læ, myrrhæ, aloes, thuris, boli armenię, pallidi & veri, pulveris radicis aristolochiæ rotundæ, ana partes æquales, & decocto rubi viticosi omnia excipiantur, & formentur glandes crassitudinis, & longitudinis longioris digiti, medii dicti, quibus filum adaptabatur, extra prominens: aliquàndo tamen ex gosapio glandes filo prætensæ parabātur, quas ex unguento plumbeo illini jubebamus. BRAND. maximo judicio glandes hæ, pro hoc curando morbo excogitatæ, abs te sunt ô Amate, ut quibus intromissis, vires suas medicamenta super ulcera imprimere valeant diu. AMAT. Solis injectionib.

F & infusis, Florentiæ medici, & Romæ, pro hoc curando juvene, præcisis primò carunculis, utebantur; quibus scopum nunquam attigerunt. Nos autem decocto hujus rubi viticosi, dictæ smilacis asperæ, ad triginta dies ebibito, & sæpè repurgato huius juvenis corpore, subtili admodum victus ratione habita; & ijs paucis citatis remediis, & nonnullis similibus: cum (ut nosti, & manibus tractasti) intra sexaginta dies pristinæ sanitati restituimus, nec postea unquam repullulavit morbus.

G

Curatio II. *de febre interficiente gravibus, & perniciosis symptomatis.*

DAVID Donius, vir probus, temperatura sanguineus, renes calidos habens, veluti & jecur, obesus, faciem satis rubicundam præ se ferens ætatis suæ anno quinquagesimo secun-

H do, febribus laborare cœpit. Qui cùm per medicum tractatus esset, ad octavū diem, optimè habere dixit. At medicus multò plura machinari volēs, quā aut morbo, aut ægrotanti conveniret, nono die, illi valdè potens purgans pharmacum obtulit: quo multa egessit, & brevi malè habere cœpit: delirabat, intensè, & continuò febriebat, & sudore

ſudore frigido eius universum corpus irrigabatur (ut eo die ad eum vocatus exactè deprehendi, & ut ab aſsiſtentibus & familiaribus accepi) non multùm à ratione diſtrahebatur: quia circa res, de quibus non diu antea tractaverat eius erat ſermo. Huic lotiū craſſum, turbidum, & ſubalbidum erat: quo & pulſus utcunque conſtabant, & ad oblata benè rectèq. habebat. Cæterū, quum hic poſt nimiam humorum excretionem, malè habere viſus eſſet, ad ea remedia, quæ conveniunt vitijs, & ſymptomatis, à medicamento poſt purgationem derelictis, confugere viſum eſt, pro ut medici actitant, & Ioannes Meſue vir doctiſsimus, omnibus ſuis numeris abſolvit, quarto theoremate libri ſui primi. Erant autem ea remedia, (ut paucis dicam) hirudines venis hæmorrhoidalibus applicitæ: cucurbitulę ſcapulis admotæ, epithema univerſum pectus refrigerans, & aliud quoq. renes reſpiciens: ad hæc, clyſteres alterantes, & corpus ad frigidum trahētes: oxirhodinum capiti admotum, & ſimilia. Sed victus quoque huic, contuſum ex pulli carnibus erat, duabus ptiſanæ rectè paratæ adiectis portiunculis: cui ſæpè ſyrupū de papavere miſcebamus: aliquando verò eiuſdem papaveris albi ſemen, pondere drachmæ unius. At, poſt ebibitum contuſum, ita (ut dixi) ptiſanæ miſsū, iure optimo pulli offas imbutas comedebat, & tūc aquam hordeaceam iulepo, & vino granatorum acetoſorum miſtam ſuperbibebat. Porrò, phrenitis in dies perſeverabat: qua de re, abraſis capillis, embrocha, ſive irrigatione caput eius præcipuè anterior pars, ſincipute dicto, ex alto irrigabatur: ut optimè agendum ſuadet Galenus libro tertiodecimo Methodi medendi, capite 22. Et poſteà ex unguētō populeo caput inungebatur, & quando que ad pileum, ex ranis cōſitum vivis, devenimus: qui univerſum caput prehendebat, veluti ad pullos diſſectos innato ſuo calore calentes: quibus ſic diſſectis, hyoſciami ſuccus affundebatur. Sed vice pullorum gallinaceorum, vel

A columborum, animalium pulmones calidi, prædicto fomento imbuti, apponebantur. Quæ omnia remedia nihil profecerunt: quinimò in deterius vires labebātur, & morbus prævalebat: adeò ut præſagio habito, hic quartodecimo die obierit.

SCHOLIA.

IN dubium verti poſſet, num ęgrotus hic ob violentum & acre propinatum pharmacū, diem ſuum obierit? demùm (ut coniecturis aſſequi poſſumus) cùm Galeno dicemus libro de
B *conſt. artis medicæ, ut humor intus latitans, & fortè principem partem offendens, repentè ab ea ad membrum ignobile defluere poterit, & tunc æger pro deplorato habitus rectè validèque habebit: ita contrariò evenire ſæpe ut humor partem ignobilem obſidens, repentè ad principem ruat: unde repentina & non cogitata mors ſubſequitur: ut huic Hebræo eveniſſe credendum eſt. Quo factum eſt: ut ab Hippocrate rectè dictum ſit. Acutorum morborum non omnino certa eſſe præſagia ad ſalutem, vel ad mortem: fuit tamen pharmacum obitus ex parte cauſa, cùm humores ad motum concitaverit, vireſque deiecerit, & eas ad proſtrationem traxerit. Caveant igitur Medici de*
C *dandis potentibus & magnis purgationibus, febribus in continuis, malignitatem præcipuè præ ſe ferentibus, quoniam ut ex Galeno audiſtis lib. 2. aphor. enarr. 22. Evacuatio nimia morbum parit: unde Avicenna eius interpres fen. 4. primi libri, capite 3. rectè ait. Evacuatio ſuperflua, ſecundum plurimum febres gignit, & ob hoc inibi inquit, reſiduum materiæ dimittere, quod etiam neceſſum erat evacuare, minus noxium eſſe, quàm confertim evacuare. Quæ omnia Hipp. duobus verbis antè docuit: quum dicat, evacuationes quæ ad extremum deducunt, periculoſæ: rationes verò, hæc omnia roborantes, ut lectori notas, prętermitto.*

D

Curatio 12. De Abortu, & ſymptomatis poſtea exortis.

VXor Moiſis Iobij, mulier ſanguinea, annos nata quinque ſupra viginti, quum uterum ferret, unius menſis fœtum, vel verius cyema, id eſt, conceptum, abortivit. Ab abortu nihil ex ea

ea sanguinis effluxit, sed validè habebat, rei tamen eventum timebat: quia intus alterum fœtum habere, obstetrices in dubium vertebant. Ego verò parum sanguinis ex pedis vena extrahi oportere contendebam. Cæterum, quũ mulier optimè rectèque haberet, absq. opera aliqua transegimus. Elapsis verò triginta diebus, ecce mulier hæc circa ilia dolere cœpit, absque febre tamen: pro quo removendo dolore, sanguinis emissione, ex vena pedis usi sumus, & fometis debitis, quibus optime habuit. Cæterum, tertio die post dolorem, ad pectus circa mammam intèsius doluit: ad hæc, tussiebat, continuò febriebat, & difficulter respirabat, ac capitis anteriorem partem dolebat. At tunc, ut pleuritide affecta, tractata, curataque est, & sanitatem obtinuit: perduravit autem morbus ad viginti quinq. dies.

SCHOLIA.

IN sedando quovis dolore, dignum quæsitu proponitur: an primò uti debeamus fomentis & medicamentis anodynis, hoc est, dolorem sedantibus, & postea sanguinis missione, vel potius contrario regulata cura, & vera incedendo methodo, ubi & sanguinis missio, & fomentorum usus; tutò admitti possunt. Huius nanque dubij author Avicenna præcipuus est, ut qui fen. 4. libri primi sui Canonis, cap. 3. dicat. Ceterùm, cùm ad locum remotum materiam revellere intendit, mitiga prius dolorem loci affecti: sic enim minor fiet tractionis violentia, cum dolor ipse trahat. Quæ verba, primo capite eiusdem partis idem Avicenna memoriæ commendaverat, dicens. At cùm ad contrarium locum revellere desideras, primò quidem dolorem illius particulæ, à qua retrahitur, mitiga, & cetera. Et inferius, subdens repetit, ubi morbus coniunctus fuerit dolori, aut causæ doloris, vel inferenti dolorem, ut est vulnus vel casus, tunc à mitigãtibus dolorem inchoandum est. Hæc Avicenna ex Hippocrate desumpsit, libro secundo de Ratione victus in morbis acutis, ubi priusquam in pleuritide sanguinem mittat, enixè varijs fomentis dolorem sedare conatur, præcipuè anodynis, hoc est, verè dolorem sedantibus medicinis. Quæ temperata esse solent, vel saltem primum caliditatis non excedunt gradum, & cutim ipsam ad perspirationes rariorem effic[illegible], humoremque inflatum dissolvunt: ut sacculus ex milio semiplenus, vel ex furfure & sale: aut ex semine lini crudo compositus: aut vesica semiplena decocti camemillę, seminis lini, malvæ, radicum malvavisci, anethi, & similium, adiectis adipibus ut gallinaceo, anserino, vel oleis camemillino, sesamino, anethino, rosaceo completo, & de semine lini. Vel horum vice, unguentis lenientibus, & dolorem mitigantibus utimur, quia doloris locus tensione affectus quum sit, oblinitus laxatur. Sed hęc ultima foris applicita fortè respondent illis, quæ sua mistura humorum acrimoniam temperant: unde Galenus Commentario sexto in librum sextum de morbis vulgaribus. Enarratione quinta, inquit. Frequentissimus est apud Medicos fomentorum membris dolentibus usus: nam & contenta laxat, repleta evacuat, refrigerata calefacit. Refrigeratione autem rarius ad partium dolores tollendos utimur: utpote, quę exteriorem superficiem condenset, & proinde difflationes impediat, intentaque tensiora reddat, & cętera. Nos igitur fomentis anodynis prædictis vaporem exitum non habentem discutientibus, primo occursu pro sedandis doloribus utimur: item quia humorem ita sæpe inflatũ dissolvunt, ut opus compleant, nec sanguinis missione, aut alio remediorum genere uti opus sit, ut verè remedium hoc non solum tentans (ut neoterici putant) sit dicendum, sed magis curans. Sed id quoties molimur, regulata methodo, & non violenta operamur: quoniam aliquando ita urget dolor, ut ad narcotica impropriè anodyna appellata, affectu pro tunc neglecto, recurrere cogamur: vel aversionibus & evacuationibus ante eius admotionem utamur: ut inferius latius docebo. Cęterum, fomentis acribus, & potentibus, dissolvendique potentiam habentibus, opus hoc non aggrediemur: quoniam, ut Galenus indicat, & experientia ipsa rerum magistra attestatur: ad se multùm trahunt: quo fit, post exercitas ac celebratas universales evacuationes, ipsis uti debemus, ut ex libro tertiodecimo Methodi medendi, capite 22. docemur. Porrò internis in doloribus secus est, ut colicis affectionibus, pro quibus domandis, præcipuè si à frigido evenerunt, Galenus acribus & potentibus illicò utitur, ut oleo in quo incocta sunt semina apij, petroselini, cymini, etiam æthiopici dicti, fœniculi, sisonis, amsi, libistici, seselis, dauci, & spondilij, quibus & rutam addit, & lauri baccas, & fœniculum, veluti bitumen & oleum laurinum, & alia huiuscemodi: ut iam videas mutari curationis materiam pro differentia locorum affectorum, ut peramplè docet Galenus libro 2. ad Glauconem.

Porrò.

Porrò, si anodynorum applicatione dolor non delituit, sed potius magis increbuit: tunc ad sanguinis missionem, si modò casus efflagitat, veniendum duximus: quia defluxus maior & copiosior ad locum doloris est concitatus. Cæterum locus exposcit, cur in diversionibus, dolorem primò sedare debeamus, rationem reddamus: pro quo absolvendo dubio, ut Avicennam quoque rectè teneas, audi, Aversio, humoris ad alia loca conversio est: quæ sanè aversio veluti genus est ad revulsionem & derivationem, ut ex Galeno desumitur libro quinto Methodi medendi capite tertio, & libris eiusdem voluminis, 14 cap. 8. & lib. 13 cap. 11. de quibus multa, varia, & pulchra leges in Commentarijs nostris, in Avicennę Fen quartam libri primi. Curamus autem nos Vgonem, & sibi similes homines è scholis detrudere, ut rei medicæ studiosi in totum solidorem medicinam, utpote Galenianam teneant: sed de ijs aliàs. Nunc autem ad dubium respondentes dicamus Avicennam responsum, cap. 3. à nobis citato, iam dedisse, sic enim Avicenna citato loco ait. Cæterum, cum ad locum remotum materiam revellere intendis, mitiga prius dolorem loci affecti, sic enim minor fiet tractionis violentia, cùm dolor ipse trahat. Iis enim verbis Avicenna rationem reddit, quare in revulsione stante dolore, ipsum prius sedare debeamus: quia revulsio attrahit materiam, quę est in fluxu, dolor verò eam quoque ad se attrahit, quia attractio à dolore, calore, proprietate & vacuo (ut nosti) fit, unde ex ista varia attractione, maxima oritur contrarietas, violentia, alteratio, ac materiarum concitatio, & eo maior, quò dolor potentior in attrahendo ad se fuerit, revulsio verò generosior in retrahendo. Vnde (ut mea fert opinio) Avicenna sententia de ea præcipuè intelligenda venit revulsione, quæ absque evacuatione fieri solet, ut cucurbitulis, frictionibus, vinculis, sinapismis, & dolorem inferētibus remedijs. Nam in ea quę cum vacuatione molitur revulsione, tametsi optimum sit primo dolorem sedare, ut ex Hippocrate docemur, non adeò tamen ut in illo, quæ absque vacuatione fit, necessarium est, quippe revulsio cum vacuatione non solum humorem fluentem retrahit: sed etiam eum fluxum, qui locum obsidet, & dolorem infert, & eo magis quo vacuatio copiosior fuerit, hinc enim à Galeno, tanquam ex tripode aureo, proditum est, libro primo aphorismorum Enarratione 23. In maximis vero doloribus nullum maius inveni remedium, quam usq. ad animi defectionem evacuare. Cęterum, quod hęc eadem sit Avicennę mens, deprehēdet ille, qui eius penitius tenuerit verba capitis tertij adducti, quę ita habent, & citatis sunt continua. At cum graviter trahitur ad locum, ad quem trahere cupis, non properes importunè, fortasse enim huiusmodi urgens infestatio movebit materiam, eamque attenuabit, & non trahetur, imò ad affectum locum facilius revocabitur, & cætera. Per quæ sententia nostra manifesta evadit, videlicet, quod Avicenna intelligendus venit potissimum de revulsionibus, quæ absque vacuatione fieri solent, tunc enim primo medicus omnibus conatibus dolorem placare eniti debet, quanquam non rarò eveniat retractionibus solis dolores sedari, ut in cordis pressuris, angustijs, & doloribus affixæ cucurbitula evenit, & hodie in muliere, quæ pueros primæ literarum elementa docet, contigit, nec minus in colicis affectibus hęc venire quoq. servamus. Quanquam Galenus pro eisdem curandis, primo anodynis tam intus affusis, quàm extra applicatis veluti calfacientibus, extenuantibus, & rarefacientibus, utatur, postea ad cucurbitulam magnam multa flamma ignitam recurrat, ultimo vero ad stuporem inducentia medicamenta, ut libro Artis curativę ad Glauconem legitur. Nam libro 12. Meth. med. hæc a nobis in pręsenti proposita, Galenus ipse disputat, & tractat, quem legere ne pigeat.

Curatio 13. De febre continua ex repletione oborta.

IAcobus sororius Vincentij à Chio, militis Lauretani, vir quadraginta septem annos natus, pinguis, carnosus, temperatura sanguineus, post multa comesta & bibita, in febrem continuam incidit: capitis totius quadam cum gravedine, & ipsius partis anterioris non exiguo dolore. Huic occurrens ego, illico vomitorium pharmacum obtuli, quod nihil vomuit, qua de re minorās hoc pharmacum illi propinavi. R. Syrupi rosacei solutivi, uncias tres, electuarij de prunis non solutivi drach. tres, diapheniconis drach. unam, & alterius mediam, decoctionis sepę un. quatuor: misce, fiat potus, quo sanè alvus optimè respondit: sed inde febris increbuit; nullo alio gravante symptomate. Nam hic parū sitiebat, & noctu dormiebat:

tertio

tertio verò die lotium non admodum
rubrum apparuit,sed substantia medio
cre erat, & in eo nescio quid nubeculæ
pendebat:affligebant nanq.tunc febres
hominem acriter, & vires constabant:
qua de re deonerata per clysterẽ alvo,
sanguinem ad libram integram emitte
re iussi. Qui sanè sanguis in totum pu-
trefactus apparuit, à cuius extractione
perinde æger,ut anteà habuit:proinde
vesperi ex eodem venæ vulnere, iterũ
sanguinem fluere in duas permisimus
pulviculas: in prima quarum sanguis
infectus quoque apparuit: sed secundæ
pelviculæ sanguis corruptione omni-
moda vacabat. Vnde iudicio habito,
præsagivi hunc brevi ad sanitatem re-
diturum: quarto die febris eodẽ modo
erat, & cætera illi annexa: cæterum in
lotio pendens nubecula maior conspi-
ciebatur,unde bono animo uxorem &
assistentes esse iussi. Quinto, peius ha-
buit,& nocte anteà non dormierat,pul
sus tamẽ fluctuosi,undosique inter cur-
rentes, quandam præ se ferentes vehe-
mentiam erãt.Sed ecce, in fine quinti,
sudor copiosissimus, universum eius ir
rigans corpus, supervenit, quem tres
vel quatuor horas tulit:post quas,arte-
riæ in genere quietis rariores erant,in
genere verò motus tardiores,& demũ
in genere rythmi, pulsus, si non eu-
rythmus,hoc est consonus,saltem para
rythmus, id est,mediocriter consonan
tiæ accedens, dicendus erat:exterius ta
men carnes bene calebant. Sexto fe-
bris parva erat,sed vesperi nulla.Septi
mo bene habuit: octavo, pharmacum
ebibit hoc.R. Rhabarbari optimi bene
contriti drach. unam, & alterius me-
diam,in aquæ endiviæ uncijs quinque
per noctem macera,dein in aurora ex
prime optimè: cui diluto adde,mannæ
electæ uncias duas. Electuarij lenitiui,
dicti diasenæ lenitivi drach.sex,electua
rij de dactylis, drach. duas: misce, fiat
haustus unus.Quem in aurora bibat,&
sub eum dormiat: quo alvus optimè
respondit,& tunc pulli gallinacei gusta
vit carnes, & vinum optimè dilutum
ebibit;quum tamen antea sola panatel
E la, & ptisana, & aqua decoctionis hor-
dei per se sola,aut saccharo,aut iulepo,
aut vino granatorum mista ageret,no
no à levante iniecto clysteri, & posteà
saccharo rosaceo gustato,rectè habuit,
decimò, tauricè valebat.

SCHOLIA.

*HVIC ægroto pendens nebula in urina,
quarto die apparuit, salutis (ut omnes
nostis) signum evidens: cæterùm quinto se-
quenti die,peius habere visus est: pulsus tamẽ
undosi,& intercurrentes, crisim futuram præ
se ferentes erant, & eò magis, quia ictuum
vehementiam undosi ij pulsus comitabantur,
F iudicium validæ & potentis facultatis: unde
Gale.lib.2 de causis pulsuum,cap.octavo,pro
pe finem,inquit. Nam validam facultatem ha
bet undosus pulsus, quippe magnas sic partes
arteriarum poterit attollere. Hactenus Gale-
nus,quem tu intellige de undoso pulsu evenien
te ab humorum multitudine, cum quandoque
evenire soleat, à mollitie arteriarum ob nimiã
humiditatem emollitarum, id quod Galenus
ipse fatetur lib. 2.de præsagitione ex pulsibus,
capite nono:in quo & de undoso, & vermicu-
lante agit pulsu,ita inquiens. Aliud ad supe-
riora genus est inæqualitatis in uno pulsu,quod
non raro animadvertitur, nec in paucis affecti
bus: imò præter cætera frequenter, atque in
multis, invenitur hoc, tum, cum arteriæ pro-
G pinquior pars principio prius movetur: in quo
genere undosus,atq. vermiculans pulsus sunt,
quos mollis arteria, & facultas non valida
constituunt. Ac vermiculans non modò non
validam, sed & infirmam facultatem denun-
ciat: undosus interdum hoc ipsum dumtaxat,
significat non firmam esse: non statim tamen
infirmam: interdum etiam mediocriter fir-
mam, cùm præsertim decretorium sudorem
promittit: in humidis enim invenitur, & pi-
tuitosis morbis:cum ipsa solida corpora,nimia
humiditate imbuta,emollita sint. Id quod po-
tissimum accidit in morbis lethargicis,& fe-
bribus quotidianis, illisq. etiam, quas palu-
H stres, & typhodes appellant: iam etiam tar-
ditatem,& raritatem magnitudinemq.pulsus
in ijs omnibus acquirit:qui si præterea altitu-
dinem, & vehementiam nactus sit, decreto-
rium sudorem significabit: magis hic speran-
dus est, si plures vehementes, & alti appa-
reant,quàm contrarij. Qui si æqualiter appa-
reant, salubrem simul & brevi sudorem pro-
mittunt: maximè si indicia appareant conco-
ctionis morbi.Hæc Galenus, in quibus hæc (ut
noscitis)*

noscitis) traduntur, primò quòd undosus, & A vermiculans pulsus sub genere inęqualitatis in uno pulsu, & non in acervo continentur: de quo genere quum dabitur occasio, multa, & pręclara dicturi sumus. Secundo traditur à Galeno, quòd pulsus ij, undosus scilicet & vermiculans, eveniunt à molli arteria, & facultate non valida: sed hic deest tertium ab eo dictum lib. 2. de causis pulsuum, cap. 8. à quo quoque undosus pulsus evenire solet scilicet humorum copia, ita enim ille. Causę sunt illorum generationis, facultatis imbecillitas, vel copia humorum, vel summa instrumentorum mollitudo. In quo capite, (ut obiter hoc scitu dignum tradam) Galenus contra Erasistratum agens, pro firmo tenet omnes arteriarum partes, eodem distendi tempore, adeò ut cordi viciniores non primo moveantur, quam ab eo distantes. Tertio traditur à Galeno, vermiculantem pulsum semper arguere facultatis imbecillitatē: undosam verò potius vehementiam, & eo magis, si in eo altitudo, & vehementia fuerint. Tunc enim decretorij sudoris indicium est, & eo certius, si concoctionis signa præcesserunt: ut in hoc nostro ægrotante evenisse percipitis. Qui si quinto die malè habere videbatur, & in symptomata devenit: ea omnia futuræ crisi tribuenda eße, ex Hippocrate didicistis, libro Aphorismorum, cùm dicat, quibus crisis fit, ijs nox antea difficilis est. Prudens igitur, & exercitatus, ac generosus sit medicus oportet, ut similia adipiscatur, teneat, & non turbetur: immo futuros eventus, tanquam præsentes habeat, & de eisdem præsagium verum, tanquam de rebus evidentissimis, ferat. Quæ omnia faciliùs consequetur, si modo pulsuum omnes numeros, & differentias varias memoria tenuerit. Proinde, ne sic ab undoso, & vermiculante discedamus pulsu, scias velim, quod undosus pulsus ab undarum similitudine dicitur: vermicularis verò à vermibus præcipuè reptilibus. Qui cum moventur, undarum quoque modo moventur, debilius tamen, & obscurius, & ea de causa vermicularis pulsus facultatis imbecillitatem insignem semper arguit: qui etiam sæpè sine febribus, solet largis evacuationibus succedere: ut memorię commendavit Galenus libro 2. de præsagitione ex pulsibus, capite citato nono. Cæterùm, vermicularis hic pulsus, si in extremam incidat debilitatem, parvitatem, & frequentiam, iam tunc non vermiculans, sed potius formicans appellabitur: in quem sępè labuntur ij, qui iam prope ad obitum veniunt.

Curatio 14. De miro quodam artificio ad recuperandam vocem, in totum amissam, propter ulcus palato innatum.

GRæcus nobilis, & qui à Græcis imperatoribus originem trahere se iactabat, varijs ulceribus à morbo gallico cōtractis, scatebat: à quibus optimo, B sed subtili constituto victus ordine, & ebibito Guayaci decocto ad quadraginta dies, ac postea à ceratis cruribus, & brachijs, ex mercurio impositis, & postea iterum repetito guayaci decocto, sanus evaserat. Vno tantùm ulcere, in alta palati parte permanente, quod nullis medicamentis cicatricem duxit: immo ibi perpetuum foramen relictum est: ob quod, vir hic in totum usum linguæ, & vocis amiserat. Quo tamen modo tāto malo occurrerimus, & vir commodè loqueretur: attendite: mirum nanque artificium hoc excogito, quo C ita rectè & cōcinnè posteà loquebatur, ac si nihil mali unquam haberet: habet autem artificium sic. Ex auro capitatū clavum per aurificem parari iubeo: clavi caput erat rotundum latum, ut universam foraminis circunferentiam cōtegeret, cuspis verò parva admodum, & rotunda, in cuius medio auricula, lentis modo, prominebat: in hac igitur clavi cuspide, sive spica, spongiola adaptabatur, quā simul intra foramen ægro D tus mittebat: quæ humiditate tumida, inibi fixa manebat, unde ita eleganter loquebatur, ac si nihil mali haberet. Dein verò singulis diebus, bis, vesperi scilicet, & manè, instrumentum deponebat, & spongiolam lavabat, & digitis comprimebat, & iterum instrumentis reponebat, & intromittebat: quo tum reponebat, & intromittebat: quo ita concinnè & eleganter loquebatur, ac si nihil mali unquā haberet: eo enim deposito, vox in totum deficiebat, quę (eodem intromisso) recuperabatur. Merito

ritò igitur inter alia voci necessaria pa latum numeratur: ex hoc nanq. instrumento, arti medicæ, gloria, non vulgaris, ascita est: quo & nunc dum hæc Ragusij commentaremur, simile opus conficimus in Samuelo Erquio iuvene Hebræo. Cæterum, clavus, ut ex auro, ita ex argento, vel stagno parari poterit.

Curatio 15. De duobus similem faciem habentibus, simulque eodem morbo ægrotantibus.

QVum ad cœnobium prædicatorũ visum ægrotantes, de more, accederem: hominem monachum Racanatensem, annos natum triginta, pleuritide affectum comperio: qui, cùm omnia necessaria conficienda (ut decebat) iussissem, ad alterum in eodem cœnobio visum diverti, ætate, temperatura, & physionomia, primo similem, qui & eodem die, eodem morbo affligi cœpit. Ambobus igitur curatio similis peracta fuit, & victus similis præscriptus, & demum symptomata omnia paria erant, & uno eodem die ambo sanati sunt: erant verò diversi patria, & moribus.

SCHOLIA.

DVM hęc commentarer, veniebat mihi in mentem illorum Virgilij carminum.
Glautia Laride Thymberq; simillima proles,
Indiscreta suis, gratusque parentibus error.
Sed Plinius, & Valerius Maximus, multa de hoc similitudinis genere, memoriæ prodiderunt.
Quod verò magis me in admirationem traxit, duo fratres Hebræi fuere, Hamisij nomine, septimestres, & eodem partu ambo æditi: qui ita inter se similes erant, ut ipse familiariter etiam illis usus, alterum ab altero, nunquam discernere potuerim.

E

Curatio 16. De febre continuò affligente.

BRandanus nepos meus, nigelli coloris, iuvenis, annos natus viginti, natura biliosus, exustus, ut omnes ferè Hispani sumus. Quum primùm Italiã venit, ut philosophiæ & arti medendi operam navaret in febrem continuam incidit: huic (eo efflagitante) nam doctor medicus est, ter secta vena brachij fuit, & sanguis ad libras duas extractus. Nam & syrupos refrigerantes ex succo acetosæ ebibebat, demùm, quinto die ægritudinis in copiosissimum sudorem, universum eius corpus irrigãtem (F) incidit, à quo sanus evasit. Nec pharmaco aut alijs medicamentis opus habuit, usus autem quinque illis diebus, subtili admodum, & refrigerãte victus ratione fuit: prout talibus convenit febribus. Nam potus, tamarindorum decoctum illi erat.

Curatio 17. De quodam, qui balanum, ob præputij stricturam, nudare non poterat, qui morbus Græcis φιμωσις dicitur. (G)

ALoysius Beneventutus, iuvenis Florentinus, glandem præputio per partem frænum dictum, ita hærentem habebat, ut ipsam glandem nudare nõ posset. Ipse igitur ab eo consultus, illicò chirurgum accersiri iubeo, qui meis (H) mandatis, eam partem per quam præputium glandi hærebat, & frænum Romanis appellari dixi, universa cũ parte decliviori præputij scalpello acuto præscidit. Breviter igitur, ovi albumine constringentibus pulveribus admistis applicito, & tempore sequenti, pauculo unguento digestivo simplici, admoto, & albo camphorato superposito, intra

A intra octo dies, omnino sanatus est. Dicitur autem morbus hic Celso, ex Græcorum mente, φιμωσις, libro septimo, capite vigesimoquinto. Æginetæ verò, phymi nomine appellatur, qui & mulieribus in uteri cervice contingere solet, tũc autem obturatio seu coarctatio quædam est: in ore aut uteri cervice: de qua re cum dabitur occasio agemus. Cæterùm, huic morbo contrarius alius est, Græcis παραφιμωσις dictus, & est, ubi glans ita est detecta, ut non possit amplius tegi.

Curatio 18. De intestinorum dolore, ab humore calido oborto.

B PRÆDICTI iuvenis socius, qui simul apud Aloisium pixoniũ Florentinum mercatorem agebat, ætate vigiuti duorum annorum, dolore intestinorum afflictabatur. Huic facies hilaris erat, temperatura sanguinea, iecur calidum, ad quem accedens, clysterem ex infuso (ut vocant) communi, injici iubeo, quo biliosa mera ejecit, in aurora verò, dolores manebant non continui tamen, sed identidem pungen C tes, quodam per universum corpus, extraneo calore. Quibus omnibus perpensis, iudico à iecore ad intestina humorem biliosum aliquem delabi, à quo pungentes dolores ijortum trahebant, tunc verò haustum hũc ebiberet suasi. Recipe syrupi rosati solutivi, uncias tres, aquæ endiviæ uncias quatuor. Misce, fiat haustus unus, quem ieiuno stomacho bibat, quo aliquantulum egessit, & sequẽti nocte, absque dolore quievit: cæterùm, tunc iecur & renum re D gio ex santalino unguento rosaceo misto illinebantur, & ægrotus ipse syrupum hunc bibebat. Recipe syrupi de endivia, lupulorum, cichoreæ, ana unciam mediam, aquarum cichoreæ, endiviæ, acetosæ lupulorum, ana unciam unam. Misce, fac syrupum, & bibat, ac ter iteret, optimo habito victus ordine.

Tunc verò iecoraria vena in brachij curvatura secta fuit, & sanguis ad sex uncias emissus: unde ita rectè valere dixit, ut non opus fuerit alijs uti medicamentis. Ad nonnullos tamen sequentes dies saccharo rosaceo, ieiuno stomacho, usus est, quo uniuersa clausa fuit cura: cæterùm huic cibus tenuis erat ad frigidum declinans, potus verò, communi aqua, vino granatorum acetosorum, mistas.

Curatio 19. De tertiana duplici in simplicem versa, & brevi sanata.

EDVARDVS Gomez Lusitanus, vir gravis, doctus, & Poeta non vulgaris, ut qui Petrarchæ numeros hendecasyllabos, & cantiunculas Hetrusca lingua scriptas fœliciter in linguam Hispanicam vertat, ita cordatè, appositè, & suis numeris consonè, ut omnibus admirationi sit. Hic anno ætatis suæ 45. ex Venetijs ubi varia, & ingentia mercium negotia exercet, Anconam venit, ubi ab amicis (ut fieri solet) ad opipara & lauta convivia invitatus, in duplicem tertianam lapsus est. Cæterùm, is secundo elapso ægritudinis paroxismo, uncias tres syrupi rosati solutivi, totidem aquæ Endiviæ dilutas ebibit: quibus alvus optimè respondit, & humor excernendus excretus fuit: adeò ut paroxismus eo die venturus, non venerit, & sic ex duplici tertiana simplex facta est, nec multum ab exquisita distans. In qua paroxismus singulis invasionibus singulas tres horas anteponebatur: adeò ut ad horam unde cœperit desierit: ut consonum sit dicere, humorem hunc, circulum suo motu perfectum & integrum confecisse, terminabatur autem paroxismus sudore copiosissimo, ad duas & plures horas. Nam cùm primùm ad statum paroxismi febris veniret, multam gelidam ad satietatem usque bibe-

bat, qua & sudor copiosior illiciebatur, & febris expers tunc manebat. Cæterum, hic Syrupos de Endivia, & aceto sa, eisdem aquis stillatitijs, vel decocto optimè dilutos bibebat: sed elapso quarto paroxismo, ani venis Hæmorrhoidalibus dictis, duas hyrudines apponi iussi: nam sanguinis missionem per venæ sectionem in brachio non admisit. Post sextum verò paroxismum, multa & copiosa apparente in urina concoctione hoc ebibit pharmacum, quo sanitatem adeptus est. Recip. Mannæ electæ uncias duas, rhabarbari optimi drachmam unam, Electuarij lenitivi, unciam mediam, aqua endiviæ excipiatur, & fiat haustus unus, super quem dormiat horam unam vel alteram, quo ita multa biliosissima & peccantia excrevit, ut inde sanus evaserit. Huic porrò, requiei die, pro victu pullus gallinaceus lactuca incoctus erat: die verò paroxismi, aut panatella, aut lactuca oxeleo cocta, mica salis adiecta, vel potiùs per se cruda, pauculo aceto, intincta, & recentes amygdalæ à putaminibus extractæ & dealbatæ, ac aqua frigida immersæ, & cerasa acida sacchato concinnata. Potus verò in universo morbi tempore, aqua fontana per se fuit, aut iulebo mista: fuere autem paroxismi simplicis huius tertianæ septem, duobus prioribus non numeratis.

Curatio 20. De febribus consequentibus chæradas; id est, strumas, scrophulas vulgares dicunt; quæ ægrotum interfecerunt.

FIlius Barbosij illius, quem seviter & immaniter Turcæ apud Thessaliā interfecerunt, puer annos natus quatuordecim, temperatura sanguineus, prævalescēte humiditate caliditatem, iandiu chæradas in collo patiebatur, non admodum tamen eradicatu diffi-E ciles: quia supernam corporis partem occupabant tantùm. Cæterùm, quum puer hic nihil doleret, nec mali aliquid à chæradibus perciperet, de eis eradicandis, matri nunquam curæ fuit: porrò, post elapsum unum vel alterum annum, à chæradibus puer hic, miti & lenta quadam febricula pertentari cœpit, quam consideranti in mentem mihi venit Cornelius Celsus libro quinto suæ medicinæ, inquiens, strumæ sæpè febres movent, quas ego maiori ex parte interficientes dico, proinde cum febres strumas sequantur, ut strumas era-F dicemus illicò pro viribus adniti debemus: id quod in puero hoc maximè curabamus. Cæterùm, cum hæ extirpatæ non essent, febres eas consequentes, in dies magis affligebant ægrotum quadam gravi cum tussi: sed & temporis processu in Kakexiam lapsus puer hic est: cum faciei, & oculorum palpebris tumescentia, & pedum edematis, hoc est, laxis tumoribus. Cæterùm huic medicati sumus prout morbus postulabat, & indies symptomata apparebant, &
G pullulabāt: demùm, quum morbus omnino ingravesceret, & vires indies labentur, spuere destitit, & phthisi consumptus occubuit, cui si strumæ dum vires constarent, extractæ fuissent: proculdubio, puer hic viveret, ut alijs evenisse vidimus.

Curatio 21. De dentium dolore, & optimo contra eum remedio.

H
MVlier iuvenis Senensis, & quæ (ut deprehendi) morbo gallico olim infecta fuerat, dētium dolore torquebatur, quos & tremulos habebat: post varia (ut illa dixit) exercita medicamenta, ad eam accedens, eius universum corpus per catapotia à fumo terrę, purgari iussi: ac posteà hoc diluto dentes collui, & optimè habere dixit. Recip. sandarachę Arabum optimè pulverizatæ,

rizatæ, unciam unam, aceti acerrimi, A vini rubri non dulcis, ana libram mediam: misce, & ad ignem fiat ebullitio sufficiens: hoc enim medicamento calido, os colluebat, ter & quater die, quod sibi multum opis attulisse, dixit, & multo magis, quàm si decocto parato ex ligni guayaci scobe, rosis, myrtillis, mastiche: balaustijs, & varijs huiuscemodi, usa fuisset.

Curatio 22. De Cura morbi Gallici, per inunctiones ab unguento ex Mercurio confecto, simulque docetur, quomodo evitari debet sputum ad os evenire solitum.

LAPICIDA Iuvenis robustus & fortis, morbo gallico infectus erat: nam universam eius faciem, pustulæ variæ fœdabant: veluti aliquas alias corporis sui partes: sed præcipuè inferiores, nihil dolebat: nec mali aliud quicquam habebat, præter pustularum fœditatem. Cæterùm, hic ab epotis syrupis, & repurgato corpore, ac optima constituta victus ratione, ex unguento mercuriali, sæpè à nobis repetito ijs in Centurijs, octies inunctus fuit, & sanitatem obtinuit. Verùm, ut hic oris fœditatem & ulcera effugeret, quum mihi compertum esset humores in motu esse, catapotia ei propinavi: id autem post secundam, vel tertiam inunctionem facere soleo. Nam eo tempore humores rebelles, & qui vix medicamentis purgatorijs obediunt: commoti, & ad expulsionem acti: à catapotijs propitijs, humores peccantes respicientibus, facillimè foras per inferiora traducuntur, purganturve. Quo fit, ut superiores partes immunes, & liberæ maneant: nec ita infici soleant, ut per consuetas, similesque inunctiones contingit: cùm ægri, sic ore infecti, ulcera in eo patiuntur, & multa, & varia, ad multos dies expuunt: non loquuntur: vix liquida deglutire possunt: dentes tremulos habent: qui posteà nigerrimi evadunt: unde oris, sive habitus fœtor certus pullulat. Quæ omnia, vel eorum magna pars, catapotijs, vel pharmaco (ut dixi) prævisivo, opportuno tempore exhibito, intercipiuntur: ut sæpè experientia compertum habemus. Simili modo, Luna ad oppositionem veniente, morbos rebelles, & quibus humores eradicatu difficiles insunt, curamus: eo nanque tempore humores natura sua B pharmacis resistentes, Lunæ caliditate sublevantur: rarefiunt, & expulsioni parati pharmacis obediunt: ac sic facillimè purgantur, & à medicamentis purgatorijs vincuntur: ut olim Romæ, nō sine artis medicæ gloria, varijs alijs rationibus, & experimentis, probavimus. Sic autem æger hic, de quo sermo nobis est, à catapotijs eo debito tempore deglutitis, multa egessit, & parum per sputum purgavit, & intra quindecim dies, penitus sanatus est: ultimò tamen, ob unguenti sorditiem de relictam, aqua marina calida se totum C lavavit. Hoc eodem modo sanus factus est Leonardus Dolarius: sed hic, ob tumorem in genu habitum, claudicabat: at huius uxor guayaci decoctum magis ebibere voluit, quàm unguento illini: veluti & Franciscus, qui arcas parat: sed huic brachia, scapulæ, & crura dolebāt, & alij duo huius sodales: nam & ijs duo vicini tunc malè habebant. Quorum alter, quum segniter ambularet, à deglutitis catapotijs, optimè valuit: alter verò, cùm caput doleret, & D sanguisugas ano tres admoveret, & oximel, ad nonnullos dies ebiberet, ac postea per catapotia purgatus esset, rectè habuit.

SCHOLIA.

PLacuit hoc loco, argenti vivi, unguentum adornantis, tēperaturā verā describere: nè deinceps in scholis iuvenes pro una, vel altera parte digladientur. Novistis autē alios opinari argentum vivum (Mercurium vocant) calidum esse, alios verò frigidum. Nos igitur dicamus,

mus, argentum vivum frigidum, siccumq. esse: in quo partes subtiles, & acutę, sed frigidę: ut in vento boreali, reperiuntur: quibus mediantibus, rarefacit, subtiliat, & penetrat, ac humores in altum ascendere facit: demum ipsis, omnes suas complet operationes. Harum partium subtilium, acutiem, & acredinem ignorantes medici nonnulli, argentum vivum humidum putrefaciens describunt, nulla fulciti ratione evidenti: quum, si alchimicam artem tenerent, & mercurium condensatum viderent, vel inviti id frigidum & siccum esse faterentur. Inest igitur mercurio, vivacitas, motus facilitas, penetratio, acuties, & humorum subtiliatio, non ob caliditatem: sed ob acutas partes, illi hęrentes, quas frigidas siccasque similes illis, quas frigidus boreas possidet, diximus: cætera verò de Mercurio, in nostro legito Dioscoride.

Curatio 23. De febribus continuis.

DOmina Myra, iuvenis vidua, & quæ asthmate per intervalla corripi solet: quum febribus continuis corriperetur, ad eam accersitus, eius iecur calidum admodum, & renes calidos deprehendi. Huic symptomata gravia admodum erant, & similia ijs, quæ viduis iuvenibus evenire solent. Erant nanq. huic pulsus: protensi, rari, & inæquales urina verò iumentorum modo crassa, turbulēta, ad ruborem vergens, in qua & nescio quid pinguitudinis conspiciebatur. Pro hac igitur liberanda muliere ab ijs pessimis affectionibus, optimo constituto victus ordine, ex saphena primò sanguinem emitti iubebam. Cæterum, vena illa pedis, saphena dicta, quum penitus lateret: nec artifici, ut feriretur, se exponeret: ex iecoraria brachij sanguinem emisimus. Posteà verò elapsis tribus diebus: in quibus syrupos refrigerantes, & aperientes bibebat, ad eam venam feriendam, quæ sub genu posita est, & poplitis appellant, devenimus: ex qua sanguis abundè effluxit, & meliùs habere videbatur, & revera, eo die, sexto scilicet, febris ita

E remissa erat; ut eam non febrire, quis diceret. Per intervalla tamen uterina symptomata eam affligebant, ob quæ, nonnulli pessi ex herba mercuriali cōcinnati, veluti alia metrenchyta non admodum calida, utero subdita sunt. Cæterùm octavo ab epoto pharmaco, quo multa egessit, etiam torrida, tametsi sæpè clysterijs alvus respondebat, melius habuit. Tunc verò sequentibus diebus cucurbitæ femoribus sunt applicitæ, in quibus, & frictiones universa crura percurrentes, fiebant. Nam & renes, & iecur unguento rosaceo, &
F santalino inungebantur. Quibus omnibus, intra quatuordecim dies, sanitatem obtinuit: nè tamen in morbos similes incideret, consului, ut nuberet: ab humore nanque intra uterum vitiato, morbus originem traxerat.

Curatio 24. De febribus continuò affligentibus.

G IOannitius Teuthona, mercator Antuerpiensis, vir annos natus triginta quinque capillitio ruffus, cùm in æde divi Cyriaci pernoctaret: in febrem continuam lapsus est: quam comitabatur tussis, capitis dolor, & scapularum gravedo. Huic quum minorans pharmacū primò propinatum esset, & sanguis ex vena brachij abundè extractus, brevi sanitatem obtinuit. Veluti uxor Francisci à Franzinis, & illius soror, & Ioannes Telinus Florentinus, ut multi alij, sed tunc filij duo viduæ Lætitiæ: fe
H briebant, & multos habebant vermes: qui (ut cæteri) sani effecti sunt.

Curatio 25. De morbo gallico, narium interiorem partem occupante.

LIvius à Bertinoro iuvenis viginti natus annos, cum iandiu morbo gallico

gallico laboraret, ex quo tubercula varia in cruribus, & frontis alta parte, & brachijs, cõtraxerat, intra nares ulcera habebat. Ex quibus, singulis diebus multa pituitosa, torũdarum modo, per ipsas nares concreta emittebat. Cæterùm, hic à sua patria, cùm ad me veniret: ut ipsum à tanto malo liberarem, in medio itineris ex equo cecidit, & brachium per tres fregit partes. Cæterùm, hunc ut, à morbo gallico liberaremus, eius fractum brachium (ut par est) sanare primò operæpretium erat: qui ubi ab eo rectè valuit, & si antea syrupos, & purgatorium pharmacum ebiberat, iterum tamẽ monitis nostris potentiores ebibit. Proinde, eius optimè purgato corpore, ad decoctum rubi viticosi, confugimus: quod ad plures dies ebibit, & rectè valere dicebat: huius nãque radicis decoctũ intra nares syphone immittebatur. Quo ulcera lavabantur abstergebantur, & purgabantur: ei tamen quandoq. colaticium mel rosaceum adiungi faciebamus, nonnunquã verò rotundæ lineæ, apostolico unguento illinitæ, intromittebantur, aliquãdo verò alia remedia varia, ut plumbeum unguentum, quibus ulcera cicatricem duxerunt, & ægrotus ipse non amplius cõcretam saniem illam per nares emittebat, ac sic cùm rectè valeret, ad eius fratres volavit, qui Romæ agebant. Eodem ferè artificio sanatus est Nicolaus Grimaldus Chius iuvenis nobilis: sed hic extra nares ruborem quoque patiebatur, & vice rubi viticosi, asperæ dictæ smilacis decoctum guayaci ad quadraginta dies ebibit. Cæterum, alios non paucos novimus, qui cum ulcera intra nares haberent, ni ossicula primò ex eis dempsissemus, nunquam ad sanitatem pervenissent.

Curatio 26. De febre biliosa continua.

NAaman sacerdos, qui ex Græcia Anconam reversus est: ut ingẽtia

A mercium negotia tractaret, iuvenis biliosus exustus, si quis alter, natus annos viginti quinque, in febrem continuam biliosam incidit: caput gravissimè dolebat, & oris amarorem ingentem sentiebat, & circa scapulas dolorem patiebatur. Ad hunc igitur accitus ipse, illicò vesperi clysterem injiciendum curavi, & in aurora minorãs hoc pharmacum ebibit: quod habet. Reci. Syrupi rosati solutivi, uncias tres, electuarij lenitivi drach. sex, aqua endiviæ excipiantur, trium unciarum mensura, & fiat potus, quem ieiuno stomacho bibat: quo

B postquam multa egessit, ita multa biliosa, citrina, & vitellos ovorum referẽtia, per intervalla, evomuit, ut mirũ fuerit. Gravissimus autem (ut ego reor) error fuisset, si primò huic sanguis per venæ sectionem demeretur: quàm minorans hoc pharmacũ propinaretur (ut prima quoq; dixi Centuria) sequenti verò die, melius habebat. Cæterum, urina cum crassitudine rubricabat, & pulsus magnus erat: excedebat autem lõgitudine, latitudine, & altitudine, profunditate dicta: ad hæc, capitis dolor non admodùm intensus eum affligebat. Qua de

C re, præmisso levi clysteri, ex iecoraria sanguinis unc. sex, duabus in pelviculis fluere iussi. Ex quibus, sanguis primus corruptione affectus erat, secundus vero absq. ulla aquositate serosa, rubricabat: unde eodem die, melius habere dixit, & re vera, tunc febris minus erat intensa: sed tunc sudore superveniente ex toto, liber hic evasit. Scire tamen decet, quod hic ad oblata malè se habebat, nam eius victus, cucurbita agresta

D parata erat, aut ptisana optimè concinnata, absq. tamen saccharo: aut levior panatella, agrestæ succo parata, à rebus nanque dulcibus in victu & potu, tanquam ab igne, etiã meis monitis, abstinebat: quæ facillimè in bilem illi vertebantur. Qua de re, syrupum quem ter tantum repetivit, ita parabamus. Recipe syrupi de agrestæ succo, unc. unam, aquarum acetosæ, endiviæ, lactucæ, portulacæ, ana unciam unam: misce. Cæterũ aqua huic, quã potus vice habebat,

ex acetosa distillatitia erat, cui nō rarò vinum malorum granatorum acetosorum miscebat, vel horum vice, decocto tamarindorum utebatur, quo multum in potu oblectari, non raro inculcabat, veluti aceto diluto, porrò iulebo, & sacchareis, ac rebus dulcibus omnino abstinebat. At, post sectam venam, & extractum sanguinem, renes ex refrigerāte Galeni unguento fovebantur, super posito linteo, imbuto aceto rosaceo, & aqua rosacea simul mistis, nec minus iecur unguento santalino, & rosaceo simul refrigerabatur. Cæterum, hic (ut audistis) absque dulcibus curatus est, & intra paucos dies repetito leviori pharmaco, sanatus est.

Curatio 27. de muliere utero gerente, febri continua laborante.

MVlier Vrbinas quadragenaria, robusta uterum ferebat: quę cum ad secundum mensem cōceptionis perveniret, in febrem cōtinuam lapsa est, qua affligebatur, & multum conquerebatur, & ad renes multum quoque dolebat, & lotium crassum meiebat. Quibus omnibus perpensis, illicò post glandem ex melle paratam, intromissam, & fæcibus excretis, vena communis brachij dextri, secta fuit, & sanguis ad uncias sex extractus. A qua sanguinis missione, melius habuit, adeò ut ex cōtinua, tertiana nocturna simplex facta fuerit, tūc syruporum vice, ex quatuor simul conditis cordialibus, conservis dictis, singulis diebus, in aurora gustabat: & secundum hæc, aquam endiviæ ad uncias tres bibebat, & renum regio ex Galeni refrigerante unguento fovebatur & vitis folia superponebantur. Cæterum, elapsis nonnullis diebus, in quibus viguit semper morbus, apparente materierum aliquantula concoctione, pharmacum hoc illi concessi. Recipe Mannæ electæ, uncias duas, rhabar-

E bari optimi pisti, drachmam unam, electuarij lenitivi unciam mediam, aquæ endiviæ, uncias quinque: misce, fiat potus unus, detur in aurora, & deinde dormiat, ad horam unam vel alteram. Cæterum pharmacum hoc (ut percipitis) sic concessimus: quia mulier hæc magna, corpulenta, & potens est, quo optimè & absque anxitudine, vel ventriculi rosione egessit, & melius habuit. Sed non inde penitus extirpata febris fuit: tunc verò singulis ex octo diebus sequētibus, rotulum unum diarhodonis abbatis ieiuno stomacho, comedebat, & tandem optimè valuit. Scire tamen decet, posteà quàm febris desijt continuò

F eam affligere, nunquam mulieri huic abnegatam pulli carnem fuisse, & vinum pauciferum: id quod Teutona mulieri huic præsistens, multum laudabat. Proximùm erit hic narrare curationem uxoris propolæ: quæ cùm prægnans secundo mense esset, febri continuò affligente correpta fuit, quæ caput graviter dolebat, & multùm sudabat: cui illicò externam brachij venā aperiēdam curavi, & sanguinis uncias septem fluere: unde febris, cum capitis dolore repente cessarunt. Ad duos tamen

G sequētes dies, circa ventriculum, & præcordia, erosiones & angustias persentiebat: sed fomento ex rosis, camæmilla, mentha, & similibus cōfecto, & philtro excepto, & applicito, omnino sanata est. Sed & mulier utero gerens, quinto mense, uxor cuiusdam Mediolanensis claudicantis, ophtalmia gravi, utroq. in oculo corripiebatur: cui cephalica quoque vena, brachij exterior dicta secta fuit, & sanguis copiosè extractus, & brevi melius habuit, adeò ut paucis posteà adhibitis topicis medicamētis ex inte-

H gro sana evaserit. Novistis autē cephalicam venam, securiùs prægnantibus, prælcindi, tum quia non ita cum utero communionem habeat: tum etiā quia sub se nec arteriā, nec nervum teneat, subsistit autē basilicæ, & alijs venis, primò arteria: dein verò nervus, ut docuit Gale. lib. 2. de locis affectis, cap. 2. & experiētia rei, ita esse indicat. Vxor quoq;

quoque Pandulfini militis Lauretani, quum utero gereret, in prioribus gestationis mensibus, illi multum sanguinis ex vena, in brachii curvatura, extraheretur; abortiebat: sanguinis autẽ quantitas, quadam acredine infecti, abortus causa erat.

Curatio 28. de cholera morbo, simul febre continua, & intestinorum tumescentia externa, affligente.

IVVENIS orientalis mercator, annos natus vigintiocto, temperatura biliosus exustus, in choleram morbum febri cum continua incidit. Nam infrà, supraque multùm materiarum emittebat, & adeò violenter, ut ad tertium diem intestina infra umbilicum intumuerint: ut mihi nunc non difficilè fuerit asserere, ægrotum hunc colica affectione phlegmonosa laborare, ventris nanque illa inflatione, tumescẽtiave non parùm dolebat, & continuò febriebat. Demùm postquam ventris tumor ille apparuit, & febris, & ciborum fastidium perseverarent fluxus tã superior quàm inferior desijt. Tunc in dubium vertebatur inflatio, & ea ventris tumescentia, illicò ne cum vomitu & fluxu ventris cœperit, an posteà ob morbi violentiam, & dolorem intensum supervenerit, cui quæsito medici, qui primò adfuerant, omnino nescire, responderunt. Multùm nanque ad curationem (ut tu optimè novisti medice) interest, an tumescentia illa, primũ cum morbi invasione cœperit, adeò ut illa præcipuus sit morbus, quem sequerentur symptomata varia, hoc est, febris continua, ventris fluxus, simul & vomitus cholera dictus morbus. Demùm cùm in agone, & dubio hoc essemus, remediorum beneficio, tam intus assumptorum, quam extra applicitorum, fluxus ventris denuò supervenit solus: unde confestim tumescentia illa

A imminuta est, & brevi ex toto extincta. Cæterùm, nonnullis affectio hæc colica phlegmonosa videbatur, quam, ob violentiam & sævitiem, miserere mei Deus, practici appellãt. Et ea olim apud Lusitanos, mulierem quandam obesam, uterum gerentem, laborare vidi, cuius vi & crudelitate, ea enecta, diem suum obiit. At vir hic, de quo agimus, liber evasit: etenim (ut ego credo) ob morbi violentiam, intestina sublevata sunt, interveniente humore quoque flatuoso. Cæterùm medicamẽ

B ta, quibus hic curatus fuit, pauca fuere: universus autem noster conatus eò dirigebatur, ut hic, morbo resisteret, & valeret: clysteribus tamen nonnullis usi sumus, & fomentis carminantibus, & flatus dissolventibus.

Curatio 29. de vera, & indubitata quadam methodo præservandi à podagra: simulq. de remedijs nonnullis convenientibus dolori

C *bus podagricis, & tophis articulorum.*

METHODVM præservandi à podagra (quod mirum, sed verum dixerim) veram & indubitatam describere aggredior: cui, quicunq. se cõcredere voluerit, omnes fugiat causas oportet, à quibus podagra ipsa, aut chiragra, aut ut in universum dicam, arthritis, sive articularius morbus, ortũ trahere solet, ut assiduas comessatio-

D nes, intempestiva convivia, frequentes ebrietates, immodicum rei venereæ usum, à quibus cruditates certæ gignuntur: præterea vehementes, & concitatiores deambulationes: præsertim post assumptum cibum, ut crebrũ equitatum, præcipuè absque stapedis, ut meminit Hippocrates, cùm de Scythis agit. Quo tempore non solùm Scythę, sed Romani absque stapedis, cruribus pendentibus, equitabant, non minus mœrores, curas, vigilias, & reliquas animi

animi perturbationes. Omnia nanq. E hæc podagram generare solent, veluti alicuius familiaris exercitii intermissio,& consuetarum excretionum suppresiones, præcipuè hæmorrhoidum. Parcus igitur,& frugalis ille sit oportet, qui curationi huic subjici debet, aliter ea abstineat suademus. Sit igitur huic cibus, qui parùm nutriendo, extenuet, ut sunt olera, & similia : proinde ova, nisi imbecillis multùm fuerit, fugiat, carne nisi avium montanarum prorsus abstineat: ea de causa capos, pręsertim veteres, fugiat: podagra enim, & ipsi affici solent. Vino penitus huic F interdicatur, cuius vice, si vétriculum calidum habuerit, nec colicum affectũ timuerit, aquam puram bibat, sin minus, aquam decoctionis coriandri, aut aquam mellis, confectam foliis & summitatibus, vel ipsis floribus salviæ. Aut verò, melle confecto ex florib⁹ salviæ, salviatio dicto, quod eo tempore, quo vigent flores, concinnari poterit : aut uva passa, aut floribus roris marini, aut omnibus simul, sit mellis pars una, sed non nisi optimi & rutili, aquæ verò G octo partes,& dum coquuntur, subinde, vel assiduè despumentur, quoad tertia pars absumpta sit. Cætera verò, consultò prætermittimus, quæ in immensum protrahi possent, & ad institutum redimus. Galenus igitur in primis occurrit, libro de sanguinis missione per venæ sectionem, qui Arthritide & podagra affici solitos, verna & autumnali sanguinis emissione,& per pharmacum purgatione, sanos præservabat: hanc, vel illam, aut utranque simul, secundum humorum prædominium, exercens evacuationem, quod H nos summoperè laudamus. Admonentes venæ sectionem edirectò membri affecti fieri debere : ut sæpè agendum suadet Galenus, tum libro à nobis cita to, tum etiam libris methodi medẽdi. Nam si dexter pes dolore affici contingat, vena ex brachio dextro secta, sanguis emitti debet. Quòd si verò manus dextra affecta dolore fuerit, venã juxta poplites, aut eam, quæ talum obrepit, vel huius ramum, qui ad magnũ digitum solet apparere, secandam credimus, ut fusius commentariis nostris, in Avicennæ fen quartam libri primi diximus. Cæterùm, nos, Galeni præservatrices vacuationes has, certis, & constitutis iis temporibus, exercitas: ut certas & mirificas : non nisi laudibus extollere possumus. Speramus tamen, ut quicunq. hoc à nobis præservante remedio usus fuerit : nulla sanguinis detractione, nisi valdè, & plus justo fuerit sanguineus, indigere. Novistis autẽ vos ex artis exercitio, quòd & prisci medici memoriæ commendaverant, qui sæpius podagra, & chiragra sunt conflictati, plus noxæ, quàm auxilii, ex sanguinis detractione contrahere, sed ne jam eos, qui podagra, & chiragra, ac articulario morbo præservari cupiũt, amplius remoremur, methodum hanc enarrare aggredior. In primis lactis caprini optimi, libras quinque, vel sex accipito, quod lacte ficus, si id tempus anni fuerit, si minus, cardui floribus, aut coagulo cogito, cuius serum per colum diligenter trajicito, & olla exceptum, ad lentum ignem coquito: & ab eo, dum coquitur, & bullit, spumam cochleari, ingenti cura quoad nihil lacteæ spumæ appareat, abstergito, & serum hoc ad tertias, hoc est, quousque tertia eius tantùm pars remaneat, bullire sinito : atque iterum per colum trajicito: sed hoc quousq. ex eo nihil spumæ lacteæ compareat, iterato. Nam tunc defæcatum, & ab spuma lactea purificatum serum dicemus, quũ nihil spumæ superstet dum per colum trajicitur. In hoc igitur, serum ita purum,& ab spuma defæcatum, foliorũ borraginis pugillum unum infundito, quòd si pituita multa in ægroto dominabitur (ut sæpe podagricis evenit) adjicito quoque ivæ, betonicæ, salviæ, ana pugillum medium, imò si atra bilis adfuerit, addito quoque senæ, aut epithimi, unam vel alteram portiunculam : demùm pro humoris dominantis ratione, simplicia hæc vel illa prædicto misceto sero. Cœterùm, cùm podagri-

dagricus dolor nimis infestaverit, sic A sero composito, unã, vel alterã drachmam optimi, & albi agarici, linteo excepti, infundito, & ad ignem simul omnia, sed parum bullire sinito. Demùm percolato sero, à prædictis rebus, eius vnciis decẽ vel duodecim, plus min⁹, pro ægrotantis robore, & alvi lubricitate, vel constringentia, rhodomelitis, vel oximellitis, vel melius oximellitis scillitici binasuncias adjicito, & sic hoc modo serum apparatum ægroto, quoad ipse calidum ferre possit, in aurora jejuno stomacho, propinato. A cuius potu, quatuor horas ęgrotus ipse, absque cibo & potu maneat, quòd si paululum supra potum dormierit, nõ erit à ratione alienum, & tunc magis, B cùm serum agarico apparatum fuerit. Cæterùm, potum hunc absq. agarico, singulis mensibus, septies, vel octies ægrotans ebibere poterit, alternis scilicet diebus, pro alvi respondentia: si enim alvus multum egesserit, supersedendum est. Porrò agaricum admiscere, inchoante vere, & autumno, item æstate, & hyeme, concedimus, non secus ac cùm dolor nimis cruciaverit ægrotum: modò venter lubricus admodùm non sit, vel cùm ægrotus ipse timet podagræ invasionem: tunc verò, C hoc remedio præservativo, eius infringimus conatum, adventumve. Est nãq. remedium hoc tantæ efficaciæ, ut hominem totum liberum à podagra, & articulario morbo pręservet, ita ut qui eo utitur, nihil ei opus sit, de sanguine extrahendo, aut remediis aliis, ut longa experientia, compertum habetur, si modò ægrotans sobriè vivat, & sex rebus nõ naturalibus temperatè habeat. Super est, ut hic appendamus remedia, paratu facilia, podagræ convenientia, D ea præcipuè, quæ Topica appellamus, & nõnulla alia, quæ Tophos, id est, iũcturarum & articulorum nodos, & duritiam, emolliunt, & curant. Cæterum, in podagræ, & arcularii morbi curatione, hoc notum omnibus esse velim, ut iis, quæ extrinsecus adhibentur medicamentis, quæ dolores lenire, discutere, & moderatè resiccare solent: illicò inchoante morbo, aliqua, quæ cõstringendi facultates habeant, admisceant post morbi verò initium sola discutiẽtia applicent.

Topicum remedium, contra podagricos dolores.

Oleum rosaceum omphacinum, pro linendis podagricis, & arthriticis doloribus, linteo exceptum, pręsertim, si locus rubore affectus fuerit, optimũ est præsidium.

Aliud, ex medulla panis, & lacte confectum.

Rec. Lactis caprini libram mediã, vitellos, ovorum duos, quòd si dolor ingẽs fuerit, & caliditas, & rubedo ægrotum contristaverint, eorum quoq. albumina miscebis: olei rosacei, unciam unam, croci scryptulum unum, medullæ panis contritæ, quantum satis sit, ut cataplasmatis formam recipiant: omnia simul terantur, & fiat cataplasma, & dolenti loco applicetur, porrò, huic cataplasmati, si dolor nimis cruciaverit, adeò ut ægrotus eum ferre nõ possit, adjungemus cicutæ summitates, aut succum hioscyami, aut sempervivi, aut semina papaveris, & hioscymi, aut opii parum, vel multum, pro virium robore, & doloris vehementia. Reminisci tamen oportet, quòd post stuporem inducentium remediorum applicationem, membra refrigerata calfieri & roborari cupiunt, ut pipere, cinnamomo, zinzibere, castoreo, myrrha, croco, oleo, lilino, piperato, costino, sinapino, iryno, unguento althæo, aggrippino, aragonio, & similibus.

Aliud repercussorium, & discussorium.

Recip. Ammoniaci, Galbani aceto dissolutorum, utriusq. unciam unam: thuris drach. duas, croci drach. unam, olei rosacei, unciam unam, aceti unciã mediam, resinæ drach. unam, ceræ parum, ad ignem misce: fac emplastrum, vel deposito oleo, para ceratum, & loco malè affecto admove.

Aliud.

Folia malvavisci aqua cocta, tere, & hor-

hordeacea farina excipe, ac oleo rosaceo,& camæmelino,quantum sit satis, amplastrum confice,& calidum dolenti loco admove.

Aliud.

Farinæ seminis lini,rosarum,fœnu græci,fabaceæ, hordeaceæ, camæmelinæ,lentium,ana unciam mediam ,radicis althææ,unciam unam : olei rosacei,chamæmelini, ana unciam unã: vitellos ovorum tres:rob vini unciam unam,omnia decocto rosarum, & chamæmeli excipiantur, & terantur, & fiat cataplasma,quod calidum applicetur,& sæpè innovetur, & lana succida fascietur.

Aliud.

Atramentum casiæ ægyptiacæ,stillaticio, vel decocto solani dissolutum, & linteo exceptum,& applicitum, ab Avicenna proprio capite de casia laudatus.

Aliud.

Recip. Ramenti rapæ, & cucurbitæ,utriusque pugillum unum, foliorũ caulium,pugillum medium, aqua excipiantur,& ad ignem nova olla parũ bulliant:postea in mortario optimè terantur,quibus addas, pinguedinis porcinæ uncias binas, oleorum, chamæmelini,rosacei,ana sequiunciam, farinæ fœnugræci, quantum ad cataplasmatis compositionem sit satis: misce, & utere calido,nec ut refrigeretur permittas, sed iterum atque iterum calidum applica.

Aliud, pro abigendis, & emolliendis articulorum duris tumoribus, & tophis, quos Græci πωρος appellant.

Ita tophi,hoc est,articulorum duritiæ, & nodi curari debent,quemadmodum nodi& tubercula, ac dura curantur apostemata. Solent quippe, qui Galeni sequuntur methodum, libro artis curativæ ad Glauconem, & libris methodi medendi, & eius interpretem Avicennam ,in curatione apostẽmatum durorum,& scirrhosorũ,primò emollientibus medicamentis: postea verò discutientibus, ac vicissim nunc illis, nunc iis, quousque scopum attingant,

E uti,quem ordinem in profligandis, & abigendis articulorum tophaceis duritiebus summoperè laudo: proinde primò emollientibus sic utere. Recip. Ebulorum, althææ, malvæ, branchæ ursinæ,ana pugillum unum: caricarũ, numero decem,seminis lini fœnugræci,ana pugillum unum & mediũ, chamæmeli ,meliloti, ana pugillum medium,in libris sex aquæ fiat decoctio, ad medias,& coletur:cui adde,vini cocti,sæpæ dictæ libram unam,olei seminis lini libram mediam,& misce, qua imbuta spongia,optimè calida, membrum malè affectum foveatur, & irri-

F getur,quousque rubere incipiat: tunc madore absterso,hoc illinatur linimeno. Recip. Mucaginis, fœnugræci, seminis lini, malvavisci, ana unciam unam,medullæ cruris vituli, cervinæ butyri recentis, ana unciam mediam, pinguedinis anatis,gallinæ,ana drachmas sex,adipis suilli veteris,unciã mediam:vermium terrestrium, unc.unã. olei seminis lini,abiegni,terebentinæ, ana unciam unam, pulveris chamęmeli, quantum ad spissitudinẽ mellis sufficiat:misce,& eo calẽte illinatur membrum affectum,sequenti die,discutien-

G tibus utamur,& primò, fomento discussorio,quod habet. Rec. Avenæ, urticæ,hyssopi,marrubii,anethi, absinthii, tribulorum terrestrium, abrotoni, chamæmelæ, meliloti, ana pugillũ unum:radicis althææ,brioniæ,irẽos,liliorum alborum,ana unciam unam,in libris sex aquæ, vel lixivii, fiat decoctio secundum artis ministerium, & coletur:ex qua imbuta spongia irrigetur locus affectus per dimidiam horã, tãdem, absterso loco,emplastrum hoc applicetur.

H *Emplastrum.*

Recip. Emplastri de meliloto, de hyssopo,ana unciam mediam,ammoniaci, galbani aceto dissolutorũ,styracis liquidæ,bdelii,ana drachmas duas, olei irini,vulpini, ana unciam unam, & mediam,croci drachmã unam, medullæ cruris vituli cervini,ana unciam mediam,unguenti de althæa, aggrippini,

pini, aragonis, ana drachmas sex, ceræ citrinæ quantum ad spissitudinem unguenti sufficit: misce, & ad ignem unguentum compone, & morboso loco admove, & sequenti die ad priora remedia revertere. Dein ad hæc recurre, & circulum hunc ab Avicenna traditum, & servatum pro curandis sephiris, & duris tumoribus imitare.

aliud.

Ammoniacū aceto dissolutū, & igne ad formam cerati redactum, & tophacæis duritijs, & nobis applicitum, summum est remedium.

Emplastrum de marmore, tophacæas duritias dissolvens.

R. Marmoris subtilissimè pulverizati, librā mediā: butyri vaccini, quantum ad spissitudinem prædicti pulveris sufficit: misce, fiat amplastrum, & actu calidum applicetur, & rectè facietur, est enim à multis expertum.

Præservantia à podagra, topica remedia.

Caligis, & manicis, ac chirotecis, ex pelle canis ruffi paratis, uti, contra podagram, & chiragram, remedium præservativum, non contenendum à multis habetur.

aliud.

Sale minutim oleo trito, membra affligi solita, illinire, bis & ter in die per totum vitæ curriculum, tanquam expertum laudatur.

aliud.

Succus cæparum illitus, & desuper piperis nigri pulvisculus respersus, ac spongia vino decoctionis cymini inbuta, superposita, si bis in die iteretur, manè, & serò, magna pollicetur: subtiliatur enim humor, & per sudorem extrahitur; vel saltem per insensibilem evaporationem.

Aliud.

Membrum lavare fomento, ex lixivio parato aqua marina, in quo decoctæ sunt herbæ, stæchas, myrtus, salvia, rosmarinum, balaustium, & cæteræ similes: ut expertum scribo.

Aliud.

Lavare membrum, affici solitum lixivio, in quo terrestres tribuli cocti sunt, à podagra præservat.

Admonendum duximus in præsenti, quòd nodi articulorum, & tophaceæ duritiæ, sæpè remedijs extirpantur, & tamen membrum retractum manet, sed tunc instrumento membrum extēdere faciente, medicus sapiens uti debebit, prout in Iulio III. Pontifice maximo, actitatum esse vidistis. Digitum namq. dextræ manus contractum habebat, unde scribendi inhabilitatem contraxerat, qui instrumento parato, aliquando dicendo, in pristinum statum, & motum, redactus fuit. Sed hic occurrit problema ex Gale. decerptū, non prætereundum. Cur nullus unquā podagricus visus est pati convulsionē, quæ frequenter solet, in nervosarum partium inflammationibus, advenire? quum, & ipsos partium istarum inflammatio, fatiget. Anquoniam nervosorū omnium ligamenta tantum ipsis inflammari, extendiq. contingit, reliqua verò nervosa, ut tendones, nerviq. proprij non inflammantur, sed tantùm dolent, ut quæ, cum ligamentis simul patiuntur.

Curatio 30. de iocinoris inflammatione, cum singultu, ex qua subsecuta est mors.

SALOMON Sagatius, vir annos natus quadraginta, temperatura, si qua altera, sicca, hic cum assuetus esset non adeò optimis vesci cibis, inchoante autumno, conqueri cœpit pedes sibi, & faciem tumere, demum re spreta, & tumescentia illa abolita, quæ ex iocinoris vitio ortum, dubio procul trahebat, in dolorem quendam incidit, iecur & spiritualia membra vexantem, quem comitabantur febris continua, tussis, fastidium, sitis inhexhausta, & respirationis aliquanta difficultas. Quibus de causis, medici eum invisentes pleuritide affectum esse statuerunt, ac illicò, secta

ſecta interna eiuſdem brachii vena,ſan
guinem emiſerunt. Cæterum, paucis
interiectis horis, ſingultus huic ſuper-
venit,ad finem uſque morbi perdurãs.
Nam prioribus diebus hic expuit, ſed
poſtea elapſis nonnullis, ſcreatus ex to
to ſunt cohibiti,octavo ad hunc voca-
tus ipſe,eum abſque dolore inveni,ni-
hil excreabat,ſed per intervalla,ſingul
tiebat, & quod peius eſt,vires deficie-
bant : à me enim ſæpè dicterij modo
uſurpatur,ſolus defectus virtutis,ſignũ
malum.Qua de cauſa,hunc brevi mo-
riturum prædixi, ridentibus medicis
aſsiſtentibus:ſed ille intra triduũ obijt, F
ignorabant autem medici illi,ut mor-
bum,ita pulſuum inæqualitatem,ut ta
men horum medicorum error depre-
hendatur, attendant lectores.

SCHOLIA.

*CVM hic iecinoris inflammationem pa-
teretur,medici aſsiſtentes pro pleuritide
eum curabant, neſcientes inter utrumq. mor-
bum differentiam ponere:cum tamen eam Ga
lenus ditiſsimus medicinæ oceanus deſcripſe-
rit, & chartis mandaverit,vt Centurijs ijs
iam diximus, indicavimuſq. ex ipſo Galeno,
tum alibi,tum etiam ex libro de locis affectis
quinto,capite ſexto Iecur affici declarant in
dextra præcordiorum parte, gravitas, dolor
tota præcordia retrahens,atq.ipſius uſq.ad iu
gulum extenſio (nam & hoc nonnunquam eve
nire ſolet) exigua tuſsis, linguæ color. Primò
quidem ruber,dein verò niger, ingens faſti-
dium,ſitis inexhauſta, vomitus tum ſyncer æ
bilis,tum eius quæ ovorum vitellis aſſimila-
tur, quæ poſtea æruginis aliquando colorem
referre conſpicitur,alvus quoq.aſtringitur,ni
ſi una cum viſceris huius inbecillitate inflam
mationem excitari contingat. Quæ omnia mul
tum abſunt a notis,quæ pleuritidi hærere ſo-
lent, ſed age,cum iecoris gibbæ vel concavæ
variæ affici contingant partes, lectori grati-
ficemur,ut doctus noſcat inter utramq.diffe-
rentiam ponere. Interdum igitur,ut in gibbis
duntaxat,ita & in ſimis,ſive concavis huius
viſceris partibus inflammatio oriri ſolet,
quanvis (ut rectè tradit Galenus) inflamma
tio in neutra partium exquiſitè diſtincta poſ-
ſit conſiſtere,quoniam gibbarum,& ſimarum
carnes interſeſe continuantur. Quando tamen
inflammatio ſimas obſederit partes,tunc do-
lor ad inteſtina vergit, & ventriculus magis*
E *afficitur,unde vomitus oritur,nauſea,ſingul-
tus,inconcoctio,faſtidium,ſitis,& cætera ma-
la, ac vitia,quæ membris nutritioni ſervienti
bus naturalibus dictis, evenire contingunt.
Quod ſi vero inflammatio gibbas occupave-
rit partes, tunc iecur tanquam ſemiluna eva
dit. Sed ſignum hoc à paucis deprehenditur,
proinde eius vices,ſupplent notæ,hæ videlicet,
tuſsicula ſicca, dolor partes ipſas afficiens
proprias, veluti & thoracem, & membra
ſpiritualia,adhæc tactus,quo non ita difficul-
ter gibbarum inflammationes percipimus,
quemadmodum ſimarum. Tametſi enim ie-
cur opertum ſit peritoneo,ac tribus muſculis
contegatur recto, obliquo, & tranſverſo,ob
quos non facile ad eum topicorum remedio-*
F *rum vires penetrant, nihilominus utcunque
eas percipimus, & aſſequimur.Cæterùm,cum
ægrotus hic magnam pateretur inflammatio
nem in ipſo iecinore,factum eſt, compatiente
ſtomaco, ut ſingultus ſupervenerit, qui (ut
ego puto & ſymptomata ipſa indicarunt) com
patientibus primo inſtrumentis reſpirationi
deſervientibus,evenit:quoniam gibbæ partes
gravius afflictæ erant. Nec enim apud me in
dubium vertitur, in medio iecinoris inflam-
mationem, utramque partem aſſicientem fieri
poſſe, quoniam viſcus hoc varijs canaliculis
perforatum,diſſectis humanis corporibus,com
perimus,unde à mediocri inflammatione,utra*
G *que ſymptomata evenire poſſe, non eſt dubiũ.
Galenus tamen, libro ſexto aphoriſmorum,e-
narratione ſextadecima, aphoriſmi illius,a
morbo laterali, vel pulmonia habito, alvi
profluvium adveniens,malum (inquit) cum
partes aliquæ patiuntur, non ſimpliciter aliæ
compati ſunt natura aptæ,ſed forti cum paſ-
ſione detinentur.Secundum hoc igitur,& he-
pate fortiter patiente, ſingultus ſupervenit,
compatiente ſtomacho, tuſsis autem & dif-
ficilis anhelitus, compatientibus his,quæ reſ-
pirationi ſerviunt inſtrumentis.Cæterum cum
hæc commentarer, in mentem venit Galenus,
commentario ſecundo in librum ſecundum*
H *prorrhetici,enarratione ſextadecima, qui ad
iuvenem hepaticum vocatus, irriſus a medico
Theſſali diſcipulo,fuit,ut qui per urinas, iu-
venem tali affici morbo, ſcire contenderet:
Nam medicus ille a Theſſalo doctus nun-
quam urinas contemplatus erat,imo
eas contemplantes fullones
appellabat.*

(.§.)

Curatio

A

Curatio 31. de papillis, sive mammarum capitulis elongandis, formandisve.

NOBILIS Veneta, cum pepe-risset, & mammillarum papillas intus absconditas, contractásve haberet, ut lac nec pueri ore, nec artificio alio evocari posset, magnum dolorem ac ingentem gravedinem in ipsis sentiebat. Ego verò attentius rem hanc considerans, sic pro papillis ipsis formandis producendisve, machinor. Vitream phialam oris non admodum latam circunferentiam habentem, fervente aqua impleri iubeo, ac illico ab ea aquam totam deponi, cuius phialæ, sic calentis os ad papillam admoveo (mirum enim in modum attrahit) qua attractione papillæ formatæ & elongatæ manserunt: lactis autem non parva quantitas in phiala ipsa extracta fuit. Vnde mammarum tensio, & dolor imminui cœperunt, & mulier rectè habere: persensit tamen (ut verum fateamur) nobilis hæc mulier, in phialæ applicatione, non parvum dolorem, quem postea in totum contemsit, cum præcipuè tantum iuvamentum inde se consecutam videret. Fuit nanque opus hoc mirum, ex quo ars medica non parvam gloriam consecuta est. Qua de causa, & medici assistentes hoc summopere laudarunt, ut qui nunquam antea viderant, nec apud aliquem legerant.

(§.)

Curatio 32. de sanguine detracto à muliere gracili, cui iamdiu suppressi menses erant, & contra medicorum opinionem, sana evasit.

MVlier boni habitus, gracilis reddita est, cui menstruæ purgationes per sex menses iam defecerant,

B gravabatur, angebatur, & quotidiè nõ rectè valere nobis inculcabat. Cæterũ huic venæ tumebant, & exertæ erant, ac nigricabant, quibus de causis ex pedis vena, saphena dicta, sanguinem per intervalla, ad libras duas, contra medicorum assistentium opinionem demi iussi, a qua sanguinis emissione, optimè valuit: & in pristinum statum reddita est, ac non multo postea, menses illi suppressi fluxere, & basilice vivit.

C

SCHOLIA.

QVVM hæc tractarem, in mentem venit Galenus commentario tertio in librum sextum de morbis vulgaribus enarratione 29. ubi huic similem historiam enarrat, quam sic habeto. Multi itaque (inquit) non parum sanguinis habent, qui tamen maximopere graciles sunt, quemadmodum alij crassi quidem, nec tamen nisi pauco sunt sanguine præditi, & quidem mulierem, cui iam per octo menses suppressæ erant menstruæ purgationes, quæque attendatissima erat, copioso sanguine detracto, brevi tempore ad

D *suum pristinum ac proprium statum restitui, nec secus etiam quamplures alias. Id tamen, quod in ea factũ est: quippequæ non ignobilis esset, celebre admodũ fuit. Præcipue vero quũ alij medici vererẽtur polliceri, certũ ex eo remedio futurũ auxiliũ, immo nonnulli etiã nobis adversari auderẽt, qui dicebant non modo ob gracilitatẽ, sed etiam ea in appetentiã, ex venæ sectione illã fore lædendã. Hæc Gal. qui paulo post, inquit. Porrò, mulieri, de qua nuper est habita mentio, prima die, sanguinis sexquilibrã, id est, libram unam & alterius*

 mediam

mediam, detraxi: postridie libram, tertia verò, nõ multo plus selibra, erant siquidẽ unciæ octo, & subdit. Porrò, illi venæ exertæ erant, quæ sanguine videbantur replete, liventes, secto autem vase, sanguis atræ pici, tum colore, tum crassitie, similis effluebat, ob id ipsum verò longè magis decrevi liberalius vacuare. Hæc sanè obiter medicis dicta sint, qui rectè mederi volunt. Hactenus Galenus, *cuius doctrina muniti, nos mulierem hanc, de qua agimus, ad sanitatem traximus, quæ & hodie firmata valetudine utitur.*

Curatio 33. de obitu contracto, ex Diabete, & potu aquarum ex thermis montis Bodij.

ADamans ex Cyrolio, mulier nata annos sexaginta, cũ ab hinc duos annos fluore muliebri vexaretur, multis & varijs adhibitis remedijs, ad morbum facientibus, convaluit. Cæterum, paucis posteà diebus in alium graviorem lapsa est: diabetycam scilicet affectionem, maximo cum ardore afflictãtem. Porrò cum hanc quoque malam, & pernecantem affectionem levare, multis machinamentis, conaretur, aquam thermarum Montis Bodij, alumen, sulphur, & ferrum sapientium, per quatriduum, ebibit, ex cuius potu, universa eius facies tumuit, ac postea ita malè habuit, ut per quatuor alios dies tamquam emortua cubuerit. Vix autem eius pulsus percipiebantur, sed postea revixit, & tamquam ex tenebris in lucem revocata est, mente tamen non exactè constabat, sic plures dies vixit. Postremò, ad obitum veniens, per septem dies, absque loquela mansit, & pulsus illi ita exiles erant, ut vix perciperentur, quousque ex toto absumpta, diem suum obijt. Hoc eodẽ tempore obijt Iohannes Angelus Caribaldus mercator Mediolanensis, dives satis, ex urinæ stillicidio, maxima cum acrimonia, & mordacitate, complicato malo. Erat autem vir hic natus annos plus sexaginta quinque, ra-

E roenim ab hoc vitio senes liberantur, ut venerãdus Senex memoriç comendavit, libro sexto aphorismorũ, aphor. sexto, dicens Renum, & vesicæ vitia, in senioribus difficulter sanantur. Sed tunc eodem vitio afflictum Vincentium Fæniculum, rei maritimæ maximum exploratorem, liberavimus, senex autem & hic vir erat, sed robustus admodum. Cæterum de ijs, & similibus curandis vitijs, brevi multa & pulchra, Deo Optimo, Maximo favente, chartis mandabimus.

F

Curatio 34. de accelerando partu.

PInta uxor Pharasij, musici insignis, quum per triduum in emittẽdo fœtu, graviter laboraret, ad eam iuvandã accersiti sumus, ac post multa ab obstetricibus adhibita, & machinata, hoc illi ebibendum dedimus medicamentum. R. Cinnamomi optimi, trochiscorum de myrrha, croci optimi ana drach. mediam, omnia optimè, & sub-
G tiliter triturentur, & generoso vino excepta, bibenda propinentur, hoc enim epoto, & repetito medicamento, duas peperit puellas, omnino luteas: ob quẽ colorem assistentes mulieres admirabantur. Cæterum, nos colorem hunc, à croco ebibito contractum esse docuimus, itaq; lavatæ puellæ albæ sunt effectæ. Porrò interim hæc agebamus, sternutationem ciebamus condiso, hoc est, struthio, sive lanaria dicta herba, helleboro, pipere, euphorbio, & simili-
H bus, prout, nos docuit agendum, nunquam satis laudatus senex ille, naturæ ver⁹ minister, libro quinto suorũ aphorismo. aphor. 35. Dicens mulieri, quæ uterinis molestatur, aut difficulter parit, superveniẽs sternutatio bonũ, vidimus autẽ nos difficulter parientes, à repetita sternutatione, brevi parere, quia vehementiore concussu, atque fervore, partim quidem naturam excitat, partim verò excernit, quæ partib.

corpo-

corporis firmiter infixa adhærent: sic enim & singultum solet sanare sternutatio. Porrò, ingresso nono mense a cõceptione, vẽtrem universum axungijs, pinguedinibus, & oleis violaceo, amygdalarum dulcium, liliorum alborum, seminis lini, & varijs similibus emollire, laxare, extendere, dilatare, & fotum habere, optimum est, sive pariendi difficultas à vitio parientis, aut fœtus, aut secundarum, aut extrinsecus advenientium accidat. Parturitionis quoque tẽpore, suffitus ex trochiscis myrrhæ, aut herbarum variarum, iuvat, ut savinæ, mentastri, calamintæ, nepithæ, pulegij, origani, dictamni, artemisiæ, iridis, rubeæ tinctorum, cyclaminis, baccarum lauri, & similium, quæ sufficienti vino albo, odorifero, in olla decoqui debent, at tandem olla ipsa sedili perforato suposita, mulier, undequaque circumsepta vestimentis, illi insideat. Nos instrumentum parare iubemus, quoties mulier difficulter parit, ut manib. apprehensa resti, ex alto pendente, alta maneat parturiens ipsa, ita ut concuti commodè à viro forti possit: id enim ad partum accelerandum multum prodest.

Curatio 35. de febre continuò affligente, in morbillos terminata.

ABrahamus ex Cidicatijs, puer annos natus decem, obesus, mense Ianuario febre continua, varijs cũ paroxismis inordinatis, affligebatur. Huic sexto die ægritudinis, secta fuit dextri basilica brachij vena, ex qua sanguinis unciæ sex extractæ sunt. Cæterum, sequenti nocte, puer hic angi cœpit, & lamentari, demum sanguis per nares, illi ita copiose fluxit, ut pueri mater de ei⁹ vita timeret, nam & ter egesit, fortè ob casiam ægyptiacam, quam dic anteà comederat. Tunc universum huius corpusculum, exanthematis mitiorib. A hoc est, morbillis, plenum fuit, à quibus gubernatus (ut decet) puer & abstemius factus, in totum sanus evasit, & liber: fuere autem omnes ægritudinis dies viginti.

Curatio 36. de vomitu cuiusdam mulieris, ex quo medicus quidam contendebat vermem, scolopendrum dictum, eiectum esse.

B QVVM mulier quædam, nobilis Anconitana, iam diu morbo laboraret, & eum perinique ferret: & inde singultiret, ac vomeret, nonnullos vermes cum vomitu emisit, parvos quidem. Quos cum medicus consideraret, fortè fortuna, scolopendram, vermem terrestrem, unde ceterach, sive asplenium herba, ob similitudinem, scolopendra vocatur, inter eos vermes invenit, magna cum admiratione, cum tam horrendum vermem, ægrotantem mulierem per vomitum emisisse videret. C Porrò illi similes, Bononiæ aliàs evomitos sub magistris vidisse, gloriabatur, id quod falsum esse, ipse contestatus sum, cum opinio eius non aliunde eveniret, quam ex ignoratione vermis illius, quem ille terrestrem esse, scolopendrumque appellari, ignorabat. Fieri autem posse eo, quo evomuit tempore mulier, vermem in eum locum, in quem evomita ceciderant, irrepsisse, vel si magis placet, D id quod non credo, noctu dormiente muliere, & adaperto ore, in eius stomachum ingressum, ut olim evenisse cuidam adolescenti, memoriæ cõmmẽdavit Hippocrates, libro quinto de morbis popularibus. Et Gatinarius alij cõtigisse, historiam citat, vivebat autem vermis hic dum ad me delatus est. Cæterum, cum vermẽ agnovissem terrestrẽ esse, & in homine non genitũ, medici ignorantiam detexi: unde populus miris

miris laudibus, artem simplicium dignoscendorum extulit, & in nostrã ivit sententiam.

Curatio 37. in qua agitur de ascite morbo.

MVLIER ad maris portum habitans, annos nata trigintaseptem, ascite morbo laborabat. Cæterum, elapso nonnullo à morbo tempore, umbilicus huic ex morbo, similis membro virili factus est, & in eo pustula quædam ingenita fuit, quam mulier ungue cum scalperet, inde aquositas contenta profluebat: quod advertentes nos, missarium natura factum, scalpello dilatavimus, ut humor sive aqua illa contenta, liberali⁹ emitteretur. Vivit autẽ & hodie mulier hæc, & rectè se exercet, & ad functiones obeundas, optimè viriliterq. se habet: à qua plus minus libræ viginti aquæ huius, intra menses duos effluxere, magnum tamen splenem (ut sciatis) mulier hæc patitur.

SCHOLIA.

MOrbum hunc, ita curandum esse, docuit bonus ille senex libro de Internis affectionibus, quum ait. Si vero aqua intercus in nascatur, & rumpatur in ventrem, iisdem medicamentis, & potibus, & cibis, ac laborib. quibus priores curato. Vinum vero bibat, austerum nigrum, si vero tibi videatur discessisse ab epate, ferro ubicunq. aparuerit, urito, & aquam paulatim emittito, & velut reliquos priores curato, si vero ab his non sanus fiat, temporis progressu corrumpitur, ac moritur. Morbus enim est gravis, & pauci hunc effugiunt. Cæterum, à natura facta apertura hec, non ita sæva, & periculosa est, ut ea, quam Salamantica, hodie Florentissima, in Hispania, Academia, in alio ascite laborante, notavimus: de quo prima Centuria, sermonem, si rectè teneo, habui.

E

Curatio 38. de febre continua, eveniente à bile furente, & maligna.

HAbrahamus, Oæffus natus annos vigintiquinque, temperatura (si qua altera) sicca, & canina, ad Ascula num portum, febri continua cum laboraret, & cum medici rectè, doctèque F tractarent, elapsis quindecim diebus, à morbi initio, Anconam delatus est. Qui quum febri continua graviter vexaretur, imum ventrem dolebat, & nõ quiescebat, imò furibundè cubili huc & illuc movebatur, idq. assiduò, parũ dormiebat, nihil sitiebat, & rectè ad oblata se habebat, solus in nocte absque socio dormire formidabat. Cujus rei causam cum ab assistentibus interrogarem, respondit quidam, quum nunciũ hic accepisset de morte, amici sibi charissimi, proxima nocte, inter dormiendum, vidisse per somnium se per literas ab amico vocari, expergefactum, G terrore affectum fuisse, & inde mœrore & metu concitatum, solitudinem in lecto timere. Quum igitur hic tam graviter febri laboraret: ut cubili perquiescere non posset, illicò intra huius corpus humores furere, ad quorum motũ hic moveretur, cõiectura atq. argumẽtis cõsequor. Proinde illico purgatorio pharmaco, furẽtes materias respiciẽte, evacuavimus, à quibus depositis, ægrotus dolere desijt, & meli⁹ habere cœpit. Quãquã febris continuò affligens, ut- H cunque eum teneret, qua & alvus mediocriter respõdebat, sed tunc decoctũ hoc præparavimus. R. Ordei mundi, asari, endiviæ, cichoreæ, buglosi, borraginis, ana pugillum medium, radicum endiviæ, buglosi, petroselini, an. un. mediam, senæ drach. sex, prunorum pinguium duodecim, florum cordialium, capillorum veneris ana pugillum medium, seminis melonis mundi, cucurbitæ, batechæ, ana unc. I. libris sex aquæ, omnia excipiantur, & fiat coctura secun-

tur,& fiat coctura secundum artis ministerium, ad consumptionem tertiæ partis, & coletur. Recipe prædicti decocti unci. quinque Syrupi de pomis saporis, de lupulis, de endivia, ana unciam mediam: misce, fiat syrupus, quem in aurora ieiuno stomacho, bibat. At dum hæc pararentur, interim iecur huic illinebatur santalino unguẽto, & spina dorsi, rosaceo, & os ventriculi, roborante, fovebatur, tunc urinæ mediocres conspiciebantur. Huic victus, carnes capi erant, & gallinæ iurulentæ, radicibus petroselini vulgati, incoctæ. Potus vero, vinum optimè dilutum, ordeacea erat, quandoque communi aqua. Elapsis verò sex diebus, huic catapotia ex tribus cum rhabarbaro, obtuli, scrupulorum pondere quatuor, quibus parum egessit. Cæterum, hoc tempore, videns morbum prævalere, & hunc indies graciliorem fieri, cum eum gracilem & siccum esse natura cannina, ac propterea facile in habitum morbum labi posse viderem, ad balneum eum traxi, ex aqua fontana, adiectis paucis herbis, endivia, lactuca & malva. Duobus autem balneis, intra tres dies peractis, ita rectè valere dixit, ut nunquam anteà. Morabatur autem ferè in balneo horam unam, cum eo multum delectari diceret, in fine cuius, ius pulli endivia alterati, ad uncias octo bibebat: & inde absterso, oleo violaceo inungebatur, & ut ne dormiret tunc monebamus. Tunc vero huius vires refici videbantur, & morbus minui: sed nos singulis sequentibus diebus, singulas gabatas prędicti iusculi capi, ventre vacuo, dabamus, & eum optimis cibarijs reficiebamus, & cum venter non rectè responderet, clysterijs vtebamur, medicamenta purgatoria fugientes, demum ordine citato tractatus, intra quinquaginta dies sanitatem obtinuit.

(✠)

A

Curatio 39. in qua agitur, de oris ventriculi dolore.

QVI de oris ventriculi dolore conquerebatur, vir effœminatus, evomere non potuit. Cæterum, ab iniecto clysterio, quo alvus rectè respondit, vocias tres aquæ florum chamæmelæ calidæ ebibit, à cuius potu dormivit, & optimè valere dixit. Est sane distillatitia chamæmelæ aqua, hoc est, ex ipsis chamæmelæ floribus, parata pro ijs
B leniendis ventriculi, & intestinorum doloribus, præcipua medicina.

Curatio 40. in qua agitur, de oris tortura.

VIR quadragenarius, morbis variis vexari solitus, oris tortura ingenti apprehensus est, a qua, ut rectè curetur, in dubium verti decet. Vtrum à paralysi resolutione dicta, an à con-
C vulsione spasmo dicto, tortura hæc evenerit, demum perpensis, & examinatis omnibus, à paralysi ortum, morbum traxisse comperimus. Erat enim in loco attracto, sensus deperditio, cui remedia admovebantur, non despecta tamen nervorum origine, ut secunda Centuria, uberius diximus. Placet tamen nonnihil de hac re memoriæ euocare, ut studiosi, & qui artem medi-
D cam exercent, quidquid in hac curatione desideratur, in promptu teneant. Vir tamen hic, intra mensem sanus factus est.

SCHOLIA.

EST oris tortura, in figura vitium, quod ex accidenti contingit, aut à resolutione nervorum, Græcis dicta, paralysi: aut convulsione, eisdem spasmo dicta. Cæterum, quum à paralysi evenit alterum duorum, vel simul

duo, in eodem membro reperiri necessum est: videlicet, aut sensus, aut actionis, aut utriusq. amissionem: cum vero a convulsione evenit, nullum horum reperiri licet. Porrò cum altera in parte, resoluti musculi sunt, membrum trahitur à reliquis, qui actionem obeunt, & sic sana pars ægram trahit, & tunc attractæ parti medicamenta admovenda sunt, non neglecta (ut dixi) nervorum origine. At si musculi convulsi, hoc est, spasmo, sive retractione affecti fuerint, ij ad se partem valentem alteram trahunt, & sic attrahenti remedia applicabimus. Nec enim hæc altius repetere decet, quando cetera huic rei convenientia, secunda centuria curationum harum abunde diximus, de quibus & Galenus nonnihil attigit, libro de symptom. differentijs, quæ percurrere ne pigeat.

Curatio 41. de angustijs & cordis doloribus.

MVLIER quædam, quæ puellas legere docebat, nocte quadam, angustijs & cordis doloribus valde opprimebatur. Ad eam igitur accitus, breui cucurbitam ad ventriculum affigi iussi, & illico se sanam dixit, ut incantationi opus simile applausis manibus exclamaret. Non minus mulier illa, quæ post ebibitum pharmacum purgatorium, in cordis pressuras, & angustias incidit, ab applicita cucurbitula ventriculi regioni, illico se sanam dixit, & ad Deum pro tanto beneficio preces fundebat.

Curatio 42. in qua agitur de scabie curanda.

IVVENIS scabiosus, qui sæpè plùs iustò calebat, optimo constituto victus ordine, & ebibitis syrupis, bilem atram respicientibus, & repurgato levioribus medicamentis corpore, fomento & unguento sequentibus lavabatur, & illinebatur, & intra mensem sanus

E est factus, habet autem fomentum sic, Recip. herbarum fumariæ, rumicis, scenæ, mentastri, acetosæ ana pugillum unum, libris decem aquæ fiat decoctio sufficiens, ex qua aqua huius universi corpus lavetur, & postea abstergatur, ac unguento sequenti illinatur.

Vnguento contra scabiem.

Recipe lithargirij, cerusæ, ana unciã mediam, olei rosacei, uncias duas, aceti rosati, unciam mediam, sulphuris vivi drachmas duas, salis drachmam unã,

F butyri recentis unciam unã, terebinthinæ unciam mediam, mortario plũbeo omnia tere: misce, & fac unguentum contra scabiem.

Aliud.

Recipe butyri recentis unciam mediam, terebinthynæ drachmas tres, aluminis rochæ usti drachmas duas, sublimati drachmæ quartam partem, succi limonum duorum, ova integra duo, misce, & compone unguentum. Cæterum, curationibus Pisaurensibus sequẽtibus, longè melius aliud comperies remedium, quo purpurati, & nobiles Ro

G mæ frequenter, pro deponenda scabie, utuntur.

Curatio 43. de tertiana, gelidæ potu expulsa.

IOHANNES Thomasius mercator Venetus, & frater Pharmacopolæ Venetijs præstantis, in officina triplici corona insignita, quum ex Antuerpia

H Anconam venisset, ex itineris longitudine, & laboribus contractis, fractus & confectus, in tertianam incidit. Ad quẽ cum intraret medicus quidã, & illi minorans medicamentum propinaret, & sanguinem per venæ sectionem extraheret, & syrupos illi cõcederet, & gravissimè haberet: elapsis quatuor paroxysmis, ad eum sum vocatus die paroxismi, quẽ magna, & ingenti febre afflictũ, ac validissima siti cruciatũ, comperio. In qua accessione assistentes illi, aquam

aquam obnegabant: ego verò, homine, A sic eo tempore vexatum, & valde siticulosum videns, linguam admodum quoque aridam habentem: in cuius urina, nescio quid sublimamenti conspiciebatur, aquam ad satietatem bibere concedo. Quam ille avidissimè uno haustu affatim ebibit: à cuius potu vehementer sudavit, & ita bene habuit: ut sequentis paroxismi die, immunis evaserit: ne tamen in morbum recideret, ex manna, & rhabarbari diluto, purgatus fuit, & basilicè habuit.

Curatio 44. in qua agitur, de colico dolore.

PEtrutius Bergomas, Anconæ mercator, quum dolore colico vexaretur, ab iniecto clysterio emolliente, clysteribus acribus, & potentibus usi sumus, & brevi sanus est factus. Non multò post tamen in quartanam incidit, præstans tamen clyster, pro abigendo colico dolore, hic habetur. R. Anethi, chamæmelæ, parietariæ, rutæ, an. pugillum unum, seminis anisorum, carui, dauci, cumini, ameos, ana unciam mediam, oleorum anethini, ruthacei, chamæmelini, ana uncias duas, butyri recentis, unciam unam, & alterius mediā vini optimi, libram mediam, aquæ libras duas, ad ignem in olla omnia bulliant, & secundum artis ministerium coquantur, colentur: & clysterium paretur, salis drachma una, vel altera adiectas: item mellis cocti, una vel altera unciola: quod si acre reddere cupis, adde trochiscorum alaādal drach. mediā, plus vel minus, pro ægrotantis virium robore, & morbi indigentia.

Curatio 45. de sanguinis mictu, ob casum contingente.

PVella annos nata octo, ex alto cecidit, ac prope spinam ad lumbos vehementer contusa est, & in fronte vulnus non exiguum quoq. accepit. Cæterùm, quum hæc meieret, sanguinem multum, & vividum cum urina emittebat: idq. non semel, sed sæpius ad tertium diem: à renum enim regione sanguinem effluere, tum cōtusio exterior, eos respiciens, tum etiam sanguis ipse, & dolor attestabantur. Proinde loco exteriori constringens medicamentum admotum est, interius verò pulveres adstringendi vires habētes pauco cum philonio persico ebibendos propinavimus: quos B Mesues, capite de rhabarbaro descripsit, & demum sanguis intra tres alios dies cohibitus fuit, capitis quoque vulnus posteà ad aliquot dies, coaluit. Cæterùm, nunc, nunc, cum hæc Ragusij commentarer. Civis iuvenis ex alto cecidit, & sanguinem vividum meiebat, qui eo dicto modo tractatus, sanus evasit: bis tamen illi secta vena fuit.

C *Curatio 46. in qua agitur de vermibus.*

PVeri ab Alba, vermibus vexabantur. Cæterùm, cùm febrirent, & electuarium ex myxarijs, sebestis dictis, cui admistum erat parum boli armeniaci pallidi comederet, sani sunt facti. Porrò, puella scarinthij, quum vermibus quoq. laboraret, & illi tardè medicamentum datum esset, unum præmagnum egesit vermem rotundum, cuius D cum pater pede caput calcasset, ex eo alij prodiere vermes: puella tamen brevi mortua est.

SCHOLIA.

EX verme isto rotundo alij prodiere vermes: quod Hippocrates fieri posse, non negat, immo lib. quarto de morbis, rotundos lumbricos intra intestina parere, & fœtare fatetur: id quod experientia, de rotundo verme isto habita, Hippocratem veridicum attestatur, cum ex eo calcato, & disrupto, alij prodiere

diere vermes ferè ad exitum maturi. Porrò, ut rotundi vermes ij intra intestina nidificāt, fœtant, & pariunt, ita lati nihil horum faciunt: ut citato loco, idem testatur Hippocrates. De quo verme lato, lege sextam cēturiam sequentem, veluti primam, apud curationem sextam.

Curatio 47. De puella à cheradibus liberata, posteà gibbosa facta.

PVella, filia, honestæ viduæ brudorum, alteri ex ijs, quæ à nobis ab scrophulis liberata, sana perseverabat, post elapsum annum, altera spinæ vertebrarum exteriùs deducta est: supra quam, muliercula quædam, ex constringentibus rebus emplastrū cùm admoveret, vertebra utcunq. intus sese recepit: sed posteà paucis elapsis diebus, puella hæc gibbosa apparuit. Pro qua curanda, accitus ipse, ex unguento de althæa, supra gibbam partē, ad aliquot dies inungi iussi: posteà verò constringente cerato, locus munitus fuit, & desuper lamina plumbea superposita. Habet autem ceratum cōstringens eo modo: quo alibi à nobis, in ijs centurijs, descriptum est.



Curatio 48. De urinæ suppressione, ob carunculas in vijs urinarijs habitas.

CYriacus Anconitanus, vir robustus, annos natus triginta quinq;, quum lōgo tempore gonorrhœam esset passus, ad quam carunculæ in vesicę collo, vel urinarijs meatibus, oriri solent, & consequenter urinæ difficultas: quæ & in urinæ retentionem sæpè terminatur: carunculis laborabat, & urinę retentione. Cui malo occurrentes nos, cùm nec medicamentis, nec caractere

E immisso quicquam proficeremus: post quam universum eius corpus purgatū fuit, & gonorrhæa ferè extincta: ad carunculas extirpandas nos divertimus, & scopum obtinuimus: prout ex quarta centuria docuit, & sanus evasit. Est sanè morbus hic difficilis curatu, & à paucis cognitus.

Curatio 49. De morbo gallico, papulis per corpus efflorescentibus.

F

ALovisius Florentinus, iuvenis ex Pixonum familia, mercator à muliere meretrice discedēs, in plures eius universum corpus fœdantes papulas incidit: quarum, nonnullas etiam capiti infixas, habebat. Ad hæc in testiculis ingentem, & ad internecionem usq. sentiebat pruritum, pro quo levando, domandove unguento populeo, nonnullis opij granis, illi admistis, & aceto

G acerrimo dissolutis, eos inungendos curavimus, & brevi à pruritu liber evasit. Cæterùm, pro curatione papularū, & ne in palpebrarum, & capillorum defluvium veniret: à repurgato optimè corpore, decoctum radicis synarum, ad viginti quinque dies ebibit, & tandem sanus est factus. Nec enim opus fuit, pro ipsis abigendis papulis, uti aqua forti argentariorum, aut aqua sublimati, aut unguento aliquo exsiccante: prædicto nanque radicis decocto, penitus extirpatæ sunt. Cæterùm, hic tenui admodùm usus est victu, & eo quidem ex

H siccante.

Curatio 50. De malignis quibusdam tuberculis, quæ in digitorum articulis sæpè oriri solent.

ROsa, mulier Anconitana, sexaginta nata annos, articulario morbo obnoxia,

obnoxia, in manus pollice digito, tuber A
culum articulum prehendens passa est:
ex eorum genere, quæ dolores, & gravia symptomata afferre solet. Pro quo domando, illico emplastrum parare iubeo, quo nullum præstantius, aut divinius excogitari potest, & supra tuberculum admovere. Habet autem remedium sic. Recip. Scabiosæ herbæ, pugillum unum: fuliginis camini unciam unam, album ovi unum, vel duo, salis drachmas tres, omnia optimè triturentur, & fiat emplastrum, & supra tuberculum apponatur. Cæterùm, si tubercu B
lum tibi incidēdum videbitur, incide, & aperi: cui quoque sic adaperto emplastrum admoveatur. Eo enim dolores, & symptomata pessima evenire solita, ex ijs tuberculis, leniuntur, & sæpè omnino remittuntur, immo & tuberculum ipsum, hoc remedio minuitur, & delitescit. Cæterùm, si tibi videbitur corrodendam esse carnem: prout sæpè evenit, utere alumine rochæ exusto, vel unguēto apostolico, vel simili alio, supra tuberculum prædictum semper ponendo emplastrum: quousque omnino compos voti sis. Sic enim mulier hæc sanata est, nec in digito vitium aliquod relictum fuit, ut sæpè ex ijs tuberculis contrahi solet.

SCHOLIA.

Est tuberculum hoc, ex eorum genere, quæ tria sæpè citantur: steatoma, Atheroma, & Meliceris, & sic pro contentorum ratione appellantur, in steatomate sevum referens materia continetur: in atheromate pulticula, in meliceride, mel. Cæterùm, id quod in ijs continetur tuberculis sive abscessibus, nonnūquam putrescit, quandoque digeritur, quandoq. verò ferro exciditur. In steatomate enim propter contentæ materiæ duritiem: nunquam putrescit, nec digeritur, sed ferro exciditur: ut in Cerdone Pisaurensi actitatum est, de quo curationibus Pisaurensibus legito. In Atheromate contentum, & putrefieri potest, & excidi. In meliceride putrefieri potest, digeri, & exedi. Cæterùm, emplastrum à nobis descriptum, tantæ potentiæ & dignitatis est, ut etiam ad carbunculos domandos usurpetur.

Curatio 51. in qua agitur de quartana curata.

Reverendus Concionator, qui linguam sanctam optimè callebat, ex ordine dominicorum, vigente autumno, quartana laborabat: quam iam diu patiebatur. Cæterùm, hic ab epotis decem syrupis, humorem melācholicum respicientibus, & devoratis catapotijs, nocte, ante diem accessionis, melius habuit. Demùm, epotis drachmis duabus theriaces, singulis diebus, in aurora, ieiuno stomacho, veluti die paroxysmi, hora una ante accessionem intra mensem sanus evasit. Cæterùm vir hic doctus, per manus nostras posse brevi curari, sibi persuaserat: quia quartanæ curationem in Centuria nostra prima antea perlegerat. Cæterùm, cibus huic optimus (ut oportebat) erat, non nisi multo piperi, aromathis, & sinapi mistus: potus verò, vinum meracum, ab aqua verò, tāquam ab igne monitis nostris,
C fugiebat. Ea enim splen tumescit, fons, & origo quartanæ, si qua tamen aqua ebibi à quartana affectis, permittitur, ea est, asplenio, ceteracha, sive scolopendra dicta herba, incocta, aut capillo veneris, aut tamarice, à lingua verò Cervina herba, utpote philitide, meatus obstruente, & constringente, fugiendum, iam olim monuimus.

D *Curatio 52. De puero continuò febriente, & circa pectus, dolorem, difficili cum respiratione patiente.*

Filius Zornagæ, cùm iamdiu afflictaretur, & de ventris, & thoracis dolore quereretur: medici iussu, hirudines ano illi applicitæ sunt, & mannam iure pulli exceptam, ebiberat, & dolorum loca linimentis varijs illita sunt: quibus

morbus

morbus gravior evasit. Cæterùm, ad hunc vocatus puerum quinque annos natum considero: obesum, morbo gravi laborantem, vires constantes habentem, & cui olim ego (ut mater, & asistentes testabantur) morbo gravi, & periculoso laboranti, sanguinem, per venæ sectionem, extrahi iusseram. Tunc audacter dextram iecorariam in brachij curvatura aperiri iussi: sanguinisque uncias quatuor fluere: quibus extractis, puer illico melius habuit, & brevi sanitatem exactam obtinuit.

Curatio 53. *De delendis oculorum nebulis.*

PVella, annos nata duodecim, quæ concepta utero materno fuerat, eo tempore, quo pater morbo gallico laborabat, morbosa erat. Cæterùm, huic post ebibitum decoctum guayaci ligni in oculorum nebulas crassas, ob destillationem à capite, incidit: pro quibus delendis, à repurgato corpore, & rubi viti cosi decocto ad viginti dies ebibito: nõ admodum subtili victus ratione constituta, hoc remedio usi sumus, & sana evasit. Recip. Mellis ex ipso favo libras duas, summitatũ fœniculi, florum sambuci, euphragiæ, ana pugillos duos, sacchari candi uncias quatuor, in duplici vase vitreo, fiat destillatio secundum ordinem chimicum, ex qua nebulæ sæpè inungebantur, & tandem sanata est.

Curatio 54. *De puero mingente lotium nigrum, qui non febriebat, sed scabiem ulcerosam multam in capite, & collo, patiebatur.*

FIlius Angeli Anconitani, natus annos quinque, obesulus, cùm bene rectèque (ut parentibus videbatur) gubernatus esset, circa præcipuè sex res non naturales, in capite, & collo, multam scabiem crustosam, ulcerosamve passus est: ex qua ichores, & sanies multæ in dies fluebant. Cæterum, elapso mense, à morbo, puer hic lotium multum, nigrum ad tres dies non sine acrimonia, & virgæ dolore meiebat, absq; tamen febre. Porrò rectè gubernato puero, & abstemio facto, mannæ uncias duas iure pulli incocti lactuca, exceptas, bibit, quas illico vomuit: sed posteà ex cassia ægyptiaca atramentum manibus suis exemptum, comedit, quo alvus optimè respondit, & melius habuit. Ad sequentes verò octo dies, singulis auroris, singulas gabatas plenas iusculo pulli incocti malua, & paucis folijs senæ, bibebat, & tãdem sanus est factus, nec enim ad capitis scabiem quicquam admovẽdum permisi, ex se enim posteà sanata est. Cæterùm, lotium nigrũ quod puer hic misit, crisis & terminus ferè huius morbi fuit.

Curatio 55. *in qua agitur, de Angina.*

PIstor, qui ad sacellum Divi Marci habitat, angina laborabat, febriebat, tussiebat, difficulter respirabat, os non aperiebat: ad latus sinistrum phlegmõ magis declinabat. Quibus animadversis, illicò cephalicam sinistri brachij locum læsum respicientem, secare iussi, & sanguinis uncias decem, per intervalla demere, vires constabant, & emplastrũ extra admovere iussi: nã & gargarismo utebatur. Cuius usu, & emplastri beneficio, disrupta phlegmone ægrotus, ab orci faucibus revocatus est. Tunc verò, aqua mellis gargarizabat, & paucis posteà diebus pancraticè habuit. Erat autem emplastrum, ex nido hirundinis apparatum, ut sæpè iam me fecisse vidistis.

(✠)

Curatio

Curatio 56. De morbo gallico, varijs symptomatis complicato.

LVca, Ligurus, vir robustus, & rei maritimæ maximus explorator: quum ex Alexandria Anconam navigaret: ita malè affectus, & varijs vitijs oppressus erat, ut pedibus deambulare non posset. Nam, morbo gallico vehementisimè vexabatur, & eiusdem ulceribus, ab umbilico, ad pudenda illi omnes particulæ excorticatæ erat, ad hæc, B brachiorum, ita intensum dolorem patiebatur, ut ea movere non posset, nec eisdem functiones obire, per universum quoque corpus, papulas plures habebat: nonnullas verò crustaceas. Gonorrheam nanque iam diu illi familiarem, omnibus prædictis coniunctam quoque patiebatur, cum quibus omnibus, vires imbecilles quadam cum febricula erant. Curaturus igitur hunc, primò eum reficiendum, eiusque vires instaurandas putavi, deficiente nanq. facultate vitali, curatio cassa, & nulla sit necesse est, ut ex Galeni libris, docti C evadimus. Interim tamen ulcerum aliqua nobis cura erat, quia eis maximè torquebatur: adeò ut nec syndones, nec stragula opertoria, supra se ferret, tunc ea ulcera lavacro exsiccandi, & abstergendi vires habente, abluebantur, & unguento plumbeo inungebantur. Refectis tandem viribus, intra octo dies, hunc leviori quodam pharmaco, purgavimus: quo optimè alvus respondit, tandem pro extirpanda mala qualitate, iocinori, & reliquis membris impressa, quæ prima intentio in curatione esse meritò debuerat, ad decoctum radicis synarum bibendum eum traxi: quod ad viginti quatuor dies ebibit, & D eo parum sudabat, alvus tamen, in universa hac curatione, optimè respondit. Cæterùm, vix decimus agebatur curationis dies, quando huic ulcera ex toto sanata sunt, & brachiorũ dolores levati, quibus ita utebatur, ut se sanum diceret, ad triginta tamen dies, curatio protracta fuit, & rectè habuit. Cæterùm, cum adhuc sese non omnino sanum diceret, alium accersivit medicum. Qui ex mercuriali unguento eum illinivit, & ita sinistrè, ut per os universam corporis substantiã spuere illi fecerit: adeò ut tabe, & marcore confectus, diem sui obierit.

Curatio 57. De febre continua maligna, alteri febri, superveniente.

IOannes Florentinus, vir annos natus triginta, temperatura biliosa exusta, ut eum sæpè Hispanum appellarem febri lenta diu correptus fuit: quam acuta posteà subintravit, maligna cordis humores, & ipsius cordis corpus prehendens, magis tamẽ humores. Porrò, calor febrilis nunquam intensus fuit: pulsus tamen parui, diminuti, & debiles erant: caput ad anteriorem partem dolebat, & linguam aridam, & nigram habebat: ut vix eius verba ab asistentibus perciperentur. Delirabat, noctu magis, diu parum loquebatur, & interrogatus rectè respondebat: ad oblata se bene habebat, & alvus utcunque respondebat, huic urina pallida erat, parte in superiori nubeculam divulsam habens. Cæterùm, ijs consideratis, victum huic ex pullo contusum parare iubeo, adiecto ptisanæ cremore, cui pulvisculus boli armeniæ pallidi admiscebatur: item diamargaritonis frigidi species, sed tunc ex vena communi brachij, sanguinis uncias quatuor demendas curavi, qui sanè non admodum magnam præ se ferebat putredinem, unde prædixi, omnia prospera brevi futura. Iam, etsi ex febribus cordis corpus occupantibus, quæ & ipsæ hecticæ sunt, ut fusè iam in his centurijs dixi ex Galeno libris de pulsibus, sanguis extractus optimus ferè semper est. Quare in eis à sanguinis misione, medici prudentes abstinent,

abstinent, modò tales febres pendentiam ab humoribus, & membris alijs non habeant, ut Iosepho aurifici Veneto evenit. Qua de causa illi sanguinem extraximus, ut centurijs per Frobenianos excusis legitis. Cæterùm, ab hac sanguinis missione ægrotus melius habere dixit. Sed tunc spuere cœpit: nam circa pectus pondus sentiebat, & quandoque tussiebat, qua de causa, decoctum hoc parare iussi. Recip. Capillorum veneris, farfaræ, radicum endiviæ, buglossi, borraginis, ana pugillum unum, prunorum pinguium decem, sebesten, iuiubarum, singulorum quindecim, seminis melonis mũdi, cucurbitæ, batechæ, an. unciam mediam, glycyrrhizæ mundæ unciam mediam, florum nenupharis, borraginis, buglossi, violarum, rosarum, ana pugillum medium, excipiantur omnia libris sex aquæ, & fiat decoctio ad consumptionem tertiæ partis, & coletur, cui adde syrupi violacei, nenupharini, oximelitis, ana unc. unam, misce, fiat potus longus, cuius manè & serò magnam quantitatem bibebat. Cæterum, linguæ nobis cura incumbebat, quæ sæpè semine psilij ex aqua lavabatur, & circunflexa canna abstergebatur, & frontis altæ parti oxyrhodinũ admovebatur, veluti cordi epithema refrigerans, quæ sæpè innovabantur. Sed hæc cum tractarentur, ex naribus ei sanguis fluxit: non multus tamen, dehinc nocte quater egessit, & magis solito deliravit, agebatur autem dies (ut assistentes aiebant) octavus à morbo acuto, & maligno introducto. Tũc ego morbum in statu iudicavi, ac victum eius solum ptisanæ cremorem esse iussi, & ad scapulas cucurbitulas quatuor applicandas curavi. Sequenti die, cum hic magna, & ingenti siti torqueretur, & gelidam vehementer appeteret: tam etsi hyems vigeret, aquam ad satietatem ei concessi, qua ipse valde oblectatus est, & ea multum sudavit. Proximo die, melius habuit, & ptisanæ cremor in cibo auctus est, & mannæ electæ, binas uncias & tertiæ mediam in decoctione florum & fructuum cordia-

E lium, ei propinavimus: quo pharmaco alvus optimè respondit, & rectè tunc habere dixit. Exinde vict⁹, ei pullus aqua coctus, esse cœpit, & alia vires instaurantia, ut vinum vermiculum subtile, quod facile concoquitur, & membris apponitur confestim. Decimoquarto die, ex toto sanus fuit factus, qui & nunc rectè vivit. Hoc eodem tempore, febribus quoq; correpti, convaluerunt, Lazarus iuvenis, qui ex nundinis fulgineis, tunc reversus erat: ubi F à medico cognomento uncia, rectè tractatus erat: et miles, qui summi pontificis stipendium merebat, qui cùm febri continua corriperetur, tertio die bile suffusus est, pullicari morbo apparente quoque.

Curatio 58. de Pleuritide in Empyema versa: & hominem, intra quadraginta dies, interficiente.

G

QVinquala Vit temperatura sanguineus, obesus, natus annos quadragintasex, inspirante vento austro admodum calente, qui sese ad internecionem exerceret, male habere cœpit. Cæterum, tertio die ad noctem pleuritide sævissima affligi cœpit: ad quem accitus ipse: eum ita fortiter dolore infra scapulam sinistram, cordis anteriorem partem, prehendente, cruciari invenio, ut me præsente, bis & ter, in H animi deliquium, ob dolorem illum internecabilem laberetur. Totus nanque riguit, quem pannis calidis confestim restituimus, quibus, & locus dolore affectus quoque fovebatur: ut ex millio, & furfure, confecto sacculo, sed interim, dum hæc applicabantur, fomentum hoc apparabatur, quod haber. R. rosarum, hordei, fœnugræci, seminis lini, malvæ, violarum, anethi, camæmelæ, parietariæ, radicis malvavisci, an. pugillum unum, libris decem

aquæ

aquæ omnia excipiantur, & fiat decoctio sufficiens, & coletur. Cui adde olei rosacei, violacei, camæmelini, an. uncias duas: misce fiat fomentum, & spongia nova, vel philtro, vel meliùs vesica bovina semiplena, supra locum dolentem applica, & sæpè innova: ijs enim dolor ille pernecans lenitus fuit. Sed tunc ex interna brachij vena respicientis latus affectum, sanguinis uncias decem demendas curavi, & supra ipsum locum unguento inungi: constante, oleo rosaceo, violaceo, & pauca cera, lana succida excepto: quibus optimè habuit, & eam noctem absque dolore transegit: in aurora verò ad eum divertens, eum rectè valere comperi. Nam, optimè spuebat, & parum, vel nihil dolebat: totum tamen corpus suum tanquam contusum, & verberibus affectum, dicebat: parum gustabat, & id quod gustabat, ptisanæ cremor, aut hordei aqua iulebo violaceo admista erat. Sequenti nocte, dulces somni eum tenuere: ut se sanum asseveraret. Tertio die, ex flore siliquæ ægyptiæ bolum deglutivit, quo alvus optimè respondit, & tunc omnia rectè habere visa sunt. Quarto, cum ex toto se sanum diceret, cum venia discessimus: domi tamen hic ad sequentes octo dies mansit: quibus optimè semper habere dixit. Post octavum verò diem dolore, iterum circa eundem locum, affligi cœpit: non sine febre, & corporis sui lassitudine: ad quem ingressus alius medicus, ita in eo curando segniter, & pigrè se gessit, ut nullo extracto sanguine, solis propinatis syrupis, sexto die illi pharmacum purgatorium dederit: quo die phlegmone disrupta est, & ægrotus empimicus factus. Tempore etenim illo intermedio, fluxio locum illum debilem repetivit, unde phlegmone orta est: pro qua curanda, illico sanguinis copiosi emissione opus erat: quam negligens medicus præterivit: syrupos tantum dando, oblitus verborum Hippocratis. Vltimis morbis, ultima remedia esse adhibenda, & ultimos & exactè peracutos morbos summa, & exacta diligentia indigere: demum sexto die, ab ebibito pharmaco concesso, per medicum indignum, ut medicus dicatur, phlegmone disrupta est: unde ægrotus male habere cœpit: empimicus autem (ut dixi) evasit, à quo die, ægrotus in fluxum ventris incurrit, & saniem per os screare cœpit. Nam phlegmonem intus disruptam esse ægrotus ipse firmabat, quia eam rumpi persensit: sed evidentiores notæ hoc testabantur. Thoracis nanque cavitas, ex ipso pure plena (ut empimicis evenit) evasit: id autem per os interpellatim ita putidum, & fæculentũ, magna quantitate mittebat, & ita pessimi odoris: ut ægrotus ipse amplius eius emissionem ferre non posse, assistentibus non rarò inculcaret. Imò aliquando, ita coacervatim, & magna quantitate, tabum, & corruptum humorem liunc, mittebat, ut quis per vomitum emissum diceret. Demum perseverante ventris fluxu, & putris materiei per os rejectatione, quæ magnam, & ingentem viscerum corruptelam arguebat, tabidus factus, diem suum obijt, quadragesimo die, à morbi initio, non sine medici illius culpa ingenti: aliter enim non moreretur.

Curatio 59. In qua agitur de dolore oculi.

ANTONIVS Baptistæ filius, iuvenis natus annos viginti septem, quum rectè haberet, repentè dextri oculi dolore cruciari cœpit. Dolebat etiam à capite, persentiebat autem iuvenis hic, boni habitus, temperatura biliosus, intra oculum, dolorem pauco cum rubore, absque tamen febre. Pro quo curando, à depositis per clysterem alui fæcibus ex cephalica externa, sive capitali dicta vena, eundem oculum affectum respiciente, sanguinis uncias sex detraximus: a qua sanguinis missione, illicò se rectè valere, nec amplius dolorem persentire dixit.

Ad oculum tamen stillatitiam ex rosis, uno vel altero croci grano, intinctam, admovebat frigidam. Ut enim, quæ auribus injiciūtur, calida esse oportet, ita oculis applicata, frigida, ut sint, necesse est.

Curatio 60. *De urinæ acredine, mordacitate've, ob ulcera à morbo gallico contracta.*

MVlier, quæ ad portū agit, & iamdiu morbo gallico vexata est, ut quoque ex eius facie percipitur, in urinæ ingentem acredinem, mordacitatē ve incidit. Cæterùm hæc, proposito optimo victus ordine, & cassiæ ægyptiacæ pulpamento bis, atque ter deglutito, ac ebibitis decoctis, quæ materiam morbi gallici respiciunt, guayaci decoctum ad quadraginta dies ebibit, & ex toto sanata est.



Curatio 61. *De quadam mala affectione derelicta, à quartana febre.*

RAphael Thadæus, iuvenis Florentinus, & qui Anconæ apud Aloisium Pixonium mercatorem agebat: quum Antuerpiæ quartana laboraret, in Italiam se recepit, & ab ea curatus sanus evasit. Cæterùm, inde eius facies pallida admodum contracta est, ut alio graviori morbo iuvenem hunc affligi, quivis diceret: patiebatur nanque lienis & corporis meatuū obstructiones. Pro quibus abigendis, ab ebibitis syrupis, & apozematis deobstruentibus, & repurgato corpore, decoctum radicis synarum ad vigintiquinque dies ebibit, & floridum colorem solitum adeptus est: fistula tamen ano infixa detecta est, quam antea (ut ille aiebat) non perceperat, Pro qua curanda Hippo. con-

E sulendus est, proprio huic dicato negotio libro, hoc est, de fistulis.

Curatio 62. *De Ramice intestinali, ruptura dicta.*

ESAV Martilinus, iuvenis Florentinus, absque procathartica causa (ut ille aiebat) in herniam intestinalem incidit, quæ descensus intestinorum in scrotum, ob omenti rupturam describitur. Cæterùm, huius curam suscipien-
F tes nos, à depositis alui per clysterem excrementis, intestina per chyrurgum leniter intus reducenda curavimus: tandem accinctus est fascia inguinali, optimè composita, sub qua ad rupturam ceratum nostro, modo apparatum ponebatur. Cuius beneficio, & syruporum, etiam infrà dicendorum potu, intra mensem sanatus est. Agitur autem iam biennium à curatione ista: ille verò (ut ait) ita rectè habet, ac si nunquam hunc passus sit morbum. Habet igitur ceratum mirum, contra ruptu-
G ram, hunc in modum. Recipe gummi tragacanthi, arabici, carabe dicti succini, ana drachmas duas: bdelij aceto dissoluti, acaciæ, mastichis, hipocisthidis, thuris, sandarachæ, boli armeniæ, sarcocollæ, ana drachmas duas, & tertiæ mediam, sanguinis draconis optimi, lapidis hæmatitis verò, mucaginis vesicarum ulmi, ana unciam mediam, visci quercini unciam unam, glutinis taurini aceto dissoluti, drchmas sex, ceræ, resinæ, ana uncias duas, terēda terantur,
H & secundum artis ministerium, fiat ceratum: primò ceram & resinam in cacabo liquefaciendo, dein cætera mittendo: ultimo viscum, & glutinum, tandem ceratum para, me hercle divinum dices.

Syrupus bibendus.

Reci. bistortæ, ossium myrobalanorum citrinorum, mumiæ, granæ tinctorum, radicum consolidæ maioris & minoris,

noris, sarcocollæ, ana unciam mediam, rubeæ tinctorum drach. mediam, ex his omnibus fiat pulvis. Recipe prædicti pulveris scrupulos duos, rob Myrtillorum unciam unam, decocti rerum prædictarum constringentium uncias tres: misce, fiat syrupus, quem ieiuno stomacho bibat, & sæpe iteretur: ijs enim vir hic sanus (ut dixi) intra mensem evasit, qui & nūc apud Ægyptum merces exercendo tauricè valet.

Curatio 63. De puero tumorem prædurum, & ingentem in occipitio patiente, unde paralysis illi supervenit, & posteà obitus.

PVER proxenetæ à Lanxiano, annos natus duos, magnus & obesus, tumorem in occipitio prope nucham ingentem, & prædurum passus fuit. Pro quo curando, accersitus fuit chirurgus, qui emplastrum (nescio quale) tumori superpōsuit, quo brevi tumor delitivit. Cæterùm, paucis interiectis diebus, puer paralysi correptus fuit, adeò ut brachium sinistrum illi ita resolutum fuerit, ut motus in universum expers manserint, & oculus dexter ita infectus, & perversus, ut strabo puer factus sit. At puer hic, paucis posteà diebus, febri correptus est, multis & varijs exanthematis nigris corpusculum occupantibus: unde intra octo dies diem suum obijt.

SCHOLIA.

OB tumoris materiam retroducentem, ad interiora supra nervorum originem, obstructio facta est, quam consecuta est paralysis: sed & oculus paralysi quoque affectus est, qui ut strabonibus apparet, perversus erat, & vix à palpebra claudebatur. Nam oculum ipsum, cum ipsa palpebra ægrotus non movebat: quem casum, non rarò ante nos, prisci multa laude digni, notarunt: ut accuratè Aetius sermone septimo suæ rei medicæ, cap. 49. pertractat, quem percurrere ne pigeat. Lactaverat autem puer hic matris suæ lac, quæ hectica febre, & phthisi laboraverat, & ex ijs consumpta non diu ante tumoris apparitionem obierat, unde fortè puer morbum contraxit, & obitum. Hoc eodem tempore, huius pueri patrem ab hectica liberavimus, quam contraxerat ab uxore, quæ paucos antea dies phthisi, & hectica consumpta, diem suum obierat: quam ipse diu curaverat, tractaveratque.

Curatio 64. De febre ardente, cum pulicari morbo.

VXOR piscatoris, mulier procera, & corpulenta, quadraginta nata annos, ardentissima febri corripiebatur. Ad quam accersitus, eam sic ardenti illa febri, pulicari symptomate per universum corpus florescente, vexari comperio, multis rubris, paucis verò lividis exantemathis apparentibus: unde huic illicò sanguinis uncias decem demendas curavi ex brachij dextri vena basilica: erat autem sanguis non admodum corruptione affectus. Cæterum, victus ratione, prout similibus febribus correptis fit, constituta, & propinatis syrupis ex succo acetoso, & acetositate limonum, quinto die, per nares, sanguinis fluxum adeò copiosum incurrit, ut opus fuerit retractionibus, frictionibus, vinculis, ac ad nares torundis pulveribus constringentibus ovi albumine exceptis, uti: imò ad tempora & frontem, gypsum, ovi albo mistum, & plagulis exceptū admovebatur, tunc sanguis desijt per nares fluere, & in os cadebat. Cæterùm, ab oxicrato ore detento, sanguis ex toto cohibitus fuit, & mulier ex toto libera. Hoc eodem tempore huius mulieris filiæ duæ, eisdem febribus, & symptomatis correptæ erant, quæ & ipsæ sanatæ sunt.

(✠)

Curatio 65. De aurigine morbo, simul cum tertiana duplici infestante.

AMoretus iuvenis Florentinus, natus annos tres supra viginti, temperatura biliosa(si qua altera)aurigine morbo, simul & tertiana duplici laborare cœpit. Cæterùm, huic occurrens ego,in brachij curvatura internam secari feci venã sanguine ad uncias octo diminuto: syrupos quoque iecur respicientes,& eum ab obstructionibus liberantes exhibuimus: ultimò denique pharmaco purgatus ex rhabarbaro & electuario à dactilis, in quo oximelitis parum affusum erat, composito, bene habuit,& sequentibus nonnullis diebus rhodosaccharum ieiuno stomacho comedebat,& stillatitiam cichoreæ supra bibebat,ac tandem sanatus est. Erat autem huius lotium,adeò croceum, ut familiaribus admirationi esset. Hoc eodem tempore,in eadem barbarinorum domo, Petrus Franciscus à terra nova, mercator diligentissimus, à nobis ex articulario morbo,curatus est,qui & ipse sanitatem obtinuit.

Curatio 66. in qua agitur de veteri fluore rubricante.

VXor Oriẽtalis mercatoris, qui ad ædem Divi Rocchi habitat: postquam abortivit, fluxum ordinatũ passa est:qualem tamen parientes vel abortientes, solitæ sunt pati, à quo optimè valuit. Octavo postea die, fluor muliebris rubricans, qui à toto corpore decidi solet, illi supervenit: ita copiosus, ut sæpe mulier hæc animo linqueretur. Ad hanc igitur vocatus ego,post septimum diem,eam habitu gracilem, viribus tamen utcunque valentem deprehendi:quæ ad ea quæ illi offerebantur,

E mediocriter se habebat: tunc verò universa intentio nostra eò dirigebatur, ut hunc compesceremus fluxum:quando ex illo, mulier hæc sæpe in animi deliquium incidebat,ut timor esset aliquando,ne ex toto deficeret,& moreretur. Cæterùm, quia mulier hæc etiam de stomacho querebatur, & ad gulam nescio quid persentire se aiebat, vomitorium medicamentum hoc paro, ut humorum fieret aversio, retractione. R. Seminis raphani, cumini, rapæ,cæ-
F parum, anethi, ana drachmas duas,seminis staphisagriæ scrupulum unum: in libris duabus aquæ para ad ignem decoctum,& cola,cui adde,agarici optimi,candidi,in pulverẽ redacti,drachmam mediam, oximelitis unc. unam, & alterius mediam, misce,fac vomitorium, & tepidum bibendum trade. No visti tu, quæ tepida sunt, stomachum dissolvũt,& eum ad vomitum pronum reddunt: hoc etenim vomitorio medicamento multa evomuit. Dein verò ex diacitonite ante esum parum gustavit, ut eius stomachus roboraretur, qui la-
G xus & dissolutus erat. Huius victus,capi, aut hædi, carnes erant assæ potius quàm aqua coctæ, quibus assis sive elixis, aromatum vice species hæ injiciebantur. Reci. Seminis summachiorum optimè pistorum,drachmas sex,coriandrorum preparatorum drachmas tres, boli armeniaci pallidi, drachmas duas, cariophillorum drachmam mediam, misce, & tere, & fac pulverem: cuius pauxillum pro vice infunde: sed in potu vinum rubrum austerum aqua calybeata dilutum habebat: sed interdiu &
H noctu iulebum hoc bibebat. R. Aquæ plantaginis, stipitum rosarum, ana libram unam, rob myrtillorum, uncias duas, misce, fac iulebum longum, de quo bibat, & eò minùs quò potuerit, ijs enim ordine digestis, radicibus mammillarum,cucurbitulas duas magnas affigi curavi: post quas fluxus non ita copiosus erat: imò tunc ex se, materia per secessum derivata est, sæpe nanque egerebat, & tunc, ut consequens erat, ex utero fluor imminutus est, sed

sed cum posteà ventris fluxus restrictus sit, ex utero fluxus iterum ad solitum suum cursum redijt. At cum tunc ad manus esset ceratum contra rupturam paratum, curavi, ut obstetrix ad os ventriculi, eius parum in panno coccino admoveret, veluti & parum quoque ad imum ventrem. Quibus, prædicto regimine, ita fluor hic restrictus fuit: ut intra octo dierum spatium, post meum accessum sanata fuerit: rarò sanè morbi ij curationem recipiunt, & eò magis si iam veteres sunt.

A

Curatio 67. De puero continuò febriente, cui datum est purgatorium pharmacum, quo mirum in modum sudavit, & liber à febri mansit, quæ postea in quintanam degeneravit.

B

PVER Alpharinorum, quum febri cōtinua laboraret, & bene haberet, non multum posteà, ab ingestis pomis viridibus in febrem recidit, huic post per iniectos clysteres, deposita ventris excrementa, sequenti die ad eum accedens, syrupi rosati solutivi uncias duas, tribus aquæ portulacæ mistas, ieiuno stomacho propinavi: quibus ita in sudorem copiosum, universum eius corpus irrigantem, ad tres horas pervenit: ut inde liber à febri maneret: ex pharmaco autem purgatorio, per sudorem evacuans humores factum est. Cæterúm, elapsis posteà quinque diebus, puer hic, febri correptus est, à qua sudore mūdus evasit: posteà quinto altero sequēti die, eadem febre in eadem hora oppressus fuit, à qua & sudore liber evasit: sed & quinto altero sequenti die, simili paroxysmo vexatus est, à quo & sudore in totum sanatus est. Quintani autem tres ij paroxysmi à me in hoc puero deprehensi sunt: adeò evidētes, & manifesti, ut ex tertianis quotidie percipiuntur, evenere autem hęc, mense Iunio.

C

D

Curatio 68. De ægylope, à morbo gallico, in angulo oculi, contracto malo.

MVlier, quæ ex sancto Lupidio ad me delata est, morbo gallico laborat. Nam eo, maritus antea laboraverat, ex quo Romæ curatus fuerat. Cæterùm, hæc ex ipso morbo ulcus in naribus cōtraxerat, & ad oculum in magno angulo, hoc est, intra nares, & ipsum oculum, ægylopem, non admodum tamen inveteratum malum: nondū enim in fistulam dehiscerat, & in capite tuberculum magnum patiebatur, & prope alterum oculum duritiem quādam, quam omnes affectiones, ac vitia, capitis ingens dolor comitabatur. Erat autem mulier hæc, annos nata, quinque supra triginta, cuius alvus, nisi clysterijs, aut balanis irritaretur, sex & octo dies, absque secessu permaneret, causa non parua: ut morbus hic difficilis, & gravis, indies magis, & magis foveretur, maligniorque evaderet. Omnia igitur hæc ipse considerans, quæ symptomata anteà cum essent, morbi evaserunt: sic victum huic instituo, quantitate, prout longitudo morbi, & ipsius vires postulabant: qualitate verò, cibaria optimi succi essent, commendaveram: potus verò, aqua decoctionis cinnamomi: ijs enim ordine digestis, syrupos hos, hæc bibere cœpit. Recip. Syrupi de fumoterræ, de epithimo, de elleboro, an. unciam mediam, infusionis senæ uncias quinque, misce, fac syrupum, quem ieiuno stomacho, ebibebat, & octies repetebat, in fine quorum, hęc deglutivit catapotia. Recip. Pilularum de nitro Alexandri, scrupulos duos: aurearum, de fumo terræ, an. scrupulum unum, diagridij, grana tria, trochiscorum alaādal, grana duo, omnia syrupo de fumo terræ excipiantur, & formentur pilulæ quinque, quas hora septima noctis deglutivit, & inde nocte dormivit, quibus alvus optimè respondit: tūc

verò ad decoctum radicis ſynarum eã traximus, quod ad triginta quinq. dies ebibit: ſubtili admodum victus ratione inſtituta, & abſtemia facta. Cæterùm, paucis interiectis diebus, poſt potus initium, narium ulcus, ubi os denigratum comparuerat, candente ferramento, leniter exuſsimus, & (ut decet) tractavimus: ſed ægylopem ita tractavimus, ut pro ea curanda non uſi ſimus uſtione: nondum enim os corroſionem, aut ingentem putrefactionem in ſe contraxerat: quanquam non tantum quartum diem: ſed alios plures ægylops ipſa, tranſegerat. Et hoc eſt, de quo Gal. contra Apollonium, & Archigenem conqueritur: contra primum, ut qui nulla pharmaca ad ægylopàs deſcripſerat: quia fortè, quum morbus hic acribus curari debet, ab eis oculus officitur, & affectæ partis inflammatio magis augetur. Item quia per neceſſaria ad affectionem curandam, pharmaca liquida maiori ex parte ſunt: quæ cum locus non tolerat, quia neceſſario ex eis in oculum aliquid influit, ideò poſtponenda ſunt: contra Archigenem verò, quia perpauca ſcripſit remedia, pro hoc curando morbo, dicens, morbum hunc per chirurgiam curari debere: ſed Galenus, Archigenem, toto cœlo errare, contendit: cum morbus hic non ſubjiciatur manuariæ operæ: ſed pharmacis potius ſecundum genus, & id magis quando nondum ulcus ad oſſa uſq. dehiſcit in fiſtulam. Galeni igitur doctrina munitus ipſa, morbum hunc topicis remedijs profligandum curavi: proinde, ad emplaſtrum à nobis iandiu deſcriptum: pro hoc eodem morbo eradicando: cuius iam anteà longam habueram experientiam, confugi, ex cuius applicatione, res ita felicem habuit ſucceſſum: ut nullo alio remedio uti opus fuerit, erat autem durities ad angulum magnum, prope nares, ingens, & orbiculata. Cæterùm, intra oculi ipſius angulum, foramen parvum erat, per quod ſanies effluebat, unde oculus totus malè affectus evaſerat: immo ex ipſo angulo, palpebrarum circunferen

E tiæ duræ, ſcabie, & contortæ apparebant. Advertendum tamen duximus, quod ſingulis curationibus, anteà quam emplaſtrum admoveretur, à nobis inferius deſcribendum, ex ipſo decocto radicis ſynarum, oculus, & nares, immo & tuberculum capitis lavabantur: fovebanturque: ſic enim intra triginta dies ægylops ex toto ſanitatem obtinuit, ex narium verò ulcere, elapſo quinquageſimo die ab uſtione, tria exẽpta ſunt oſsicula, & viginti alijs ſequentibus, clauſa univerſa curatio fuit. Porrò, tuberculum capitis, prædicto de-

F cocto radicis ſynarum quoque, fovebatur: quod poſtea abſterſum, ex unguento ab althæa, pauco argento vivo miſto inungebatur, fricabaturve: ſic enim ex toto mulier hæc intra hoc prædictum tempus, ſanata eſt. Habet autem unguẽtum, ſive ceratum ex noſtra deſcriptione, contra ægylopas, ſic. R. Pulveris teſtarum cochlearũ drachmas duas, myr

G rhæ, aloes lotæ, thuris, an. unciam mediam: ſarcocollæ, ſanguinis draconis, ceruſæ, ann. drachmas tres, opopanacis aceto diſſoluti, lapidis hęmatitis veri, an. drachm. unam, & alterius mediam, croci ſcrupulos duos, ceræ, reſinæ, ann. unc. tres, miſce, & ad ignem ſecundum artis miniſterium, para ceratum, & angulo oculi admove.

Curatio 69. Piſauri habita, in qua agitur da ramice carnoſo, va- H rijs alijs affectionibus complicato.

PIſaurum venimus, urbem antiquã, de qua Catullos dixerat.

Sedes moribunda Piſauri.

Nunc verò civitas nobilis eſt, & magnifica: in qua ita ſalubri aere, & clementi, amænaque aura fruitur, ut nuſquam (quod ſciam) ſalubrius aut vegetius vivatur, ſed id in cauſa eſſe, à ſenioribus civibus accepimus, in totum exſiccatas lacunas, à quibus olim

inficiens

inficiens & pestilens aer expirabat, item, quia silicibus munitæ viæ, nunc lateribus sunt ornatæ. Cæterum, Pisaurum, ita fructibus, & ad victum hominis, pernecessariis bonis abundat, ut hodie Italiæ totius hortus dicatur; & merito, quum inde ingens tritici, vini, fructuum, & frugum copia, per varias totius Italiæ partes dispartiatur. Hæc dum scriptis mandaremus regnabat Guidus Vbaldus Illustrissimus Vrbini Dux quartus, & Pisaurensium dominus clementissimus, & liberalissimus, qui, ut est omni genere literarum ornatus, & in gerendis bellis alter Mars, ita Iustitiæ administratione alter Traianus habetur. Sub cuius tutela Pisauri aliquot menses moratus sum, & ex pluribus, quibus medicati sumus ægrotantibus, paucas has curationes memoriæ comendavimus, quarum prima seques habetur. Iacobus Mantuanus, mercator Pisaurensis tres supra quadraginta annos natus, temperatura biliosus, & qui ad rixas ita promtus est, ut vel ex facili causa, furibundus ad arma currat. Hic adeo morbosus est, ut in hoc vitæ suæ cursu, magnam partem affectionum, quæ homini evenire solent, sustinuerit, nam à capite distillationẽ patitur, ex q̃ua gravissima tussis per intervalla oritur, quæ ipsum insomnum tenet, quas affectiones comitantur scapularum, & toxendicum dolores, veluti coli intestini affectio, & renitens curationi ramex carnosus. Pro quib. abigendis, profligandisve tã varijs, tàmq. concatenatis, ac contumacib. affectionibus, multi multa, & doctrina, & artis excellentia præstantes viri machinati sunt. Nam & decoctũ guayaci illi ebibendum tradiderant, quo peius habuit & Thermarum aquas non paucas Patavij ebiberat, sed frustra, quo tempore ramicem, ita sinistrè medici tractarũt, ut ipsis in testiculis cavernosum ulcus fieri permiserint, sed tunc docti medici Veneti ad nucham, fontem sive ulcus, candente ferramento excitarunt: per quem paratum fonticulum muf-

A ci & solitæ destillationes, foras utcunq. exibant, adeò ut curandis testiculorum ulceribus locum præstiterint, & cæteræ affectiones non ita sæve cruciarent, carnosus tamen ramex, cum ijs contumaciter vigebat. Ad hunc igitur accersit⁹ ipse, præter citatas affectiones, alias nonnullas pati deprehẽdo, iecur nanq. calidum admodum habet, in lotioque album pituitosum multum emittit. Gonorrheam non patitur, sed eam longè antea viderat, proinde curationem sic adorior, & primo, vigebat nanq. hybernum tempus, minorans medicamen-

B tum illi ebibendum dedi, sequentibus verò diebus, ex decocto sequenti, uncias decem in aurora, ieiuno stomacho bibebat. R. Myrobalanorum citrinorum, chebulorum, indorum, an. unciã mediam: polipodij quercini recentis unciam unam, ligni sancti uncias duas, corticis eiusdem, unciam mediam, radicum cichoreæ, endiviæ, an. pugillum unum, seminis melonis unciam unam, ordei integri pugillum unum, passarũ de corinthio uncias duas, foliorum, & folliculorum senæ, an. unc. mediam, rosarum rubearum pugillum mediũ, libris septem aquæ excipiantur omnia,

C & fiat decoctio secundum artis ministerium, quousque maneant libræ tres, facta colatura, & expressura, adde syrupi de lupulis, de fumo terræ, de endiuia, an. unciam unam, misce. Ex hoc cęterum apozemate, ut dixi singulis dieb. singulas decem uncias bibebat, quib. in dies ter, & quater egerebat, ut triplicato apozemate hoc, non opus fuerit illi purgatorium aliud medicamentũ propinare: quo ita rectè valere inculca-

D bat, ut nunquam antea: tunc vero ad ramicem carnosum, ceratum hoc descripsi, quo ita imminuta carnositas & durities illa fuit, ut ægrotanti, & assistẽtibus admirationi fuerit, habet autem ceratum sic. R. Ammoniaci pinguis, & optimi, uncias tres, in aceto eas macerata: & ad ignem, cerati modo redige, & postea illi adde, marchasitæ argenti, & auri, in pulverem redactæ, πυρίτην Græci

ci, latini ignarium lapidém appellare E solent, unciam unam & mediam, & in altura, ad equi ferri figuram, aut dia dematis, aut lunæ falcatæ effigiem extendatur, & loco affecto superponatur. Cæterum, ne destillatio virum hunc nobilem male afficeret, ad sinistrum brachium, fonticulum machinati sumus, quatuor ab humero digitos, sequenti hoc vesicatorio, ut tyrunculi addiscant Accipe canta rides ex aceto maceratos, quindecim, euphorbij scrupulos duos, in mortario in pulverem redige, & fermento excipe vesicatorium, ex quo caput cavum glandis infarciatur, & loco signato infigatur, F modo in eius circuitu, ceratum in medio perforatum circumponatur, & aliud ac manutenens superponatur, ne hinc inde currendo, locellos exulceret. Sequenti verò die disrupta vesicula, loco exulcerato, granum ciceris adaptato, & parum prædicti cerati, scilicet, diachilonis, vel similis superponito, & fascia optimè fasciato, & singulis diebus, granum bis innovato: sic autem factitando, fonticulus absque dolore apertus manebit, per quem mucorum & destillatio- G num magna divertitur quantitas. Cæterum, ijs intra mensem, hic ita rectè valere dixit, ut nunquam anteà: solent autem pro simili testiculorum atterenda duritia, uti medici fomentis, linimentis, cataplasmatis, unguentis, vaporationibus, suffumigijs, veluti varijs alijs, quæ referre non vacat. Porrò hæc Ragusij cum commentaremur, occurrit Hilarius Senensis, vir trigintaseptem annos natus, qui ramicem aquosum, & prædurum pa- H titur, ex quo cum singulis sex mensibus (scroto inciso) humorem contentum foras trahat, rectè habet, immo si non coit, peius habet.

Curatio 70. quod propagines venæ aiugos, id est, venæ paris expertis, coniunguntur ramulis venæ cavæ, thoracis internas partes nutrientibus.

NOLLEM, quis mihi vitio vertat, quod Vesalij Bruxellensis opinionem memoriæ revoco, quam curationum medicearum harum centuria prima, ab hinc octo annos confutavi: est nanque Andreas Vesalius Bruxellensis vir medius fidius doctus, & honore multo dignus, ut qui magna cura, & ingenti solertia, ac non vulgari labore, rem anatomicam, hac ætate illustrarit, & ita illustrarit, ut primas in hoc munere inter medicos obtinuerit, coactus tamen, eius opinionem (testis est Deus) in medium affero, ob quam vim, unũ pulchrum accedit, quod ratio propter quam in pleuritide dextra axillaris dextri brachij secatur, in sinistra verò axillaris sinistri illustratur. Prædixi nanque prima centuria Andream Vesalium, Caroli quinti Imperatoris medicum, non rectè dixisse, quãdo in pleuritide, sive phlegmone partes occupet dextras, sive lævas, dextram axillarem semper secandam esse, ex eaq. sanguinem mittendum, memoriæ commendaverit. Credebat nanque Vesalius, quia vena aiugos, quæ à vena cava iuxta cor, in dextra parte oritur, & ad inferiora reflectitur: crassa, & multo sanguine refecta est, optimum consilium fore, si semper, quacunq. in pleuritide dextra, sive sinistra, axillaris vena secetur, ex eaq. sanguis mittatur, quam opinionem Vesalicam, ut erroris plenam, nos citato loco confutavimus. Quia in corporibus humanis, a nobis magna dissectis diligentia, comperimus ea, quæ venam hanc sine pari intrant, non amplius remeant, nec foras transmittuntur, obviantibus, impedientibusq. ea,

ostiolis quibusdam, quæ ad recipiendum aperta prostant. Cæterum, ea quę recipiunt, nunquam remeare sinunt, proinde credens Vesalius in axillaris dextræ venæ sectione, magna sanguinis quantitas per venā sine pari phlegmonē alente, extrahitur, quod summū remedium sit axillaris dextri lateris vena, in omni sive dextra, sive sinistra pleuritide, secetur: sed ille ignorans, per venam illam, nihil sanguinis foras evocari, hanc in lucem misit opinionem. Quam postea Leonardus Fuchsius Germanus libris suis Anatomicis, veluti commentarijs suis in Galeni librum de sanguinis missione per venæ sectionem omnib. vulgarem fecit, & ita pro coronide habet, si pleuritis latus dextrum, tam in parte alta, quam in parte infima, occupaverit, sanguinis missio ex axillari dextra fieri debet. Si vero sinistrum offenderit, distinguendum, vel dolor lacessit costas tres superiores, vel novem inferiores, si tres superiores, ex latere sinistro sanguis demendus est, si novem inferiores, ex brachio dextro sanguis extrahendus est. Quoniam novem hæ costæ (ut ille ait) aluntur, propaginibus & ramulis venæ aiugos, id est, paris expertis venæ, quæ ad latus dextrum iacet. Cæterum, cum à nobis compertum sit, per venā sine pari, sanguinem foras non venire, nec remigrare, consequens est, Vesalij & Fuchsij ratiocinationem cassam & vanam esse, ut Commentarijs meis, quos supra Avicennæ Fen quarta, libri primi conscripsi, uberius dixi, præfixo etenim Avicennæ textu, per Iacobum Mantinum Hæbræum, fideliter verso, & à nobis reviso, & latiniori facto, commentarios scripseramus, me herclè, ut ab ijs, quibus legendos dedimus, accepimus, non obscuros. Quos Anchonæ in ea bonorum direptione, una cum universa mea supellectili, & non parvo argenti pondere, ac non cōtemnenda bibliotheca, amisimus, speramus tamen, ad aliquot dies, relutuptis viribus, hos commentarios, denuò parturire, ædere, & in lucem mittere,

A ut noscant omnes, meos illos esse labores, non illius, qui alienis se plumis ornare cupit. Sed de ijs satis, & proposito redeuntes, scire decet, quod cum hęc de pleuritide prædicto in loco tractassemus, ut rem claram, & omnib. evidētem faceremus, indicaremusq. causam, ob quam in pleuritide, interna secanda sit vena, dextra in dextra, sinistra in sinistra, dixi, quod rami venæ sine pari coniunguntur, & copulantur osculis venarum propagatarum à vena axillari, quæ internas thoracis altas

B partes alunt. Id quod nunc ita esse firmamus, quando sic in corpore uno, vel altero, a nobis dissecto, evenire observavimus: quanquā varijs alijs in corporibus, venæ huius aiugos ramos, non omnino coniungi, & copulari pro paginibus venæ axillaris in thoracis interna alta parte percepimus, sed ita oscula osculis sunt propinqua, ut non difficilis sit transitus humorum contentorum ab unis venis, ad alias: adeo ut si non copulentur copulari tamen, & con iungi videantur, ut in omnib. fere evenire percipimus. Nobiscum hac in re

C est, Bartholomæus Eustachius ducis Vrbinatis medicus, qui ita rem haberi, per literas è Roma mihi significavit, ut prope diem, docto, & eleganti libro suo de Anatomia in lucem futuro, omnibus palam faciet. Cæterum, ut de hac re plenius dicamus, sciatis, quod rami venæ paris expertis, qui per inferiores costas distribuuntur, quando versus sternum reflectuntur, non solū coniunguntur, sed eædem evadunt cū ramis venarum, quæ sub os pectoris

D currunt, quæ originem à vena cava in iugulo antea quam dividatur, habent. Item, ut supremam, & ultimam manum huic rei imponamus, dicimus, quod venæ insitæ spatijs intercostalib. inferioribus, ex se mittunt venas iustæ crassitudinis, & notatu dignas, ad thoracis externas partes, quæ coniunguntur propaginibus, & ramis thoracis in parte exteriori, qui ortum habent a vena axillari, & sic quoque vena sine pari cum axillari consensum habet, ex eodem

dem loco,& parte. Athæc ita ingenti speculatione,diligentia,& cura,ut adipiscantur, indigent,ut perpauci hodie extent,qui rem hanc ita se habere noscant: non vulgari igitur diligenciæ deditus sit,immo ingenti labori,& assiduo studio incumbat oportet is, qui ad artis medicæ cacumina pervenire debet:prout de virtute acquirenda, ex Hesiodo,decantatur.Hæc porrò si Sylvius Parisiensis in sua (ut ille ait) contra Vesalium Apologia,sciret,nunquã me herclè sileret, ac sic ex tam multis debacchationibus frivolis, futilibusve depulsionibus, aliam vera min lucem mitteret.

Curatio 71. de Ischuria, id est, urinæ suppressione, ob urinæ fistulam crassis, & lentis humoribus constrictam.

VIR Venetus nobilis, qui Pisauri agebat,& urinæ omnimodã suppressionem, propter crassos, & lentos multos humores, urinæ fistulã obstruẽtes,patiebatur,ita afflictabatur,ut in vitæ desperationem veniret, quum non nisi accersito chirurgo,& immisso catectere,meiere posset,proinde,ut nobilis vir hic expedite meieret,ne catectere, nec chirurgo opus haberet,sic curationem adorior:ebiberat autem antea plures syrupos, & pharmaca purgatoria varia.Recipe radicis raphani,fœniculi,apij, saxifragiæ, ana unciam mediam:corticis radicis anonis vel ononis,dictę remorę aratri,unciam unam, capillorum veneris, agrimoniæ ana pugillum unum,baccarum Alkekengi numero viginti,seminis asparagi, rusci, urticæ, cari, ana unciam mediam, florum sambuci, chamæmelæ,ana pugillum unum, in libris sex vini optimi albi,fiat decoctio,quousque remaneant libræ tres.Facta colatura,& expresio-

E ne forti, adde theriaces optimæ, si quæ habetur, uncias duas, misce, fiat potus longus, ex quo ieiuno stomacho bibat uncias octo vel decem: sed exterius, ad partes inferiores, etiam intra testes,& anum,hoc illinebatur lenimento.Rec. aquæ vitæ unciam unam, olei scorpionum uncias duas. Mithridati antidoti optimi, unciam unam,& alterius mediam, cantaridum panno lineo exceptarum, numero duas, cũm cera ad ignem fiat linimentum secundum artis ministeriũ. Cæterùm,linimentum præcedebat balneũ, ex oleo cõmuni apparatum: in quo incoctæ erant nonnullæ F ex citatis herbis, quibus ita rectè habuit: ut deinceps non opus haberet catectere, aut chirurgo, expeditè autem meiebat. Porrò,pro hac complenda operatione,succus limonis pondere trium vel quatuor unciarum, approbatissimum habetur remedium, sua nanque acutie,crassas,& lentas attenuat, & subtiliat materias. Qui quoque G pro extinguenda gonorrhæa, primatum habet: ut millies experientiæ compertum habemus, caute tamen limonis acidi succus bibatur, decet: cùm impotentem sæpè hominem reddat,& ad procreandam sobolem inhabilem, ut cuidam ex principibus Italiæ, superioribus annis,in bello Germanico evenit. Cæterum, ad ægrotum, de quo agimus, redeuntes, interim dicta parabãtur:hic optimo victus ordine utebatur: vescebatur autem ficedulis, & alijs aviculis montanis, perdice, turdo, veluti & pullo Gallinaceo. Ex herbis H verò aneto benè olente, fæniculo, petroselino, caro, mentha, cerepholio, cappare, & similibus: quæ aperiendi, & incidendi vim habent: eius nanque potus vinum album generosum erat, non enim iecoris, aut renum caliditatem extraneam timebat.

SCHOLIA.

TRIFARIAM urinæ meatus constringi contingit (ut memoriæ cõmendavit Galenus, libro primo de locis affectis, cap. primo) aut

aut enim vesicæ corpus inflammatione, vel scirrho, vel abscessu, vel alio quovis tumore; ita in tumorē insignē attollitur, ut eius meat⁹ adeo occupetur, & constringatur, ut per eum urina reddi nequeat. Secundo, urina supprimi solet, ob rem præter naturam, quæ meatui innascitur, ut lapidem, callum, carunculam, quā semper ulcus præcedere solet, & ulcus hodie gonorrhæa, aut grumum, aut pus, aut lentum crassumq. humorem, prout in casu nostro contingit, qui (ut citato loco adnotat Gal.) ex ijs est, quæ longo temporis spatio, & paulatim nasci solent. Cæterum, habet unaquæque harū rerum suas notas, per quas coniectura artificiosa, deprehendit medicus exercitatus unam, vel alteram in causa esse, quod urina suppressa sit. Qui igitur ad curationes accingitur, primò sub magistris exercitatus accedat oportet. Nos vero, hunc virum, hanc affectionem à crassis, & lentis humoribus trahere deprehendimus: ijs precipuis notis, quia non à lapide non à grumo, non à caruncula, non à tumore, ergo ab humoribus crassis & lentis: & eo magis quia immissa argentea fistula, catectere dicta illico meiebat, & cum urina ipsa, crassi, & lenti humores excernebantur. Item quia vir erat in otio educatus, & multis cibarijs, crassos, viscososq. humores generare potentibus, fuerit usus. Cæterum, affectio hæc ischuria vocatur: que & ob renum vitia non rarò evenire contingit, & tunc periculosissima est, ut Anconæ semel notavimus in dulcicario homine magno & robusto, qui in foro fontis habitabat, & Ragusij in homine obeso, & grandi: sed ij inde diem suum obiere.



Curatio 72. de dolore gallico, cream, tibiæ anteriorem partem infestante, & per theriaces applicationem amolito.

QVI patiebatur morbum gallicū, & male habebat, post remedia adhibita, melius habuit. Cæterum, circa cream, id est, tibiæ anteriorem partem semper doluit: pro quo propulsando dolore, multa & varia topica remedia, aliquando calida, aliquando frigida, admota sunt, sed frustra, immo ad opium perventum est, & nihil contulit. Proin-

A de considerans eo in loco, nullum esse humorem, nullam qualitatem manifestam, in mentem venit, qualitatem venenosam aliquam a maligno humore derelictam, tibiæ particulam illam infestare. Pro qua abigenda, domandave theriacam, summum futurum antidotum, coniecto, & re vera, à ratiocinatione hac mea minime sum defraudatus, cum post applicitam theriacam dolor ita evanuerit, ac mus, conspecto fele. Nam theriaca adulta, calida est, & potens, utpote ex tam multis, & potentibus, ac plæclaris simplicibus composita.

B Cæterum, similibus doloribus, quoties theriaca non opitulatur, illi adiungendum suadeo oleum ex guayaco ligno paratum: sic enim theriaca oleo huic mista, similes facile detrudit dolores.

Curatio 73. de angina sæva delitescente, & hominem postea interficiente.

C LAVRENTIVS de Gentilibus, publicus notarius Pisaurensis, vir annos natus quinquaginta, temperatura biliosus, compositione verò sive habitu gracilis, & qui (ut audio, & eius attestatur facies) morbum gallicum passus est: in anginam lapsus est: & eā quidem gravissimam, sævissimamq. Quæ ita hominem lancinavit, ut intra quinque horas, linguam crassam admodum habuerit, ut nedum loqui, sed nec vocem formare, immo vero ne aquā deglutire posset. Ad eum igitur accersitus hora noctis, hoc est, decima post morbi initium, illico iniecto clysteri,

D degravato ventre, sanguinē ex cephalica sinistri lateris, ad uncias sex, demere non nisi per intervalla, admoto digito vulneri, iussi, erat autem humor inflammationem faciens, sanguis pituitæ mistus. Cæterū, ex sinistro brachio sanguis extractus est, quia in colli parte sinistra, tumoris nonnihil aliquid appa-

dem loco,& parte. Athæc ita ingenti speculatione,diligentia,& cura,ut adipiscantur, indigent,ut perpauci hodie extent,qui rem hanc ita se habere noscant: non vulgari igitur diligenciæ deditus sit,immo ingenti labori,& assiduo studio incumbat oportet is, qui ad artis medicæ cacumina pervenire debet:prout de virtute acquirenda, ex Hesiodo,decantatur.Hæc porrò si Sylvius Parisiensis in sua (ut ille ait) contra Vesalium Apologia,sciret,nunquã me herclè sileret, ac sic ex tam multis debacchationibus frivolis, futilibusve depulsionibus, aliam vera min lucem mitteret.

Curatio 71. de Ischuria, id est, urinæ suppressione, ob urinæ fistulam crassis, & lentis humoribus constrictam.

VIR Venetus nobilis, qui Pisauri agebat,& urinæ omnimodã suppressionem, propter crassos, & lentos multos humores, urinæ fistulã obstruẽtes,patiebatur,ita afflictabatur,ut in vitæ desperationem veniret, quum non nisi accersito chirurgo,& immisso catectere,meiere posset,proinde,ut nobilis vir hic expedite meieret,ne catectere, nec chirurgo opus haberet,sic curationem adorior:ebiberat autem antea plures syrupos, & pharmaca purgatoria varia. Recipe radicis raphani,fœniculi,apij, saxifragiæ, ana unciam mediam:corticis radicis anonis vel ononis,dictę remorę aratri,unciam unam, capillorum veneris, agrimoniæ ana pugillum unum,baccarum Alkekengi numero viginti,seminis asparagi, rusci, urticæ, cari, ana unciam mediam, florum sambuci, chamæmelæ,ana pugillum unum, in libris sex vini optimi albi,fiat decoctio,quousque remaneant libræ tres. Facta colatura,& expressio-

E ne forti, adde theriaces optimæ, si quæ habetur, uncias duas, misce, fiat potus longus, ex quo ieiuno stomacho bibat uncias octo vel decem: sed exterius, ad partes inferiores, etiam intra testes,& anum,hoc illinebatur lenimento. Rec. aquæ vitæ unciam unam, olei scorpionum uncias duas. Mithridati antidoti optimi, unciam unam,& alterius mediam, cantaridum panno lineo exceptarum, numero duas, cùm cera ad ignem fiat linimentum secundum artis ministeriũ. Cæterùm,linimentum præcedebat balneũ, ex oleo cõmuni apparatum: in quo

F incoctæ erant nonnullæ ex citatis herbis, quibus ita rectè habuit: ut deinceps non opus habuerit catectere, aut chirurgo, expeditè autem meiebat. Porrò,pro hac complenda operatione,succus limonis pondere trium vel quatuor unciarum, approbatissimum habetur remedium, sua nanque acutie,crassas,& lentas attenuat, & subtiliat materias. Qui quoque

G pro extinguenda gonorrhæa, primatum habet: ut millies experientia compertum habemus, caute tamen limonis acidi succus bibatur, decet: cùm impotentem sæpè hominem reddat,& ad procreandam sobolem inhabilem, ut cuidam ex principibus Italiæ, superioribus annis,in bello Germanico evenit. Cæterum, ad ægrotum, de quo agimus, redeuntes, interim dicta parabãtur:hic optimo victus ordine utebatur: vescebatur autem ficedulis, & alijs aviculis montanis, perdice, turdo, ve-

H luti & pullo Gallinaceo. Ex herbis verò aneto benè olente, fæniculo, petroselino, caro, mentha, cerepholio, cappare, & similibus: quæ aperiendi, & incidendi vim habent: eius nanque potus vinum album generosum erat, non enim iecoris, aut renum caliditatem extraneam timebat.

SCHOLIA.

TRIFARIAM *urinæ meatus constringi contingit* (*ut memoriæ cõmendavit Galenus,libro primo de locis affectis,cap. primo*) *aut*

aut enim vesicæ corpus inflammatione, vel scirrho, vel abscessu, vel alio quovis tumore, ita in tumorē insignē attollitur, ut eius meat⁹ adeo occupetur, & constringatur, ut per eum urina reddi nequeat. Secundo, urina supprimi solet, ob rem præter naturam, quæ meatui innascitur, ut lapidem, callum, carunculam, quā semper ulcus præcedere solet, & ulcus hodie gonorrhæa, aut grumum, aut pus, aut lentum crassumq. humorem, prout in casu nostro contingit, qui (ut citato loco adnotat Gal.) ex ijs est, quæ longo temporis spatio, & paulatim nasci solent. Cæterum, habet unaquæque harū rerum suas notas, per quas coniectura artificiosa, deprehendit medicus exercitatus unam, vel alteram in causa esse, quod urina suppressa sit. Qui igitur ad curationes accingitur, primo sub magistris exercitatus accedat oportet. Nos vero, hunc virum, hanc affectionem à crassis, & lentis humoribus trahere deprehendimus: ijs precipuis notis, quia non à lapide non à grumo, non à caruncula, non à tumore, ergo ab humoribus crassis & lentis: & eo magis quia immissa argentea fistula, catecttere dicta illico meiebat, & cum urina ipsa, crassi, & lenti humores excernebantur. Item quia vir erat in otio educatus, & multis cibarijs, crassos, viscososq humores generare potentibus, fuerit usus. Cæterum, affectio hæc ischuria vocatur: que & ob renum vitia non rarò evenire contingit, & tunc periculosissima est, ut Anconæ semel notavimus in dulcicario homine magno & robusto, qui in foro fontis habitabat, & Ragusij in homine obeso, & grandi: sed ij inde diem suum obiere.

Curatio 72. de dolore gallico, cream, tibiæ anteriorem partem infestante, & per theriaces applicationem amolito.

QVI patiebatur morbum gallicū, & male habebat, post remedia adhibita, melius habuit. Cæterum, circa cream, id est, tibiæ anteriorem partem semper doluit: pro quo propulsando dolore, multa & varia topica remedia, aliquando calida, aliquando frigida, ad mota sunt, sed frustra, immo ad opium perventum est, & nihil contulit. Proin-

A de considerans eo in loco, nullum esse humorem, nullam qualitatem manifestam, in mentem venit, qualitatem venenosam aliquam a maligno humore derelictam, tibiæ particulam illam infestare. Pro qua abigenda, domandave theriacam, summum futurum antidotum, coniecto, & re vera, à ratiocinatione hac mea minime sum defraudatus, cum post applicitam theriacam dolor ita evanuerit, ac mus, conspecto fele. Nam theriaca adulta, calida est, & potens, utpote ex tam multis, & potentibus, ac plæclaris simplicibus com-
B posita. Cæterum, similibus doloribus, quoties theriaca non opitulatur, illi ad iungendum suadeo oleum ex guayaco ligno paratum: sic enim theriaca oleo huic mista, similes facile detrudit dolores.

Curatio 73. de angina sæva delitescente, & hominem postea interficiente.

C LAVRENTIVS de Gentilibus, publicus notarius Pisaurensis, vir annos natus quinquaginta, temperatura biliosus, compositione verò sive habitu gracilis, & qui (ut audio, & eius attestatur facies) morbum gallicum passus est: in anginam lapsus est: & eā quidem gravissimam, sævissimamq. Quæ ita hominem lancinavit, ut intra quinque horas, linguam crassam admodum habuerit, ut nedum loqui, sed nec vocem formare, immo vero ne aquā deglutire posset. Ad eum igitur accersitus hora noctis, hoc est, decima post
D morbi initium, illico iniecto clysteri, degravato ventre, sanguinē ex cephalica sinistri lateris, ad uncias sex, demere non nisi per intervalla, admoto digito vulneri, iussi, erat autem humor inflammationem faciens, sanguis pituitæ mistus. Cæterū, ex sinistro brachio sanguis extractus est, quia in colli parte sinistra, tumoris nonnihil aliquid appa-

apparebat, & in eo loco æger magis dolebat, constabant autem vires, tunc verò affecto loco, topicum remedium hoc applicitum fuit. Recipe Foliorum malvarum, parietariæ, rosarum, camæmelæ, ana pugillum unum, radicis malvavisci pugillum medium, nidi hirundinis numero unum, caricarum pinguium quatuor, in aqua sufficienti fiat decoctio secundum artem, & deposita aqua, omnia in mortario tractentur, triturenturve: quibus adde, olei camæmelini, rosacei, ana unciam mediam, butyri recentis unciam unam, farinæ hordei, unciam unã, & alterius mediã, cum decocto prædicto, misce, & fac emplastrum, & calidum loco affecto applica: item ut gargarizet, sic perscriptum fuit. Recipe Aquæ hordei libram unã, syrupi acetosi simplicis, unciam unam, & alterius mediã, diamoronis uncias duas, misce, fiat gargarismus. Tertia hora noctis, quum morbus ingravescere, ad sectionem venarum sub lingua devenimus, quæ quum difficulter secari possent, parum vel nihil sanguinis ex eis defluit, parum tunc dormiret, cõsului: in aurora vero cùm morbus ad statum pervenerat, & materia fluxa ferè erat, nihilominus ex eodem secto loco sanguinis uncias quinq. effluere feci, constabant autem vires. Paulo posteà interiecto tempore, cucurbitulas collo præcipuè, & scapulis, secta cute, chirurgus admovit: nam licet derivatio hoc tempore, quàm revulsio magis conveniret, nihilominus multum iuvare op⁹ hoc, vel ex hoc deprehendimus, quia de novo aliquid humoris ad locum affectum semper effluit, & ea de causa in Scirrho Galenus etiam repellentia desiderat, quanquam & opus hoc à derivatione non multum abhorret. Cæterum, horula una vel altera interiecta, iterum ad venarum sub lingua sectionem pervenimus: quibus omnibus peractis, gargarismo utebatur sequenti. Recipe Florum camæmelæ, radicum malvavisci, ana pugillum unum, caricarum pinguium decem, in aquę libris duabus, fiat decoctio secundum artem,

E facta colatura, & expresione, adde oximelitis simplicis unciam unam, & alterius mediam, diamori unciam mediã, stercoris canis prærodentis ossa optimè triti, unciam unam, croci drachmam mediam, myrrhæ scrupulos duos: misce, fiat gargarismus, quo tepido, assiduo gargarizet: sed tunc emplastrum, sequens loco affecto applicabatur. Recipe Nidi hirundinis, numero unum, caricarum numero decem, radicũ malvavisci, florum camæmelæ, ana pugillum unum, foliorum malvarum, pugillum medium, in aqua fiat decoctio secundum artem, & coletur. Cæterum, F omnia in mortario iustè terantur, quibus adde butyri recentis uncias tres, olei camæmelini, anethi, farinæ lupinorum, camæmelæ, hordei, ana unciã unam, misce, fiat emplastrum: quod si huic adieceris stercus pueri comedentis lupinos, longè præstantius effeceris. Iis enim eo die non nihil melius habuit, ut iulebum violaceum aquæ hordei mistum deglutiverit, sequenti verò die, ad eum divertens, in medio colli, G ex directo gutturis dolere dixit (loqui nanque iam cœperat) quo conspecto loco, tumorem inibi deprehendi: effluxerat namq. humor à superiori parte, ad inferiorem. Admoto tandem supra novum tumorem, emplastro prædicto, tumor delituit, & ex ea materia, novus supra pectoris altam partem ortus est tumor, tunc expeditè loquebatur iam, & quæ illi offerebantur, comedebat. Supra quem tumorem emplastrum admotum est, & sequenti nocte, inde humor effluxit, & tumor evanuit: sed hu- H mor effluens in costas dextras, & thoracis anteriorem partem cecidit: sed quanto dolore ægrotantis, ipsi & assistentes novimus, ut qui eum totam noctem gemere, morique velle, dicere audiremus, difficulter nanque tunc respirabat, imò ea nocte, septies, vel octies egessit, omnia pauca, liquida, putulenta, ingentem præ se ferentia corruptionem. Inde enim malè de ægrotãte suspicari cœpimus: ut ex scholio rationes colligetis, tunc verò supra latus dextrũ septem

septem vel octo cucurbitulas apponendas curavimus: post quas non ita dolere dixit amotis porrò cucurbitulis, eũ universum locum linimento hoc inũgi iussimus, quod habet, R. Olei violacei camæmelini, ana unciam unam, butyri recentis unciam mediam, ceræ, axungiæ gallinæ ana unciam unam, ad ignem misce, fiat unguentum, quo locus inungatur. Item, ut expeditè screaret, ita præscriptum fuit. R. loch de althæa, de farfara, ana unciam unam, sacchari candi violacei, penidiarum, diadragacanthi, ana unciam mediam, syrupi capillorum veneris, syrupi violacei, ana drachmas sex: misce, fiat eclegma, ex quo assiduò lambat: vesperi verò, quia dolor perseverabat, fomẽtum parari iussi, & loco affecto admovere, & ita habet. R. Radicum malvavisci, camæmelæ, fœnugræci, seminis lini, malvarum, hordei, violarum ana pugillum unum: in libris quindecim aquæ fiat decoctio sufficiens, cui adde, olei camæmelini, rosacei, ana uncias tres: misce, & filtro imbuto applicetur, & sæpe innovetur. Cæterùm, cùm dolor perseveraret, ab iniecto clystere lavante, hora secunda noctis, ex axillari dextra, locum dolentem respiciente, sanguinis uncias quatuor demi (nam robur viriũ, utcunque constabat) & fomenta iterari iussi: sed sequenti nocte pessimè habuit, & vires labefactari cœperunt, & spuere desijt. Animalis tamen facultas semper immunis mansit: rectè nanque loquebatur, ratiocinabatur, & auxilia exposcebat: quia intensissimè dolebat. Demùm, facta omnimoda naturæ prostratione, suum obijt diem: sexto die ab anginæ ortu, à pleuritide verò infestante, secundo, demum obijt in pleuritidis augmento. Nobiscum hac incuratione erant Baptista Gualterius, & Hieronymus Carmenas, ambo ex conducto Medici Pisauri: vigebat autem solstitium hyemale.

A
SCHOLIA.

QVOD ægrotus hic moriturus esset, duo præcipua attestabantur: alterum, humor anginam faciens, in thoracis dextrã partem cadens, & pleuritim gignens: quod quàm perniciosum sit, testatur Hippocrates in aphorismis dicens, quicunque ab angina liberantur iis ad pulmonem uertitur, & septem diebus pereunt: si verò has effugerint, suppurantur. Nam licet Hippocrates annuat, ad pulmonem verti, exitiosum esse: satis tũ exitiosum esse creditur, si ad succingentem costas membranam, talis humor decubuerit, & eò magis subjecto imbecilli, ut in hoc evenit ca-
B
su. Posset tamen quis arguitè in eos debacchari, præsagium nostrum infringendo, cùm ex ea anginæ permutatione (Hippocrate teste) potius bonum, quam malum præsagire debeamus: sic enim Hippocrates libro sexto aphorismorum, trigesimo septimo aphorismo ait, ab angina habito, si tumor fiat in collo, bonum: foras enim morbus deducitur, & aphorismo, quinquagesimoprimo, libri septimi ab angina habito tumor & rubor in pectore superueniens bonũ: extra enim vertitur morbus. Cùm igitur materia anginam faciens, evanuerit, & extra in collo, ac pectoris alta, sed exteriori parte, apparuerit: consequens est inde optimum desumamus præsagium. Nos huius tergiversa-
C
toris facilè diluimus obiectiones: dicentes ab interioribus partibus ad exteriores humoris mutationem fieri, optimum esse, vt docuit senex: & ratio dictat, quia à membris præcipuis ad minus præcipua humorum fit permutatio. Verùm ut hæc optima dicatur permutatio, decet exteriori in parte, humor quietus, & fixus maneat, ut inibi concoqui, suppurari, aut difflari possit. Nam aliter talis permutatio nullius dicetur iuvamenti, ut in hoc contigit homine, in quo humor anginam faciens, extra per transennam in thoracem ruens apparuit, MICHAEL. Quid igitur, o Amate, deinceps, quoties ita evenerit, ut ex angina humor in
D
thoracem ruens, extra apparuerit, et ibi aliquot horas commoratus fuerit, agendum arbitraris? AMATVS. Pulchrè me herclè quæris Michael, & hoc quidem quæsitum non philosophicum, aut logicale est: sed ex ijs maximè quæ naturam humanam nullum iuvare possunt. Ego verò cum hæc conjecto, nihil melius hac in re fieri existimo, quàm quoties per transitum humor ille apparuerit, cadente ferramento, decliuiori in parte exurere: si modò locus consenserit: sin autem, caustico medicamento, & hoc siue humor crudus fuerit, siue coctus; cadens tamen ferramentum ho

in negotio magis laudarim. Secũdum indicans huius obitum, alui profluvium est, post habitam, pleuritim eveniens, quod testante Hippocrate, malum est, sic autem ille libro sexto aphorismorum, sextodecimo aphorism. tradit: à morbo laterali, vel pulmonia habito, alui profluvium adveniens malum. Et, ut Galenus recte admodum in enarratione ait, à laterali morbo, id est, pleuritide habito, hoc est, detento, sive fortiter vexato, profluvium alui superveniens, malum, ut huic evenit egrotanti. Cæterum, an humor ille ab alui profluvium faciens, potio fuerit illius cadentis ab angina per æsofagum: & inde per pylorum & intestina, vel potius ex eo, qui pectus infestavit, & inde ad stomachum pervenit, quod & fieri posse Medici non inficias eunt, & Galenus fatetur. An potius virtus extimulata, ex venis ipsum ad intestina traiecit, in dubium verti posset: probabilius autem mihi videtur, ex superiori parte ad ventriculum decendisse. Cum eo tempore ventriculum multum doluit, revera ex quocunque loco decisum dixerimus, ipsum ægrotantis pernitiem protendere notius est, quam a me multis explicari possit: nimiam namque humorum corruptelam attestabatur, & morbi supra naturam victoriam.

Curatio 74. de ulcere uterum occupante confirmato dicto.

MVLIER propola, quæ ad Divi Dominici cœnobium habitat, intra Pudibunda gravissimè torquebatur, dolebat, & maximo cum labore, & ardore meiebat, & cum urina multas carunculas, maximam quoque saniei copiam emittebat. Cæterum ad eam invisendam vocatus, paucis adhibitis remedijs, præsagio habito, discessimus, adeò enim ulcus exedens, corrodensve erat, ut prædicerem⁹ fore, ut intra paucos dies intestina quoque corroderentur, & perforarentur: ita ut per ipsam vulvam, urina & stercus simul egrederentur, ut alijs ita evenisse, observatum habemus.

Curatio 75. de morbo gravissimo, & sævissimo, ex quo ægrotans bis, ter, & pluries in die corripiebatur, & ita sæve, ut à mulierculis assistentibus ab spiritu dæmoniaco eã vexari crederetur.

DOmina Clara ex Gallis, animę dotibus satis ornata, & optimæ habitudinis virgo, nata annos octodecim, cum aliàs syncopi corripi solita erat, nunc demum ob mœrorem, & longã habitam tristitiam, in gravissimas lapsa est affectiones. Nam singulis diebus, bis & ter, ita affligitur, & membrorũ omnium concussione torquetur, ut à spiritu maligno, vexari, & corripi assistentes mulierculæ affirmarent. Eo nanq. tempore, quo ita correpta est, nihil sentit, vel percipit, imò omnes sensus sopitos habet, ingenti cum cordis motu. Adhæc dentes claviculatos ita retinet, ut os aperire illi impossibile fere fuerit, tanto tamen impetu, & furore, hora una vel altera movetur, ut robustissimos quosque homines eã amplectentes, lapsos defatigarit, post quę ipsa ita fessa, & immobilis semihoræ spatio manet, ut eam ad hobitum pervenisse, quis dixerit. Agitur namque tertia habdomada, ab huius morbi initio, quo tempore, & eius lævum brachium, paralysi affectum fuit. Cæterum, huius morborum, & sævarum affectionum, ortum investigans, comperio, iuvenem hanc, menstruum suorum respondentiam debitam non habere. Et id in causa esse puto, cotyle donum, sive orarum venarum, ad uterum pervenientium obstructionẽ, à crassa, & viscida pituita, multo sanguini mista, genitã: unde quoq. humori atrabiliario: qui sæpe per menses ex purgari solet, via abdita, & occlusa cum sit, maximè dominatur, & viget, qui

qui sufficiens est uterum ita male afficere, ut inde symptomata prædicta oriantur. Quibus accedunt (ut dixi) pituitæ non exigua quantitas, ut ex excrementis conijcio, veluti non contemnenda seminis genitalis redundantia, iuvenis (ut dixi) est, in delitijs agens, bonis fortunæ affluens, quæ omnia ita uterum afficiunt: ut eam in prædicta trahi symptomata mirum non sit. Ex utero enim ipso, humor cor petit, dein capiti, ac nervorum origini obrepit, unde cordis extraneus motus, veluti paralysis, & membrorum ingens concussio ortum traxere. Meminit namq. Hippocrates libro sexto Epidemion, melãcholicos magna ex parte comitiali morbo affici, & contra, morbo comitiali laborantes affici melancholia, atque horum utrumlibet magis accidere, prout vel in hanc, vel illam partem infirmitas vergat, & (ut Galenus libro tertio de locis affectis interpretatur) si atra bilis in corpus cerebri cadit, ex ea epileptici fiunt. Si verò in mentem, sive temperaturam ipsius cerebri, melancholici redduntur, quippe epilepsiam, quam vocant morbum comitialem, non solum pituita efficit, sed etiam atra bilis, ea præcipuè, quam fæcis sanguinem, vel melancholicum succum, aut sanguinem melancholicum appellamus. Qui humor, in quibusdam plurimus provenit, vel a temperatura ab initio contractus, vel à cibis, qui cum in venis consequuntur, in huiusmodi humorem transmutari solent, ut prædicto libro, capite quinto, memoriæ commendavit idem Galenus, quo in loco sapientissimè adnotat ex Hippocratis sententia, animam esse temperamentum quatuor qualitatum activarum, aut saltem eam ab ipsarum temperatura permutari. Vnde (ut receptui canamus) quum primum melancholicus humor cor, dein capitis meatus occupavit, & nervorum obstructionem genuit, & eorum origini vitium impertivit, omnia hæc pullularunt. Nam quoties exacta obstructio fit, nulla fit nervorum retractio: A sed magis exolutio, ut in apoplexia, & paralysi, evenire percipimus: in semiobstructione vero, nervorum fit convulsio, & retractio, ac membrorum concussio, ut huic evenit iuveni, & fusius nostra prima diximus Centuria. Nec est quod dubites, de brachij paralysi, quum sic affectum brachium, non movetur, nec concutitur, impediente nervorum & musculorum obstructione, spirituũ transitum, qui sensum, & motum, B prædicto impatiri solebant brachio. Cæteri verò nervi, non sic affecti habebantur, unde cætera membra concutiebantur. Hanc igitur curaturus, cum alij medici multa iam essent machinati, sic curationi initium dedimus. Recipe Pilularum fœtidarum scrupulum unum, diagridij grana duo, melle rosaceo collatitio excipiantur, & fiat pilula una, quam hora septima noctis inauratam deglutiat. Cæterum, catapotio hoc alvus respondit (clysteres namque non C admittebat) nec est, quod objicias, catapotium hoc non convenire, ob brachij paralysim. Quoniam medicea regula est, ut in huius morbi initio, potentia, & humorum dissolventia medicamenta non dentur, quia medicamentum hoc potens cum sit, exigua datur dosi, ut potens debile, à iunioribus dicatur medicis, item quia morbi initium elapsum iam diu erat. Missa facimus tot, & tam varia, quæ paroxysmi tempore administrabantur, & decoctũ sequens describemus, quo ipsa usa est.

D ℞. Foliorum, & folliculorum senæ, thymi, epithymi, radicis hellebori nigri, an. unc. mediam, polypodij quercini recentis, & contusi, radicis petroseni, rusci, fœniculi, asari, ana unciam unam, hermodactylorum drachmas duas, passarum de corinthio uncias duas, pomorum appianorum numero sex, seminis anisi, carvi, fœniculi, ana drachmas tres, in libris sex aquæ, fiat decoctio, quousque maneant libræ quatuor, facta colatura, & expressione, adde, syrupi de epithymo, de matricaria, de pomis, ana unc. unam, misce, fiat

potus longus, de quo singulis diebus, singulas octo vncias, ieiuno stomacho, calidas bibat, totidemque duas horas ante cœnam. Porrò origini neruorum, & brachio sic descripsi. R. Olei vulpini, chamemelini, liliorum alborum, ana vnciam vnam, ceræ parùm, ad ignem fiat linimentum, ijs enim intra triduum ita rectè valuit: vt brachium paralysi affectum non esse: sed magis ob labores paroxismorum sic malè affectum reliquisse, in dubium verteram. Porrò, cùm iuvenis hæc optimæ sit habitudinis, & natura sanguinea, ex pedis vena illi sanguinem emittere iussimus: cæterùm, cùm saphena nunquam apparuerit, ad venam iecorariam brachij devenimus: ex qua, bona fide, scissa vena, sanguinem emitti ad viginti vncias permisi, tum quia vires constabant, tum quia sanguis admodum crassus, niger, & atrabiliarius expeditè fluebat, tum etiam, quia nisi sanguis ita copiose demeretur, nullum ex sanguinis missione iuvamentum ęgrotans consequeretur, sed magis nocumentum, cum ex acetabulis, sive cotyledonibus, hoc est, ex oris ipsis venarum, quæ ad materiam terminantur, sanguinem evacuare, & obstructiones reserare, necessarium erat. Hoc enim sanguine deposito, melius ægra hæc habuit, & intra quatuor dies libera à tanta sævitie, & tormento fuit, nõ sine omnium admiratione, & artis medicæ ingenti gloria.

SCHOLIA.

IVbet Hippocrates, & Galenus assentitur, libris de ratione victus in morbis acutis, tum sæpe alibi, in pleuritide sanguinis missionem copiosam fieri: ut etiam in ipsa inflammatione sanguis contentus evacuetur: adeò, ut pro rubro lividus sanguis evadat, vel contra. Proinde nos tantorum virorum consilium sequuti, quum huiuscemodi affectiones, & symptomata ab obstructionibus impactis cotyledonibus, pendere sciremus: optimum, imo consilium summũ fore duximus, si saphenã præcipue in iuvene sanguinea, & boni habitus aperiemus, & sanguinem copiose demeremus. At quia pedis vena, etiam diligẽter inquisita, nunquam comparuit: de basilica eũ demere, necessarium esse deliberavimus, ideo copiose eum emitti constituimus: ut etiam (ut verum fateamur) ad libras duas devenerimus, nisi enim tantus demeretur sanguis, proculdubio, hæc peius haberet, & in deterius rueret. Quia symptomata magis durarent & indies sævius cruciaretur, quum optimus sanguis deponeretur, & pessimus obstructione facta, remaneret: demum (ut multa paucis dicam) aut ita copiose sanguis ex interna brachij vena emitti deberet: aut omnino supprimi. Cæterum, crurum scarificationem, hoc in morbo, perutilem esse, nisi ad aras usque eam respueret, omnes novistis: hac enim copiosa sanguinis emissione, hæc sana evasit, & pulchre valet.

Curatio 76. de humida qualitate absque humore, hominem ad perniciem trahente.

MERCATOR orientalis, qui cubiculum testudine lapidea cameratum habitabat, & in eo dormiebat, ita ab humida qualitate, absque humore vexabatur, ut parum ab fuerit: quin in tabem veniret: attestabantur autem notæ hæ, morbum immaterialem hunc humidum esse, quia ab aere illo ambiente humido, gravedinem corporis totius contraxerat, & eius facies tumescentiam, albido quodã colore præ se ferebat, & humiditates in eius corpore, non paucæ accrescebant, ut nulli sit dubium, morbum hunc à nuda qualitate humida ortum trahere. Cæterum, cum homo hic sic affligeretur, cum ab eo cubiculo in alterum sicciori aere perflatum, venire curavimus, & exsiccante victu constituto: nonnullis adhibitis frictionib. & exercitio admisso, intra mensem sanitatem obtinuit.

SCHO-

SCHOLIA.

HVMIDA qualitas, veluti quælibet alia, per se sola, sufficiens est corpus humanum deperdere, & destruere: ut huius rei autor est Aristoteles, & Galenus, quibus cæteri philosophi adstipulantur. Vnde hominem hunc sic ab immateriali humiditate affligi, & in vita sitæ pernitiem devenire, ni malo obstitissemus, mirum non est: cum ijs tamen, humiditas absque humore sufficiens non est dolorem excitare: ut huius rei autor est Galenus, libris de facultatibus simpl. med. & de sympt. causis: in hunc differens modum. Porrò, vehementes eveniunt in tactu à naturali habitu transmutationes, ob violentum calidi, frigidique occursum: atque ob eas res, quæ contundere, secare, extendere, aut erodere possunt: nam siccitas, humiditasq; nisi calori, frigorive coniungantur, occursu suo vim inferre non consuevere. Hac Galenus, quorum rationem, nos ex eo ibidem collectam, subiungimus: quia nullo res dolorem excitare potest, nisi eius occursus sit vehemens, & repentinus. Cæterum, cum humiditas, & etiam siccitas, nullam violentiam, aut molestam sensionem in corporibus sensu præditis, introducere natæ sint, consequens est, dolorem non inferant, in summa, humiditas, qualitas nuda, non est sufficiens dolorem excitare: quia subito, & repentè, tristem, & molestam sensionem inducere non est potens: cùm hoc tamen ipsa per se sola, absque humoris complicatione, humanam naturam exolvere, & deperdere paulatim absque dolore, & tristi introducta repentina alteratione, potest. Vnde Consiliatorem, dictum Petrum Abanum, differentia 193. aberrare certum est: cum humiditatem, phthisim gignere non posse nisi caliditati, aut frigiditati, aut humori catarrhali iunctam dixerit. Experientia namque varijs in animantibus à nobis dissectis, compertum habemus: eorum pulmones male esse affectos, nullo in eis comperto humore. Cæterum, Mesuem, & alios de hac re loquentes, consulto prætermittimus, veluti Avicennam, qui hemicraneam ab intemperie nuda fieri non posse contra Alexandrum Trallianum contestatur. Sed, qua ratione, vos ipsi indices estote.

A

Curatio 77. de visu diminuto, & corrupto, simulque scotomia, ob suffusionem, & crassam nebulam, in altero oculorum apparentem.

MAHALEM ex Castris Hebræus, vir, qui Solimani Turcarum Imperatoris in AEgypto omnes reditus in cura habet, diminute, & corrupte vi-
B det, & Scotomia laborat, dextro nanq. in oculo nubeculam crassam, & magnam patitur. Is Pisaurum venit, ut a nobis curaretur. Cuius affectiones intimius consideranti, in mentem venit: quod omnes ferè AEgyptij homines duo morborum genera patiũtur, aliud oculorũ obtenebrationem, aliud verò, testiculorum rupturam. Evenit namq. oculorum morbus, ex assidua elevatione, & depressione fasciæ turbinatæ, capiti obvolutæ: unde capite sudore perfuso, & nimis calido existente, de repẽte elevata, fascia capiti obvoluta, refri-
C geratur, & humor ad oculos fluit, unde obstructio sæpe fit, & scotomia, & nubeculæ, & suffosiones oriuntur. Ijs adde, aeris ipsius siccitatem: & acutiem ingentem, qui sufficiens est, humores subtiles, & fluxiles ita reddat, ut in oculis morbi ij pullulent: & eo magis concurrente pulvere, continuò a vento elevato, qui oculos ferit, & percutit, ex qua percussione, & aeris caliditate, & acutie, ad oculos humores fluũt. Ex quibus omne genus morborum ipsis evenire poterit, præcipue ophthalmia, lippitudo dicta, & suffusio, vulgo cataracta, Græcis ὑπόχυμα, dicta, visus obscuri-
D tas, dicta omnimoda vel maxima ex parte videndi interceptio, Græcis Αμάυρωσις: dilatatio et diminutio pupillę, Gręcis. μυδρίασις. Nuscitiosa affectio, in qua interdiu ægrotãtes vidẽt, sole verò occidente obscuris, sed noctu omnino nihil. Sed hęc, ad mẽtẽ G. sint dicta, nõ vero secundum Herodotum in suo intro-

troductorio,& definitionum libris,Galeno attributis,in quibus longe aliter ille de hoc morbo sentit:ut legenti manifestum evadet,accedũt morbis,ægyptijs hominibus venientibus ὄνυξ,sive ungula,quam practicarum autores saniẽ intra corneam appellitant, & Græcis, alijs vocibus πύρωσις,vel ποπίος vocitatur, accedunt ijs,albugines,sive nubeculæ, aut nebulæ, quæ si oculi superficiem tantum attingunt,νεφελια dicuntur,si verò altius radices pertingunt,λευκώματα vocantur. Vtræque vero,si ab ulceribus curatis remaneant,cicatrices appellari merentur, & albugines,quia in nigro oculi omnes candidæ cernuntur. Vlcera,quæ plerunque in adnata membrana,nunc in cornea,interdiu etiam in palpebris,& oculorum angulis fiunt veluti phlyctænæ, dictæ pustulæ exiguæ, & pterygion,id est, nervosa adnatæ membranæ eminentia, quæ ab angulo maiori oritur,& ad irim oculi,sive coronam dictam progreditur: Latinis, unguis dicitur, veluti variç aliæ affectiones oculis venire solitæ, quas silentio, prætérimus:quæ in Ægypto hodie frequentissimè veniunt, & ipsis homines inibi hodie miserrimè vexantur, ut Glaucedine,quæ nihil aliud est, quàm christallini humoris in cœsium colorem mutatio, quæ fortè curationem non admittit,ut inferius patebit latius.Cæterum,in ramices quoque incurrunt AEgyptij homines,quia multam aquàm ad extinguendam continuam sitim, & arcendum ingentem fervorem, & bibunt: ob quam inferiora laxantur & dissolvuntur,veluti ex assiduo balneo,& frequenti coitu.Pendent enim illis genitalia membra,neque enim bracchati incedunt, unde facile laxantur, & omentum rumpitur,& ad inferiora intestina descendunt. Hunc igitur curaturus, nosco eum temperatura biliosum exustum, ętate quinquagenarium, qui sinistro in oculo,suffusionis initium habet, quam Avicenna guttã oculi appellat, vulgo verò cataractam, in dextro verò oculo,nubecula

E se offerebat, coloris subnigri,alteram ex quatuor membranulis, corneam scilicet, occupans,quæ nubecula phlyctena appellari meretur.Quum ex pustula exigua in ipso oculo:alijs etiam varijs exanthematis faciem fœdantibus,ortum traxerit,subtus quam,& suffusionem ésse,augurabar,ob quam ipse parum videbat, immo in circuitu tanquam muscas percipiebat,& candelam accensam tanquam duas conspiciebat.

F Cæterum, pro ea deponenda nubecula, ipse collyrium quoddam suo modo apparatum, habebat, quod habet. Recipe aquæ super cannas in nocte cadentis, libram mediam:viridis æris, drachmam,sacchari candi unciam unam,aloes drachm. duas, camphoræ scrupulum medium,sief albi,unciam mediam:moschi scrupulum medium,misce,fiat collirium:ex quo penna intincta sæpe oculo admoveatur. Ego verò post universum huius corpus sæpe purgatum & eius quoque

G caput mundatum: immo post propinatum decoctum radicis synarum,ad viginti dies,in quibus varia collyria ipsis oculis admovimus,nubeculam ipsam subtilem adeò reddidimus,ut sub ea suffusionem latitasse deprehenderemus. Altera veró alterius oculi, tantum abest,ut medicamentis obedierit: ut potius incrementum non exignum acceperit.Qua de causa,utranque permittere ad perfectionem venire,optimum consilium fore duximus,unde ab omni curatione abstineret, consuluimus:

H immo oryza,caseo,bubula carne, farro,& alijs edulijs,crassum & lentum humorem gignentibus, uteretur,monuimus,ijs enim suffusiones,crassitiem exactam,perfectionem,& complementum:ut opera manuali extrahantur,adquirunt. Quibus depositis,ægrum recte valeturum haud ambigimus, ut etenim aparebat suffusio hęc, ex eis erat, quę curationem admittere solent.

(.§.§.)

SCHO-

SCHOLIA.

Ὑπόχυμα, Ypochyma, Romanis suffusio dicitur, & est (ut res ipsa indicat, & omnes medici describunt) humoris aquei inter chrystaloiden & corneam concretio, differt à glaucomate, sive glaucedine, quod glaucedo chrystalini humoris in cœsium colorem mutatio est, quæ fortè nullam admittit curationem: suffusio verò, ut inferius dicetur, maximè Avicenna, fen tertia libri tertij, sui canonis, morbum hunc, aquam appellat. Alij verò practicarum authores Kataractam, alij guttam, nonnulli verò imaginationem, hunc eundem morbum appellant, diversimodè tamen, quoniam in principio, cum imaginationem appellant: quando precipuè ægrotus imagines non veras recipit. Sed hic advertendum duxi, quod imaginationes sive imagines hæ, ut indicium sunt suffusionis, ita si sexto elapso mense, post earum apparitionem, suffusio non apparuerit, tunc imagines (sive imaginationes hæ reducendę sunt ad caput de vertigine, sive scotomia: non verò ad caput de suffusione. Sic enim hodie, cum hec literis comendaremus, mulier quædam imaginationes patiebatur: in quas, ab hinc bienniũ, lapsa erat: ad quam vocati nos, ignorantibus nonnullis medicis, conclusimus: morbum non esse initium suffusionis, sed magis eum esse reducendum ad caput de scotomia, quum imaginationes hæ, quando suffusionem arguunt, ad summum sextum mensem non superexcedunt: sed intra hoc tempus, suffusio apparet, & deocultatur. Quod si tempus hoc transgreditur, & suffusio ipsa non deocultatur, tunc iam non suffusionis argumentum esse dicemus, sed magis (ut dixi) scotomia, nomine morbus meretur, ut Avicenna citato loco memoriæ commendavit, & ante eum, Græci authores. Cæterum, suffusionum varias species, curabiles, & non curabiles, colliges ex practicis. Hoc te unum scire vellem, quod si is, qui suffusionem patitur, nihil lucis, aut claritatis percipit, etiamsi radios solares intuetur, talis sanus non evadet, secus autem, qui aliquid claritatis percipit, ut monacha divi Bartholomæi, & Hebræus, à quibus me præsente, Nursinus, suffusiones extraxit, & postea rectè viderunt. Item, percipitur suffusio apta opere manuali, quoties clauso altero oculo, alter digito compressus, & repentè apertus, in eo suffusio dilatatur, sed non dividitur, quod si oculo compresso, & confestim aperto, suffusio in partes dividatur, & separetur, tunc imperfecta, curationem per acum non recipit, & tunc ęgrotans cibarijs crassum gignentibus succum vescatur, decet. Quod si oculo compresso, & illi-

A co aperto, suffusio non movetur, sed sic (ut est) immobilis manet, talis crassa admodum est, & acu extrahi non poterit. Plura verò de ijs consultò pretermittimus, de quibus, cum dabitur occasio, sermonem faciemus.

Curatio 78. De tuberculo capiti exorto.

QVI mecum olim ab hinc vigesimumquintum annum, oceanum navigavit, nunc Pisaurum venit: ubi,
B cum testudineam cameram habitaret, ob varias (fortè quas habet merces) in capitis sincipite, dextram partem respiciente, tuberculum passus est: tactu durum, sed doloris non expertè. Ex quo, & humor ad oculum dextrum descendit, ipsum quasi ex cõtusu, denigratum reddens, cum quibus & caput universum dolebat, & aliquantulum febri pertetabatur. Vir etenim hic robustus est, temperatura sanguineus, annos natus quadraginta: quem curaturus, primò deonerata per clysterem aluo: ex eius cephalica vena, locum affectum respi-
C ciente, sanguinis uncias octo demere iussi, & tuberculum hoc linimẽto inungi. R. olei rosacei unciam unam, pulveris rosarum, camæmelæ an. drachmas duas, ceræ parum: misce fiat linimentum: oculus tamen rosacea aqua lineo panno excepta fovebatur, ac sæpè innovabatur. Cæterùm, quum hæc machinabamur, corpus uniuersum syrupis ex endivia & rosaceo simplici præparatum, purgavimus, ac postea ab ocu-
D lo, inflatione & nigritiæ levata, capitis tuberculum diu perdurans, ex ammoniaco, ad emplastri formam redacto, sæpè applicito, evanuit, & ægrotus ipse sanus evasit.

Curatio

Curatio 79. De ulceribus in vijs urinæ, maximo cum ardore derelictis, ex curatione caruncularum.

ABrahamus, qui Pisauri habitat, & iamdiu ob carunculas in collo vesicæ habitas, difficulter meiebat: cum à gallo empyrico curaretur, in gravissima symptomata, & vitæ suæ periculum incidit. Nam ulcera gravia in vijs urinarijs, facta sunt: ob quæ cum meiebat, ita acritudine intensa, & maxima cruciabatur, ut alta voce exclamaret. Immo ob ea collum vesicæ ita contrahebatur, ut rarò meieret. Cæterùm, ut hunc à tanto malo liberaremus, primò symptomata, hoc est, urinæ ardorem supprimendum, sive levandum putavimus. Proinde syphone, sive iniectorio, per virgam lac muliebre recens mulctum immiti iussimus: utq. hoc sæpè actitarent commendavimus. Dein verò, lactis vice, ad collyrium sequens devenimus, quod habet. R. rosarum siccarum pugillum medium, seminis lini, seminis malvarum, ana unc. mediam: seminis citruli, melonis, cucurbitæ, portulacæ, papaveris, an. drach. duas, seminis halikakabi, numero 10. in libra una & alterius media aquæ fiat decoctio, secundum artem, & coletur. Cui colaturę adde, trochiscorum alkakengi, halikakabi dicti, unciam mediam: sacchari candi uncias duas: camphoræ drachm. unam, misce, fiat collyrium. Quo collyrio per syphonẽ iniecto, & urinæ acredo infringebatur, & ulcera eluebantur, extergebanturque, & urina liberè eiaculabatur. Quandoque verò trochiscus, sive pastillus halikakabi, uno vel altero grano opij adiecto, iniiciebatur. Nõ me latet, pastillos hos haliKaKabi, opio etiam parari, sed apud me absque opio parati magis laudantur: cum medici iudicio, opium addi, & minui potest: sed tunc lacte dilui possunt, aut aqua rosacea, vel plantaginis, vel portulacæ,

E veluti pastilli diaphisalidæ: sed tunc unguentum rosaceum, & populeõ renum regioni, & virgæ radici, ac inter testiculos & anum applicabatur. Quibus remedijs, statuto optimo victus ordine, hoc est, ex pullo contuso, & portiuncula ptisanæ, vel per se sola ptisana, vel panatella simplici: aut ex pulli iure parata, & ordeacea aqua in potu admissa, intra octo dies liber evasit. Syrupos tamẽ violaceum, & capillorum veneris, decocto supra signato, dilutos, ijs diebus bibebat: sed & clysteres, ut alvum respondentem haberet, injiciendos tunc curavimus. Cæterum hic, cum rectè valeret, sed adhuc nonnihil saniei per virgam emitteret, elapso mense, cum uxore coivit: unde testiculus sinister crassus maximo cum rubore, & dolore est reddit⁹. Cæterum, ex fabacea, & ordeacea farina, adiecto oleo rosaceo, parato emplastro: optimo præstante victus ordine: sanitatem exactam adeptus est. Nobiscum hac in curatione erat Laudadeus Blanes Hebræus, Reverendissimi Cardinalis Crispi, medicus doctus & probus.

Curatio 80. De crustis pueri caput occupantibus, & ad oculos descendentibus.

SAmuelis Catalani puer recens natus, crustas in capite patiebatur, quæ ad oculos descendebant, & ita eos occupabant, ut timor esset, ne in ipsis vitiũ aliquod impingeret. Nos igitur huic occurrentes vitio, iubemus, ut nutrix optimo victus ordine utatur: simulque parte, & optimis edulijs vescatur, atque ut ex ubere suo ulcera ipsa multo lacte irroret, ac postea, coronali capitis parti, versus sinciput, folium caulis tepidũ admoveat, ac sæpè innovet. Iis enim facillimis remedijs puer liber intra paucos dies fuit. Possent quoque huiuscemodi crustæ è capite levari decocto malvarum, & furfurum, veluti aqua lavati

vati panis, adiecto butyro, vel oleo rosaceo, aut utroque simul: nonnullæ verò mulierculæ, folijs hederæ adplicitis opus hoc complent. Cæterùm, cùm olim alter huius viri filiolus similem pateretur affectionem, & sinistre eum medici tractarent, miserè puerum, in utriusque oculi suffusionem traxerũt, qui & nunc elapso triennio, eodem laborat morbo: nõdum autem exactum incrementum suffusiones adeptæ sunt, ut opera manuali extrahi possint.



Curatio 81. de febre diaria, ob frigus eveniente, simul, quod omne genus febris, cor pro subiecto habet.

QVI frigus passus est ingens, domũ um se reciperet febri correptus est, ad hæc, caput dolebat, & non leviter affligebatur. Cæterùm, ad eum accersitus, arteriarum pulsus non admodum extra naturam suam, nec longè à proprijs dissidentes comperio: sed & lotium non admodum à naturali dissidebat: immò corporis functiones, sive actiones omnes non multũ læsæ erant. Qua de re, febrem ipsam diariam esse prædixi: id quod ita esse, successus probavit: per levem autem quendam madorem exoluta febris sequenti die fuit.

SCHOLIA.

FRigus diariam febrem ex accidenti gignit: quia expiramenta, & cutim claudit, & densat, unde effluvium quoddam solitum cohibetur, quod si calidum, & acre esse contingat, febrem gignit, sin benignum, plenitudinem. Cæterùm in omnium medicorum ore est, febris diariæ subiectum spiritus esse, veluti putridæ, humores, becticæ verò cordis corpus, & pro exemplo adducunt famigeratissimam apud Galenum, & cæteros medicos similitudinem. Diaria sic febris dicta, quod unum tantummodo diem durat, similis est vento calido, qui utri includitur: ut enim aer calidus utrem, cui includitur, calefacit, ita spiritus

A *plus iusto calefactus, corpus calfacit. Diariæ febris igitur subiectum, y spiritus constituunt, veluti putridæ, humores, quoniam quoties in humoribus succenditur calor cum putredine, febris oritur, quam putridam medici appellamus, estq. similis aquæ calidæ: ut enim aquæ calida vas frigidum, cui infunditur, calfacere potest: ita & humores plus iusto calefacti, corpus calfaciunt. Non minus, si calor præternaturalis contingat in membris accendi solidis, bectica resultat, quæ assimilis vasi est calido: quemadmodum enim vas calidum, aquam frigidam quæ infunditur, calefacit: ita bectica, quæ membris fixa est, humores omnes corporis excalfacere potest. Cæterùm, similitudo hæc,* B *ut à tantis viris celebrata, ita pro vera & optima, reputanda est: non eo tamen inde arguere quis poterit, diariæ spiritus subiectum esse, nec putridæ humores, cum re vera, omnis febris subiectum, cordis corpus sit. Non enim febris res inanimata subiectum esse potest, ut humores, & spiritus, qui dubio procul inanimati sunt, necesse est igitur cordis substantia, omnis febris subiectum dicatur. Erit igitur spiritus, calore febrili succensus, causa diariæ febris, quia carnem sive cordis substantiam inficit, affectus igitur ille, actiones cordis primariò lædens, morbus sive diaria febris dicetur. Veluti putrida, quoties humores putridi, & febrili calore infecti, cor petierint & inde* C *cætera membra, veluti bectica, quoties cordis ipsius substantia apprime à calore febrilis infesta, evaserit: ut huius rei Avicenna quoque author est fen prima, libri quarti.*

Curatio 82. in qua agitur de Aphtis.

PVer Abrahami Catalani, qui aphtas in lingua, palato & labijs patie-D batur, & ex eisdem multum torquebatur, à colluto ore, hoc lavacro optimè habuit. R. rosarum rubearum, summachiorum, summitatum rubi, balaustiorum, ana pugillum medium, in aqua fiat decoctio sufficiens. Facta colatura & expressione, adde sacchari candi uncias duas, aluminis rochi crudi unciam unam: misce, fiat lavacrum, ex quo lineus pannus imbuatur, atque eo os colluatur. Quandoque verò pulvisculus hic intra os indebatur, quibus intra

octo dies sanitatem obtinuit: habet autem pulvisculus sic. Recip. pulveris rosarum rubearum, sumachiorum, balaustiorum, ana drachmam unam, & alterius mediam, sacchari albi, & fini, drachmas duas, aluminis rochæ crudi drachmam unam: misce, fiat pulvis, cuius portiunculam in os mitte.

Curatio 83. de symptomatis quibusdam mulieri cuidam sterili, nonnulla ebibenti, ut prægnans evaderet, obortis.

MVlier infœcunda, & sobolis procreandæ avidissima, ut viro placeret, ab obstetrice avertendæ sterilitatis remedium petit. Obstetrix verò (ut omnium aliarum mos est) remedium non deesse: imò experimentum apud se tale haberi, ut eo plures ad conceptionē præparasse mulieres, effusis multis & varijs verbis affirmaret. Ceterū, hæc avidissimè remedium exposcens, quod non aliunde, quam ex puro pipere, & gingibere paratum habebatur, summa cum voluptate ebibit. Post cuius potum, altero interposito die, ita angustijs, & cordis pressuris tenebatur, ad hæc faucium strictura, ardoreve, veluti pulsuum minutionibus, & vigilio, ut eam brevi morituram assistentes crederent. Ego verò, bona ægrotantis fortuna, ut qui alteram ab eadem obstetrice ita tractatam, iam curaveram mulierem, bono esse animo iussi, & contra prædictas affectiones, ita invado, & primò fæcibus per clysterem ex aluo depositis, iecur hoc linimento illini feci, quod habet. Recipe unguenti santalini, unciam unā, & alterius mediam, rosacei unciam mediam, aceti rosacei parum: misce, fiat linimentum, quo leniter iecur inūgatur. Cæterum, cordis regio quoq. inungebatur, sic. R. unguē ti de nenuphare uncias duas: pulveris coralij rubri drachmam mediam, aceti rosacei parum: misce, fiat linimen-
E tum. Timor nanque erat, ut ne hæc in hecticam laberetur febrim: ad collum tamen, ut quæ tanquam strangulata, ob nimium ardorem in eo perceptum iacebat, deforis hoc admovebatur linimentum. R. unguenti rosacei, populeonis utriusque unciam unam, camphoræ drachmam mediam, aceti parum: misce, fiat unguentum: porrò, ut gargarizet, hoc decocto frequenter utatur suasimus. R. ordei, rosarum, violarum, nimpheæ, foliorum plantaginis ana manipulū unum: in libris tribus aquę, fiat decoctio secundum artem: facta co
F latura, & expressione: adde rob mororum, syrupi acetosi simplicis ana unciā unam, camphoræ drachmam mediā: misce, fiat gargarismus, ut quoque in in aurora biberet, sic præscriptum fuit. R. foliorum endiviæ, lactucæ, cichoreæ, violarum, rosarum ana manipulū unum, calicum papaveris albi pugillū medium, seminis melonis mundi, unciam unam, & alterius mediam, prunorum pinguium decem, sebestem, iuiubarum, ana num. 12. tamarindorum unciam unam, santalorum rubeorum unciam mediam, in libris septē aquæ,
G fiat decoctio, quousque maneant libræ quinque. Facta colatura, adde syrupi de cichorea simplici, uncias tres: misce, fiat Iulep. longum, de quo ieiuno stomacho, uncias octo bibat: nocte verò, cum id dormitum, diacodij simplicis, orbiculo uno vel altero, drachmæ pondere utatur. Victus huic præscriptus, contusum pulli, cum parte altera ptisanæ erat, potus verò hordeacea aqua: ijs enim post elapsos quadraginta
H dies sanitatem adepta est. Admissus est autem in hac curatione Marcus, ducis Vrbinatis Illustrissimi, Medicus doctus, quum eo tempore, ingenti colico dolore ipse cruciarer.

SCHOLIA.

QVum variæ sint sterilitatis causæ, variæ sint indicationes curatrices, & varia ipsa remedia decet. Ex remedijs tamen, quæ empiricè accipiuntur, nulla servata indicatione,

aut

aut à mala qualitate uterum inficiente, aut à mulieris, vel viri intemperie, aut varijs alijs, quæ non vacat, nec puto esse operæpretium referre, Aloe est quæ tum ieiuno stomacho, tum quando vadit dormitum, mulier devorare: ita enim experimentum hoc, pro certo habetur, ut non dubitem mulieres eo utentes mihi pro eo gratiam habituras, dosis autem pulveris scrupulus sit decet, aut semidrachma, nebula abscondita, ac pauculo iulepo, vel in bolo cassię, qui devoratur, fieri solet: amarissima etenim (ut nostis) est aloe, quę ad aliquod dies, sic devorari debet.

Curatio 84. adhibita Barcinonæ ad nobilissimam quandam virginem religiosam, quæ ex vomitu in deglutiendi privationem, ac febrim continuam incidit.

HÆC supra viginti annos nata, tẽperatura biliosa, expurgato pridẽ utero menstruis, pro consuetudine copiosis, die Mercurio trigesima Decembris 1627. ex lacteis edulijs in vomitũ cecidit ingentem corrupti cibi, & pituitæ, quibus semel aliquantulum bilis confusum fuit, ut eadem ægra, sibique assuetus Doctor, ac omnes assidentes retulerunt, quam vomitorijs, iniectis clysteribus, & solutiva, simulq. roborante potione ex Rhabarbari pulvere Doctor eximius magna ratione curandam instituit. Cæterum in peius lapsa infirma accersi iubet alium Doctorem die Dominica ad noctem, ipse rogatus properat, illamq. timore pressam invenit nõ abs re, cum nec minimum quidem cibi vel potus deglutire valeret, nullo apparente in faucibus vitio. Timuit quoque superveniens Doctor; sed vultu spem simulavit. Postridie Doctores ambo in consultationem vocati, naturam morbi, ac partem affectam investigarunt. Eorum alter œsophagum pati per consensum uteri: alter vero per proprium affectum opinatus, uterque suis rationibus nitens, inquirendæ po-

A tius veritatis, quam nanciscendi honoris gratia; at cum rarus eventus esset, nec rarus duntaxat, sed varijs de causis periculosos suos quisque passus est manes. Postera die duo alij Doctores, prioribus id postulantibus, consulti fuere. Omnes, priori excepto, proprio affectu laborare œsophagum definierunt, eo discrimine; ut duo ab intemperie humida debilitatem contraxisse existimarent, tertius an intemperie humida an sicca laboraret in dubio versabatur. Tamen acribus clysteribus repetitis, cauterio cervici apposito, vesicatorijs
B brachijs affixis, gargarismis exsiccantibus, & robur œsophago tribuere aptis die nona incepit deglutire. Interea dum hæc fierent aliqua nutrientia enemata iniecta sunt. Sed cum ex inedia, & mœrore spiritus flammam concepissent, & morbosa existente in corpore dispositione in putridam febri trãslata carperetur, sanguine ex cubito misso, cordi, iecori, dorso, & lumbis alterantibus remedijs adhibitis D.O.M. nutu salutem recuperavit.

SCHOLIA.

C *QVod raro accidit, non mereri observationem ullam insignem, docet Arist. 3. de histo. animalium cap. 15. Hinc rite a Galeno proditum est 3. de locis aff. cap. 3. Medicinam empiricam dispositionum raro evenientium, non solum curationem, verumetiam pręvenientes ipsarum notiones negligere; cum ipsa non quod raro, sed quod crebro accidit, in memoria & imitatione collocet. Proinde ipse rationalem Medicinam professus, quasdam scientifica deprehendi posse notitia: nonnullas vero artificiosa vocata coniectura ibidem perhibet. Rationalis siquidem ex ipsa rei natura orditur, atq. ab ipsa, citra experientiam invenit cuiusque morbi remedia, id indicatione est in-*
D *venire, ut idem Gal. docet 2. meth. med. cap. 7. Huic nos addicti, quæ in observatione breviter dicta sunt, longiori enarratione perlustrabimus.*

Ac profecto, quoniam dissidium maximum in primario affecta sede dignoscenda, curationem funditus evertebat, eam paulo altius suscepimus investigandã, ab actione læsa sumpto exordio, consulto prætermittentes reliqua signa à Gal. adducta 1. de locis affectis cap. 5.

Veruntamen

Veruntamen cum actio læsa nequeat dignosci, quin naturalis actio cognoscatur: hæc vero à sanitate partis dependeat, utpote dignitate, & tempore priori, ut Gal. asserit 6. de sanitate tuenda cap. 1. proinde in quo consistat sanitas instrumentorum; á quibus deglutitio provenit, videndum est; ut postmodum deglutitionis vitiatæ differentias perspicue dignoscamus. Etenim quot modis corpora á naturali habitu recedūt, naturalesq. actiones perficere nequeunt, totidem sunt morborum simplices differentiæ, docente eodem Gal. lib. de diff. morborum cap. 2.

Ad quorum dilucidiorem doctrinam quatuor proponimus inquirenda, quid deglutitio sit, quæq eius causa, quomodo fiat, ac quæ nam eius sint instrumenta. Deglutitio itaq. actio æsophagi est, ex naturali, & animali composita, villis rectis tunicæ internæ attrahens: transversis vero tunicæ externæ expellens, ut auctor est Galc. 4. de usupar. cap. 8. lib. 5. eiusdem operis cap. 11. 3. de naturalibus fac. cap. 8. Naturalem actionem esse patet ex eo, quod attractione, & expulsione fit, quæ nutrici famulantur. Præterea quia appetentia cibi semper deglutitionem præcedit, quæ quamvis actio non sit: tamen vel est naturalis actionis pathema, vel ut alij dicunt attractricis principium; quævis enim facultas naturalis appetit suam operationem tanquam finem, & perfectionem, in quam est creata. Animalem actionem etiam esse probatur, quia voramus cibos cum volumus, & si lædatur imaginatio, aut animalis facultas appetens, vix, aut nihil deglutire possumus. Sic rei ingratæ difficilis est deglutitio; quamvis instrumenta libera sint. Equum fuit denique, ut non minus devorationi, quam deiectioni vis præsideat animalis: ne alimentum celeriter permeans, corpus extemplo in necessitatem adigeret sumendi alimentum, suggerensque insatiabilem gulositatem á Philosophia, ac musis alienum universum mortale genus efficeret, ut ex Platone reffert Gal. 4. de usu par. cap. 17. vel ut communem omnibus animalibus rationem tradamus; ut ipsa inquirendo alimento superessent, nec semper plantarum instar in sumendo occuparentur. Constat igitur non simplicem: sed mixtam esse ex naturali, & animali, ut nuper diximus, actionem.

Primam ac potissimam deglutitionis causam ventriculi attractricem facultatem assignat idem Gal. 3. de nat. fac. citato, quod ex propria ipsius formatione probat contra Erasistratum; nam ventriculus duplici constat tunica, interna, & externa. Hęc ad carnosiorem speciem in gula conversa, & fibris transversis intertexta est quo circulo contrahant: illa vero fibras habet rectas, superne deorsum tendentes; ut quæ trahendi causa sit constituta, quę pro varia positura varios quoque motus habent; quod diversorum instrumentorum exemplo ibidem probat.

Naturalia deglutitionis instrumenta palam ostendit adducens discrimen inter vomitum, & deglutitionem his, quæ sequuntur. Atque idcirco deglutire facilius est quam vomere, quod scilicet deglutiatur duabus tunicis operantibus, interna quidem trahente, externa se contrahente: vomatur autem altera, quæ foris est, agente, nec ullo in os trahente. Et paulo post. Ergo ex iam dictis patet internam gulæ tunicam, cui rectæ sunt fibræ, quo ab ore in se attrahat esse institutam, eoque in deglutiendo tantum agere: externam vero, cui transversæ sunt fibrę, quo constringat ea, quæ continet, ac protrudat talem esse factam, eandem tamen non minus in vomendo quam deglutiendo operam suam navantem. Hæc namque si villorum transversorum contractionem ab ore ordiatur, deglutitioni serviet; si á ventriculi orificio inferne sursum vomitui. Naturale igitur deglutitionis instrumentum nemo ambigit. De animalibus loquamur. Hac facultate motrice naturalia iuvant dupliciter, primo laryngem sursum trahendo, secundo cibum, & potum ad æsophagi initium exprimendo. Primum hyoidis ossis musculis perficitur, qui laryngem sursum in tantum elevant, quantum gula deorsum trahitur, quos adamussim annotat Fallopius; etsi non desit, qui tensioni, potius quam motioni dicatos asserat: expedit autem laryngem ascendere; quia cum tota sit cartilaginea cibi descensum inhiberet, ut advertit Gal. loco citato. Secundum perficitur sex musculis proprijs faucium, & duobus communibus. Hi à lateribus tyrodis ortum ducentes æsophagum amplectuntur, ac in mediam illius partem linea alba discretam inseruntur, sphincterum vicem gerentes, ut idem Laurentius lib. de carnibus viscerum, glandularum, & musculorum quæst. 5. Qui dum ad suum principium trahuntur, cibum in æsophagum impellunt, iuvante non parum lingua, duris quidem prius attritis liquidis statim degustatis: hæc namq. primo occursu linguæ, & palato tota se pandunt.

His pro instituto satis, superq. explicatis, ad id, unde diggressa est oratio redeamus. Deglutitio naturæ leges egreditur, si quippiam præter naturam occurrat ventriculo, æsophago, vel musculis prædictis, quod gulæ in causa sit, vel quod non attrahat, vel quod non expellat,

pellat, iuxta quæ, morbi quocumque genere posse affici credendum est, intemperie, vitiata structura, & continui solutione, quod expresse docet Gale. 5. de locis aff. cap. 5. & Avicen. lib. 3. fen. 13. tract. 1. cap. 2.

Deglutitionis vitiatę differentię, tanquam à fontibus, hauriantur à causa efficiente, à forma, & à subiecto. A causa efficiente dupliciter, primo cum potentia ipsa affecta est, secundo ob errorem aliquem externum. Potentia læditur, aut per suam ipsius essentiam, aut per aliquem instrumentorum morbum, per intemperies quidem in sua ipsius essentia: per alios vero morbos qui instrumentales sunt, ipsa duntaxat impedita, ut docet Gale. 3. de cau. symp. cap. 1. Ac sane quamvis ex cuiusvis qualitatis immoderatione deglutitionis læsio oriri possit: maxime tamen à frigida, humida, & sicca, ut docte advertit Capivaccius. Porro à forma desumptæ differentiæ sunt, cum deglutitio imminuitur, aufertur, vel depravatur. A subiecto denique veluti si interna tunica, vel externa, superior, vel inferior pars aut musculi præfati afficiantur.

Quibus sic positis proxime ad institutum accedentes duo in examen ducimus quæ, ut in observatione prescripsimus difficultatem obtinuere. Primum utrum nostra infirma proprio affectu œsophagi, vel partium ipsi deservientium: an vero per consensum alterius cuiuspiam partis laboraverit. Secundum, quisnam assignandus sit morbus, à quo vitiata deglutitio dependebat. Circa primum, alter ex doctoribus, quem honoris causa non nominavimus, œsophagum minime proprio affectu: sed per consensum uteri laborasse, ductus his rationibus, machinatus est. Quia scilicet uterus pars est opportuna multis morbis, quippe qui plurimas, maximasque habet venas, & arterias, quibus totius corporis excrementa recipere solet: quæ si vel putrescant, vel circa ipsum detineantur, vel tumores efficiant, vel ipsas venas, & arterias distendant, multipliciter lædunt, iuxta, Gal. 6. Epid. sect. 1. com. in sent. 2. Præterea quia virgines maxime inter omnes mulieres gravissimis symptomatis tentari, affligique videntur, ex duplici excremento inipsis vel alterato, vel putrefacto. Quum enim, ut Hip. verbis loquar libello de virg. morbis, hę partes repletæ fuerint, & horror cum febre ingruit, erroneas febres appellant; his autem sic habentibus, præ acuta quidem

A *inflammatione insanit; præ putredine vero clamat, præ caliginositate autem timet, ac formidat, præ compressione vero circa cor, strangulationes parat, præ sanguinis autem malitia, animus mœrens, ac anxius malum, attrahit. Sed & alium horribiliter compellat, & in puteos prosilire, ac incidere iubet, & strangulari, tanquam meliora sint hęc, & omnem vitæ utilitatem excedentia. Alia quoque recenset ex utero mala lib. de morbis muli. 6. de morbis vulg. ac sparsim alibi.*

Qui proinde lib. de nat. muliebri a dijs ordiri præcipit eum, qui illa recte tractare B *velit: quod multiplicia cum sint & cognoscantur, & curentur difficile. Horum sane quamplurima possibile fuisse pati nobilem infirmam de qua agimus, inde conijciebat: quod virgo esset matura viro, & plenis nubilis annis, atque in cœnobij cratibus alloqui assueta, nec mirum: cum inde plurimę religione permittente connubio viris iungantur. Vnde infert sapientissimus Doctor ab affecto utero halitus fuisse elevatos, qui vel cibi, vel potus ingressum impedirent, vel utrumque foras pellerent. Hæc ille.*

Iam qui fieri potest, ut aliqua pars afficiatur per consensum, nullo existente morbo in parte primaria? vel quomodo morbus con- C *stituetur in parte primaria absque ulla actione lęsa illius partis? vel quomodo continua erit actionis cuiuspiam læsio, nullo existente proprio affectu in instrumento illius actionis? quum Gal. 2. de locis aff. cap. 9. hęc proferat. Ergo cum pars aliqua simul cum alia sic afficitur, ut irritata quidem una, altera vehementius molestetur, remissa vero irritatione quiescat, eam per consensum affici putandum est. Atqui uterus nullo fuit morbo irritatus, quod ex signorum uteri affecti absentia, æsophagi proprio affectu laborantis præsentia optime fuit monstratum.*

D *Nunc vero halitus non potuisse illud symptoma efficere, vel ex eo convincitur, quod remissio aliqua fuisset visa, nec continuo eodemque modo affecta gula, vel ex eo, quod docet Hip. 7. de morbis, vulg. Plurimas uteri affectiones flatus faciunt. Signum sunt ructus & strepitus circa ventrem & lumborum tumores & dolores circa renes, ac coxas. Quę nos quotidiano experimento etiam comperimus.*

Nodum solvebat gravissimus Doctor dicens Hip. intelligendum fore de flatu crasso, ac copia distendente. Quoniam autem ex alterutro principio semel inutero putrescente,

adeo fœdi dirique vapores elevantur, ut ne
quidem præ paucitate, vel tenuitate disten-
dant, neque materiam ructibus, & strepitibus
suppeditent: tamen sua prava, & forsan ve-
nenata qualitate horribilia symptomata pa-
riant, qualia describuntur à Gal. 6. de locis
aff. cap. 5. Ideo illud etiam symptoma conti-
gisse, absq. morbis, & signis ex Hip. dudum
præscriptis. Sed qua ratione halitus adeo pra
vi, ab utero in œsophagum elevati, nullam
ventriculi orificio, exquisitissimo sensu prædi-
to, noxam intulissent? vel qua ratioue tot die-
rum spacio uterum sibi non conficeret nervo-
sum genus similitudine, vesiccam, rectum in-
testinum, mesereon, ac alias partes vicinia, he
par & cor venarum, & arteriarum colligan
tia? Denique cum omnia in corpore consentien
tia sint, qua ratione nulla ex reliquis partibus
in aliquem ex utero morbum fuisset delapsa?
Hip. enim est oraculum lib. de alimento con-
fluxio una, conspiratio una, consentientia om-
nia

Verum adversus ea, quæ hactenus dicta
sunt eximius doctor objiciebat, quia nedum
ægrotantem non deglutire: verumetiam quod
faucibus immitebatur vel resilire, vel cum
saltu sursum expelli conspiciebamus, quod po
tius depravato gulæ vitio vertebat, quam de-
bili. Scrupulus tamen evellitur ijs, quæ supe-
rius ex Gal. sumpsimus, tunicam scilicet ex-
ternam œsophagi contractis fibris transversis
expellere ad ventriculum, ab ore incipiente
contractione; econtra vero incipiente contra
ctione à ventriculo sursum vel reijcere vel
irritari. Dicimus itaque motus illos deprava-
tos á tunica externa ortum duxiße, irritata
ab aliqua bilis, vel humoris acris portione ex
vomitu ipsi impacta. Nec reffert diversas paf-
siones parti eidem imputare; Gal. enim lib de
inæquali intemperie cap. 8. contrarias vide-
tur attribuere. Vel si mavis affirmabimus ci-
bum & potum versus laryngem demissos na-
turam impetu reiecisse, usu respirationis sic
postulante.

Quapropter non immerito asseveravimus
vitium, à quo deglutitio abolita dependebat,
in parte superiori tunicæ internæ œsophagi, ac
musculis ei subservientibus situm fuisse. Cuius
assertionis, hæc assignata fuit demonstratio.
Nam ubi cibum infirma ore tenebat, musculo
rum ope destituta incumbebat dorso; ut insita
gravitate cibus, descenderet in œsophagum, cu
ius principium quidem, si forte attingebat, nõ
labebatur, secus si pars inferior, vel media so
lum fuisset affecta; sic enim aliquantulum libe
re descendisset.

E Cognita idm parte affecta ad morbi natu-
ram, & essentia devenientes, affirmavimus
œsophagi fibras rectas versus partem superio
rem, ab intemperie humida debilitatem ma-
ximam contraxisse: musculos vero faucium,
& œsophageos resolutionem, cuius ratione suo
munere fungi nentiquam valerent. Intempe-
riem huic symptomati causam præstitisse pa-
tet; quippe nec solutio continui, nec aliquis ex
instrumentalibus morbis, etenim neque dolor,
neque angustiæ sensus percipiebatur, & quod
observatione dignum inspeximus, cum deglu-
tire cepit ingestorũ in transitu tarditas, æqua
lis fuit, & in supino decubitu augebatur, quæ
F maxime in imbecillitate à sola intemperie,
citra tumorem præter naturam facta adver-
tenda monet Gal. 5 de locis aff cap. 5. Eam
autem intemperiem fuisse humidam ex ante-
cedentibus, & coniunctis probabile redditur.
Ex antecedentibus quidem, quia vita præces-
sit otiosa, & ignavia, mollis educatio, humido
rum alimentorum, ac potus copia, & somnus
plurimus; quæ tametsi, in natura biliosa, hu-
midam intemperiem adscititiam, & pituitæ
redundantiam effecerunt. Hæc una cum cibis
corruptis sursum detrusa, sic œsophagum in-
temperavit, & musculos faucium, & œsopha-
geos resolutione prehendit. Ex coniunctis quo
que non minus constat: quia œsophagus deco-
G lor os humiditate luxurians, ac sine siti ineun-
te morbo apparuit, donec inedia, & febris il-
lud siccius reddidere. Idipsum monstravit sa-
natio; quoniam ut ex observatione ratum ha-
bemus, remedijs inducere valentibus siccita-
tem curata fuit. Simile quippiam evenit peri
tissimo auctori centuria 6. curat. 49. in puella
quindecim annorum, paulo post quam menses
errumpere cœpissent. Quæ ex sanguinis screa-
tu assiduo in deglutiendi omnimodam incidit
difficultatem, adeo ut inter cætera, nedum so-
lida, verumetiam nec liquida, præter vinum
deglutiret. Quod referendum censet, partim
œsophagi debilitati, propter intemperiem hu
midam, ob lõgum vomitum ipsi introductam,
partim cicatrici osculum venæ, unde sanguis
H profluebat obducenti: ut durities quædam ad
œsophagum percepta demonstrabat. Nec de-
fuerunt alij, qui de hoc insolito morbo mentio
nem fecerint veluti ex priscis Zerbus cap. de
anathomia gulæ. Halyabbas 9. Thersir cap.
24. Aetius lib. 6. cap. 33. Ex iunioribus vero
Hollerius 2. coacarum præsagi. sect. 2. com. in
sent. 57. dicens deglutitionem prohiberi, reso-
luta gula, & impedita via. In eandem sent.
Iacotius hæc profert. Quo fit ut resolutis his
musculis, vel convulsis, vel tumore præter
naturam

naturam obsessis, integris licet facultatibus naturalibus alijs, quidam deglutire vix possint, alij pereant. Thomas Rodericus à Veiga com. in 3. cap. lib. 6. de locis aff. suo avo eadem evenisse retulit. Hinc mirari non desinam quosdam lingua volubiles supinitatem fuisse mordicus contendentes: quippe supinitas ventris quædam reiectio est, quæ ad solâ oris eius sequitur debilitatem, quandoq. sine humore, quandoq. & cum vitiata, modicæ tamen humiditatis complexu, ut Ga. asserit 8. de comp. phar. secundum locos cap. 3. ipsa vero nec de ventriculo conquerebatur, nec languescentem appetentiam sentiebat.

Arduam rem aggressus, sedulo ad incrementum perduxi, non absolvi: quamplurima enim futilia lubenter omisi: maxima vero à promptitudine, ac alacritate decederunt, nec mirum, quia ea adimplere paucis est datum.

Curatio 85. de puero commorso à cane, plaustrum continuo comitante.

PVer natus annos duodecim, à cane plaustrum continuò comitante, in crure demorsus fuit: sequenti verò die, eadem hora, puer rigore, succedente ingenti postea febri correptus est. Ad quem vocatus ipse, & accersito chirurgo, locum demorsum scarificare iubeo: non nisi profundioribus quibusdã vulnusculis, & calido vino lavare: postea vero, crure optimè absterso, loco affecto hoc emplastrum admoveri iubeo, quo brevi melius habuit, & intra paucos dies, ex toto sanitatem adeptus est, sic autem emplastrum habet. Cepã unam acrem accipe, alliorum caput, sive radicem mediam, theriaces optimæ unciam mediam: foliorum balotes, id est marrubij fœtidi, melissæ, ana pugillum medium, rubiæ minoris unciam mediam, fermenti uncias duas: omnia pistentur, & loco affecto superponantur, quibus, ut dixi, sanitatem brevi obtinuit.

✠

SCHOLIA.

OMnes canes aliquid venenosi in se habere, præter quod omnes docti firmant Medici, historia illa, quæ de Baldo iuris peritissimo circumfertur, attestatur. Nam cum sapiens vir ille, à caniculo in delitijs habito, demorsus in labro esset, & Medici præsentes, parum venenosi morsus recordati, vulnus ad cicatricem brevi traxissent, inde mortem contraxit, ut latius aliàs diximus.

Curatio 86. in qua agitur de sanguinis reiectatione.

DOmina Luna, uxor Magnifici Leonis Abarbenelij, utero cum gereret, ut ipsa credebat, sed falso, & quartum ageret mensem suppresionis mẽsium, ob mœrorem & mœstitiã repentè evenientẽ, menstrui sanguinis nonnihil emisit, adeò ut ne in abortum laberetur timeret. Cæterum, sexto mẽse à retentione menstruorum, dulcedinẽ in ore persensisse, me certiorem fecit, quã ex sanguinis redundantia evenisse conieci. Porrò, elapsis tribus diebus, hæc in sanguinis sputum incidit, quem nonnisi tussi reiectabat: adhæc, in pectore dolorem persentiebat, & sanguis eiectus nõ admodum multus erat, nec rubicundus, sed potius subnigrans, & grumosus, ut in pectore affectionem esse, nemini dubium esset, à thorace etenim concretus sanguis ad pulmones, ingenti tussi transmittitur, & inde dissolvitur, & postea iterum cogitur, & concretus expuitur. Cæterum, cum huic nonnulla, me absente præscripta essent, sequenti die ad eam accedens, & omnia considerans, ex interna dextri brachij vena, sanguinis uncias sex demere iussi, qui omnino biliosus & floridus erat, à quo extracto, melius habere cœpit, ut sequẽti die, ex toto sanguis cohibitus esset. Huic aer frigidus erat, & somnus longus permittebatur: nã & si sõnus internis affectio-

nibus noceat, quia in eo spiritus, & sanguis intro abeunt: nihilominus in hac affectione, eum multum afferre iuvamenti scimus, quia tussis cohibetur, & vena consolidatur, & consequenter sanguis constringitur: quod potissimũ in hac curatione esse, & à medico in primis considerandum, docuit Galenus, libro de Compositione med. S.L. Proinde cervicalia, & culcitras penna consitas fugiebat, non minus ac vestes pellibus fulcitas. Cibus porrò, quia nunquam febris apparuit, primò ex amylo parabatur: dein verò, pullus oriza, & pauco sumachiorum semine, aromatũ vice, aqua chalibeata incoctus fuit. Quanquam posteà caput cinaræ (chichophilum dicimus) adiectum in pulli cocturo fuit: nonnunquã verò vice chichophili, radices simphiti, in taleolas redactas, insiciebamus, quas interdiu nostris monitis, aqua refrigeratas, sic crudas gustabat, & earum vice eclegma ex ipsis, & pauco bolo armeno, ac pauco gummi dragacantho, syrupo myrtino exceptis lambebat. Hæc porrò, nostris monitis, acuta omnia fugiebat, ut acetum, sal, sinapim, vinum, cuius vice aquam bibebat, & aromatum omne genus, veluti acria omnia, in aurora verò, ieiuno stomacho, syrupum hunc deglutiebat. R. syrupi rosacei de rosis siccis, myrtini, ana drachmas sex: aquarum portulacæ, plantaginis, farfaræ ana unciam unam: misce, fiat syrupus. Cæterum, & si tribus diebus ex toto bene haberet, nec sanguinẽ amplius eiectaret: in eodem tamẽ regimine ad aliquot dies, meis monitis, perseveravit, & regiè vivit.

SCHOLIA.

Sanguis per os rejicitur vario modo: aliquando ab ore, & tunc sola expuitione eiicitur: aliquando effluit à faucibus, & tunc screatu spuitur, aliquando à gula, sive stomacho, vel eius ima parte ventriculo dicta, & tunc vomitu foras transmittitur: aliquando à membris spiritualibus, & tussi pellitur. Cæterum, cum ægrotans hæc tussi sanguinem spueret, consequens erat asserere, ex ipsis spiritua-

E *libus membris sanguinem spueret: nec enim à capite in pectus, ut sæpe fieri solet, sanguis cadebat, quod Galenus summopere notandum suadet, 4. libro de locis affectis, capite sexto, nonnullos imperitos Medicos vellicãdo. Cum igitur ex spiritualibus membris sanguis reiiciebatur, dignũ quæsitu est, an ex pulmone, vel potius ex ipso thorace: sed quod nõ ex pulmone, vel ex iis probatum habeo, quia sanguis non spumosus erat, nec subalbidus ex intervallo prodiens. Quanquam in hoc signo de sanguine spumoso, Avicenna fen decima libri tertii, capite de Sanguinis reiectione prisF cos tacitè suggillat: cum sæpe ex trachæa arteria, sanguis spumosus, veluti à thorace quoque effluat, & non à pulmone. Proinde fallax signum spumosum sanguinem esse Avicenna credit, cum hoc tamen verum hoc esse scimus, quod nunquam à pulmonibus sanguis effluit, qui non spumosus, & subalbidus sit. Ad hæc, tametsi sanguis à pulmonibus effluat, absque dolore tamen exit, cum pulmones nervis careant: vel saltem per exiguos, & paucos habent, quibus dolorem non percipiunt: quum igitur in pectore dolor percipiebatur, probabilius erat asserere, ex thorace sanguinem effluxisse. Refert autem Galenus libro citato de locis affectis, capite sexto. Quacunque thoracis parte dolente, si quis sanguinem non mulG tum, nec rubrum, sed magis nigricantem, & grumosum spuerit: huic pectus primaria affectione affici, certum esse: quę sanè doctrina, ut certa, ita aphoristica sit meretur. Cum igitur huic ægrotanti omnia hæc evenerint, consequens est affirmare, sanguinem ex thorace effluere. Cæterum, an ex vena dirupta, vel exesa, an ex eius osculo, plus iusto laxo, & aperto hoc opus hic labor est: habet autem unaquæque harum malarum affectionum suã peculiarem affectionem. Nam si vena disrupta fuerit, consolidantibus medicamentis curari debet, si exesa, sive corrosa, optimis cibariis, corrosionem resarcientibus, & nonnullis pharmacis, ad carnis generationem faH cientibus, si verò, ob osculum venæ plus iusto laxum, obstruentibus. Sunt autem obstruentia contingentia omnia, quorum magna sylva extat, quam nec vacat, nec puto esse operæpretium recensere. Receptui igitur canentes, venam thoracis hanc, ex qua sanguis effluebat, non fuisse disruptam, vel ex hoc probatum esse dicemus, quia nulla causa procatarthartica antecessit, ex qua, vena plerunque disrumpi solet, non casus, non vociferatio, non ponderis alicuius gravis sublevatio, & eo magis pectus cõprimentis, nõ huiusmodi alia. Ad hęc, quod in venę ruptura, sãguis copiosus exit*

nec

nec admodum difficilis curatu est: modò medicus dexter, & diligens illico in principio curationis sit, retractiones, evacuationes, & derivationes exercendo, & per necessaria remedia adaptando: sed quod non sit exesa vena, patet, quia destillatio nulla præcesserit, vel tanta, quæ exedere, & venam corrodere valeret. Difficulter autem vena exesa curatur, & eo magis, si à destillatione evenerit, ut Galenus refert, libris methodi medendi. Consonum igitur asserere erit, sanguinem hunc, ob venæ osculum plus iusto adapertum, exire. Nam quum hæc mulier iuvenis sit, & in delitijs agat, optimis assueta cibarijs, & cui sanguis menstruus retentus est: non mirandum, si sanguis copiosus subtilis, & bilem præ se ferens, oscula venarum dissolvat, laxet, & aperiat. Diximus igitur, si ob venæ osculum laxatum, sanguis effluere contingat, constringentibus, sive obstruentibus, curationem perfici debere: quibus (ut docet Galenus) aliquod aperiens, & viam sternens medicamentum, misceri debet: non eo tamen magna in quantitate, ut constringentium vires hebetet, attenuet, & minuat: sed magis, ut eas citò validas, & potentes, ac manu ducentes, ab stomacho ad iecur, & ex iecore per venam cavam ad cor, & inde ad locum affectum penetrare faciat. Novistis autem ex prima harum medicearum curationum centuria, quæ pectus per tracheam arteriam intrare debent, eam lambendo assumi deberi, homine non nisi supino stante hoc est capite ad dorsum reflexo. Quod verò ad præsagium attinet, audi, tradit Hippocrates libro quarto Aphor. sanguis qualiscunque sursum, malum, quem intellige, per os, & si magna copia fuerit, & cum febre. Quòd verò ita Hippocrates intelligendus sit, ipse se ipsum exponit, libro septimo, eiusdem voluminis: cum dicat Quicunque sanguinem evomuit, si sine febre, sine periculo est: cum febre verò periculo non vacat. Memini me apud Castellum album, iuvenem quendam cognomento sylvam, sanguinis reiectione intra diem obijsse. Nam hic tum rectè valeret, & uxorem iuvenem crassam, & magnam, incubam, hoc est, supra eum cubantem, sæpè faceret, in venæ cavæ rupturam devenit, & brevi effluxo toto ex corpore, sanguine, vitam cum morte commutavit.

✠

A

Curatio 87. De muliere, quæ cum uterum gereret, melancholica evadebat.

MVlier Pisaurensis, & uxor fortè illius, qui viperas nobis Anconâ pro conficiendis theriacis pastillis, deferebat, facie nigricans, cum, in utero gereret, melancholia morbo detinebatur, & ita varia, & multa effutiebat, ut omnibus admirationi esset: ob retentos fortè menses, melancholiam præ se ferentes, morbus hic originem trahebat. Memini autem me, aliam Anconæ vidisse, quæ cum pariebat, melancholica quoque evadebat (ut in primis dixi centurijs) ita enim varia, & multa pro varia melancholiæ miscella evenire contingunt, oporteret igitur, ante conceptionem mulierẽ hanc, de qua curatio nostra agit, optimè purgare.

B

C

Curatio 88. De mira quadam carnea excrescentia, à mulieris inguinibus pendente, pondere viginti quinque librarum.

IN hospitali Pisaurensi, mulier nata annos quadragintaquinq. carnosam quandam excrescẽtiam, ab inguinibus nascentem, põdere ferè vigintiquinq. librarum, patiebatur, quæ non minus illi inter crura pendebat, ac ramex intestinalis, qui viris sæpè evenire contingit, & facci instar inter crura pendet. Hæc cum à me visa esset, paucis interiectis diebus, diem sum obijt. Quam illicò convocatis undiq. medicis, & chirurgicis, dissecuimus, & prominentem carnositatem dictam, per mediũ scidimus: in qua nec intestina asservabãtur ut nõnulli putabãt: nec intus uterus cõ-

D

tinebatur, ut alij credebant: sed nec in ea aquositas aliqua erat: sed tota ipsa pẽdula caro erat, alba, pituitosa, uberis carnem præ se ferens. Nã vuluæ os, in parte huius pendulæ alta, continebatur. Cæterum, hac deformi carnositate incisa, & rectè visa, ad membrorum naturalium contemplationem nos divertimus. Nam huius iecur, ita magnum, & crassum videbatur, ut sex æquaret libras: nulla in eo divisione cõspecta: proinde desinat Sylvius in Vesalium male dicta profundere, doctus nanq. est Sylvius Parisiensis, & cuius doctrinæ, ego multum tribuo. At, cũ veritas ipsa, ante omnia sit præferenda, iubẽte sic Platone, vel meliori autore, ea de causa, Vesalio, quam Sylvio adhærendum putarim. Sed & lien, in hoc corpore, crassitie, lentore, & magnitudine, nõ rectè valere indicabat, unde mẽbra hæc naturalia cum infecta essent, & malè haberent, vice sanguinis, pituitosum excrementum gignebant, quod ad locum declivem illum transmissum, deformẽ hanc carnositatem genuit. Intra annũ autem, pendula hęc admirandam magnitudinem accepit. Cæterum, huius mulieris uterus, ita intra intestinum rectum, & vesicam contractus locabatur, ut altera vesica ab imperitis, & parum in Anatomia exercitatis crederetur: solet autem huiusceemodi uterus in nonnullis mulieribus non rarò conspici, præcipuè sterilibus, & quæ nunquã pepererunt: sed ijs quoq. mãmillæ paruæ, & contractæ sunt, ut ex illis uteri parvitas & exiguitas etiam arguatur.

Curatio 89. De topico quodam remedio, optimo & tuto, scabiei conveniente.

VT Scabies facilè decidat, præsertim à corporibus delicatis, accipe, herbarum fumi terræ, senæ, lapachi, ana pugillum unum, hellebori nigri unciam unam, in aqua iustæ quan-

E titatis omnia infundantur, & bulliant parum: ex quo decocto, scabies lavetur sed postea, absterso corpore, hoc linimento scabiem inunge, & brevi decidet. Accipe olei cõmunis uncias duas, aceti mediam, sulphuris in pulverem redacti & lineo panno excepti, unciam unam, omnia in ollulam injicito, & ad ignem bullire finito, quousq. acetum absumptum sit: hoc enim linteo continente sulphur, sic oleo illo inuncto, scabiem inunge, & facile decidet, etiam non præcedente herbarũ lavacro, opus brevi cõsequêris, si ter, quaterve, in die

F illines scabiem.

SCHOLIA.

EST sulphur medicamentum ad scabiem satis idoneum, & securum: ut de quo dicat Galenus, quod intus non remittat sed magis foras extrahat, ut apud eum legitur libris de facult. simpl. med.

Curatio 90. De punctura ex piscis spina, in digito oborta.

G ANna Pinta, mulier honesta, quæ apud anglos diu egit, & uxor illius, qui apud Indos multos egit annos & multas callet linguas, Pisauri, cum pisces desquamaret, fortè in pisculum parvum subalbidum, quem Araneum vulgus appellat, incidit, qui in dorso, ut habet alam paruam, ita spina, & aculeo uno vel altero, insignitam, armatamve: quibus pollicem digitum imprudens transfixit, tanto dolore, & sæ-

H vitia, ut mortem precaretur. Nervus autem punctus fuit, ob id seca punctura hæc appellabatur: ad quam accedentes nos, illicò per chirurgum scalpello puncturæ foramen dilatari iussimus, ut si quæ inesset spinæ alicuius portiuncula avelleretur: ac postea scarificare mãdavimus. Aderat autem mulieris huius alia amica, quæ ore suo sanguinem à digito sic scarificato sugebat: quoad nobis satis visum fuit, pro curationis

ratione.

ratione. Cæterum, puncturæ topicum remedium hoc admovere mandavimus. Recipe Sagapeni, Kalbanes, terebenthinæ, ana drachmã mediam, olei rosati completi unciam mediam, theriaces drachm. unam, pulveris radicis cãnarum, drachm. mediam, misce, fiat unguentum solidum, & admoveatur, quo intra quatuor dies, sana evasit, nec sanguinem mittere, per venæ sectionem, opus fuit.

SCHOLIA.

PRo salute huius mulieris, in dubium versum fuit: an tunc, hoc est, punctura initio, affligente dolore, & tumescẽte manu & brachio, defendens, sive repercutiens aliquod medicamentum, quod frigidum natura esse solet, applicare deberemus, ut humorum fluxus cohiberetur, coerceretur ve. Et demùm post multa hincinde adducta, & dicta, conclusum fuit, quod non, iubente sic Galeno, libro sexto de Morbis curandis, non procul à principio, ubi historiam enarrat iuvenis philosophiæ dediti, in medio articulo manus puncturam habẽtis, & ita inquit, Nam id quoque, vel in primis semper habendum curæ est, ne quid ex ijs, quæ vulnus contingent, frigidum sit. Quãdoquidem ipsa laborans pars, & sensilis maximè est, & principium partium primati continua & temperamento suo frigida, quorum omnium occasione, & ex facili à frigido offenditur, & suã offensam impertit cerebro. quòd si ex ijs fuerit, quæ in musculos perveniant, etiam convulsionem facilè accersit. Si quidem monstratum est, musculos voluntarij motus, instrumenta esse, idem fore, & in tendonibus expectabis, ijsdem de causis. Cæterùm, cùm memoratum remediũ tum vulneri ipsi iuvenis imposuissem, tum uerò partium, quæ supra erant, non parùm eodem eodem complexus fuissem, quæ circa axillas, collum, caputque eius erant, omnia calẽte oleo assidue madefeci. Hæc Galenus, per quæ nos docet, frigida in nervi punctura fugiamus omnia, quia facile, exãgues nervi cùm sint, & frigidi, ascititia frigiditate, eorum originem, cerebrũ, & nucham, refrigerabunt, & convulsionem creabunt. Proindè, vel punctura in digito stante, oleo sabino calente, vel aliquo simili, ab asellis ad digitum male affectum, sepe manus foveri debet: id quod clarius paulò inferius tradit: cùm dicat, ac quæ ad ulceris curationem attinent, hic quoque sunt eadẽ. Cęterùm detrahere largius sanguinem, ac tenui, magis

A *quàm in illis uti victu, tum in quiete omnino, ac lectulo molli, hominem continere oportet, tum oleo calenti ubertim in axillis, collo, tendonibus, ligamentis, & capite uti, quòd si vulneratus nervus ex ijs sit, qui in crure habentur sicuti cùm in manu erat, alę, ita in ijs bubones largo oleo imbuendi, tum per totam spinam, ad collum, & caput ascendendum. Hac tenus Galenus, qui paucis citatis ijs, ita rem haberi indicat, ut non opus sit, illius varios nũc adducere locos, ut ex libris de comp. med. S. L. Cæterùm euphorbium consultò prætermisi quo*

B *in hac curatione, Galeno suadente, tutò uti poteramus, cùm nervus denudatus nõ apparebat, abnegat autem Galenus, in nervo denudato euphorbium, veluti acria, & irritantia medicamenta, adeò ut Terebinthinam non nisi elotam admittat, sed tunc unguentum ex calce elota, summopere extollit, veluti ex põphoglige, non minus & medicamentum diacalchiteos dictum. Quæ omnia remedia, ex libris de compos. medic. S. genus petenda sunt. Cæterùm, in horum remediorum usu, & applicatione, hominis temperatura, ac compositio considerandæ est, robustius enim vir, fortia & acria, magis fert medicamenta, quam imbecillis, item vir*

C *potius, quã fæmina, iuvenis, quam mollis puer, ut Galenus nos docet. Nos verò in presenti Galeni methodum legenti præposuisse, prout nostra exposcit Curatio, satis duximus.*

Curatio 91. De quodam puero, qui ob esum calcis viuæ, diem suum obijt.

FIlius Hioseppi Chirurgici, annos natus octo, capillos, & parietum cre-

D tam assuetus cum esset comedere, semel in calcem vivam incidit, ex qua cum abunde comederet, in gravia lapsus est symptomata, intensissimè febricitabat, sitiebat, & multum bibebat, sed eius sitis nunquam extinguebatur: ad fauces dolebat, & de ventris dolore cõ querebatur, non egerebat, nihil appetebat: sed ea, quæ illi offerebantur, respuebat, & nihil gustabat. Ad hunc tertio die ingressus ipse, presagio habito: quod hic brevi moriturus esset, lac illi copiosum bibendum darent suasi, vel saltem ius aliquod præpinguis carnis,

sed

sed & clysteres ex malva, ibisco, semine lini, paratos adiecto butyro, & oleo seminis lini, illi inijcerent, mandavi. Cæterùm, cùm is nihil per os admitteret, sexto sequenti die obijt: agebatur autem nonus dies tunc à morbi initio. Cæterùm de ijs Dioscorides libro sexto, nonnulla memoriæ comendavit, quem per ocium legere ne gravemini.

Curatio 92. De symptomatis obortis, ob multarum herbarum esum in oxyporo.

DAvid Bonus iuvenis annos natus viginti, habitu gracilis, & temperatura biliosus, cui sæpè sanguis per nares effluebat multus, herbis valdè in victu oblectabatur. Cęterùm hic, cùm semel plus iusto herbarum in oxyporo victitaret, malè habuit, de dolore capitis conquerebatur: circa os ventriculi, erosiones patiebatur: calorem præter naturalem, per universum corpus persentiebat: nunquam ea nocte quievit: sed eam insomnis exegit: nausea affectus, nunquam vomuit, sed bis, vel ter alvus illi commota est. Ad eum igitur diluculo accedens, omnia citata contemplor: quæ ex bile prasina, ab herbis illis plus iusto ingestis, exorta, originem trahere, certo comperi. Proinde deinceps iuvenis hic, ab esu herbarum abstineret, suasi: quando ventriculi calor non ita est potens: ut herbarum ita ingentem molem ingestam cōcoquat: ita enim huic, ex usu herbarum multarum evenit: quemadmodùm monacho Recinensi, qui Anconæ agebat, & capparorum ingenti copia utebatur: ut secunda Centuria dixi. Cæterùm alijs simile evenisse ob fabarum, & erviliarum, veluti capitum cinare, & pomorum esum, non rarò notavimus: proinde, qui sanitatem servare studuerit, hæc & similia fugiat oportet. At ęger hic, de quo sermo agitur, evocato vomitu, & multa eiecta bile prasina, convaluit. Porrò deinceps, herbis cùm abstinuit, rectè valere dixit.

Curatio 93. De optimo quodam remedio, contra dolores & tormina in dysenteria.

QVum puer ille nobilis torminibus, hoc est, doloribus dysenteriā consequentibus vexaretur, iussimus hircos mactare, ac eorum omentum (zirbum Arabes, retem vulgus appellant) ita recens calidū supra pueri ventrem extensum admovere: & fascia fasciari: idque bis, & ter, iterari mandavimus. Quo remedio à doloribus puer liber brevi evasit: & consequens adplicitis alijs machinatis remedijs, sanus omnino est factus. Cæterùm, topicum remedium hoc securum, & optimum: ut ab hircis parari diximus: ita à vervecibus, & alijs animantibus accipi poterit: ut in curationibus racusinis videre licet.

Curatio 94. De opera naturæ, artis operibus respondente.

VIr natus annos quinquaginta quinq. facie pallida, & emortua: ut qui singulis dieb. per hemorrhoides sanguinis magnam copiam mittebat: febri continua inchoante mense Maio, corripi cœpit. Ad quem cùm invisum accederemus, eum gravissima febri teneri, invenimus. Nam huic pulsus vehemens, magnus, frequens, & celer erat: lotium rubrum, & crassum: ut hunc sanguinis missione indigere, nemini dubium esset. Diluculo igitur eum cùm semel inviserem, intra duas horas rediturus: ut me præsente illi venam aperiat chirurgus: ita contigit: ut vix me ab eo discedente, in tantam sanguinis per nares eruptionem perveniret: ut cùm post ho-

ras illas duas ad eum redirem, opus arte conficiundum, à natura completum invenerim, ac ea de causa, refectis viribus per biduum, & propinato pharmaco ex rhabarbaro, & syrupo rosaceo solutivo cum drachma una vel altera electuarij de dactilis brevi sanitati restitutus fuerit. Hinc enim videre licet, quã vera, & præstans ars medica sit, quãq. saluberrimis, & veridicis remedijs ornata, ut quæ ipsa aggredi deberet, natura per se primo compleat, & quæ natura ipsa exequi debuerat, ars suppleat. Erat autem opus, huic sanguinem mittere, quem intra duas horas extrahendum decreveramus: at natura ex se, sapiens, & provida, opus agendum antecessit, & tanto operi invida, operatrix, & victrix evasit.

Curatio 95. de Gigante Senogalliæ nato, crura tumefacta ad summum cum ulceribus habente.

HOMO ingentis magnitudinis, ita ut gigas ab omnibus dicatur, & merito, quia communis hominis staturam, cubito excederet. Nam eius manus, hoc est, ab initio metacarpij, ad apicem unguium, dimidium cubitum (dempto digito altero latitudinis) continet, quin, & eius pes, calapodio viginti continente punctos, clauditur, dẽtes triginta duos habet, sexdecim pro ordine, & eos quidem ingentes, sed raros, separatósve, reliquave ijs citatis, proportionata putato. Nam, ut de viribus dicam, hic salmam tritici Senogalliæ, sexcentas parvas libras continentem ex terra elevat, & eam suis imponit humeris, eamque ferens, sine labore incedit. Cæterum, hic cum Senogalliæ, ubi fortè natus est, ætatis suæ vigesimo anno, male haberet, contigit, ut Guidus Vbaldus secundus, Illustrissimus Vrbini Dux quartus, qui, ut est princeps omnium virtutum genere or

A natus, ita regnum suum, magna cũ iustitia sustinet, eoq. non rarò per eũ trãscurrit, ut cuiq. petenti, de iure audiat, & quod unicuiq. debetur, tribuat, in Senogalliam veniret, & hominem tam vastæ magnitudinis cerneret, & fortè eo tempore male habentem, pietate, ac misericordia summa commotus, eum, Pisaurum deferri curavit, ut ibi omnia pernecessaria illi in promptu essent, ab optimisq. medicis curaretur: ulcera nãque, cum pedum ingẽti tumefactione, patiebatur, qui utrum ad sanitatem res-

B titutus fuerit, ignoro: brevi nanq. tunc discessimus à Pisauro. Eius nanq. curã habebant, Marcus medicus doctus, & Abrahamus Aloya Lusitanus Iudæus, Pisauri ex conducto chirurgus, nobis autem satis est hominis gigantis nostræ tempestatis memoriam fecisse.



Curatio 96. in qua agitur de destillatione oculorum.

C LVdovicus Corradus Mantuanus, vir hac ætate doctus, & qui nobis Philotheum Græcum in Hippocratis aphorismos, Latinum fecit, destillationem ad oculum sinistrum patiebatur. Cõtra quã hoc usus est remedio, & brevi sanus evasit. Tutiam præparatã linteo raro excipe, & filo liga, & in vino Cretensi austero immerge, & ea sic pãno excepta, oculum lava: brevi enim, vel intra triduum sanus evasit, bis autẽ, vel ter, in die iterari debet.

D

Curatio 97. de affectionibus quibusdam, & symptomatis evenientibus ab ingenti caliditate iocinoris, & cerebri.

IOhannes Victorius, vir nobilis, & confalonerius Pisaurensis, annos natus sexaginta quinq. temperatura biliosus,

sus, & boni habitus, varijs symptomatis laborabat, a iocinoris, & capitis intemperie evenientibus. Nam ingentẽ caliditatem, per universum corpus persentiebat, veluti sitim inextinguibilẽ, cum linguæ quadam ariditate, & scissura: ad hæc, destillationẽ à capite persentiebat, salso quodam cũ sapore, sed non tussiebat, sed per intervalla quasi syncopi detinebatur, quia eius loquela, intercipiebatur, & nisi staret fortè caderet. Agebatur sextus mẽsis, ex quo morbo isto vexabatur, quibus, per universum corpus scabies ipsum detinebat, sed nunc phlegmones varij eius universa membra corripuerunt: sunt sane phlegmones ij, dicti herisipelatoides, quorũ materia, si magis exassaretur, in carbunculos, sive carbones, cõverterẽtur. Sũt igitur consideranda in hoc corpore tubercula, vocis interceptio, caliditas accidẽtalis universũ corpus prehẽdẽs: veluti principaliũ mẽbrorũ caliditas, de qua paulò inferi⁹. Ad hæc, destillatio salsa, & virtus, morbos, & symptomata hæc ferens: quæ sane virt⁹, etiã si in sene, constans tñ, & potẽs habetur, cum autem de virtute loquimur, de vitali intelligatis oportet: sed hic optimè concoquit, & optime digerit, ac distribuit, quæcunq. in victu habet, diu autẽ est, ex quo a destillatione cõqueritur ista, pro qua abigenda, varijs usus est remedijs, veluti aquis thermarum à valle sancti Martini. Cæterum nos curaturi hominẽ hũc, sic orsi sumus, & primo statuentes in sene isto, iecur, cor, & cerebrum, membra tria præcipua calida cũ sint, eius universum corpus calidũ esse, ut G. docuit, lib. artis medicinalis. Eius tñ iecur cũ supra modũ calidũ sit, sanguinẽ biliosum reddit, & male morigeratũ, unde ipse sanguis ad universum corpus delatus, caliditatẽ illã extraneã inducit. Cæterũ, cum virtus excretrix, sive expultrix, valida, & potẽs est, quadam veluti crisi, ad exteriora, hoc est, ad cutim materiam hanc transmittit, unde phegmones ij oriuntur, quandoq. duo, quandoq. tres, & plures: quia mala qualitas iocinori impressa, indies

E novã materiã gignit, ex qua alij, & alij ortũ habent. Ad caput igitur obrepẽs humor hic siccus immistus capitis humiditati, salsus evadit, non minus, ac lixivium salsum, ex cinere aquæ misto factũ. Cæterum quia per tracheæ arteriç parietes, humor hic cadit, tussim nõ facit, sed ea mala qualitate spiritus lancinat, & afficit, adeò ut vox ipsa intercipiatur, & æger ipse lipothymia quadam detineatur. Quanquã vocis huius interceptionẽ evenire ab humore isto, nervos recurrentes, prope asperam arteriam opprimente, nõ absurdum crediderim: vel si magis placet, ob portiũculam ad ventriculi os delatam: unde consortij ratione, cor patitur, & consequens lipothymia illa, cũ vocis interceptione, ortũ habet. Vt igitur vir hic nobilis, a tam varijs symptomatis liber evadat, sic curationẽ incepimus, & primo, quia nuper bis sanguinẽ, per venç iecorariæ incisionem, abunde extraxerat, & casiæ ægyptiacæ atramentũ, nõ semel devoraverat, & decoctũ ex endivia, lupulis, sena, fumaria, buglosso, & similib. herbis paratũ biberat, cõmendavi: ut ad venas hæmorrhoidales tres G iuberet applicare hirudines, quæ sanguinẽ sugerent, quousq. spõte sua caderẽt, ac singulis octo dieb. per easdẽ, hęc iteraretur vacuatio: interea dũ hæc perdurat curatio. Dein verò, aquam lactis oximellite, à lacte sequestratã, ebiberet, non quidẽ (ut vulgus assuescit) cyathũ singulis auroris: sed priscorũ more, ad heminas, sive librastres, & ut ego propinare soleo, ad quatuor & quinq. modo ventriculus ferat. Eo modo, quo H hodie aquæ thermarum bibuntur, per cubiculũ deambulantes, euntes, & redeuntes ægrotantes, per intervalla, pocula illa lactis aquæ, exhaurientes, sic autẽ tanta corporis siccitas, & mẽbrorũ ariditas humectatur, & refrigeratur. Cũ vero tubercula sana evaserint, iubeo, ut hic, alternis diebus, ex aqua potabili, balneetur tepida, in qua incocta sit malvaviscus, endivia, & nymphçç flores, & ad iecur epithema ex succo endiviç, cichoreæ, lichenis, cũ pauco aceto

aceto rosaceo admoveatur, ac sæpe innovetur, suadeo. Aut eius vice, unguẽto santalino, misto rosaceo, adiecto pauxillo aceto, illinatur. Sed capiti quoq. irrigationes fiant moneo, ex papaveris calcibus, senæ foliis, rosis, salicis folijs, endivia, florib. nymphææ, & similib. in ijsq. diu agendis perseveraret, optimo præstante victus ordine ad frigidũ, & humidum inclinante, non nisi optimum generante succum vino huic interdicere satius erat, quia aqua contentus evadebat, si eo tamen utebatur, eo quidem oligophoro, paucifero, & optimo, ijs autem, & paucis alijs, quæ referre nõ vacat, bonus hic vir sanus intra mensem evasit.

Curatio 98. de puero, qui ob esum cicutæ diem suum obijt.

Filius Mercatoris Pisaurensis, annos natus undecim, cum extra urbem cicutæ summitates, ieiuno stomacho, comederet, & ad torridũ solẽ illico dormiret, brevi mortuus fuit. Nam cum à somno expergisceretur, nõ videbat, nec mente constabat. Ad domũ igitur portatus, brevi diem suum obijt. Pisauri hæc evenere in calce mẽsis Maij 1556.

SCHOLIA.

Hæc scribenti, mihi in mentem venit Socrates divinus ille, qui à maleficis hostibus improbe accusatus, succi cicutæ potu interemptus est, accelerante carnifice, motum, ut apertis meatibus, & corporis vijs, frigiditas celerius corpus peteret, & interficeret. Cæterum in Italia cicutam venenosam reperiri, quemadmodum apud Græcos, ex pueri huius successu, satis constat. At, ut puer hic mortem evaderet, meracioris vini copiosi potu opus habebat, ut Gal. suadet, & Plinius non siluit.

A

Curatio 99. de scirrho ingenti in ore nato, & a multis pro cancro habito.

Credo, qui ad D. Dominici Cœnobium habitat, scirrhum prædurũ, sed nõ omnino doloris expertẽ, in ore habet, qui ex maxilla sinistra superiori ad palatũ, ab hinc duos annos ortum traxerat, & ita ingẽtẽ magnitudinẽ occupaverat, ut ex dẽte inferiori, illi respõ-
B dente ex directo, ita fortiter cõprimeretur, ut Medici cõsilio, dentẽ illũ, albũ, solidum, & apprime fixum extrahere curaret. Cæterum hic ad manus duodecim Medicorum, pro salute sua (ut aiebat) iam convenerat: quorũ nõnulli affirmabant morbum huius generis esse, ut eo scisso, aut perforato, illico vitam cũ morte cõmutaturus esset æger, forte putãtes cerebri medullã ad eã partẽ descendisse, & similem, hũc esse casum illi, de quo prima nostra Centuria harũ medicinalium curationũ diximus, præcipue de puero corniculũ in capite ha-
C bente. Alij autẽ morbũ hũc cãcrũ esse predicabant. Reliqui vero, morbũ nunquã antea ab eis visum, ac ea de causa, nolle illius aggredi curationẽ, nec de eo periculum facere affirmabant. Ad hunc igitur advocat' ipse, tumorẽ prædurum, solidum, decliviori tñ in parte, aliquantulum mollẽ, animadverto: qua de re, purgato ex levi pharmaco, corpore in mentem venit, quod tumor hic prædurus cum sit, & locus minime idoneus, ut emollientib. medicamentis, & alijs ad curationem facientib. ut libere possimus, candente uti ferramẽto, summum in hoc casu esse remedium, duxi-
D mus. Eo enim humorem illum frigidũ, saxi duritiẽ præ se ferẽtẽ, caliditate ignea emolliri, & ea ipsum ad optimã viam excerni, credibile erat. Proinde, ore adaperto, instrumento vulgari, ad id adaptato, tumorẽ hunc ignito ferramento perforo, ex quo aquositas nulla tunc, sed postea, sanguis ac aqua dilutus

exivit, tunc tumor minor factus est, colore rubricundus, tactu mollis, & mitis, qui eo tẽpore, unguẽto à pinguedinib. varijs parato, colluebatur. Cæterũ, alapsis duob. dieb. hic febri pertẽtari cœpit, & de capitis dolore cõqueri, sed sequenti die melius habuit, ulcus tñ ex se, putorem quendã emittere cœpit, ut æger ipse de eo cõqueretur. Cæterũ, ulcere sępe colluto, ex decocto parato, rosis, & orobo melius habuit, ut omnib. iã spes esset, hunc ad sanitatem perventurum, semituberculi autem quantitas absumpta erat. Demum, ut multa pausis contrahã, hic postea ter exustus fuit, & ad radices tuberculum extirpatum videbatur: pro cuius seminarijs eradicãdis oleo vitriolæo uti opus erat, sed interea Ragusium tunc, dimisso Pisauro, me contuli.

Curatio 100. *de ulceribus renibus præfixis, maximo cum urinæ ardore.*

ILlustris Comes Iulius, à Monte vereri, vir insignis, & alto loco natus, ulcerib. renib. præfixis, & confirmatis laborabat, ut ex eius lotio sabuloso, & terreo deprehendebatur, simul dum meiebat, magnum ardorẽ incẽdiumve in virga persentiebat. Sed hic prætereire non est, dubium singulare, cur est, quòd ij qui renum, & vesicæ vitia patiuntur, cum meiunt, ardorem tantũ in virgæ seu glandis apice, supremave parte, sentiunt, percipiuntve. An forte, quia nervus a renib. per vesicã delatus, in virgæ apice, pauca contectus carne, apparet, & fere discoopertus, ab ijs, qui corporis fabricã cõtẽplantur, cernitur, unde eo in loco sensus, quam cæteris in locis urinæ, clarius percipitur. Cæterum, ad illustrem virum hunc vocatus præsagio habito, quod brevi moriturus sit, cum annos sit natus quinq. supra sexaginta, ex quo morbo, Hippo. præsente, maiores natu non evadunt, illius curã habere nolui, Etiam si multa & magna nobis pollicebantur, quando certo sciebam eius renib. ulcera cõplantata, & cõfirmata ita esse, ut æstuante tempore, hunc e vita decessurum dicerem, Quod ita evenisse nunc, cum hæc Ragusij cõmentamur, audimus. Cæterũ, habebat illustris hic vir, etiam recte valens, pulsum dicrotum, id est, bis ferienten, qui & facultatis vitalis robur, & arteriæ tentionẽ præ se ferebat, ut G. nõ raro libris illis septemdecim de pulsib. memoriæ cõmendavit. quem pulsum quoq. olim Antonius Nebrissensis, si recte recolo, habebat, is est Antonius Nebrissensis in pollitiorib. literis (ut paucis plurima cõprehẽdã) Hispanus Varro. Sed cum hæc scribo, subit mihi doctissimi, & innocẽtissimi senis fortunas miserari: is enim in Gymnasio Salmaticẽsi, à Castillio adolescente, & eius discipulo, publicis suffragijs victus est, & quod magis mirum sit, cùm uterque grammatices rudimenta, quæ quidem ipse Antonius composuerat, de superiori loco interpretaretur, præmium erat, annuum trecentorum aureorum stipendium, præter honorem, qui a magnis viris multo pluris æstimatur. Cessit ergo vir doctissimus, à parùm docto victus: illud Africani superioris subinde repentes, ingrata patria, ne ossa quidem mea habebis. Et hic finis esto, quintæ huic Curationum nostrarum Centuriæ, quam pisauri absolvimus: sub id tempus, quo ferdinandus Albæ regulus, Teatino Pontifici Romano infensus, Philippi Regis auspicijs, bellum Romanis inferre parabat.

§.

FINIS.

CENTV-

AMATI LVSITANI MEDICI PRÆSTANTISSIMI CVRATIONVM MEDICINALIVM.

CENTVRIA SEXTA.

Curatio prima, de herpete, a thoracis alta parte, ad testes usque fœdante.

HIERONYMVS Bucignolius Patritius Ragusæus, temperatura bilios⁹ exustus, annos natus sexaginta duos: casu crus cum luxaret, victu exiccante, calfacienteque lon
B go usus est tempore. Vnde cacochymia orta, & humores subtiliati, ac supra modum calfacti, corpus infestarũt, quos natura, tanquam crisi quadam, extra ad partes cutaneas transmisit. Quo factum est, ut Herpetem a thoracis alta parte, ad testiculos usque fœdã-
C tem creaverint, ut sæpe fieri solet, & Galenus libro tertio de Temperamentis memoriæ commendavit, cum dicat magna ex parte, cutis, quoniam in hanc, excrementa quæ in habitu corporis colliguntur, natura expellit, mul
D tis, & assiduis ulceribus afficitur, quippe cancri, phagedenæ, herpetes erodẽtes carbunculi, & quæ chyronia & telephia vocãtur, milleq. aliæ ulcerum generationes, ab huiusmodi cacochymia nascũtur. Cæterum, hæc affectio cutẽ, rubore ingenti relicto, corrodebat, un-
A de sæpe cutis ipsa decidebat, denuo alia, & alia ad casum parata, sed quod gravius erat, ita ingentem per interval la lancinationem secũ ferebat, ut nobilis vir hic, vix eam ferre posset. Ad eũ igitur accersitus, hominis temperaturam, ac eius habitum cõlecto, dein exce-
B dentem ruborem hunc ingentem considero, qui universum thoracem, ventremque ad pudenda usque, magna cum brachiorum, & crurium parte comprehendit. Corroditur autem hac in affectione cutis suprema pars, quæ exsiccata decidit, & denuo alia magis
C squammosa, quam furfurosa oritur, & quæ & ipsa exsiccata cadit: sub ea tamen (ut æger ipse mihi referebat) aliquando ichores asservabantur. Est autem morbus hic, herpes a bile flava syncera, nullo alio humore admista
D excreta, ortum habens (ut Centuria secunda harum medicearum curationum, fuse diximus) aliquando tamen ichores subtus continebantur, ob alicuius aquosę humiditatis cum bilẽ miscellaneam, ut sæpe fit, & herpeti miliari quoque evenit. Nos tamen interea, dum in hac fuimus curatione,

nunquam ichores hos vidimus, proinde omnibus præneceſſarijs in ordinẽ digeſtis, curationẽ ſic aggreſsi ſumus. Et primo pharmacum hoc lene illi tribuentes, quod habet. R. Tamarindorũ unciam mediam, hordei excorticati, unciam unam, florum cordialium dra. mediam, ſeminis melonis mundi drac. duas, in libra una aquæ fiat decoctio ſecundum artem, & coletur. Reci. Prædicti decocti, uncias quinq. floris caſsiæ fiſtularis drach. decem, miſce fiat potus, adiecta unciola una, ſyrupi roſacei ſolutivi, quem ieiuno ſtomacho, ante prandium duas horas, ebibit, & eo alvus optime reſpondit. Cæterum, altero interiecto die, locus rubore affectus ſic inungi cœpit. Recipe Succi plantaginis, ſempervivi, ſolani, ana libram mediam, aceti roſati uncias duas, olei roſati unciam unam, & alterius mediam, lithargirij, ceruſæ, ana unciam unam, in mortario plumbeo omnia tractentur quibus adde ova integra demptis putaminib. numero duo, miſce, & fiat linimentum, quo univerſus ille locus rubore affectus inungatur, & deſuper pannus lineus imbutus ijs ſuccis admoveatur, ſic habent ſucci. Recipe Succi ſolani, ſempervivi, plantaginis, ana libram unam, aceti roſati uncias duas, miſce. Porro cum hæc parari cœperunt, illico decoctum hoc paratum fuit. Recipe Endiviæ, borraginis, lupulorum, ana pug. unum, hordei mũdi uncias duas, florum cordialiũ drac. unam, prunorum pinguium num. x. polypodij quercini recentis, & contuſi unciam unam, ſenæ unciam mediã, tamarindorum unciam unam, paſſarũ de Corinthio, unciam unam, libris ſex aquæ, fiat decoctio, quouſque maneant libræ quatuor, & coletur. R. Prædicti decocti uncias quinq. ſyrupi de ſucco cichoreæ unciam unam, violati unciã mediam, miſce, fiat ſyrupus, quem in aurora bibebat, & eo alvum lubricam habebat. Cæterum, prædicto unguento, quod loco affecto admovebatur, poſt elapſos priores dies addidimus, antimonij, unciam unam & alterius me-

E diam, mercurij extincti ſucco limonis unciam unam, & in mortario plumbeo, ut prius recte tractabatur, & eo inunctio fiebat, bis ſcilicet, in die, mane, & ſero, & aliquando ter, ſuper addito lineo panno ſuccis prædictis imbuto. Cæterum, elapſis nonnullis diebus, ab applicatione huius unguenti æger, aurora quadam rigore affici cœpit, febrim tamen non habuit, imo tunc expuere cæpit: adeo ut ex ore multa mucoſa, & viſcoſa ad quatuordecim dies emiſerit, mercurio nanque opus hoc

F tribuendum noſtis. Porro, ab ſputo, duos dies, in hominis ore ulcuſcula floruerunt, ob quæ valde anguſtiari cœpit, cõtinuus autẽ ſputator, & ſcreator erat, & nihil comedebat: nec noctu dormiebat. Quæ omnia laborioſa noſcẽs, homini præſertim ſeni, temperatura ſicco: & in maraſmum, ac extremam ſiccitatem, labi prono, illico ex pullo contuſum, ut biberet parandum curavi, veluti ex aqua dulci, balneum, quo univerſum eius corpus, dempto capite, irrigabatur, & eo multum

G oblectabatur, ſepties vero vel octies, balneum per totidẽ dies iteratum fuit. Quin, & gargariſmus unus vel alter, conficiebatur, quandoque ex aqua hordei, adiecto pauco ſyrupo roſaceo de roſis ſiccis, quandoque melle roſaceo colato, quandoque apparabatur ex ſumachio, balauſtio, plantagine, roſis, hordeo, omnibus aqua incoctis, adiunctis alumine, & roſaceo melle colato, & ſimilibus ad rem facientibus, quibus ſcopum intra dies quatuordecim conſecuti ſumus. Scire tamen decet, quod cum ſputum apparerẽ cœpit, illico ab applicatione unguen-

H ti deſtitimus, veluti à propinatione ſyrupi, verum unguenti prædicti loco, album camphoratum receptum fuit, quo locus illinebatur, & lineus pannus imbutus ſuccis citatis ſuperponebatur, ſed ſyrupi vice, ſaccharum roſaceum utcunque diglutiebat, hordeacea ſupra bibita. Ijs enim citatis, quibus (ut audiſtis) multã, tam ſupra, quam infra excreta ſunt, truculentus morbus

morbus hic extinctus fuit, & æger intra mensem, ex toto sanus evasit, vir proculdubio, bonus & liberalis.

Curatio secunda, De dysenterico puero, topico quodam remedio curato.

PVELLVS sex, vel octo tantum natus menses, & filius Benedicti Gondulæ iunioris, patritij Ragusæi, quum dysenteria laboraret, & multa viridia, lutea, & aliorum colorum egereret, & anxiè ferret, ac doloribus cruciaretur, ita ut lac sugere non valeret, in dubia spe erat. Ad eum itaque vocatus, adductum vervecem, intra cubiculum, ubi puer erat, mactari iussi, ac diligenter exenterari: à quo calens omentum (zirbum Arabes vocant) sic extractum, supra ventrem pueri extendendum curavi, & fascia fasciari: hoc enim topico remedio, intra tres horas puer melius habuit, egestiones enim, minui cæperunt, & dolores ex toto levati sunt. Iussimus tamen, ut nutrix pullo gallinaceo, calybeata aqua incocto, adiecta oriza vesceretur, & vini vice, chalybeatam pluvialem aquam biberet: ac à coitu abstineret, & cornu rubro fructu, tunc maximè abundante, pro cibo uteretur, iussi. Cæterum, post elapsas quatuor horas, & è pueri ventre levato omento vervecino, eum unguento (è comitissa dicto) inungi iussimus, & aquam ex pullo, per campanā destillatitiam, adiectis coralio, margaritis præparatis, ac coroneorum frustulis, simul mistis, per os illi injiciendam curavi. Ijs enim, sequenti nocte puer bene habuit, & quievit, ac dormivit, & lac suxit: nec amplius torminib. tentatus fuit.

(§.)

A

SCHOLIA.

OMENTVM supra ventrem extendi, & sæpe iterari, optimum, esse scire vos velim, plures igitur verveces, aut arietes, aut hircos mactare, & confestim exenterare iubete: est enim remedium hoc singulare.

B *Curatio tertia, De morbo sævo, & crudeli, in quo ægrotans trecentos egessit iustæ magnitudinis vermes.*

MARCVS annos undecim natus, filius Hieronymi Basilij patritij Ragusæi præfecti, insulę mediæ, in qua cum forte puer licentiose vagaretur, & fructuum atque esu piscium copiosiori, uteretur, in febrem lapsus est ingentem, unde illico Ragusium delatus

C

est. Ad eum invisendum sum vocatus, sex à morbi initio, elapsis diebus: quibus, ut ab assistentibus acceperamus, nihil quicquam gustaverat, atque inde eum ita imbecillem, & viribus prostratum inveni, ut ea ipsum nocte mori, ni obviam tanto malo iremus, certum esset. Pulsus non apparebant, sed foris frigidus, & algidus totus puer ipse erat: ad hæc, circa guttur laqueum habere, & veluti eo strangulari inculcaverat, cubili pro-

D stratus cum iaceret, non quiescebat: sed furibunde huc, illuc movebatur. Quæ omnia non aliunde venire, quā a vermium multitudine, puerum infestantium, mihi fides erat, proinde brevi, clysteriū sequens paratum injiciendum curavi, quo duodecim illico egessit vermes tam crassos, & ingentis magnitudinis, ut puer illicò melius habere dixerit, habet autem clyster sic. R. Coralinæ, portulacæ, graminis, ana pugillum unum, betæ, malvæ, mercurialis, ana pug. medium, coriandrorum præparatorum, unciam mediam, semi

nis sancti drachmas duas, in libris duabus aquæ fiat decoctio sufficiens: & coletur. Reci. Prædicti decocti, uncias quindecim, olei rosati, uncias duas, cassiæ extractæ drachm. sex, hieræ picræ drach. duas, mellis violacei unciam unam, salis drachm. unam, misce, fiat clyster, quo (ut dixi) duodecim egessit vermes, crassos, & longos satis, & tunc meliuscule habere visus est. At, ut vires robore afficerentur, ex pullo aquã destillatitiam parare in hunc modum iussi. R. Carnis pulli Gallinacei, uncias duodecim, coralij præparati, margaritarum præparatarum, ana scrupulos duos, seminis sanctonici drach. unam, seminis limonis drachm. mediam, misce, & in balneo mariæ fiat destillatio, ex qua destillatitia aqua nonnihil deglutire, ac ebibere cœpit. Id quod assistentibus mirũ visum fuit, quando per se illos priores dies nihil quicquam deglutiverat, sequenti vero die, chysterem similem iterari iussi, quo tantam vermium proluviem egessit, ut omnibus admirationi esset, sed tunc meliuscule gustabat, & ad oblata melius habebat. Pulli autem contusum bibebat, immo ex ipso pullo, & ficedulis nonnihil pitissabat, semper pulvisculo coralij præparati superaddito, pro potu vero, aquam coriandro incoctam vino granatorum mistam habebat. Cæterũ, in aurora, ieiuno stomacho, syrupum hunc bibebat. R. Seminis acetosæ, portulacę sanctonici, an. drac. duas, coralinæ drach. tres, seminis citri, limonis, coriandri præparati an. drach. unam, herbæ acetosæ, scordij, portulacæ, graminis, pimpinelæ, ana pugillum mediũ, in libra una, & alterius medio aquæ, fiat decoctio, quousq. maneat libra 1. & coletur. R. Prædicti decocti, unc. quatuor, oxisaccharæ simpl. unciam, misce, fiat syrupus, quem, ut dixi, ieiuno stomacho bibebat, sed interdiu, ex electuario sequenti miris prædito viribus, pro detrudendis vermibus, lingebat. R. Seminis sanctonici (sancti, vel alexandrini dicti) unciam unam, contundatur, & per duas horas in aceto acerrimo

E macereturr, ac postea coletur, & semen melle discocto excipiatur, & fiat conditum, electuarium primas contra vermes habens dignum, ut appelletur, paratu enim, ut est facile, ita viribus, & facultatibus mirum. Hoc enim per intervalla adhibitum gustabat, & si placebat, ex predicta aqua vino granatorum mista superbibebat, ijs enim puer hic, intra decem dies, quod mirum, sed verum dixerim, trecentos egessit vermes, & eorum plures, crassos, & ingentes, ac vivos omneis, stercori liquido, & putido mistos. Ceterum, cum intra decem dies, a vermibus corpusculum hoc liberum esset, & iam omnino recte valere videretur, adeo ut sequenti aurora parum rhabarbari, & agarici dare deliberarem, ut postea incolumis insulam mediam se reciperet, in qua pater, ut dixi, Gubernatoris officio fungebatur. Ecce, noctis initio, puer rigore affici cæpit, quem postea subsequuta fuit febris, ad octo horas postea sudore terminata, sequenti nocte, eadem hora, similiter correptus fuit, minori tamen paroxismo, tunc vero, pharmacũ ex rhabarbaro & agarico, predicto à nobis decocto, exceptis, propinavimus, quo multa, lutum referentia subnigra, pauca liquida, citrina, nullo conspecto verme, egessit, & optimo appetitu, atque avide tunc comedit, sequenti nocte, paroxismus exiguo frigore puerũ corripuit, sed febri ut antea erat, in qua madores à pectore ad caput usque, apparebant, demum febris hæc pituitosa quotidiana, deocultata est, nocturna tamen, quæ ut Hippocrati in Epidimis placet, lethalis, & mortifera est, huic calor humentior erat quadam cũ acrimonia, quam nõ protinus admota manu, sed permanente, sentieba. mus, copioso nanque vapore obrupta actimonia, quam putris fumus parit, non ita primo occursu percipitur, huic pulsus parui admodũ erant, & tardi, urina tenuis, subrupta, sitis nulla, sicuti nec symptoma aliquod puerum affligens, præter frigus nocturnum parvum admodum, accessionem indicans, à qua

qua, decem & octo horas puer febri correptus, fere semper dormiens, quietus manebat, nec nisi appellatus quicquam loquebatur, sex vero alijs horis non ex toto a febre mundus, meliusculè haberi videbatur, tunc nanque loquebatur, & aliquid gustabat, sed vires in dies magis & magis languebant, & corpus exolvi videbatur, & morbus crescebat, omnibus conatibus nobis resistentib. At, quum morbus natura sua lethalis esset, puerum ad interitũ traxit, obijt autem nono die Augusti, non sine parentum ingenti dolore, nam unigenitus illis erat, credere enim est, tantam vermium colluviem, puerum exuccũ reliquisse, cœpit ægrotare puer sic duodecimo die Iulij, & decimooctavo sequenti, ad eum invisendum pervenimus. Porro, vigesimooctavo, cum a vermibus liber & sanus videretur, febri corripi cœpit, & indies deterius habuit, tandem obijt nono die Augusti, hoc est undecimo die à febre corripiente, ab initio verò morbi, vigesimo septimo.

Curatio 4. De sanguine ex pectore reiecto, & succo urticæ cohibito.

QVI sanguinem ex pectore reiecta runt, & a medicis tanquam deplorati sunt habiti, solo urticæ succo ebibito convaluerunt, post multa autem machinata remedia, nullum remediũ ita contulit, ut sanguis hic cohiberetur ac succus urticæ, quem ad quinque, vel sex dies ebiberunt, singulis nanque diebus, singulas quatuor uncias ieiuno stomacho bibebant, imo & ipsam urticam incoctam iure pulli, aut vervecis sæpe comedebant, ex ijs alter, prædicti Bucignolæ nepos erat, alter vero Ragusæus patitius quoq.

SCHOLIA.

VRTICAM hoc munus conficere posse, difficile creditu est. Dioscoridos tamen, de ea ita inquit, urticæ folia profluvia nariũ cum succo sistunt, trita imposita, & ultimo, urticæ succus, uvam gargarizatus reprimit, inquit.

Curatio quinta, De puero loquente, qui postea ob morbum sævum supervenientem, mutus factus est.

NICOLAVS, filius Blasij Darsæ, viri spectabilis Ragusæi, puer annos natus quinque, temperatura humidus, hic ætate cum esset annorum duorum, recte prout illa ferebat ætas loquebatur. Cæterum, cum illi febris ingens superveniret, & à medicis deploratus relinqueretur, mulierculæ dissectos, & exenteratos catulos, inter cætera parabilia remedia, capiti admoverunt, unde forte fortuna, à tam rabida, & mordaci febre, intra octo dies, liber puer, in sæviorem morbum labitur, eius nãque crura ac brachia paralysi sunt affecta, sed præcipue lateris sinistri, ad hæc, quum puer antea loqueretur & recte audiret loqui & audire desijt, ut muti nomen mereatur, cœpit autem febris, quintodecimo die, mensis Iulij, quæ ut dixi, octo tantum dies viguit, sed paralysis per totam hyemem, ad Aprilem usque duravit, adeò ut Maij mense sequenti iam liber ex toto a paralysi puer, nihil tamen audiat, nec loquatur, credere autem est, puer temperatura humidus cum sit, caput quoque humidum & excrementitia materia refertum cum habeat, febri, & catulorum calore, capiti admotorum, ipsam in ipso capite eliquari & fundi materiam, unde ad nervorum origines fusa, & delata pituita hæc crassa, obstructionẽ proclivi

& prono in corpore, genuit, facta autẽ obstructione, ac impedito spirituum trãsitu, per nervorum origines, per quos patet trãsitus motrici facultati ad musculos, paralysis sive membrorum resolutio orta est. Cæterum, quia non modo nervi, qui motui præsunt, obstructi fuere, ab ea crassa & frigida materia, sed ij qui auditui & loquelæ inserviũt, & forte reversivi, factum est, ut puer non surdaster, sed surdus & absq. loquela evaserit, gravis autem morbus hic est, curabilis tamen, ut qui nervorum obstructio sit. Nam ut ea quæ impediebat crurum & brachiorum motum obstructio, ex toto ab hinc biennium levata est, ita sperandum quoque, ut hæc ex qua surditas, & loquendi impedimendũ ortum habent, ad aliquod tẽpus extirpetur, hac enim fulciti spe, puerũ hunc curare aggressi sumus, & eo magis, quia in hac ætate vis caloris nativi magna est, & facultates naturales, quarum ope præsertim id genus morbi curatur, maximè validæ sint, quo fit, ut pueri si bene, & recte gubernentur, longe maiores difficultates superare soleãt. Primo igitur in universum, eã cõstituimus victum rationem, quæ attenuãdi vim habeat, a natura enim morbi, ut nostis petenda est remediorum ratio, morbus autem is (ut diximus) cum a crassis lentisq. humoribus sit excitatus, exiccantia iuvant. Oportet tamen non admodum siccitate excellant, cũ a puerili ætate indicatione sumpta, valde exiccantia pueris non parum adversentur. Cæterum, cum Ragusium in meridiem vergat, & ideo australib. vẽtis, qui insigniter caput replent, sit exposita, consonum fuit, vigente ætate, ut quæ non ita huiuscemodi ventis sit ob noxia, curationem aggredi, permittentes, ut puer modeste exerceatur, etiam pulchro, ac sereno die, extra domum, non tamen illico post sumptum cibũ, ne & cibi coctio impediretur eo motu, & ita caput repleretur, in somno quoque, ut qui pueris admodum familiaris est, plus illi indulgendum, quam in cæteris putavimus: modeste tñ, utilior

E enim ad has discutiendas materias, & eas absumendas vigilia est, quam somnus, præserti m tamen cavere est, ne statim ab accepto cibo dormiat, maximè vero meridie, evitetur timor, & mœstitia, quod si aliquando subirascatur, non erit a nostro instituto alienum, curavimus tamen consuetas excretiones de more haberet, in cibisque fugeret ea quæ humectant, & refrigerant, veluti, quæ caput humore replent, ut fructus, & olera, quantum per hanc ætatem fieri potuit, item & lacticinia, & pisces, præcipue recentes, salitos nanque lu-
F bentius in hoc casu admitterem, parva tamen quantitate, legumina quoq. omnia improba sunt, cicerum iure excepto, pro oxiporo, ac acetario, cappares oximellite paratos, concedimus, abnegato tamen omni genere humidarum carnium, ut sunt, agni, suis, vervecis, castrati, imo & caponum saginatorum, quæ vero rationem victus attenuantis conficiunt, sunt, pullorum gallinaceorum, palumborum, hædorum, leporis iunioris, avium sylvestrium, ut perdicum, turdorum, phasianorum, avicularum nemoralium, ut ficedula-
G rum, & similium, quæ assæ magis, quã aqua coctæ permittebantur, ut salvia, menta, maiorana, rore marino, petroselino, cerepholio, serpillo, & similibus, adiecto cinnamomo, pipere, & aromatis similibus, ova recentia, ut boni succi admittuntur. Vinum in totum abnegatum est, quia vinum multum pueris obest, & caput fumis replet, eius ergo vice utebatur aqua incocta salvia, aut cinnamomo, aut betonica,
H aut pipere. Ijs igitur in ordinem habitis, quoniam morbum difficilem curatu, & eum non nisi assiduo & longo medicamẽtorum usu, curari & absolvi prædixeramus, iuxta carmen proverbiale. *Assiduo illisu, durum cavat undula saxum.* Ijs medicamentis uti cœpimus, quæ ad morbum faciunt, puerilis ætatis ratione habita, & ita initium habent. Recipe betonicæ manipulum unum, florum roris marini pugillum medium, seminis anisorum drachm.

duas,

duas, libra una aquæ fiat decoctio ad tertias,& coletur. Recipe. prædicti decocti uncias tres, oximellitis, syrupi de betonica ana unciam mediam, misce, fiat syrupus, quem auidè in aurora, ieiuno stomacho, puer bibebat, sed ebibitis nonnullis syrupis, catapotia hæc rectè deglutiuit. Rec. Agarici noviter præparati scryptulos duos, diagridij granum unum misce. f. p. tres, quas inauratas, quando ibat dormitum devoravit, & eis alvus optimè respondit, tunc verò, sequentibus diebus, conditum hoc in aurora comedebat. Rec. conditi de betonica, de floribus rorismarini, de salvia, ana drachmam unã & mediam, cum syrupo de corticibus citri, fiat mistura, quandoque verò ex omnibus, unciam integram devorabat, porrò tribus postea horis, irrigatione, siue embroca, pueri caput irrigabatur, quæ ita habet. Rec. betonicę, majoranæ, salviæ, stęcados, ana pugillum unum, origani, pulegij, foliorum lauri, ana pugillum medium, in libris quindecim lixivij communis barbitonsorum, fiat coctio sufficiens, quousque maneant libræ decem, & coletur, ex qua calida irrigatio super caput ad sinciput præcipuè fiat. At ab irrigatione exsiccatum caput, hoc illinebatur unguento. Rec. olei camomillini, anethini, lauriui, ana unciam unam, ceræ parum ad ignem misce, fiat linimentum, sive unguentum molle, quo caput, antea à capillis denudatum, illinatur, sed per aures hoc infundebatur oleum. Recip. olei amygdalarum amararum, uncias duas, vini optimi albi uncias duas & alterius mediam, maioranæ pugillum medium, ellebori nigri scryptulum medium, misce, & ad ignem fiat decoctio usque ad vini cõsumptionem: & fiat expressio, & colatura, cui adde, moschi grana duo, misce, & utere, ac per aures ex eo parum infunde, quod moscato gossapio occludebatur, item succum hunc per nares attrahebat. Rec. succi majoranæ, betæ, ana uncias tres radices pyretri, drachmas duas, ellebori nigri, scryptulum me-

A dium, misce, & ad ignem fiat decoctio, & succi purificatio, sive defæcatio, & coletur, cui adde Ambari grisij grana duo, moschi grana totidem, misce, & utere, ijs enim etiam repetitis, ad quinquaginta dies usus est, nullo tamẽ consecuto iuvamento, oporteret autẽ curationem hanc in longius protrahi tempus. Cæterùm, cum hæc operaremur, occurrit quoque puer annos natus duodecim, filius Hieronymi Gra-

B dij patricij ragusæi, qui ad ætatem hãc usque cum pro muto haberetur, nunc demum loqui cœpit, scatebat enim puer hic quibusdam excrementitijs humiditatibus quibus temporis & ętatis successu, consumptis, expeditè, & continuè, eum loqui speramus, ad nucham nanque laqueum inditum fuit, quo capitis humiditates superfluę, apprime extinctæ sunt, unde ipse loqui cœpit.

C

Curatio sexta, de fluxu sanguinis narium, cum mala ventriculi intemperie frigida.

MArinus Gradius, patritius ragusæus, vir annos natus sexagintaquatuor, temperatura biliosus, ut qui caput, iecur, & cor membra præcipua calida habeat, ventriculum verò admodum frigidum, sic olim à mala cu ratione pro restituendo se à morbo

D antiquo, contractum, ad hinc quinquennium in tantum sanguinis per nares fluxum incidit, ut intra octo horas (ut ille ait) duas adimpleret pelues viginti sex libras continentes, nunc verò narium sanguinis profluvio labo rat, pro quo compescendo, bis illi secta est vena, nam ex brachio dextro & sinistro, sanguis missus est, tum hypochondrijs & scapulis incisa cute cucurbitulę admotæ, adhæc, fronti, sincipiti, medicamenta refrigerantia, & contingentia, imo intra ipsas nares imposita sunt, nihil tamen contulere; at, quia vir hic

hic solitus erat per hæmorrhoides, multum sanguinis mittere, & ab hinc annum vnum in totum cohibita evacuatio hæc est, iussmus hirudines plures ano admoueri, easque per medium postea dissecari, quia retractione, evacuationeve, sanguis è naribus quoque fluebat, nec à cursu suo desistebat, tunc ligaturæ, frictiones, & retractiones sūt factæ, & testiculis gelida aceto mista sæpe admouebatur, imo sincipiti, depositis capillis, & fronti remedium nobis familiare ex gypso ovorum albo excepto, applicitum fuit, quo peius habuit, dixerat autem æger, eo caput magis calefieri, sed eo deposito, & sanguine ex sinistra nare tantum fluente iussimus ex sinistro brachio sanguinem dēmere, & guttatim, ac per intervalla fluere, tunc verò sanguis fluere desijt, sed non multò post, in lypothymiam, sive animi defectum incidit, cui revocato, ius pulli cum ovi vitellis oblatum fuit, cæterum, tunc embrocha sive pro capite irrigatio parata fuit, sequens. R. Foliorum lactucę, sempervivi, portulacæ, plantaginis, solani, poligonij, corigiolę dictæ, florum violarum, rosarum, nenupharis utriusque sumachiorum, corticum granatorum, hioscyami, lysimachij, ana pugillum unum, radicis mandragoræ, unciam unam, capitum papaveris sex numero, in libris viginti aquæ, fiat decoctio secundum artem, & coletur, ac supra caput irrigatio fiat, facta irrigatione, capiti exiccato, hoc applicetur ceratum. R. Olei nenuphorini, unciam unam & alterius mediam, rosacei unciam mediam, seminis rosarum, pulveris rosarum rubearum, ana unciam mediam, pulveris corticū granatorum, balaustiorum, ana drachmas duas, succi lysimachiæ herbæ, unciam unam; ceræ quantum ad spissitudinem sufficit, misce, fac unguentum, & capiti, sed præcipuè sincipiti applica, cæterum, cùm sanguis constrictus esset, non permisimus irrigationem hanc, nec unguentum administrari, consilium tamen dedi nobili huic, & patritio viro, ut rhabarbarum ex ta-

E marindorum decocto ebiberet, ut sanguinis fervorem, bilisque acrimoniam infringeret, domaretque, qui ubi consilio paruit, optimè valuit, & basilicè vivit.



Curatio septima, in qua agitur de lyenteria.

PVer qui lactabat, natus menses viginti, & filius Sarcinatoris Racusini,
F ob nutricis malum regimen, ea, quæ comedebat, incocta & cruda per inferiora remittebat, asservabatur autem in eius ventriculo mucago quędam, quæ cibum lubricum faciebat, impedimento enim erat, retentrici, ac concoctrici facultatibus, hunc igitur cum viderem puerum, nutrice exactè purgata, ac ut oportebat gubernata, oximel per intervalla, ipsi puello cocleari trado, postea verò oximellitis paululum ex diluto rhabarbari, & agaraci, pulvisculo hieræ picræ adiecto, propinavimus,
G à quo potu, mucagines in ventriculo contentæ, evacuatæ sunt, & sequenti die, roborato per ceratum ventriculo, rectè habere cœpit, & ea quæ comedebat, rectè concoquebat, nec amplius ea incocta, aut cruda remittebat, male dubio procul consultum esset, si consultum esset, si contentis in ventriculo mucaginibus ipsis, extra admoverentur constringentia, cresceret tanque lyenteria, & puer in vitæ periculum incideret.



H *Curatio octava, de quodam, qui cum duplici tertiana laboraret, in diaphragmatis abscessum incidit, & brevi Medici negligentia obijt.*

AVrifex Racusinus, iuvenis natus annos triginta, temperatura bilio-

sus

sus, cùm vigente canicula duplici A tertiana laboraret, ut qui eius curam habebat medicus referebat, septimo die male habuit, & ex brachij curvatura uncias tres sanguinis prædictus Medicus demere iussit, & pejus habuit: dolere autem ad costas dextras notas cœpit, simul & mente privari, octavo, cùm ad eum essem vocatus, in septo transverso, diaphragmate dicto, inflammationem subortam esse, tum ex ipso dolore intensissimo ad prædictas costas, tum ex febre acutissima, & ex mentis alienatione conieci: phrena enim eo dici puto septum transversum, quia cum mente, & cerebro communionem ingentem habet: phrenas verò, & Homerus, & alij gravissimi viri, pro mente sæpenumero usurpāt, ut Galenus quoque aliquando scriptis mandavit, ut libro quinto de Locis affectis capite tertio, & alibi sæpe. Cæterū, huic vires ita deiectæ & imbecilles erant, ut intra paucas horas hominem moriturum prædixerim: quod ita postea evenit: oportebat autem huius morbi initio sanguinem copiose demere, id quod Medici negligentia, ne dicam ignorantia, prætermissum est.

Curatio nona, de puero ex fenestra cadente.

FIlius Nicolai Bonij, patritij Ragusæi, è fenestra (bona sua fortuna) stomacho vacuo cecidit, & corpusculum contudit, nulla fracta, aut disrupta eius aliqua particula, quum nec scarificationem crurum, nec cucurbitularū admotionem, cute scarificata, admittere: erat autem annos natus quatuor, iussimus pelle arietina recens calida, aut sindone imbuto vino, rosis, & myrti summitatibus incocto, involvi, ut Centurijs ijs iam meminimus. Cæterum, post convolutum puerum, sindone ex vino prædicto imbuto, in potu mumiam ex Mesues descriptione ebibit, & sudavit, & recte habuit.

Curatio decima, de phthisi, hoc est, ulcere pulmonis.

SEcundus Dominici Cladorovichi mercatoris, Ragusæi filius annos natus viginti, ab hinc tres menses, multum sanguinis tussiendo ex pulmone reiecit, sed ex qua causa, aut unde evenerit, assistentes, ut incertum referunt, post rejectationem sanguinis febri cōtinua B correptus fuit, & malè habuit, cum qua quandoque in publicum exibat, quandoque domi se continebat; tandem post elapsum tertium mensem à morbi initio, ad eum vocatus, ipsum phthsi affectum, & consumptum, ac marasmode detentum comperio, contradicente tamen Medico illo, qui primo eius curam habuerat: mordicus nanque contendebat, ulcus in pulmone ægrorum non habere: cùm tamen sputa assidua tussi, putida & omni putrilagine affecta, ægrotus ipse excrea- C ret, elleboro igitur indiget talis Medicus, & ut ad Anticyras relegetur dignus est, quādo hecticam tertia speciē constitutam, nondum noverit, quam vel barbitonsoribus notam tradit Galenus, & omnes ita esse norunt. Cæterùm, paucis tētatis remedijs, brevi hic diem suum obijt: solent autem ij etiam loquendo expirare, ut huic evenit iuveni, qui ob Medici huius ignorantiam, in summam pernitiem, & obitum devenit, inter parata tamen remedia, ex D aqua dulci balneum habebatur, veluti ex cancris fluvialibus restaurans medicamentum, quod habet. Accipe cancros fluviales tres, quos primò iugulabis, & aqua fontano incoques, quoad exossari videantur: dein exanteratis, & exossatis, interanea pulpamenta ab ossibus exime, quæ ter calido lixivio lavabis, & totidem aqua calida dulci, & totidem quoque frigidiola, ac postea in aqua rosacea, & violacea, per dimidiam horam macerari sines: tunc verò accipe horum trium cancrorum fluvialum,

vialium,vel nemoralium; sic præparata pulpamenta, caponis carnis uncias duas, amygdalarum dulcium mundatarum uncias duas, pistaciorum unciã unam, lactis uncias tres, sacchari albi, penidiarum, ana unciam unam & mediam, seminis papaveris albi drachmam unam ad ignem lentum misce, fiat electuarium, ad formam loch, ex quo ad lubitum deglutiebat. Item ex cancrorum eo modo apparatis pulpamentis, & pulli carne, contusum confice, admisto saccharo, & alijs, ut nosti, reliqua referre non vacat.

Curatio undecima, de puero dysenteria affecto.

Filius Nicolai Palmotę Patritij Ragusæi, annos natus tres, dysenteria laborabat: intestinorum autem inferiorum rasuras mistas sanguini egerebat, cui cum primum occurrerem, iubeo pullum aqua chalibeata adiecta oryza, ac nonnullis immaturis sorbis incoqui: ex quo pullo comedebat, & ex aqua pluviali calybeata syrupo myrtino mista bibebat. Cæterum, ad ventrẽ unguentum comitissæ, vel illud aliud, ex corticibus castanearum dictum, admovebatur, & ijs ac paucis alijs, sanitatem obtinuit, nec constringendi vim habentibus clysteribus uti opus fuit.

Curatio duodecima, de puero meiere non potente.

Pvellus natus menses sex, & filius Petri Catarini mercatoris Ragusæi, quum nutricem mutaret, & meiere non posset, sic descripsimus. R. Olei scorpionum, liliorum alborum, anethini ana unciam mediam, dialthææ drach. duas, ceræ parum: misce, fiat linimentum, quo ab umbilico ad inferiora omnia, etiam inter anum & te-

E stes inungantur. Item Recip. radicum petroselini pugillum medium, cyperi, scinanthi, assari, ana drachmas duas, in libra vna aquæ fiat decoctio, quousque remaneat tertia pars, & coletur. R. prædicti decocti uncias tres, syrupi de quinque radicibus unciam unam, syrupi rosati solutivi unciam mediam: misce, & coclheari per intervalla: propinetur ijs enim & egelsit, & optimè minxit, & puer rectè habuit: postea verò puer deiectus aliquantulum cum mansisset, ita fuit recuperatus. Rec. carnis pulli uncias sex, assari, florum violarum, kei-
F ri, borragiuis, ana pugillum medium, seminis melonis mũdi unciam mediã in vitrea campana omnia simul destillentur, ex qua destillatitia aqua cochleari per intervalla detur puero, quã optime deglutiebat, & rectè habuit: ex crassiori autem lacte gustato, lenta quædam humiditas ingenita est, transitum urinæ impediens, quæ prædictis remedijs levata est. Cęterum, de nutricis lacte, nobis non parva posteà cura fuit.

G

Curatio 13. in qua casus citatur mirus, de puero ob timorem brevi emortuo.

Iacobus filius alterius Nicolai Bonij, Patritij Ragusæi, annos natus quatuordecim, quum Augusti die secundo, pila alijs cum adolescentulis luderet, fortè fortuna evenit, ut ex illis unus re-
H pente ob rem malam ab eo visam occlamaret: hic verò Iacobus quum hæc audiret, tanto timore percussus fuit, ut omnibus animi potentijs expectoratus, parũ abfuerit, quin illicò mortuus conciderit, ad domum tandem reversus, rem ex toto matri, & assistentibus enarrat, affirmans cùm alium puerum ita terrore affectum audiret, sibi cor distrahi, ac veluti ad inferiora descendere sensisse, atque ideo animo se consternatum esse, ita ut sese moriturum

cre-

credat: post hęc dicens, cubile conscendit, & malè habere incipit, febricitat, quarto die rem nigram ore evomuit: quinto obijt: qua hora obitus, per os, & nares, illud idem virus nigrum eiecit. Cæterùm sanguinis missione per venæ sectionem illicò hic opus habuerat, quæ à Medico prætermiissa est.

SCHOLIA.

Animi affectiones graviores esse corporeis, omnes qui animam corpore præstantiorem existimant, norunt: quo fit, ut carũ diligentior habenda ratio sit: miras enim in corpore humano animi affectiones inducunt alterationes, & præcipuè timor, & pavor ad interiora enim presertim ad cor, tanquam ad arcem & scatebram suam in timore spiritus & sanguis sese conferunt, ubi spiritũm suffocatione extincta animula, algescentibus externis partibus, brevi mors subsequitur.

Curatio 14. de dysenterico vario ceræ usu curato.

Portonarius, qui ad montem habitat, & alterius portę civitatis curam habet, dysenteria quum laboraret, febrique careret, iubeo præter alia pullo columbino asso, sed cera insarcto vescatur, ad hæc, pomum cotoneum excavatum, cera quoque repletum, & ad ignem exassatum, ieiuno stomacho, comedat, nihilque supra bibat, suadeo: ijs enim, non sæpe iteratis, convaluit.

SCHOLIA.

Ceram dysentericis convenire tradit Dioscorides libro secundo sui Medici operis, capite de cera, ad hunc modum dicens: Cera datur in sorbitionibus, dysentericis, cui suffragatur Galenus, & cæteri post eum Medici. Cæterùm nonnulli cerę mastichem adiungunt.

A

Curatio 15. de errore quodam, à multis Medicis commisso, in præbenda cichorea discocta febri laborantibus.

Qvum iuvenis Rahusinus febri laboraret, & Medicus de more illi cichoream discoctam exeleo paratam cõcederet, illi obviam ivimus, ac eum de errore notavimus, quia febris illa cùm ab obstructionibus pendeat, discocta cichorea magis hominem constringeret, obstrueret, & febrem augeret: nam ita cichoreæ evenit, ac bratsicę, & lenti, cichorea nanque frigida sicca temperatura quum sit, partium subtilium ratione aperit, & meatus resecat, ut notat Galenus lib. de Comp. Med. s. l. capite de iecinoris affectionibus, unde cruda opus complet, aut eius decoctum primum, in quod partes illæ subtiles abeunt, aut eius distillaticia debito ordine extracta aqua, crasso, & terreo, ac constringente manente eius corpore, proinde aduertant Medici Italiæ, quibus nihil est in usu medico frequentius, quàm febri laborãtibus cichoreum coctũ in victu porrigere, parum alioquin advertentes coctam cichoreã cõstringere, & meatus ac vias obstrùere, dysentericis igitur, aut alvi fluxum patientibus, ex herbis discoctam cichoream securè concedemus, non ignorantibus nobis, eius dedecoctum quia aperit, & lotium provocat, diversionis ratione, apprimè quoque eisdem convenire, qui igitur erraticis febribus, autumno præcipuè tempore laborat, ab esu discoctę cichoreæ abstineat, eius nanque esu facilè in quartanam labetur, & in graviores morbos incidet.

B C D

Curatio 16. de fluore muliebri.

Vxor Mudai, nata annos triginta-septem, magnam sanguinis vivi copiam

copiam per os uteri, abhinc sex menses emittit, & intra corpus, ac extra, veluti ad pedum plantas, ingentem caliditatem persensit, abunde sitit, noctu non dormit, & ad ilia cum uniuersa ea parte, in qua præcingi solet, intense dolet. Ad quam vocatus, cōperio hanc multos ieiunasse dies (Hebræa nāq. est) unde supra calefacto ac subtiliato sanguine, fluor hic ortum traxit. Perscripto igitur huic victu vim refrigerādi, & condensandi habente, & quiete habita, ex interna brachij vena dextra sanguinis uncias quinque demere feci, & syrupos densandi, & astringendi facultatem habentes, mane & serò bibebat, quibus peius habebat, nam sanguis copiosior fluebat, qua de re, ijs posthabitis, & demissa aqua chalybeata, cuius vice vinum rubrum, crassum & adstringens in potu intro missum est, ad mammas cucurbitulas duas magnas multa flamma ignitas affigi curavi, ex quib. sinistra fixa illico fuit, dextra verò, nunquam affigi potuit, ex quo mulier hæc sibi magnum futurum iuvamentum augurata est, quia omne malum ad lævam eius partem stare contendebat, ac ea de causa cucurbitulam in ea parte fixam per totum fere diem mansisse, illi fides erat, & re vera, cucurbitulæ huius beneficio, & pulveris albo ovi excepti, & ebibiti, in aurora ieiuno stomacho, & noctu quando ibat dormitum, ita recte valere dixit, ut intra tres dies sequentes sanguis ex toto fere cohibitus esset, habent verò pulveres sic R. Gummi tragacanthi arabici, utriusque unciam unam, sanguinis draconis veri, boli armeniæ pallidi, succini, terræ lemniæ, vulgò dictæ boli armeniæ, lapidis hæmatitis an. drach. unam, & alterius mediā, sem. lactucæ, portulacæ, cicutæ, papaveris, hioscyami, radicis mandragoræ ana drachmas duas, omnia terātur, & pulvis, cuius drachmam ieiuno stomacho albo ovi exceptam deglutiat, & noctu quinta hora à cœna alteram eo modo ebibat, cæterùm ilijs & ad renum regionem hoc unguento illinebatur, quod propriis manibus domi parabat. R. Ceræ albæ racusinæ uncias duas, aqua & aceto quinquies laventur, cui postea adde olei rosacei omphacini uncias duas, cerusæ unciā mediam, aceti rosacei unciam unam, misce, & ad ignem fac unguentū mollæ, quo inungebatur, & supra pannum imbutum oxicrato, sive posca ponebat, & asiduò mutabat, hæc cum aliquot dies recte valeret, & postea profecta esset castellum novum, olim numerosi militis Hispanici cruētum macellum, recrudescente morbo, obijt.

Curatio decimaseptima, de crustosis, & concretis quibusdam turundis muschosis, per nares emissis, à mala quadam capitis affectione ortum trahentibus.

FRanciscus nummularius Racusinus, per nares crustaceas quasdam turundas, ac concretos quosdam mucos, mittere solebat, non sine capitis tamen dolore, cui occurrentes nos, à purgato corpore, & capite particulariter tum errhinis tum mastichatorijs medicamentis, decoctum radicis synarum ad viginti dies exhibuimus, & sanus factus est.

SCHOLIA.

QVi ex Alexandria, & Memphi ciuitate populosissima, hodie ad nos veniunt, ibi radicem synarum ita apparari à Mauritanis, apud quos in pretio habetur, affirmant radicem hanc in scobem redigunt, & melle exceptam, ac coctam, semiunciam pro vice ægrotanti comedendam porrigunt, supra quam cyathum decocti eiusdem radicis ebibendum offerunt, & hoc mane & vesperi, ac sic curationem duodecim dierum tempore absolvunt: porrò, nos huic, de quo agimus, ægrotanti, radicis decoctum solito nostro modo concinnatum dedimus, & sanatus est.

Curatio

A

Curatio 18. De ophthalmia, sive lippitudine.

TVrca Imin, ex Duratio, qui Solimani turcarum Imperatoris redditus extra urbem Ragusium colligit, lippitudine, sive oculorum ophthalmia gravisimè laborabat, ut penitus nihil videret, nec oculos aperiret, intus inde rubicundi, & sanguinolenti videbantur, ad hunc vocatus, tenui victu consti tuto, ad frigidum declinante, primo, quia clysteres hæc non admittebat, bolum hunc degluciendum tradidi. Reci. Floris casiæ noviter extractæ, drachmas sex, diaphiniconis, electuarij lenitivi, ana unciam mediam, specierum hieræ picræ drachmas duas, sacchtaro omnia excipiantur, & fiat bolus, quo optimè egesit, tunc verò, sequenti die, ex externa vena brachij, sanguinis unciæ quindecim extractæ sunt, à qua san guinis missione, melius habere cæpit, tunc verò oculi, hoc collyrio fovebantur, lavabanturve. Recip. Sief albi, sine opio, drachmam unam, camphoræ scru pulum medium, aquarum plantaginis, rosarum, ana uncias duas: misce, fiat collyrium, & penna sępè applicetur, item, ut alvus lubrica huic esset, & singulis diebus responderet, & caliditas extranea infringeretur, decoctum hoc paravim⁹. Re. Cichoreæ, endiviæ, lupulorũ, euphragiæ, ana pugillum medium, foliorum senæ, foliculorum senæ, utriusque unci. mediam, florum boraginis, buglosi, nenupharis, rosarum, ana pugillum medium, prunorum damascenorum duodecim, libris quatuor aquæ, omnia excipiantur, & fiat coctio ad me dias, & coletur. Recip. Prædicti decocti uncias quatuor, syrupi de cichorea, unciam unam, rosacei simpl. unciam mediam: misce, fiat syrupus, ijs enim tertio die sanus evasit, nec alijs opus habuit remedijs.

(§.)

B

C

D

Curatio 19. De cassia Aegyptiaca, viridi, & recenti saccharo condita, quæ ventrem soluit.

PAulus Gradius patritius Ragusæus gravissimus, natus annos octoginta, cum difficulter egereret, & oris amarorem sentiret, & multum sitiret, ob bilem forte altam stomachi partem fluitãtem, semiunciam casiæ Ægyptiacæ saccharo paratæ meis monitis comedit, qua bilis exacte purgata est, tãdem ipse brevi recte se habere dixit, ut postea plures alij, qui Ægyptiaca hac cassia sic saccharo condita usi sunt.

SCHOLIA.

Ægyptiaca hæc cassia, interim dum viridis est, & parva apud Memphim ubi nascitur, quandoque integra, quandoque vero in parua frusta scissa saccharo conditur, cuius uncia ad summum comesta alvum lenit, movet, & purgat secure, benigne, & absque labore, qua de causa à principibus & regibus in pretio maximo habetur. Cæterum Aegyptia hęc casia, interea dum viridis est, gustu acerba est, non minus acceratium xilocaracter & carubium dictum.

Curatio 20. De sanguinis reiectatione.

VIrgo abscondita & secreta, quæ rarò patuerat virorum aspectibus, ut illam religiosam appellaremus, sanguinis reiectatione laborat, cui absenti, (apud Canalem oppidum nanque agebat) cum sanguinem ex saphena demere mandaremus, ecce illi consueti menses responderunt, unde illico sanguinis sputus constrictus est, quibus postea paucis interiectis diebus, suppressis, ingenti tussi, in eandem sanguinis reiectationem redijt, magno dolore, &

ingenti caliditate in ore ventriculi percepta, qui retractionibus, & ligaturis membrorum extremitatibus factis, & ebibitis pulveribus descriptis curatione prima quintæ Centuriæ, albo ovi exceptis, ex toto restrictus est, porrò, ad sedandum dolorem oris ventriculi ingenti illa caliditate perceptum, portulacam aceto coactam ac tabefactam, & calidam, sic illi imponebant, & melius se habuit. Cæterum, tunc curavi saccharum rosaceum mistum bolo armeniæ pallido, pauculo robo myrtillorum exceptum, ad multos dies, nucis magnitudine, ieiuno stomacho comederet, simulq; quando iret dormitum, rotulum ex diacodio simplici ingereret, vel granum unum, vel alterum thuris devoraret, & vino omnino abstineret, vescere tur tamen pullæ carnibus portulaca in coctis, aut sorbis, aut mali cotonei frustis, aut symphiti radicibus, aut semine sumachiorum, aut similagine suasi, quibus optimè valere dixit. Gracilis puella hæc est, collum altum, & pectus strictum habens, cuius altera soror, & frater unus, phthisi consumpti, diem suum obiere. Cæterum hæc elapso mense, Ragusium delata est, quæ noctis certa & deputata hora, septima scilicet, tussiebat, & spuebat, pauca, alba, viscida, durabat autem tussis parum. At interdiu spuebat quidem sed non tussiebat. Cæterùm, à prandio febriebat, aliquando intense, aliquando verò remisse, & lotium optimum, quantitate, qualitate, & contentis in universo huius morbi incessu, habuit, porrò, universus noster conatus eo dirigebatur, ut capitis destillatio in subiectas thoracis partes, sisteretur. Proinde à purgato per catapotia ex agarico corpore, nam de hiera catapotia in hoc casu nonnullis medicis suspecta sunt, & propinatis varijs alijs medicinis respicientibus malam intemperiem frigidam capitis cum materia, ad sinciput, sacculum ex rebus exiccantibus, & roborantibus calidis, compositum, admovimus, & tunc saccharum rosaceum bolo armeniaco pallido mistum, quando ibat dormitum,

E nucis magnitudine, comedebat. Cæterùm hæc, cùm viscidam multam pituitam, non saniosam ad multos dies tussiendo screaret, quæ à capite ortum trahebat, in capitis commissura, eam cauterio indigere, exposuimus, quæ cum non paruit, sic incuratam reliquimus, agebatur autem sextus mensis curationis. Cæterùm, hæc elapsis alijs duobus mensibus, hoc eodem morbo ad summum consumpta, diem suum obijt.

F

Curatio 21. De remedijs partum accelerantibus.

HVius soror, filia Dominici Cladorovichi mercatoris Racusini, primipara, tempore partus difficulter cum pareret, & in angustijs esset, ad eam accersitus, ut eius partus acceleretur, sic descripsi. R. Radicum malvavisci, petrosilini, rubeæ tinctorum, an. unc. mediam, dictami cretēsis, dictami albi, ori- G ganì, pulegij, hyssopi, calamenti, mentastri, nepitæ, an. pugillum unum, seminis seseli, rusci, cumini, fœniculi, an. drachmam unam, libris tribus aquæ, & una vini generosi, fiat decoctio sufficiens, & coletur, cui adde, cinnamomi optimi, drach. duas, croci drach. unam, trochiscorum myrrhæ drach. unam, & alterius mediam, antidoti emagogi, drachmas tres: misce, fac potum, de quo uncias octo, vel decem, tepidas parturiens bibat. Cæterùm, ut expeditè pareret, curavi chordam ex alto pendentem manibus apprehenderet, ita ut H erecta staret, & si fieri posset, à viro robusto concuteretur, item, ut huius alvus oleo amygdalarum dulcium foveretur, aut oleo seminis lini, aut oleo lilino, aut linimento sequenti. Recipe olei amygdalarum dulcium, butyri recentis, ana unciam unam, pinguedinis gallinæ, unciam mediam, ceræ, parum: misce, fiat linimentum ad ignem, quo illinatur alvus, item, ut sternueret, sic præs-

præscriptum fuit. R. Condisi asſę fœtidæ ana drach.unam, ellebori ſcrupulum medium, euphorbij grana decem, miſce, terantur, & fiat pulvis, & goſſapio exceptus, fomentur errhina medicamenta, aut ſic per ſe naribus præſentetur: ijs enim ita mulier hæc iuvata eſt, ut intra diem puerum peperit, cum enim ſternuit, puerum miſit, nec enim obſtetrices permiſimus unquam, manibus violentum aliquod tractarent, prout illis moris eſt, quando ex illa violẽta attractione, multa vitia, & fædæ affectiones oriuntur. Cæterũ, poſt partũ, hæc ad utranq. ſciam doluit, quẽ dolorem olim eo tẽpore quo menſes illi conſueti fluere incipiebãt, ſentiebat, & tunc eum ſic ſedavimus. R. Olei hypericonis unciam mediã, camæmelini, roſacei, ana unciam unã, pulveris roſarum camæmelæ an. drac. duas, ceræ parum, miſce, fiat linimentum, & utrunque locum dolore affectum illine, quo brevi recte habuit, & ſanata evaſit.

Curatio 22. de gallica ſcabie, manuum palmas, papulis, et ſciſſuris inficiente.

MAtinus Gondulanus, nobilis iuvenis Raguſæus, ex Memphi apud Ægyptum, Raguſium morbo gallico infectus reverſus eſt, circa genitalia ulcera paſſus eſt, & mento, & facie papulas non paucas habuit, a quibus remedijs propitijs adhibitis, brevi ſanatus eſt. Cæterum in ipſis manuum palmis papulæ, quæ eas infecerant, & in ſciſſuras evaſerant relinquerunt, pro quibus abigendis, & in totum ipſius ſcabiei ſeminarijs extirpandis, iuveni huic annos nato vigintitres, decoctum radicis ſynarum ad quindecim dies, habita optima, & ſubtili victus ratione, ebibendum dedimus, in quorum ſingulo ter & quater, eodem decocto manus lavabat, demum, ijs citatis intra prædictum tempus, ſanatus eſt, victus huic, panis nautici unciæ quatuor in prandio circunſcribebantur, totidem in cœna, potus ea ipſa aqua, ſive decoctum radicis ſynarum erat. Cæterum ultra panem, in prandio ſemipullum gallinaceũ inaſſatum, vel decocto ipſius radicis ſynarum elixum abſq. ſale huic concedebamus: in cœna vero, pugillum, paſſæ uvæ, & paucas dealbatas amygdalas.

Curatio 23. de febre terriana, continua maligna, pulicari cum ſymptomate.

PEtrus Iohannes Bonius, ex Patritia Raguſæorum gente, adoleſcens annos undeviginti natus, temperatura bilioſus, habitu gracilis, colore ſubnigro, cum extra urbem refractario equo, curreret, mulierem obviam impetuoſe ad terram proſtravit, ut eam tunc emortuam ipſe putaret, undemœrore affectus, multa vomuit, & in febrim incidit, primo lentam, dein vero acutam, & malignam. Ad hunc igitur accerſitus undecimo die ægritudinis, eum in genti febri oppreſſum comperio, ad hæc ſiti ingenti, lingua arida, & nigra, retro collum ad ſcapulas varijs exanthematis efflore ſcentibus, nonnullis rubricantibus, paucis ad nigredinem vergentibus, urina huic citrina, cruda, nihil concoctionis indicans, erat pulſus varius, nunquam ſudavit, nec ſua ſponte egerebat, ſed alvo clyſmis, aut balano irritata; cæterum ad hoc uſq. tempus plures ebiberat ſyrupos, ſed nullam habuerat notatu dignam vacuationem, duodecimo ſequenti die, ad eũ de more accedens, exanthemata, aucta eſſe, & univerſam poſteriorẽ partẽ corporis occupaſſe conſpicio, vnde ea non diu antea initium habuiſſe, ſatis evidens mihi argumentum erat, proin de alvo per clyſmum irritata, ex baſylica uncias decem ſanguinis diminuo,

qui non admodum magnam præsefe rebat corruptionem, hic summopere vinum appetebat, cuius vice potum hunc descripsimus. R. tamarindorum unciam unam, radicis buglosi, ordei mundi, seminis melonis mundi, cucurbitæ, batechæ, ana unciam mediam, florum cordialium. ana pugillum medium, prunorum pinguium decem numero, libris quinq. aquæ fiat decoctio secundum artis ministerium, & coletur, cui adde, syrupi de acetositate citri unciam unam, misce, aquarum acetosæ, portulacæ, ana uncias tres, misce, fac syrupũ, & stomacho ieiuno propina, ut vero huius lingua abstergeretur, canna curva, & psilij semine humectaretur, assiduo curabamus, cibus huic, contusum ex pullo herba acetosa incocto, erat, portiuncula ptisanæ admista, cui pulvisculus diamargaritonis frigidi respersus fuit, vesperi huius diei, ita habuit, & peius, quia accessio eum graviter afflixerat, est nanq. febris hæc tertiana continua maligna, noctu melius habere cœpit, & recte dormivit, decimotertio ita recte habere dixit, ut nun C quã antea melius & revera tũc urina quãtitate, substãtia, & contẽtis, optima apparuit, & pulsus meliores, qui urina certius indicare solẽt, tunc frictiones exercebantur, & cucurbitulas varias corporis varijs locis affigi curavimus, & syrupum hunc descripsimus. R. syrupi acetosi simplicis, de cichorea, an. drachmas sex, decocti florum nenupharis, acetosæ, cichoreæ, hordei unc. sex, boli armeniaci pallidi tantopere à Galeno decantati scriptulum unum, misce, fac syrupum, & propina, ieiuno stomacho, quo sequẽti quartodecimo die, hunc sudaturum assistentibus tunc prædixi, quod ita futurum, pulsus fluctuosi recurrentes, mihi satis indicabant, & ita evenisse ipsi assistentes observarunt, sudavit quidem, sed parum, a quo sudore melius se habuit, sextodecimo pharmaco composito manna, & rhabarbaro purgatus est, quo optime egessit, & qualia purgari debuerant purgata sunt, sed tunc vinum illi pau-

E cum, sed optime dilutum concessimus: decimoseptimo ab iniecto clysteri lavante dicto, saccharum rosaceum pauco bolo armeno mistum, comedit, nec amplius sudavit, forte quia materia sudoris purgatorio pharmaco vacuata fuit, rectius tamen æger ipse habebat, pulsus tunc optimi erant, & lotium tũ substantia, & contentis optimum, à prandio tamen aliquantulum febriebat, qua de re, syrupum aperiendi facultatem habentem, singulis auroris bibebat, & aquam hordeaceam iulebo F mistam, pro potu habebat, vigesimo primo die, ex se natura mota est, bis namque ægrotus ipse egessit, multa & citrina, sed a prandio solito modo caluit, 23. 24. & 25. eædem erant, clysmis tamẽ alvus irritabatur, 26. iterum purgatus, sanatus est, eius tamen venter ad multos dies restrictus, non nisi clysmis, & infusis irritatus respondebat, ad solitum tamen suum cursum redit, epoto iure pulli, aut vervecis, incocto malva, & mercuriali, aut beta, aut omnibus simul.

SCHOLIA.

IN ijs pestilentibus & malignis febribus curandis, duæ habentur viæ, altera Galeni, & Græcorum, altera vero Mauritanorum, nam Galenus, ut cæteri Græci, iubet pro ijs curandis febribus, aperire, vias reserare, & totius corporis experimenta patefacta habere, ut apud ipsum quis legere poterit libro secundo de differentijs febrium, Avicenna vero, & Mauritanicæ factionis Classici medici, res frigidas & stypticas, ac constringendi facultatem habentes, potius concedunt. Nos vero H *utranque viam optimam esse nunc doceamus, donec nanque pestilentis febris caliditas viget, & fervet, rebus frigidis, stypticis, ac acidis utimur, ut putredo infringatur, coerceatur, nec amplius serpat, item ne hoc veneno lancinati spiritus brevi deficiant, ad quorum difflationem, & resolutionem, vita amittitur, & mors introducitur. Cæterum, remisso huius pestilentis febris incendio, furoreve, tunc ad ea, quæ aperiendi, & sudorem evocandi facultates habent, confugimus, ea ægrotis similibus propinando, ut in hoc de quo agimus ægrotante, a nobis factitatum est. At, hæc ita breviter per transennam dixisse volui,*

volui, quando de ijs quoque me dixisse nonnulla puto Centuria tertia harum curationũ nostrarum.

Curatio 24. de febre continua epidemica.

STephanus Mænsius, patritius Ragusinus, annos natus unum supra triginta, cum apud stagnũ civitatem, prætoris officio fungeretur, febri gravissima correptus est, & ea quidem tertiana continua epidemica, est enim vir hic temperatura sanguineus, ut ex notis elicitur, nam hic magnus, longus, carnosus, musculosus, & hirsutus admodum est genas rubricantes habens, in eo tamen humiditas superat caliditatem, ut excrementa varia attestãtur, & paulo inferius interpretabimur, huius caput humidum & calidũ est, caliditatem indicant capitis magnitudo, oculi ingentes, foras prominentes, ut Alciatus iuris peritissimus doctor, hac nostra ætate phænix habebat, qui Ferrariæ leges publice profitebatur, eo tempore, quo & nos Galenum, & Hippocratem eisdem in scholis interpretabamur. Cæterum, huius ægrotantis capitis humiditas deprehẽditur, ex varijs, & multis quæ ab ipso capite continuo defluebant humiditatibus excrementitijs, sed & cor huic calidum & humidum quoq. est, ut eius attestantur arteriæ magnæ, molles, & crassę, veluti pectus perlatum, magnum, & bene hirsutum, sed iecur huic, calidum quoque est & humidum, id quod venæ admodum crassæ, latæ, & sanguine refertæ, satis approbant, cum igitur præcipua tria hæc membra calida sint, universum corpus calidum sit decet, quin & cũ ipsa humida sint, & universum corpus humidũ dicatur oportet, ut ex Galeno sæpe repetivimus. Cæterum, cum hic humida calidaq. temperatura præditus sit, omnium tẽperaturarum pessima, & corruptioni magis obnoxia, si modo Galeno fidẽ damus, & multis &

A varijs cibarijs assuetus, contigit, quod cũ apud stagnũ, ut dixi, civitatẽ Ragusæorum imperio subiacentem, prætoris officio fungeretur, in febrẽ gravissimam, sævissimamq. laberetur, & eam quidem epidemicam biliosam: solent autem huius civitatis Incolæ certis, & statutis anni temporibus, fere omnes febribus similibus corripi, ob causam communem, aerem scilicet, morbificũ & infectum, a quib. plures eorum evadunt, unde pestis dici non debet, esset nanque pestis, si omnes vel maior ægrotantium pars morerentur, is igi-
B tur, cum corpus multis refertum excrementis haberet, non difficile fuit, ab aere illico alterari, & affici, unde in tertianam continuam lapsus est, a bile vitellina pendentẽ, qua eius caput multæ pituitæ mista refertum erat, ut eius indicabat gravedo, pituitæq. descensus ad maxillarum, & faucium musculos, unde dentes dolebat, & lingua crassa, & fere contracta reddita, non recte loquebatur, ad hæc, non sitiebat, id quod & in stomacho humiditatum redundantiam arguit, sed magis, nausea, sive ad vomitum proclivitas, imo rerum pi-
C tuitosarum, & variarum copiosus aliquando cum verme uno vel altero vomitus: hic cęterum, multa cũ abũdet pituita, ñ nõ dormit, ob fumos forte, ad caput delatos, biliosos siccos, ob quos inappetentiam quoque incurrit, vel quia humiditas pituitæ stomachum laxat, cum multũ quoque ad appetentiã refert, pituitam altam stomachi partẽ occupare, vel eius infimam, nec enim omnis frigiditas causa appetitus est, sed verius ea quæ acerbitatis nonnihil habet, ut melancholiæ. Cæterum, hic ventrem constrictum habet, nec nisi clysteri adiutus egerit, solet autem sæ-
D pe natura infusis, & clysteribus assueta, pigra fieri, nec excrementa, nisi eisdem, aut balano irritata, mittere. Ad hunc igitur accersitus ego, trigesimo quarto ægritudinis die eum cubili prostratum comperio, tertiana continua, à vitellina bile pendente, laborantem, qui, ob prædictam a nobis

causam, non recte loquebatur, porro, huius pulsus digitis nostris admodum resistebant, latitudinem, lõgitudinem, & profunditatem satis amplam præse ferentes, febrilis porro calor nõ admo dum acris erat, sed lotium rubrum, & crassum videbatur, in quo concoctio, ut assistens medicus aiebat, apparue rat, tunc nanque delituerat, item nocte antea multum sanguinis per nares illi effluxerat, quibus omnibus perpensis, & examinatis, iudico, & si huic san guis semel abunde ex brachij curvatu ra missus fuerit, & per hirudines venis hæmorrhoidalibus admotas, tunc quo que summum remedium esse, scissa brachij vena, sanguinem emittere: erant autem notæ sanguinis missione exposcentes, pulsus plenitudo, quam præseferebat arteria, veluti ipsius mag nitudo, digitis maxime renitens, & lotiũ crassum & rubrum, ad hæc, mor bi magnitudo, hoc est, febris continuo affligens, & sanguinis è naribus fluxus, nec morbi longitudo eam impediebat, ut monet Galenus, libro de sangui nis missione per venæ sectionem, & sexcentis alijs locis, aut si hanc nolent exercere vacuationem, per cucurbitulas secta cute, & scapulis applicitas, saltem extraherent, consului, de qua re, ignorantissimus quidam ex conducto hic medicus, admiratus, respondet, stãte humorum abundantia, cucurbitulas non esse affigendas: sed hic, cum artem medicam omnino ignoret, satius est, illum innominatum relinquere, quam eius opinionem refellere, ut nos cant tamẽ qui hæc legerint, si quis mo do legerit, sciatis velim, Galenum, & post eum omnes medicos, etiam initio morborum, iubere, vel saltem non negare, per cucurbitas secta cute, evacuationem molliri, cum ut Avicenna ait, cucurbitulæ vicariæ sunt phlebotomiæ, abnegat autem Galenus, veluti cæteri medici, plethora stante, cucurbi tularum, ut aiunt siccarum, admotionem, id quod Cumanus hic asinus, capite clitellatus, distinguere nesciens, ita ut audistis effutivit, edoctus tamen

E inde, sequenti die mulieri sanguine à febri laboranti, hic illico morbi initio, per cucurbitas costis affixas, cute secta, evacuationem tentavit, ad quam eo die accersitus ipse, opus ut audistis confectum inveni, cum tamen secta in brachio vena rectius, & securius esset evacuationem exercere, menses nã que muliercula hæc diu erat perdiderat, de qua postea sermo fiet. Applicitis igitur scapulis cucurbitulis ægrotãti, de quo agimus, & extracto sanguine ad uncias sex, melius habere cœpit, qui postea, paucis ebibitis medicamen

F tis deobstruendi facultatem habentibus, veluti purgatorijs, paulatim pristinam salutem consequutus est.

Curatio vigesimaquinta, de surditate contracta ob malum vitæ regimen.

SEBASTIANVS Bubalius ex Ragusæis patritijs, annos natus trigin

G taquatuor, iam diu est, morbo gallico afflictus fuit, qui postea immoderatis rei venereæ usibus deditus, & aeri nocturno assiduo expositus, in capitis gravedines, & ipsius vertigines, multo cũ flatuoso spiritu, utramq; autem infestã te incidit, unde diminute audire cœpit, qui etiam ab eo vitę inordinato re gimine, tot mala illa alcita sibi esse nõ ignorans, nihilominus in eodem perseverabat, indies minus audiens, quous-

H que ex toto surdus factus est, est autem vir hic robustus, fortis, temperatura op tima præditus, multã tamen præseferẽte humiditatem, præcipue in ipso capite. Cæterum, surdus hic est, id est, sensu auditus omnino spoliatus, quod accidere solet ex læsione nervi auditorij, vel eius partis cerebri, ex qua oritur, nonnunquam etiam ex intemperie, aut tumore contra naturam vel ex obstructione, vel solutione continui, vel ut Galenus commentario primo, in librum

librum primum porrhetici, enarratio ne trigesima secunda tradit, fit surditas & ob humorem quendam, in auditoriis meatibus impactum infarctumq. nihil quod malignum sit, habes, fit quoque & interdum extincta audiendi facultate, quam in acutis turbulentis morbis contigere cernimus. Hæc Galenus. Porro ægrotus noster surditatē a crassis, glutinosisq. humoribus, præcedentib. procatarcticis dictis causis, contraxit, id quod Paulus Æginetа dignoscendum docuit, cum dicat, libro tertio suæ medicinæ capite 23. Sonitus, qui fiunt a crassis, glutinosisq. humoribus cognoscuntur, quod non universim, sed paulatim increscunt, ac nascuntur. Cæterum, cum ægrotus hic sonitum utraq. in aure illico à morbi initio persensit, & in dies maiorem & crebriorem, quemadmodum & nunc surdus factus, consequens est dicamus, ab ijsdem humoribus capiti infixis surditatem ortum traxisse, non vero aliūde ad eum dilatis, qui mea sententia, auditum, & aurium meatus opturant, unde surditas prognata est, quæ, ut ingenue fateamur, immedicabilis est, quum hucusque viderimus tam multa & egregia remedia pro hoc levando morbo nihil contulisse: celebrata nam que fuit sanguinis missio, ut agendum suadet Paulus libro tertio suæ rei medicæ, dicens. Ex crudis crassisque humoribus prognatas surditates, vel gravem auditum, curato venæ incisione, aut omnino purgatione ex hiera, non minus materia hæc ante eius purgationē oximellite vulgari, veluti Iuliano tributo, præparata fuit: quæ postea etiam universo purgato corpore, particulariter vacuabatur, apophlegmatismis, errhinis, & sternutamentis, veluti varijs alijs, quæ incidunt, & attenuant crassos & viscosos hos humores, etiam per calamos perforatos eorum sublatus ad auditorium meatum vapor. Nos tamen post multa & alijs adhibita, & exercita, hæc pauca illi concessimus. Recipe Ligni Guayaci contriti, & in scobem redacti libram

A mediam, infundatur in libris decem aquæ fontanæ per totam noctem, cui adde, maioranæ, stœchados, ana pugillum unum, menthæ, pulegij, hyssopi, origani, ana pugil. medium, senæ unciam unam, polipodij quercini unciā mediam, thymi, epithymi, ana drach. tres, passarum de corinthio unc. duas, omnia secundum artis ministerium bulliāt, ad medias, & coletur, cuius decocti ieiuno stomacho in aurora un-

B cias novem, vel decem, optime calidi ebibebat, quo alvus illi optime respondebat, & recte quoque sudabat. Item, caputpurgium, sive errhinum dictum medicamentum, ita adaptabatur. Rec. Succi maioranæ, succi foliorum capparum, betæ, ana uncias tres, pulveris corticum radicis capparorum, piretri, ellebori nigri, ana drach. mediam, clarificentur succi ad ignem, & naribus trahendo utatur. Item fomentum hoc pro irrigando capite apparatum sic fuit. R.

C maioranę, stœchados, betonicæ, salvię, origani, pulegij, hysopi, chamæmelæ, meliloti, anethi, rutæ, ana pugillum unum, seminis anisorū, fœniculi, ameos, ana drach. tres, garyophillorum, macis, ana unciam mediam, foliorum lauri pugillum medium, libris quinque aquæ, & decem vini, & quatuor aquæ vitis, omnia excipiantur, & fiat decoctio ad consumptionem tertiæ partis, secundum artis ministerium, & coletur, optima facta expressione, quo fomento depositis capillis caput irrigabatur, saltem per mediam horam, tandem exiccato ab humiditate capite,

D hoc illinebatur unguento. R. unguenti aragonij, agrispini, althææ, ana unciam mediam, olei rutacei, laurini, an. unc. unam, pulveris stœchados, pulegij, maioranæ, ana drach. unam, mastichis, garyophillorum, macis, ana drac. mediam, aquæ vitis optimæ uncias duas, omnia simul bulliant, ad aquæ vitis absumptionem, cui postea adde ceræ citrinæ parum, misce, fac unguentum, quo, ut dixi, caput inungat. Sed ut in aures distilletur, sic quoque paratum fuit. R. Olei de castoreo, liliorum

albo-

alborum, ana unciā unam, anethini unciam mediam, ellebori drachmam mediam, aquæ vitis unciam unam, misce, & in balneo mariæ bulliant omnia, quousque aqua vitis absumatur, postea per colum trajicito, & calidum in aures infundito, gossapio moschato superimmisso, iis enim optimo victus ordine servato, intra viginti dies, saniem ex utraque aure emittere cœpit, aliquādo albam, nonnūquam vero nigram, quam curiose admodum abstergendā curabamus, unde sonitum illum universum caput apprehendentem, circa aurium meatum persentiebat, aliquando tamen percepto dolore, non admodum tamen offendente. Cæterum, ijs non contentus, chirurgum accersivit, qui eum ceratis ab argento vivo confectis, illevit, unde peius habuit: novistis autem ex Avicenna, argentum vivū, natura sua auditui obesse, tum etiam quod materias ad partes superiores idipsum trahat, quæ dubio procul infra trahendæ erant, ut docet Hippocrates varijs sententijs suorum aphorismorum, & Galenus firmat sexcentis suæ doctrinæ locis, veluti Avicenna fen 4. libri primi, nunc vero ita hic habet, ut immedicabilis maneant.

Curatio vigesimasexta, De tribus pueris fratribus, eodem morbo correptis.

FILII Manuelis Fragosij, viri qui apud Indos diu egit, quum veherētur navi, & multam aquam per mensem integrum, nec adeo bonam biberent, ad hæc, pane nautico, & varijs alijs crassis, & obstruēdi facultatem habentibus cibarijs, vescerentur, in febrim inciderunt continuam, quibusdam apparentibus excrescentijs, ab obstructionibus pendentem. Nam eorum ventres tumebant, & pedes œdematosi videbantur, quin & eorum facies tumore pallebant, sed præcipue

E oculorum palpebræ: est autem minimus annos natus duos, secundus, annos quatuor, maior vero sex: ad quod accitus ipse videns omnes simili morbo laborare, eadem curatione omnes indigere iudicavi, habita tamen ratione ætatis, & variarum eorum temperaturarum: primum nanq. optimam victus rationem illis propono, refrigerandi, & destruendi facultatem habentem: proinde victus illis, pulli caro vulgati petroselini radicibus elixa erat, aut perdix, aut turtur, aut in dumetis vigentes

F aviculæ, aut panatella semine melonis parata, aut ptisanæ cremor, aut amygdalatum, ex amygdalis & melonis semine concinnatum, pauco adiecto saccharo, aut ex internis pulpamentis pulli paratum contusum, pro potu vero aquam parare iussi ex hordeo integro, apij communis radice adiecta, deinde, ut quisq. horum puerorum unam vel alteram unciam syrupi rosati solutivi, adiecta portiuncula electuarii lenitivi, quod vulgo Medici, Diasene linitivum appellare solent, ebiberet, curavi-

G mus, tandem ut obstructiones amolirētur, eorum ventres sequenti unguento inungebantur, quod habet. R. Succi de cichorea, uncias duas, apii, petroselini vulgati, absinthii, menthæ, an. unciam unam, olei capparorum uncias duas, pulveris ceterachi unci. mediam, corticum radicis capparorum drachmas duas, ceræ parum, ad ignem misce, fiat unguentum molle etiam cum ipsis succis, quo bis eorum ventres indies inūgebantur, mane & vesperi, & ita respondebant, ut bis & ter eorum quisq. in die egereret, quum tamen antea eorum ventres satis constricti habeban-

H tur. Ita enim iis, pueri ij recte habere cœperunt, ut corporis inflationes & ædemata imminui cœperint: qua de re syrupum hunc illis descripsimus. Rec. Radicis petroselini, cichoreæ, hordei, ana pugillum unum, seminis melonis mundi, unciam unam, passarum de corinthio uncias duas, in libris tribus aquæ fontanæ fiat decoctio ad tertiæ partis absumptionem. Recipe Prædicti

cti decocti uncias 6. syrupi acetosi simplicis unciam unã, mellis rosati colati unciam mediam, syrupi capillorum veneris unciam unam, & alterius mediam, misce, fiat syrupus: cuius partes ita distribuantur puero parvo, duas propinato uncias, & tertiæ mediam, sequenti, tres uncias, maiori vero residuum, iis enim ad aliquot dies tractati habita consideratione accessionum, in quibus a cibo fugiebant, cum concoctio in lotio apparere cœpit, unum vel alterum pharmacum illis dare decreveramus. Cæterum, quum pueri sint, & nollent obedire, nec pharmacum bibere, sic optimo constituto regimine vitę eos servavimus, contenti ea unguenti inunctione., & pauco concesso vino prædicta diluto aqua. Cæterum meminisse decet, horum maiori, quia gravius & intensius febri affligebatur, ex basilica brachij vena sanguinis unciæ tres extractæ sunt, à qua sanguinis missione recte habuit: porro, ille alter, quatuor natus annos, ob patris avaritiam, me absente ita tumuit, ut inde suum diem obierit, terebenthinæ autem usu opus habebat.

Curatio vigesimaseptima De plenitudine.

HORVM puerorum pater, vir annos natus quinquaginta, temperatura biliosus exustus, ut qui diu apud Indos egerit, in ano fistulam patiebatur, ex qua puris multum continuo emittebat, morbo laterali correptus fuit, continuo febriebat, ad costas dextras multum dolebat, tussiebat, & difficulter ingenti cum capitis dolore respirabat. Ad quem accedens, post quatuor vel sex horas huius morbi apprehensionis, illico accersito chirurgo, ex interna eiusdem brachij vena, unde erat dolor, sanguinem mittere ad uncias sex feci, qui sane in totum corruptus, & putore affectus erat, à qua san-

A guinis missione alvus sua sponte commota est: sæpe namque egerebat, pauca pro vice, biliosa, putida, & correptione affecta, tunc syrupum ebibit violaceum, & de endivia prædictis dilutum aquis, & in cibo illi ptisanæ cremor erat: pro potu vero aqua hordei. Cæterum doloris locus fovebatur sequenti fomento. Recipe Hordei, rosarum, matrum violarum, parietariæ, chamæmelæ, fænugræci, seminis lini, malvarum, summitatum malvavisci,
B ana pugillum unum, libris quindecim aquæ fiat decoctio secundum artis ministerium facta colatura, & expressione, adde olei rosacei, ana uncias duas, misce, & vesica semiplena, vel filtro, vel spõgia, loco dolenti applicetur, & sæpe innovetur, locum vero abstersũ, recte exiccatum hoc linimento illine. Rec. Axungię gallinæ unciam unam, olei rosacei drachmas sex, violacei unciam mediam, chamæmelini drach. duas, butyri recentis unciam mediam, pauca cera alba, ad ignem misce, fac linimentum, sequenti die etiam circa
C locum dolebat, & intense febriebat, & caput dolebat, quibus de causis, iterum ex eodem facto vulnere, totidem uncias sanguinis demere curavi, qui ita corruptione affectus erat, ac primis. Vltimus tandem rubricundus apparuit, unde melius habere cæpit, dolor namque minui cæpit, & febris remitti: sed & capitis dolor ferè eodem die levatus fuit, ad os tamen amarorem pertendebat. Cæterũ primo die morbi, hic per intervalla syrupum violaceum simplicem cochleari lingebat, paucis, multum excreabat, & ad septimum usque diem melius semper habuit. Advertendum tamen duximus,
D quod tertio die, ptisanæ loco, amygdalarum cremorem sacharo concinnatum habebat, quinto ius pulli ebibit: sexto ad alas ipsius pulli devenit, imbecillis nanque factus erat, & eo magis, quia per fistulam illam antiquam multum puris emittebat. Porro, quia bilẽ per cassię ægyptiacæ pulpamentum purgandam decreveramus, & ille non obedivit,

obedivit, pessime habuit, & morbus ita contractus fuit, ut mirum fuerit, quod ex eo diem suum nō obierit: post duos tamen menses valetudini integræ restitutus fuit.

Curatio vigesimaoctava, de cordis angustijs, & animi anxietudinibus, ob supressos menses evenientibus.

HVius uxor, quum mensium respō dentiam exactam nō haberet, ita ut utero gerere firmiter crederet, mentis obtenebrationibus, & cordis angustijs, ita sæpe detinebatur, ut omnes etiam sibi charissimos filios odio haberet, quo tempore paroxismi, vestium omne genus ex pectore, veluti quæcūque in capite gestabat, deponebat, & rejiciebat. Quæ omnia secta ex brachio interna vena, abundeq. extracto sanguine, in totum atro, & crasso libera evasit. Nam pedis saphena, ut quæ merito secanda erant, ut quævis alia pedis, nunquam apparuit. Cæterum elapsis postea paucis diebus, menses cursum solitum suum habuere, & basilice habuit.

Curatio vigesimanona de febre interficiente.

STEPHANVS Aranius ex patria Ragusæorum gente, iuvenis quinque & viginti annos natus, robustus, & musculosus, & otio deditus, crapulæ & veneri, ut nobiles adolescentes factitare solent, multum indulgebat. Quare in stomachi imbecillitatem, & meseraicarum venarum obstructiones atque duritiem incidit: quoties verò largiore potu utebatur, in sævissimum intestinorum, & ventriculi dolorem incurrebat, quo adeo miserè vexaba-

E tur: ut crebro illud ex sacris repeteret, In manus tuas domine, &c. Habebat præterea & capitis vertigines, & animi deliquium. Cæterum, hic, circa idus Octobris febri corripitur biliosa, & nunquam intermittente, quibusdam tamē excrescentijs satis apparentibus, quas à vitellina bile originem trahere, pro certo habebamus, ut paulò inferius dicetur. At hic, sub initium mente parum valebat, sitim non habebat, fortè ob multam in ventriculo congestam pituitam. Febris tactu non adeò intensa erat, immò omni morbi tempore,

F mitis semper apparuit: vrina crassa, turbata, & veluti subiugalis, pituitosa in ea residentia, apparebat, quam ex gonorrhæa prouenire, familiares aiebāt. Pulsus tactui valdè resistebant. Cæterū vomitiones prasinam bilam referebant: quæ res, ut de iuvene malè suspicaremur effecit: ob nimiam autem iecinoris, & venarum caliditatem, eam provenire: non verò ob ciborum cruditatem, multa fidem faciebant. Primò enim pituitosa in ventriculo contenta evomuerat: ex assata autem bile flava, ut Galeno placet enarratione 38. com-

G mentarij secundi prædictionum Hippocratis, vitellina evadit: & inde ex vitellina prasina, ex prasina eruginosa. Tandem ex eruginosa atra bili, sicca, & fervens consurgit. Ad hunc igitur accersitus ipse, cùm iam ægrotus leniēs medicamentum ebiberat, per assistentem medicum perscriptum, consultum fuit, de sanguinis missione: unde tunc sanguinis unciæ octo extractæ sunt. Cæterum septimo die morbi ad eum

H reversus, invenio insomnem noctem cum delirio transegisse: & tunc pulsus illi imbeciliores erāt, lotium turbatū, imo per intervalla ægrotus ipse non rectè mente constabat. Varia nanque effutiebat, imo (ut tunc ab assistentibus mihi relatum fuit) tres antea noctes non dormierat: quibus ad oblata, utcunque se habebat: unde ea consultatione, hunc moriturum prædixi: scapulis tamen cucurbitulæ secta cute infixæ sunt: & sanguis per eas abundè extra

extractus: quin & ano hirundines admotæ, & cordi refrigerans epithema cordiale dictum, veluti capiti irrigatio quoque pro somno conciliando, refrigerandi vim habens. Cæterùm cum ijs, pulsus imbecilliores erant, & ægrotus ipse omnia cibaria iam abhorrebat; tunc ad capi destillatitiam aquam deventum est. Hic demum nihil mali persentiebat: sed gemitus ingentes, per intervalla, ingentem spiritus difficultatem præ se ferentes: immò certum obitum emittebat: tandem viribus omnibus prostratis, initio decimi diei obijt, non sine matris mœrore, unicus illi erat, & dives satis, obijt autem die plenilunij, quando ex directo luna soli opponitur, & plena dicitur.

Curatio 30. de dolore in iecinore.

DIdacus Pyrrhus, vir Grecè & Latinè peritissimus, & magni nominis poeta. Cum in suburbio Ragusij ageret, (recens enim ex Byzantio venerat) ubi pestis grassabatur, ob esum forte pomorum crudorum & cibariorum malorum, bilis vitellina in eius stomacho genita est: quæ ad iecur descendēs magnum dolorem inferebat, unde febris orta est: & sinistræ manus stupor insignis. Cæterum hic cum Byzantij simili morbo correptus esset, & medicorum consilio illi secta esset brachij vena, & extractus bis sanguis, ad uncias viginti, ut propè obitum esset: de morbo timuit: quare cum malè sic haberet, de sanguine extrahendo solicitus erat. At ego materiam extra venas dignoscens a sanguinis missione fugiendum iudicavi. Secta nanque vena, humor iecinoris simas partes infestans, intra jecur & venas magnas retraheretur, unde morbus ingravesceret, & ex facili difficilis evaderet (ut Byzantij evenit) proinde judicio habito, vomitū provocavimus, & multam vitellinam evomuit bilem. Tandem clysteri uno vel altero, alvum deonerante iniecto: & ptisana, pro victu, habita: ac supra dolorem vesica semiplena ex decocto rerum anodinarum, & dolorem sedantium adplicita, melius habere cœpit. Tandem pharmaco leniente ebibito, intr quatriduum sanatus est: magna artis medicæ laude: ut qui tam facillimis, a tam gravi morbo, & a quo vix Byzantij evaserat, liberatus est.

Curatio 31. de punctura scorpionis.

VIr, qui ab scorpione in manus digito punctus fuit, multum dolebat, & refrigeratus, totus contremebat: & per corpus dolores, cute tota quasi acu puncta formicantes patiebatur. Cæterum, hic ab scorpione punctus, illico cum interfecit, & contusit: & contusum puncto digito superposuit: & brevi à dolore liber fuit. Ad aliquot tamen dies, digitus totus excoriatus fuit, & quasi ab igne exustus redditus, & ex toto sanatus.

SCHOLIA.

SCorpio qui læsit contritus, & super locum impositus, iuvat, ut testatur Dioscorides, sic dicens, libro sexto suæ Medicina, in remedio erit scorpionis puncturæ scorpio ipse, qui læsit contritus, & super locum impositus, tanquam iniuriæ vindex, & perniciem, quam intulit, corpore suo luens, dominante illa rerum dissidentia, ut constat, & subdit. Prodest, & scorpius quicunque tritus cum sale, ac lini semine, & althea herba impositus.

Curatio 32. de febre continuo affligente: cui postea sanguinis reiectatio subsecuta est, & postea sanguis per secessum exivit.

MIles temperatura sanguineus, pluvioso tempore iter cum ageret, domum reversus in febrem cōtinuam

incidit, caput dolebat, sitiebat, & valde conquerebatur. Accersitus itaque ad eum, illico ex communi vena, in brachij curvatura, sanguinis unci. quinde cim demere curavi, qui quidē sanguis, taurinam crassitudinem præseferebat. Ab incisa vena, ut primo febriebat, & sanguinem, ingenti tussi, reiectabat, & pectus non dolebat, multa egerebat, liquida, & varia ingentem attestantia corruptionem. Quinto die, per secessū, sanguinem purum, & bene flavum bona quantitate, absque ventriculi, & intestinorum dolore ullo, eiecit. Septimo febri, & symptomatis alijs, liber evasit, imbecillis tamen, & ex altera aurium surdaster, à qua surditate, paucis postea diebus, immunis quoque & liber fuit.

SCHOLIA.

Sanguis per os, ingenti illa tussi, ex thorace reiectabatur, qui postea per secessum eiectus est. Nec enim mirari est, sanguinem thorace contentum, per secessum emitti. Quādo ille cor petens per venam putealem, cavā dictam, transmitti ad iecoris simas poterit, & in de ad intestina, unde postea per secessum emittitur. Cæterum tradit Gal. lib. 6. de Locis affectis, cap. 4. nos pulmonis vomicam per urinam, thoracis autem per intestina, & alvum expurgari uidimus. Quamquam in primis ex pulmone, per renes transitus nullam revera dubitationem excitare debet. Etenim, ut a cava vena, ita ex magna quoque arteria rami descendunt ad renes.

Curatio 33. de dolore stomachi, cordis quoque regionem infestante, ab humore melancholico, & viscida pituita eveniente, simulq. de podagra.

PAVLVS Gradius iunior Patritius Ragusæus, annos natus quadraginta septem, temperatura melancholi-
E cus, vigente autumno, quo atra bilis
(ut nostis) viget, de dolore stomachi,
& cordis, ac posterioris partis illi respondentis,
conquerebatur. Sed noctu
magis, redundabat autem in huius venis melancholia,
veluti in eius ore ventriculi
viscida pituita, a quibus dolor
hic originem habebat. Audistis autem
alias a me, ex Galeni præclara doctrina,
sanguinem vena cava contentum,
& cordis corpus ingredientem, non nutrire
cor, cum cor à sanguine coronali
vena contento nutriatur, sanguis ta-
F men hic crassus cum sit, a natura in
cordis ipsius priore ventriculo contentus,
ut ipsum cor in medio thoracis recte
stare facit, contigit, quod crassior,
quam deceret evaderet, id quod attestabantur,
tempus fovens sanguinis
crassitiem, & rerum melancholicarū
longus esus, cordis dolores & ipsius
nocturnæ diuturnæque angustiæ, ac
pressiones, quibus favebat viscida pituita
ore ventriculi contenta, quā linteolo
fricata lingua, nobilis vir hic evomebat.
Cæterum ut nobilis vir hic ab
hac affectione evaderet, sic curationē
C orsi sumus. Recipe Floris cassiæ noviter
extracti drachmas sex, pulveris senæ
præparatæ drachmam unam, electuarij
lenitivi unciam mediam, pulveris
seminum anisorum scrupulum
unum, saccharo omnia excipiantur,
& fiat bolus, detur ante cibum duas horas,
quo multa egessit, nigra, & aquosa,
pauca vero viscida, sequenti vero
die, hunc descripsimus syrupum. R.
Radicum buglosi, borraginis, petroselini,
ana unciam mediam, senæ, epi-
H thymi, ana drach. tres, polipodij quercini
recentis unciam unam, glicyrrhizæ
rasæ, & recentis unciam mediam,
hyssopi herbæ, absinthij, an. pugillum
medium, pomorum appianorum, numero
sex, seminis anisorum drachm.
duas passarū de corinthio uncias duas,
corticum myrobalanorum indorum,
chebulorum, ana drachm. duas, in libris
quinque aquæ fontis, fiat decoctio
ad consumptionem tertiæ partis, & coletur.
Recipe prædicti decocti, unc.

quinq.

quinq. syrupi de pomis compositi unc. unam, oximellitis unc. mediam, misce fac syrupum, & ieiuno stomacho, propina, & repetatur sæpe. Porrò secundo die, hirudinis tres venis hæmorrhoidalib. apponi iussi, quas per mediũ, cũ primum tumescere incipiebant, calente supposita aqua, præscindi fecimus. Ita enim per medium sectæ hirudines, avidius & magis atrahunt, dein verò iterato pharmaco ex rhabarbaro, Ægyptiæq. siliquæ atramento cũ hieræ picræ specieb. melius habuit, nõ ab re tamen fuerat, sanguinem ex interna brachij vena ob sanguinem crassum corde contentum, demere. Cæterumquia per mariscas extractus sanguis multum attulit iuvamenti, ab ea destitimus evacuatione, tunc vero foris ventriculus ipse quodam inungebatur linimento, & singulis auroris rotulum unum vel alterum diarrhodonis abbatis, ægrotus comedebat, habet autem linimentum sic. Rec. Pulveris comæ centaurij minoris, absintij, farinæ loliaceæ, an. unciam mediam, seminis cumini, anethi, apij, fęniculi, an. drach. unam, & mediam, scinanthi, spicæ indicæ, mastichis, an. drac. unã, oleorum laurini, rutacei, anethini, absinthini, an. unciam mediam, vini optimi unciam unam, & alterius mediã, misc. & ad ignem secundum artis ministeriũ cum cera fiat linimẽtum, quo succida lana excepto, os ventriculi fovebatur, præmisso antea fotu ex fomento prædictis rebus, & similibus apparato. Cæterum eo tẽpore, quo fotus, & inũctio fiebat, durities, & tensio perceptę, aliquantulum circa ipsum os vẽtriculi dolebant, demũ cum sic incideremus, elapsis octo dieb. iam nihil dolebat, immo durities & tensio illa, ex toto extirpata erat. Sed audi, à devorato rotulo illo diarhodonis vinum pitisabat generosum, tũc vero post extirpatam tensionem & duritiem, ut ventricul⁹ robustior evaderet, sacculum hunc parandum curavimus, qui habet ita. Re. Absinthij, menthæ siccę, rosarum siccarum, anisorum, ana unciam mediam, A specierum aromatici rosati drachmas duas, mastichis, macis, thuris, an. drac. duas, & alterius mediam, spicæ, nardi, scinanthi, cariophyllorum, cinnamomi, an. drachm. unam & alterius mediam, galangæ minoris, drachm. tres, galliæ moscatæ Mesuæ drach. unam. Omnia terantur, & fiat pulvis, ex quo paretur culcitra zendalo rubro cõsita, & intercipiatur, quam generoso vino irroratam ventriculo admovebat, & rectè valebat: victus huic carnes perdi B cis sunt, aut pulli, circa potum verò scire licet, quod hic postquam ab hinc sexennium Constantinopoli podagra correptus fuit, vino abstinere sibi proposuit, unde abstemius evasit. Cæterum, ob ventriculi imbecillitatem, & humoris atrabiliarij redundantiam, me authore, victus rationem mutavit, & pauciferum vinum ebibere cœpit, à cuius potu, ut ille aiebat, melius habebat, & ventriculus rectius concoquebat. Porrò exacto mense uno vel altero, animi excandescentia correptus, in podagram recidit, mirum dictu, ut C nunquam vir hic in podagram incidat: ni primo ira, aut mœrore corripiatur. Contra podagram itaque morbum remedia adhibere instituimus: erant nanque illi ad digitum crassum inflati pedes, & in suris contractio quædam nervorum percipiebatur, leviter nanque dolebat, & ab ore multã salivam reiectabat, dormiebat verò suaviter, & ciborum paulò iusto erat appetentior, alvum non iuxta respondentem alternis diebus infuso lavabamus. At, quia topica remedia adhibe- D re sibi nunquam permisit, ad hoc sequens decoctum recurrimus, quod habet. R. Radicũ buglosi, endiviæ cichoreæ, ana unciam unam, rosarũ siccarũ, pugillum medium, passarum unciam unam, polipodij quercini recentis, & contusi uncias duas, hordei integri unciam unam, florum cordialiũ omniũ pug. unũ, in libris quinq. aquæ fiat decoctio quousq. remaneant libræ tres, & coletur, cui adde syrupi rosati de rosis siccis uncias duas, syrupi rosati

solutivi, uncias duas, & alterius mediã, misce, fiat potus longus, de quo singulis diebus ieiuno stomacho, singulas octo uncias calidas bibat. Hoc etenim decocto, destillatio a capite illico coercita fuit, & alvus recte respondebat, tandem intra viginti dies, a podagra sanatus est. Cæterum in huius morbi inclinatione pedes lavati sunt: & ab eis ungues, & crustosæ superfluitates plantis hærentes, cultro præcisæ, habet autem lavacrum hoc modo. R. Summitatum myrtillorum, rosarum rubearum, balaustiorum, ana pug. unum, camemelæ pug. medium, nucum cupressi numero sex, in libris octo aquæ, & duabus vini rubri optimi stipticitatẽ præseferẽtis, misce, & fiat ebullitio sufficiens, & fiat lavacrum, quo universa curatio clausa fuit. Cæterum ut hic ab ovis abstineret suasi, veluti a rebus aperiendi vim habentibus: familiarem tamen sibi orizam haberet, veluti similaginem, & farrum, malvam, mercurialem, betam, pruna, caules, & ex carnibus, optimas permisi, vinum porrò, ut dixi, fugere sibi proposuerat, cuius loco aquam mellis introduxit, sic a nobis apparatam. R. Coriandri præparati, unciam unam, in libris decem aquę fiat decoctio sufficiens, & coletur, cui decocto adde, mellis despumati optimi libram unam, ad ignem lentum coque sufficienter, semper spumam demendo, vel loco mellis cõmunis, mel salviatum mittebat, quod ita meis mã datis parabatur, mellis optimi rutuli, & recte despumati libras vigintiquinque, accipito, in quod, florum salviæ recentium libras quindecim, per horas vigintiquatuor, macerari finito, ac postea florib. ipsis torculari optimè expressis, & abiectis, iterũ totidẽ florũ salviæ libras prædicto melli adjicito, & per vigintiquatuor quoque horas maceratos finito, & ut primo torculari exprimito, & postea abjicito, quod & tertio repetito, quod mel tandẽ per colum laneum trajicito, & ad ignem ad moveto, & coqui finito, quousq. syrupi rationem obtineat, aliter autem ob hu- E miditatem a floribus contractam, brevi mucidum evaderet, & non perduraret, sed corrumperetur, ex hoc igitur salviato melle, aquam mellitam parat quam sibi familiarem habet, & ea per totum annum utitur, & basilice valet, quod vero ab animi affectionibus fugiat, illi cura est, quoties autem excandescit, illico podagra afficitur.

F *Curatio* 34. *De puero sæpe in febrem cum vermibus propter obstructiones, & malum vitæ regimen incidente.*

IVnius Gradius Patritij prædicti nepos, optimæ habitudinis puer annos natus octo, varijs quum cibarijs, & fructibus autumnalib. multis indiscrete, ut à voracib. pueris fieri solet, vesceretur, in mesenterij & venarum G meseraicarum obstructiones lapsus est unde febrim per intervalla patiebatur, cum qua & vermes multos sed parvos egerebat, ad umbilicũ dolebat, & tactu eo in loco obstructiones esse percipiebamus, subduriusculus nanq. loc⁹ quadã cũ tensione erat, pro quib. omnibus deponendis affectionib. optimo victus ordine constituto, & à fructib. & rebus, obstructionem parientibus alienato, sic orsi sumus. R. Floris calsiæ noviter extracti unciam mediam, specierum hieræ picræ drachmas duas, pulveris glycyrrhizæ drachmam mediam, misce fiat bol⁹, quo recte egesit, H postea verò syrupũ hunc descripsim⁹. R. Radicis petroselini, apij, graminis, rusci, fœniculi, ana drachm. duas, sem. rusci unciam mediam, capillorum veneris, corallinæ, ana pugill. medium, senę drach. unam, polipodij unciam mediam, passarum de corinthio unc. unam, libris duabus aquæ fontis excipiatur, & fiat decoctio secũdũ artis pręcepta, ad consumptionem tertiæ partis

&

& coletur. R. Prædicti decocti uncias tres syrupi de duab. radicib. unciam unam, misce fac syrupum, quem continue interim dum decoctum duraverit, item, foris locus prædurus sequenti unguento inungebatur. Recipe Succi absinthij, apij, cichoreæ, petroselini vulgaris, foliorum raphani, an. unciam mediã, olei capparorum, amygdalarum amararum, ana drachm. sex, pulveris cæterach. capillorum veneris, corticum radicum capparorum, camæmelæ, ana drachm. unam, ceræ quantum sufficit, misce fiat unguentũ molle, quo bis in die venter illinatur, porrò, ebibitis quinque syrupis, & nõnulla apparente, concoctione materierum, hoc ebibit pharmacum. Recipe Rhabarbari optimi, & pisti per noctẽ infusi in uncijs duabus destillatitiæ fœniculi drachmam unam, in aurora fiat expressio fortis, & prædicto diluto, adde, mannæ electæ unc. 1. & alterius mediam, electuarij lenitivi, drachm. duas, cinnamomi scrupulũ med. iuris pulli parũ, misc. fiat haustus unus, detur in aurora, & supra dormiat, quo alvus recte respõdit, & optimè valuit, ad aliquot tũ dies, singulis auroris sĩgulos rotulos drachmales gustabat. Cæterũ puer hic quũ manus verrucis varijs, & ingentibus satis fœdatas haberet, ignitis sarmẽtis dextræ adhibitis, absq. dolore ullo, intra octo dies sanus, & ab hoc fœdo vitio liber, & immunis evasit.

Curatio 35. De febre cum dolore, ad costas nothas, simul quod cucurbitulæ secta cute, morborum initio recte exerceri possunt.

HVius ancilla muliercula Illyrica, annos nata sex & quadraginta, quæ byzantij apud Hæbræum Hispanum servitutem servivit, febri laborabat continua, qua & caput continuo

A dolebat, & per universum corpus lassitudinem persentiebat, & ad costas mẽdosas dextri lateris dolorem patiebatur, ad quam vocatus medicus, cucurbitulas secta cute scapulis affici iussit, & sanguinis uncias quinque demere, cũ tamen antea duos dies, medicus hic cum apud Stephanum Mensæum Patritium, qui male habebat, essemus, & propositum à me esset, de affigendis cucurbitulis scapulis cum scarificatione, firmiter contendebat, Galenum nunquã usum fuisse cucurbitulis, stante repletione, ignorabat autem ille Galen. doctrinam, ut qui cucurbitulas eo in casu, siccas quod aiunt, absque sanguinis extractione, abneget,

B secus autem cute secta, & extracto sanguine, id quod Avicenna interpretatus est, candidè cum dixerit, cucurbitæ cum scarificatione, vicariæ sunt phlebotomiæ, proinde hic doctus factus mulieri huic cucurbitulas secta cute affigendas curavit, & sanguinis uncias quatuor demere, ad quam sequenti die accersitus ego, eam prædicta febre continua laborantem inve-

C ni, cum qua & lotium crassum rubrũ apparebat, & dolor ad nothas costas dextras eam vexabat, qui dolor non a phlegmone, vel pleuritide, ortũ trahebat, sed potius à flatuoso quodam spiritũ eo in loco occluso, malam qualitatẽ, & solutionẽ continui inducẽte, quãquam, ut verum fateamur, & ad Galeni mentem loquamur, alterum horum sæpe sit satis pro inducendo dolore interno dicamus, secus autem in externis doloribus, in quibus & mala qualitas & solutio continui semper necesse

D est reperiantur & concurrant, unde Galenus in sua doctrina, alterum horum per se natum esse introducere dolorem quandoque meminit, præcipue quando de internis dolorib. corporis interiores partes occupantibus loquitur, cum à minori causa, & facilius alterari possunt interiora, quam exteriora. Sed hæc, quasi per transennam sint dicta, & ad institutum nostrũ revertentes, dicamus, quod dolor

mulierem hanc infestans, à frigore tã quam a causa procatarctica sanguinẽ movente ortum traxit, vigebat autem hyems. Ijs igitur perpẽsis, iussimus, ut hæc vini loco, aquam decoctionis cinnamomi pro potu haberet, in victu verò offam iure pulli intinctam, & parũ martij panis comederet, instituimus. Cæterum locus dolore affectus ex unguento anodino dolorem sedante, & resolvente illinebatur, demum humoribus per syrupos ebibitos præparatis, ad expulsionem, concoctione apparente, pharmaco purgata est, & melius habere dixit, postea tamen ad cutem exanthemata, qualia ex sanguinis redundantia oriri solent, floruere: error nanque fuit, quando cucurbitulæ admotæ fuerunt, vena secta non fuit, & sanguis abundè extractus, præcipue ex interna brachij eundem locum affectum respiciente, ut cunq. tamen septimo die, recte valuit, & nunc firmata valetudine utitur.

Curatio 36. de muliere continuo febriente cum tussi, & purulento screatu.

VXOR Georgij a Martinis, civis Ragusini, aliquando sanguinem ex pectore reiectaverat. Cæterũ nunc continua febre laborat, tussiebat & screatum purulentum mittebat, & ad pectus dolebat, huic occurrentes nos, cum sanguinis missionem renueret, ab ebibito pharmaco manna composito, melius habere visa est. Cæterum duobus elapsis mensibus, phthisi consumpta, diem suum obijt, contraxerat autem, ut intelligo, à matre morbum, ex quo quoque decesserat.

E

Curatio 37. de muliere pariente geminos, marem & fœminam, quæ non recte purgata est, unde diem suum obijt.

VXor Michaelis Scipionis Bonij, ex patritia Ragusæorum familia, annos nata sex & triginta, Gemino, peperit facili, ut ab obstetrice percepi,
F partu, marem & fœminam, ex quibus mas illico obijt, fœmina superest. Cæterum hęc nono a partu die, quum suo, & assistentiũ mulierculatum iudicio, abunde purgata videretur, febri continua corripitur, qua & per intervalla nõ mente cõstabat, sed multa effutiebat, & delirabat, non sitiebat, nec eius lingua admodũ arida aut denigrata erat, nõ egerebat sua spõte, sed irritata balano, aut clysteri alvo, est sane febris hæc synochus, ortũ a sanguine menstruo cotyledonib. retento, & putrefacto, habens, qui per putidos fumos cõ-
G tinuo cor petens, & lancinãs, febrem hanc gignit, & inde caput obrepens, & animales spiritus male afficiens, delirium parit, non sitiebat, nec linguam aridam, aut denigratam habebat, ob nimiam humiditatem capite, & stomacho contentam, cum quib. continuo vigilabat ob calidos, forte & siccos cõtinuo ascendentes fumos, qui cum malam qualitatem in ipso capite imprimerent, & membranularũ distensionem facerent, dolorem continu-
H um inducebãt, quem ipsa persentiebat, ad eam igitur accersitus medicus de sanguine detrahẽdo, ex saphena cõtẽdebat, quod cum ab illa impetrare nõ posset, erat enim valde timida, venæ sectionis vice ad varia cõvertitur remedia, nam frictionibus, retractionibus, cucurbitulis, non minus syrupis aperiendi, & menses educendi facultatem habentibus, non admodum tamen natura calidis utebatur, quin & membrorum extremitates fomẽto infrigi-

A infrigidandi, & somnum conciliandi vim habente irrigandas iussit, ad hæc temporibus unguentum populeum naribus, auribus, & brachialib. postea illi ni curabat, docte admodũ morbi causam, & febrim, ac symptomata conside rans. Nã morbi causa, sanguis obstructus & retentus, ac refrigeratus ipsis in cotyledonibus est, qui provocatione, incisione, apertione & subtiliatione indiget, pro quibus complendis operationibus, medicamentis calidis indi
B gemus, quæ dubio procul febrẽ acriorem reddunt, intendunt, & symptoma ta omnia augent: & consequens mulie rem hanc in delirium maius traherẽt: unde de phrenetide timor erat, quod si contra febrem tentare proposuerit, frigidis utatur decet, quæ sanguinem densant, meatus obstruunt, & morbi causam fovent magis, & augent. Ad hanc igitur vocatus ego quinto die morbi, eam eo dicto modo afflictam inveni, cui vires utcunque constabant,
C & ad ea, quæ illi offerebantur, recte se habebat: eius tamẽ lotium crassum, turbulentum, & subnigrum, quantitate multum erat, quod menstrui sangui nis substantiam præseferebat, unde quum mulierem hanc ita afflictam cõ sidero, quæ ob timorem sanguinis detractionem (secta vena) renuebat hæ morrhoidibus, quas pati solebat, & mulieres assiduo parere solitæ sæpe in currunt, quatuor hirudines admovere, & eas semiplenas per medium secare curavi, ac perforata sella sedens ad calentis aquæ vapores ferè libram
D sanguinis fluere permisimus, tunc victus huic ptisanæ cremor mistus pulli contuso multo semine melonis apparato erat: potus vero hordeacea ex pullo nõ admodum discocta, sed ea nocte parum dormivit, & multum deliravit, & floccos ab stragulis evellebat, & festucas colligebat, & manus sepe porrigebat, & eas ita contrahebat, & evertebat, ut exteriores articulorum partes intus converti viderẽtur, spasmosum nanq. motum patiebatur, nã à lecto nun quẽ quieta manebat, porro media no-

cte huic ius pulli, aut simile offerebatur, & in aurora syrupũ hunc bibebat. R. Capillorũ veneris manipulũ medi. seminis melonis, citruli, cucubitæ, omnium mundatorũ ana drach. duas, radicis endiviæ, buglosi, petroselini, ana drach. unam & mediam, hordei pugillum unũ, cichoreę manipulũ med. pru norũ pinguiũ numero decẽ, florũ cordialium, an. pugillum mediũ, in libris tribus aquæ fiat decoctio ad consumptionem tertiæ partis, & coletur. R. Prædicti decocti unc. quinq. syrupi de duabus radicib. de cichorea, oximelitis an. unc. mediam, misce, fac syrupum, nam tunc melius habere visa est, & ante prandium iuris & femorib. frictiones exercebantur, & cucurbitæ scapulis veluti brachijs retractiones, & ligaturæ adhibebantur, & tunc lotium clarius apparuit, & febris minui cœpit, & non delirabat, & quæ illi offerebantur, comedebat, imo tunc conquesta est, quod à tam multis remedijs illi adhibitis fuerit vexata: septimo non dormivit, sed delirabat, qua de re, oxirhodinum capiti applicitum fuit, & pessus ex suc co mercurialis & mytridaceo antidoto consitus, ad os uteri intromissus est, tunc in lecto meiebat, & conspurcabatur. Cæterum à prandio febris intensa est, sed vesperi remissa. At ante cœnam clysterium paratum fuit: quo immisso, ęgre tulit, imo in animi deliquiũ devenit, adeo ut eam emortuam assistentes putarẽt, sed postea optimè egessit, & ita recte habere visa est, acsi nihil mali haberet, optimè loquebatur, & febris lenis & remissa erat, & de cõvulsivo motu nihil tũc in arterijs, aut manib. percicbatur, postea tandem ita pissimè habuit, ut frictiones, & retractiones ante cœnam solitas, assistentes mulieres pręter mitterẽt: imo tunc parum cœnata est, & à cœna duas horas, requiei Nicolaì descriptione drac. unam, et alterius mediam ex lactucæ decocto ebibit, et unguẽto somnũ evocante, tempora, aures, nares, frons, et brachialia illinita sunt, quibus etiam totam noctem non dormivit, unde a

pharmaco, quod illi ebibendum decreveramus, abstinuimus, octavo omnia in delirium versabantur, & urinæ excretionem absq. recordatione patiebatur, parum loquebatur, sed contractis manibus floculos colligebat, tunc abrasis capillis, irrigatione somnum conciliante caput irrigabatur, quæ habet. Rec. Hordei mundi, florum nenupharis, foliorum lactucæ, endiviæ, portulacæ, ana pug. unum, hyosciami pug. medium, rosarum, violarum, anethi viridis, ana manip. unum, corticum radicis mandragoræ unc. mediam, calicum papaveris albi & nigri cum suis seminibus, ana numero tres, sem. lactucæ, portulacæ, endiviæ, ana unc. medi. camæmellæ pug. mediũ, in libris duodecim aquæ fiat decoctio secundum artem, & spongia nova ex alto caput irroretur, ad minus per mediam horã, tandem absterso capite, illinatur hoc unguento. Recipe Vnguenti populeonis unc. unam, olei violacei, ana unc. mediam, opij grana quinq. aceti drac. mediam, succi hyosciami, pulveris radicis mandragoræ, an. drachm. unam, sem. lactucæ, portulacæ, pulveris camæmellæ ana drachm. unam, & mediam, ceræ parum, ad ignem secundum artis ministerium fiat linimentum, quo & tempora, & nares, & aures, & brachialia illinebantur: imo spongia linimento imbuta ad nares apposita est, quod si tunc mandragoræ, aut eius generis varij pomum aliquod luteum habere tur prope nares admitteretur. Cæterum cum hæc agerentur, destillatitia ex capo aqua illi bibenda offerebatur, quemadmodum iam antea institueramus, veluti & pulli contusum hordeaceç ptisanæ admistum, sed hæc somnũ nunquam conciliare potuerunt, proinde ad clysteres sic confugimus. R. Corticum mandragoræ unc. mediam, hordei mundi pug. unum, calicum papaveris cum suis seminibus, numero tres, seminis endiviæ, lactucæ, portulacæ, ana drach. duas, foliorum violarum, malvarum, ana pug. unum, in libris tribus aquæ fiat decoctio ad consumptio-

E nem tertiæ partis. R. Prædicti decocti uncias quindecim, olei rosacei, violacei, nenupharini ana unc. unam, sacchari unc. unam, casiæ extractæ unciam unam, salis drachm. unam, ovum integrum optime conquassatum unum, misce, fac clysterem, nono die, omnia eadem erant, in quo lunæ coniunctio soli vigebat, quo factum est, ut syrupũ de papavere compositum cum decocto lactucæ, & foliorum & florum nenupharis, post cœnam ebiberet, aut eius vice, requiei Nicolai descriptione drachm. duas, decocto lactuçe, & flo-

F rum nenupharis, cum calicibus papaveris, parato exceptas, assumeret, & interim quum hæc exercebantur, sequẽtem syrupum bibebat. Recipe Syrupi de acetositate citri, unciam unam, de succo acetosæ unciam mediam, decocti florum nenupharis, lactucæ, acetosæ unc. quatuor, misce. Cæterum febris hæc varie habebat, cum quandoque eodem die insurgebat, & valida ac intensa apparebat, quandoq. vero deprimebatur, & remissa percipiebatur, adeo ut eodem die, ternas & quaternas mutationes febris hæc faceret, unde

G mihi in mentem venit Hippocrates libro primo Prorrhetici textu 27: dicẽs, Frequentes in phreneticis permutationes convulsionem indicant: erat autẽ mulier hæc convulsione (ut dixi) maxime affecta. Cæterum Galenum aliter Hippocratem interpretari in iis citatis verbis me non latet, nec enim credere est, febris varietatem hanc, ex varia febriũ cõplicatione gigni. Demũ, cũ hæc vigil semper maneret, morb.

H increbuit, & prçvaluit, eius viribus succumbentibus, adeo ut illi phrenitis cõfirmaretur, duodecimo die huic crura frigida ac emortua sunt facta, quia à caloris fonte longinqua, unde pedũ arteriæ motus, quæ ad digitũ magnũ percipiũtur, deficiebant, & nõ apparebãt, demum tertiodecimo die, suum diem obijt, apud me tamen opinio semper fuit, quod mulieris huius morb. ab ipso die partus cœperit, nam & amaricatum oris, & febrim, & corporis

totius

totius lassitudinem illico persensit, quæ omnia mulieres assistentes in lactis generationem rejiciebant.

Curatio 38. de papillarum dolore, & earundem scissuris, ac contra eas remedio.

ENixæ mulieres, post partum sæpe conqueri solent de papillarum dolore, & earundem scissuris: pro quo levando malo, nullum præstantius, nec votis magis respōdens remedium. hoc uno infra scribendo comperi, quod habet. Recipe, unguenti populeonis, de plumbo ana unciam unam, opij thebaici grana quinq. misce, fac unguentum, & eo inunge mamillarū papillas, quas quum mulier puero lac dare voluerit, vino diluto lavet, & postea iteret: est sane remedium hoc certum & indubitatum. Cæterum uxor Salomonis Erguij dolore & scissuris ingenti cum febre torquebatur, cui bis vena secta fuit, & sanguis abunde extractus, & inde admoto topico remedio citato, brevi sanitatem adepta est.

Curatio 39. de splenis duritie, ex quartana contracta.

QVI ex Thessalonica ad me venit, mercator cognomēto Crispinus, natus annos triginta, temperatura biliosus, coloris nigelli, lienis magnitudinem ingenti cum duritie patiebatur, quam ex quartana olim habita contraxerat: solet autem splen, ut nostis, obstructionibus, & scirrhis facile tentari: præsertim ijs in corporibus, quæ quartana longa laborarunt, & gelidam multam biberunt: nihil enim spleni male affecto magis adversatur, quam aqua: qua de causa suadeo, quoties Medicus quartana laborantem sibi curandum

A proposuerit, cuius quartanæ lien fons & origo sæpe est, aut induratos lienes minuere decreverit, quod ægrotantes non solum ab aqua abstineat pura, sed etiam ab stillatitijs herbarū curet: quarū vice, decocta ex ipsis herbis ad rem faciētibus parare facillime poterit, quæ per se propinari possunt, vel syrupis misceri: sed hæc tanquam dicendorum præfatio sit, cum multa & pulchra pro liene curando in scholio habebis. Hūc igitur curaturus, sanguinis missione omissa, ut quæ huic casui tunc non conveniebat, sic orsi sumus. Constituta primo optima victus ratione, quæ extenuans esse debet. Nam Galeni præceptum est, ex libro undecimo Methodi med. decerptum, & à Medicis in usum praxis adductum, & hodie observatum obstructa non sunt aperienda priusquā plenitudo vacuetur, & quoniam purgatio non recte celebratur ante corporis præparationem, iuxta illud Hippocratis satis triviale, cum quis vult purgare, oportet prius fluida facere: proinde hūc ad evacuationem primo præparatum purgavimus: sic autem evacuationi prę C paratio anteivit. Reci. Herbæ fumiterræ, lupulorum, scolopendriæ, capillorū veneris, ana pugillum unum, cuscutæ, betonicæ, ana pugillum medium, epithymi drachmas duas, seminis anisorum, fœniculi, ana drachmam unam, & mediam: in libris aquæ tribus fiat decoctio secundum artis ministerium, ad consumptionem tertiæ partis, & coletur. Recip. Prædicti decocti, uncias quatuor, syrupi lupulorum, de fumoterræ, syrupi acetosi diarhodonis dicti, ana unciam mediam: misce, & fac syrupū, D & donec decoctum perduret, iteretur: postea vero bolum hūc illi obtulimus, qui habet. Recip. Electuarij lenitivi unciam mediam, agarici recens præparati scrupulos duos, confectionis Amech. drachmas tres, saccharo omnia excipiātur, & fiat bolus, quem in aurora, ut decet, capiat, quo alvus recte respondit: Cæterum, post hæc peracta, ad lienem ipsum induratum emolliendum, & minuendum, universus noster conatus versabatur,

versabatur, non solum intus exhibitis, sed foris admotis: proinde sic descripsimus. Rec. Corticis thamarici, radicum capparorum, ana pugillum unum, radicum fœniculi, apij, rusci, asparagi, ana unciam mediam, seminis anethi, fœniculi, apij, anisorum, carvi, foliorum matris sylvę, periclymeni dictæ, ana drachmas duas, senæ unciam mediam, polipodij unciam unam, cuscutæ, epithymi myrobalanorum indorum, citrinorũ, chebulorum, ana drachmas duas, herbæ ceterach. manipulum unum, libris sex aquæ omnia excipiantur, & ad ignem fiat decoctio ad medias, secũdum ordinem pharmacopolim, & coletur, cui postea adde aceti acerrimi uncias tres, & iterum ad ignem parũ ferveat, ex quo in aurora uncias septem, vel octo, ieiuno stomacho, bibat, & totidẽ ante cœnam duas horas, quia eius ventriculus optimè ferebat, & ad oblata recte se habebat, successu vero temporis huic apozemati aceti scillitici portiunculam addebamus, Galeni præceptis innixi, libro de Facultatib. simpl. medic. quinto, capite undecimo, sed extrinsecus, fomentum ex multis citatis herbis, & flore genistæ, semine lini, fœnugræci, malva, radice altheæ, ireos, cucumeris asinini, absinthio, cuscuta, asaro, flore chamæmelæ, meliloto, semine anisorum, fœniculi, carvi, aqua & aceto incoctis quoque parabatur. Sæpe autem dixi, acetum tam intus quã extra spleni maxime convenire, & opitulari, ut Galenus sæpe docet, præsertim citato à nobis loco, post forum vero lienem, & recte abstersum, atque optime frictum, ammoniacum aceto dissolutum ad unguenti formam redactum, & lana succida exceptum, superponebatur, quod medicamentum in emolliendis huius visceris duris tumoribus, Galenus summopere laudat, & nos ipsi præstãs esse, sæpe experti sumus. Sic enim Galenus libro quartodecimo Methodi medendi, capite quinto, inquit. At in liene & carnosis musculi partibus scirrho affectis, tutus aceti est usus, quippe raræ sunt naturaliter hæ partes, nec est quod

E metuas, ne quis nervus eius vi lædatur, ac ammoniaco quidem thimiamate cũ aceto, etiam alij non pauci lieni imponentes utuntur, ad luti, scilicet crassitudinem, quod ex utrisque mistum est redacto, idque solum ei curãdo satis fuit, & cætera, quæ Galenus inibi tradit. Porro, splenem quoque fovere aceto acerrimo, in quo marchasita dicta lapis pyritis candens, & ignita extincta fuit, spongia vel filtro exceptum ad Galeni mentem optimum est remedium, non minus vinum decoctionis radicum filicis ad medias, & ebibitum per viginti

F dies splenis duritiem minuit, Galenus quoque lib. 2. artis curativæ ad Glauconem, cap. 6. tradit, lienem aut flatu, aut scirrho facile affici: quocirca, quum flatu lien, at potius ædemate tumuerit, absinthio perfundi postulat, ac postea emplastro foveri ex sulphure & plurimo alumine constante. Quod si scirrho liẽ occupetur, digerendi facultas præpollere debet, astringendi verò exigua portio admisceri, ut in flore salis exterius supra ipsum lienem lineo panno excep

G to, & applicito, reperitur. Cæterum horum remediorum meiori parte, nos pro liberando hoc Hebræo usi sumus, & sanus evasit, victus huic extenuans erat ex rebus, quæ facillime cõcoquuntur, & succum bonum, & tenuem adgenerant: potus verò, vinum erat ex decoctione asplenij herbæ, dictæ citrach.

SCHOLIA.

Lien viscus est, ex ijs quæ sanguinem expurgant, ut Hippocrati & Platoni placet, referente id Galeno lib. 2. de Facult. naturalibus, cui insita vis est melancholiam ad se

H *trahendi, non propterea humore crasso nutritur, sed verius nigro subtili: subtiliori autem succo lien nutritur, quam iecur, ut aliàs ex Galeno dixi, qui lien per intestina expurgari debet, non vero per vias urinæ, ut Galenus candide docet, libro methodi medendi tertiodecimo, ad hunc modum dicens. In liene vero alteram duntaxat esse superflui vacuationem, cum quæ per renes agatur nulla huic visceri vacuando via pateat, proinde ubi phlegmonẽ premitur, deiectorijs id medicamentis, tam*

detergemus,

detergemus, tum lacessimus, quo remittat deponatq. superflua, & cætera. Per quæ verba Galenus satis clare docet, quod à liene ad renes nulla pateat via, per quam purgari possit, sed magis ab ipso liene ad intestina, ac ea de causa per clysteres & medicamēta alvum purgantia, Lien curatur, unde Martinam Achachiam, & Andream Lacunam Secobiensem, ac plures alios viros doctissimos in hac re hallucinatos iudicamus: ij enim libro secundo de arte Curandi ad Glauconem capite 2 lienem cum renibus per meatus urinarios purgandum esse, literis mandarunt, quod quantum errent, & à Galeni mente devient, paucis indicemus, Acachia nanque qui Galenum citato libro vertit, & commentarijs illustriorem reddit, ita citato loco habet, quod verò in gibbis iecoris per urinas, simis verò partibus per alui excrementa ducere oporteat, visceris ipsius situs indicat, quodque thoracem ac pulmonem tussi repurgare conveniat, ventrem ac stomachum vomitu, interanea alui deiectione, quemadmodum lienem quoque & renes per urinas, hactenus Galeni per Achachiam versio, qui lienem una cum renibus per urinas purgari debere, ait. Andreas Lacuna, vir doctus, in suo brevi loquo Galeno, ita quoq. habet, ventriculum, & stomachum expurgabis per vomitum, intestina per deiectiones, quemadmodum per urinas & splenem, & renes. Hæc Lacuna ex Galeno, quæ perinde sunt ac ab Achachia tradita, sed quanta inadvertentia, vel ex citato à nobis Galeni loco, libri 13. methodi medendi, satis clarum evadit, & eo magis si cum Lacuna locum legerimus, ut in suo breviloquo Galeno legitur, sic, lieni sanè per renes nulla administrari potest vacuatio, sed tantummodo per intestina, & cætera, ijs enim verbis luce meridiana clarius claret, lienem per intestina repurgari debere, non verò per urinas. Cæterum unde docti viri ij errorē traxerint, paucis aperiam. Leonicenus vir, cui mortales multum debent, ut qui ex densissimis tenebris artem medicam in lucem revocaverit, ita elegantissimè primò locum hunc Galeni interpretatus est, & quidem laborantibus gibbis epatis partibus, quod per urinam trahere oporteat, concavis autem per excretionem inferiorem situs ipse visceris indicat, atq etiam thoracem & pulmonem per tusses expurgare, ventriculum autem & stomachum per vomitus, intestina autem per inferiores excretiones, quemadmodū & splenem, & renes per urinas. Hactenus Galenus, interprete Leoniceno, quibus in verbis, primæ facie videtur asserere, splenem veluti renes per urinas repurgandos esse, sed mea sententia, longe aliter Galenus sentit, & Leonicenus interpretatur, quoniam sic hoc loco Galenus legendus venit, intestina autem per inferiores excretiones, quemadmodum & splenem, ut finis sententiæ & punctus hic sit, & postea sequatur, & renes per urinas. At, cum viri ij hæc minus advertérent, in errorem lapsi sunt, parum alioquin Græcanicum exemplar curantes. Receptui igitur canentes, dicamus, Lien per intestina purgari debet, non vero per vias urinæ.

Curatio 40. De muliebri fluore, à multa pituita veniente, cui febris pituitosa continuò complicata erat, à ventriculi, veluti & ipsius uteri frigida intemperie, ortum trahente.

VXor Natalis proculei, patritij ragusini, uteri fluore pituitoso febri pituitosæ cōtinuæ complicato, iam diu est laborat, est autem mulier hæc frigidæ & humidæ temperaturæ, uterum frigidum, veluti ventriculum & cor habens, obesa autem mulier hæc est, coloris albi, annos nata, vigintiquinq. quæ arterias & venas parvas, nec adeò pulsantes habet, unde cor frigidum esse arguitur, uterum quoque frigidum eam habere, vel ex hoc indicatur, quia in coitu, parum (ut maritus ait) delectatur, & pudenda paucissimis pilis illi decorentur, sed stomachus, sive ventriculus quoque frigidus est, multa redundans humiditate, quam & ipsa persentire aiebat, qua de re, nec cibaria retinet, nec ea rectè concoquit, unde ventriculum intemperie frigida materiali, malè affectum, fontem & originem huius morbi esse dicendum reor, viget nanque pituita in hac muliere, natura pituitosa, hyeme vigente, unde mirandum non est, si ab hac pituita fluor hic ortum traxerit, id quod ex exeuntibus mutatis clarius & evidentius percipitur. Nam sanguis exiens ut ex intinctis sudariolis, saltem exiccatis, percipiebamus, coloris albi est, immò sanguis ipse pituitam

tam viscidam & lentam, præsefert, veluti urina subalbida & aquosa, quando clara & à sanguine immunis apparebat. Cæterum cum ventriculus frigida intemperie laboraret, & refertus multa esset pituita, ingesta non rectè concoquebat, nec iecur exactè ea alterabat, nec in sanguinem vertebat bonum, unde natura eum tanquam inutilem ad cotyledones remittebat, qui eorum oscula suo pondere & mala sorte qualitate aperiebat, & consequens in uteri cavitatem cadebat, & inde foras veniebat, quo assiduo fluxu, venæ ipsæ ad uterum terminatæ cotyledones dictæ, veluti & ipse uterus, indies imbecilliores & frigidiores evadebant, unde non tantum ventriculi intemperie, sed membrum iniuriam fluor hic perseverabat, quem cum multa pituita (ut dixi) crassa & viscida comitaretur, non mirum est obstructiones inde oriri, & tandem ex ea putrefactiones, ex quibus febris pituitosa, lenta, & mitis consurgit, quæ fluorem comitatur. Solent nanq. morbum hunc sævum comitari ciborum inappetentia, & eorum inconcoctio, & iecinoris imbecillitas, unde cachexia, totius corporis malus habitus, dictus morbus pullulat, palpebrarum tumescētia, ac pedum lenis quędam inflatio, & consequens hydrops, ad obitum certa via, ex quibus symptomatis, & malis affectionibus, nullam hucusque evidenter nobilis hæc mulier incurrit, quāquam morbi huius agatur tempus sexaginta dierum. Pro hac igitur curanda nobili muliere, sic agendum decrevimus more Galenico è libro de præcognitione, in Curatione uxoris Boetij consularis Romani, quam ipse Galenus ex simili morbo rebus incidentibus & aperientibus, curavit. Proinde tentatis iam per medicum alium varijs remedijs, nos primo per vomitum evacuationē moliri cœpimus, à qua non adeo frustrati sumus, ac postea decoctum hoc sic paravimus. Reci. Capillorum veneris, hyssopi, menthæ, melissæ, ana pugillum unū, asari, pugillum medium, radicis petroselini unciam mediam, seminis aniso-

E rum, drachmam unam, in libris duabus aquæ fiat decoctio ad consumptionem tertiæ partis, & coletur. Rec. Prædicti decocti, uncias quatuor, mellis rosati colatitij unciam unam, oximellitis unciam mediam, misce, fiat syrupus, quē in aurora ieiuno stomacho, bibat, in cuius potu diu perseveravit, quia eo rectè se habebat. Cæterum singulis diebus, singulos clysteres ei injiciendos curabamus, & ad ventriculum ceratum hoc admovimus. Reci. Ladani optimi & puri unciam mediam, mēthæ siccæ, cinnamomi, gariophyllorum, galangæ
F parvæ ana drachmas duas, rosarum pugil. medium, malobatri dicti folij, quod ex India verum & germanum habemus, drach. mediam, spicæ indicæ scrupulos duos, resinæ, terebinthinæ, ceræ an. partum: ad ignem misce, & fac ceratum, quod in panno cocco infecto ad scuti figuram redacto extende, & ventriculo admove: non minus aliud simile sub umbilico impositum est, veluti alterum ad renum regionē, non tamen ex ita calidis medicamentis compositum. Iis enim ita cœpit valere mulier hæc, ut intra viginti dies ex toto fluor
G cohibitus fuerit, & ipsa à febre immunis evaserit, & pancraticè habuerit. Cibus huic contusum ex pullo erat, super ingestis duobus, vel tribus bolis carnis pulli, & desuper bibebat: bibebat autem aquam decoctionis gariophyllorū, pauca miva cidoneorum adiecta. At, postquam rectè valere cæpit, rotulum unū vel alterum diarhodonis ieiuno stomacho quandoque interdiu gustabat, sed tunc vinum illi rubrum pauciferum &
H optimum concessimus: animadvertant igitur medici, qui omnes huiuscemodi fluxus, medicamentis frigidis & stypticis, tam ebibitis, quam extra applicitis, curare contēdunt, nobiscum autem erat in hac curatione Iacobus Bononiēsis medicus doctus, qui difficulter nobis in propinatione illius citati decocti assentitus est. Ceterum cum rem ad votū succedere videret, acquievit, sunt enim ut videtis omnia decoctum componentia calida & aperientia, quo artificio olim

olim me quoq. curasse adolescentulam quandam Anconitanam memini, ut duodecima Curatione quartæ Centuriæ legitur.

Curatio 41. *De remedio singulari, contra podagræ ingentes dolores.*

QVI podagræ ingentes dolores patitur, capram intra cubiculū suum apportare, ac ex ea lac supra membrum dolens, & malè affectum emungere curabat, quo dolores diminui & meliusculè se habere evidenter sentiebat, nec quidem iniuria, nā lac sic recens emulctum dolores demulcet, & mitigat, ac remittit: est autem remedium hoc Turcarum Principibus commune & familiare satis, à te qui lucrum & honores quæris in prætio habendum.

Curatio 42. *casus mirus de quodam nobili Gallo imaginatricem corruptam habente, & eiusdem curatione faceta.*

IAcobus homo Gallus, & Henrici Francorum Regis in orientali plaga procurator, Argentonij præterea illius qui Gallicam historiam sui temporis præclare scripsit, ut ille ait gētilis, morbo patrio, hoc est, Gallico laborabat, pro quo abigendo, multa & varia remedia frustra expertus erat, in quem, quum extremo hyemis Ragusij recideret, lecto se cōtinebat, nec tantum morbo sed curis etiam gravatus, in melancholiam morbum facile incidit, delirabat autem, & insaniebat cōtinuò, unde in capite morbum & eius causam esse, ac ut aiunt, per primogeniam affectionem, sive proprio affectu caput affici evidens desumitur argumentum, ima-

A ginatricem nanque facultatem corruptam habebat, salva tamen ratiocinatrice, nam abscessum sive apostema ad latus dextrum habere se continuò querebatur, medicumq. qui illum curaret, & aperiret, magna promissa mercede, accersebat: ego cum ad eum venirem, hominem basilica valetudine invenio, facie erat satis vivida, constabant pulsus, taurice comedebat, bibebat galliee, & profunde dormiebat, ab insania tamen nullo modo deduci poterat, claraq. vo-
B ce ab ipso abscessu putridos & mortiferos vapores ad nares sibi levari inculcabat, quodque magis ridiculum erat, sputum albissimum illud quidem, & satis spissum digitis ostentabat, eoque res devenerat, ut testamentum conderet, quæq. illi domi erant, vestem, aurum, equos, & preciosam suppellectilem, vel inter ignotos de manu divideret, nec quicquam sibi præter lagenā reliquit, quam non secus ac elegantem puellam continuo amplexabatur, vino sanè generoso plenam. Ad hunc itaque homi-
C nem sanandum accitus, primum hæc paro. R. Rubi viticosi, zarzæ parrilliæ dictæ, quam hederā spinosam esse olim patefecimus, uncias duas, conteratur, & infundatur per noctē in libris quatuor aquæ, & duabus vini albi, & boni, cui adde, hellebori nigri præparati, præparatum dico, interea dum est viridis, ex eo est cor exemptum drach. tres, senæ, unciam mediam, polipodij quercini recentis & cōtusi, passarum de corinthio, ana unciam unam, epithymi pugillum medium, terantur, & scindantur, & in panno lineo ligentur, & suspendatur in olla, coctionis tempore, ad consump-
D tionem tertiæ partis, & coletur, ex quo decocto, in aurora ieiuno stomacho bibat uncias decem calidas, & ante cœnā totidem, quo bis & ter in die egerebat. Cæterum ex eadem cocta radice, linteo ex contentis abiecto, secunda apparabatur aqua, ad medias cocta, quæ pro diluendo vino, & interdiu bibendo, deserviebat, vel melius ex alia nova radice, aqua pro vino diluendo parabatur, cum ubiq. radix hæc crescat, & vigeat:

restabat

restabat abigenda corrupta illa imaginatrix de infixo ad latus dextrum abscessu, sive apostemate, pro qua profligãda, in mentem veniunt doctorum & sapientum medicorum historiæ, qui etiã insanientes imaginatricem corruptam habentes vario modo curarunt, liberarũtq. Nam Alexander Trallianus vir medicus insignis, & post eum alij varij iuniores multa dicunt: historiam tamẽ texunt hanc. Curabat medicus ægrotũ, cui ob insaniam serpentem se in corpore habere persuasissimum erat, nec ab ea opinione deduci poterat, providus itaque medicus serpentem in lasanum poni curat, ubi vero ægrotus alui onus deposuisset, ille quasi excrementa inspecturus alta voce clamat, serpentem ab ægrotante per inferiores partes eiectũ, magnoq. iudicio virum prædicat, qui opinione sua falsus non erat, habebat etiam medicus nonnullos assistentes, qui partem fabulæ peragerent, & quasi in admirationem ducti, tum demum convaluisse egrotantem dicerent, illiq. magno applausu, vultu, vel bisq. restitutam valetudinem gratularentur. Quid multis? credit ægrotus, & ita ab ea insania liberatus est. Ferũtur & aliæ istiusmodi fabellæ, nec insuaves, nec inutiles, quas enumerare supersedeo, ne lectori fastidiũ pariam. Nũc ad Gallum nostrum: versabatur universa huius insania, (ut dixi) circa abscessum lateri dextro infixum, cum tamen nullum haberet, pro qua levanda ita illi assentiẽs non raro dirum abscessum habere, putidum, & fæculentum inculcabam, in quam sententiam ibant assistentes huius rei conscij, quos ego præmonuerã, pro quo levando emplastra, cataplasmata, unguenta, linimenta, illi loco affecto apponi hac non nisi habita præfatiuncula, curabamus, rudis, & crudus abscessus hic est, quem cum primum ad suppuratione traxerimus, cum postea candente ferramento aperiemus, assentiebatur ægrotus ipse, sed quasi in desperationem veniebat, quod non illico apostema aperiebamus, sed ad triduum opus differebamus, tandem convocatis

E medicis, & chirurgicis, & varijs alijs domesticis huius rei cõscijs, octavo die mensis Martij 1557. lateris dextri falsum apostema aperire, magno ipsius ægrotantis applausu, proposuimus, pro quo conficiundo opere chirurgus candente ferramento locum dextrum superficietenus exussit, ac vice puris fluẽtis, ex scutula liquorem ex lacte & gallinæ sanguine compositum, super respersit, quẽ ægroto postea quasi ex abscessu fluxum indicaret, unde illi saniei admiratus, se sanum clamavit: simulabat autem chirurgus indies bis & ter

F eum curare abscessu magnam puris & saniei quantitatem demere, ex cuius fluxu ægrotus ipse mirum in modum lætabatur, ut qui tantæ saniei extractione, se sanum brevi evasurum credebat, id quod ita evenisse, postea universa Ragusia servavit, fuere autem nobiscũ, ac in nostrum hoc curandi artificium descenderunt Iacobus Bononiensis medicus doctus, & duo dexterrimi chirurgici, Baptista Vanuccius Florentinus, & Paulus Celetanus Neapolitanus.



G

Curatio 43. de morbo Gallico.

THamar Turca mercator ex Pergamo olim opulentissima civitate, & Galeni magni illius patria: nunc verò parvo vico oriundus, Venetijs morbo gallico infectus est, ubi à doctis medicis curatus rectè habuit. Cæterum cum navim vigente hyeme conscenderet,

H ut in patriam se reciperet, Ragusium venit, ubi deterius ab eodem morbo habuit, quam unquã habuerat, membrorum articulos & iuncturas dolebat, sub mento ad collum duritiem patiebatur, & intra os ulcuscula sordida, quæ ad labra pervenerant habebat, cum quibus, caput dolebat, & vigil noctes transigebat: adhæc scabiosus erat, sicca scabie quadam & prurigine universum corpus præhendẽte, & ad pernarum creas dolores ingentes sentiebat, pro quo curando,

rando,

rando, cuidam accersitus medicus ad A triginta dies eum peiori, quo prius statu reliquit, qui quum satis purgatus per illum esset, ut qui singulis diebus singula pharmaca purgatoria illi daret, decoctum guayaci ebibendum illi tradidimus, pauculo hordeo illi adiuncto, præfixa optima ratione victus, semigallinam namq. in prandio accipiebat, aliquando assam, quandoque vero, secundo decocto elixam in cœna, præterea passam corinthiacam, & amygdalas albas, ac nauticum panem secundo B ligni decocto imbutum comedebat. Cæterum durities sub mento habita assiduo lotu primi decocti evanuit, ulcuscula vero intra os ad labra apparentia tãquam aphtas putidas curavimus, decocto scilicet rerum exiccantium, adiecto alumine rochæ usto, & melle rosaceo colatitio, ut vero pernarum dolores levaremus, unguentum paravimus concinnatum ex unguento altheæ & Aggripini, adiecto lithargirio, & pauculo argento vivo, ac exiguo oleo seminis lini, cum pauca cera, mistis, porrò, siccam scabiem cum ingenti pruritu, C ita facile extirpavimus. Recip. Herbæ fumiterræ, rumicis, malvarum, radicis altheæ, camæmelæ, rosarum, ana pugillum unum, senæ unciam mediam, furfurum ligatorum in linteo pugillum medium, excipiantur libris quinque aquæ, & fiat decoctio ad medias, quo decocto scabiem optimè lava, ac postea linteo absterge, & linimento sequenti illine. Recip. Ovorum vitellos duos, olei rosacei unciam unam, olei abiegni unciam mediam, succi extracti ex D duobus limonibus, vel eius vice succi acetosæ unciam unam, cerusæ unciam unam, radicis enulæ campanæ unciam unam, & alterius mediam, in mortario lapideo tere, misce, & fac linimentum, quibus remedijs, intra viginti dies sanus Turca hic evasit.

(§.)

Curatio 44. de melancholia morbo, pendente ab hypochondrijs.

NIcolaus Gozius, ex nobili Ragusæorum prosapia, annos natus viginti, temperatura biliosus, faciem semper admodum rubricantem habens, ventrem vero ita durum & male respondentem, ut non nisi singulis octo vel decem diebus, semel pauca, pilularum caprarum modo, egerat, ad hæc, semper fere hominum conversationes fugiat, nunc mente non constat, & quãdoque febricitat, & ad hypochondria, flatuositates & rugitus persentit. Nam plures ructus, & per inferiora ventum multum remittit, pendet autem morbus hic à melancholia naturali multa hypochondria, sive præcordia dicta occupante, id quod circa ea loca affectionem esse spiritus ad caput ascendens, quem ægrotus ipse primò sentiebat indicat, non minus eructatio, & à cibo vomitus, hoc attestantur pro qua levanda mala affectione, sic orsus sum, primo in mentem revocando, quod perpauci sunt medici, qui sanguinis missionem pro hoc curando, admittant. Avicenna tamẽ eam utcunq. permittit. Cæterum si ea in hoc morbo, & quovis melancholico alio, committenda est, Hippocratis iudicio ex inferioribus potius corporis partibus celebrãda est, magis, quam ex superioribus, cui & ratio suffragatur, inferius dicenda. Nam Hippocrates, libro aphor. sexto, aphor. 21. inquit, in insanientibus si varices, vel hæmorrhoides supervenerint, insaniæ solutio, sunt nanque corporis infimæ hæ partes aptæ, ut per eas melancholicus humor gravis & ponderosus vacuetur, subsidet nanque inter humores, ut fæx in vino, aut amurca in oleo, id quod libro quarto eiusdem voluminis seipsum exponit, aphoris. nono dicens, melancholicos plenius inferiores, scilicet purgare, quam sentẽtiam, iterũ eodem sexto libro citato, aphoris. undecimo re

petit, cum dicat, atra bile vexatis, & renum passionibus, hæmorrhoides super venientes bonum, gravitat nanq. melãcholicus succus, ac ea de causa ima petit, veluti bilis superiora, unde flava per superiores partes vacuanda venit, atra verò per inferiores, qua sententia nos præmuniti, venis hæmorrhoidalibus huius hirudines tres affigi curavimus, fugientes earum apertionem cum phlebotomo, quas, cum primum tumefieri cœperunt, chirurgus forficibus per medium præscindit, ægrotum sub perforato lasani sella trahens, ut ab eo sic sedente, supposita calente aqua, exactè hirudines sugerent, sanguinisq. tantum extraherent, super scutulam ad id concinnam, quantum à nobis chirurgo commendatum erat. Cæterum ita hæc contulit vacuatio, ut illico omnes assistẽtes cum resipiscere dicerent, sequenti die, hunc illi obtulimus syrupum. R. Herbæ fumiterræ, borraginis, buglosi vulgaris, ana pugillum unum summitatũ thamarisci, scolopendrij, cuscutæ, ana pugillum unum, pomorum appianorũ, vel camusiorũ, numero sex, thimi, epithimi, seminis anisorum, fœniculi, ana drachmas duas, florum borraginis, buglosi, arantiorum, an. pugillum mediũ, polipodij quercini recentis, senæ an. unciam mediam, passarum de corinthio, uncias duas, comẹ absinthij parum, dulcorat enim absinthium atram bilem, ut meminit *Galenus*, & nos ijs in Centurijs chartis mandavimus, omnia igitur hæc libris quinque aquæ fontis excipiantur, & ad ignem bulliant, ad consumptionem tertiæ partis, & colentur. R. Prædicti decocti, uncias quinq. syrupi de pomis, fumiterræ, borraginis, ana unciam mediam, misce, fac syrupum, & da ieiuno stomacho, & indies bibat, præterea, interea dum syrupos bibebat, soliciti admodum eramus de alui respondentia, quia, ut dixi, perstrictam admodum habebat, & inobedientem, nec huius rei tantum soliciti eramus, sed frictionum, retractionum, & similium rerum, quæ multum huic morbo conferre novistis, expleto verò decocto,

E pharmacum hoc ebibit. R. Electuarij lenitivi, floris cassiæ noviter extracti, ana drach. tres, electuarij Indi, amech, diaphiniconis ana drachmam unam, prædicti decocti quantum satis sit, misce fiat potus, & uncia una syrupi de epithymo dulcoretur, detur in aurora ieiuno stomacho, & deinde dormiat, hoc vero pharmaco, ea quæ purganda erãt exquisitè purgata sunt, tunc vero prædictum decoctum iteratum, sic syrupos descripsimus. R. Prædicti decocti adiecto anetho, & floribus violarum, unci.

F quinq. syrupi de pomis compositi, de fumoterrẹ maioris, de violis, ana unciã mediam: misce, fiat syrupus, quem ieiuno stomacho, hora qua syrupi ebibi solent, bibat, & desuper dormiat, ijs vero diebus præcordia hoc fomento fovebãtur, quod habet. R. Absinthij, anethi, camæmelæ, meliloti, violarum, an. pugillum unum, fumiterræ, senæ, an. pugillum unum & medium, seminis anisorum, fœniculi, carui, cumini, an. drach. tres, libris decem aquæ, & duabus vini, fiat decoctio ad consumptionem tertiæ

G partis, & fiat fomentum: ex quo imbutæ spongiæ novæ, aut filtrum, præcordijs admovebãtur, quibus remedijs melius habebat: tunc vero iterum catapotijs indis, & fumiterrẹ purgatus, rectius sensit: tandem gustatis electuarijs lætificantibus, quorum patet sylva, nonnisi mistis condito sacchаro ex floribus arãtiorum, superbibita aqua melissæ, & ex dictis arãtiorum floribus rectè habuit: nec opus fuit condescendere ad catapotia ex lapide cyaneo stellato dicto, vel armeniaco, composita, veluti ad hierã, in qua helleborus primatum optinet, victus huic optimus fuit, qualis melan

H cholia laborantibus concedi solet: potus vero, decoctum cinnamomi erat: ijs enim, ut dixi, hic sanatus est: nec mirum, quũ, ut novistis, melancholia morbus, sive ab universo corpore, sive ab hypochondrijs, sive ab ipso capite originem trahat, illico in eius initio facilem recipit curationem: secus autem quum inveterascit.

Curatio

A

Curatio 45. De quodam correpto febri continua, maligna, & malè morigerata, in qua per plures dies lotium nigerrimum apparuit, & postea convaluit.

FIlius Draconis Cervini, patritij Racusini, natus annos duodecim, temperatura biliosus, febrem oblongam, & ferè vigintiquinq. dierum passus fuit, qui à Medico docto adiutus convaluit. B Cæterũ post elapsos dies aliquot, in febrem continuam, malignam, & malè morigeratam recidit: ad quam accitus ego, quarto die, eum continuo febrientem cum linguæ ingenti ariditate, capitis magno dolore, & hypochõdriorum non levi tensione, à multo flatuoso spiritu pendente, inveni: sed tunc lotium nigrum turbatum satis meiebat, quod brevi album, clarum, sedimine quodã rubricãte, evadebat: novistis autem ex hoc optimum desumendum præsagiũ, ut in Scholio ex Galeno legetis. At huius vires non admodum constabant, & malè ad oblata se habebat, non egerebat nisi alvus esset irritata, & per intervalla dormiebat: sed nonnunquam expergefactus, voce alta repente conquerebatur: sed causam interrogatus, se ignorare aiebat, exteriora huic non adeò calebãt, interiora maxime sæva, & crudelis febris hæc est, & ex earum genere, quas lipyrias appellat Galenus: frigent quippe exteriora, nimio æstu interioribus flagrantibus, pro qua levanda extinguendave, primo consultum fuit, ut decoctũ sequens pararemus, ex buglosso, cichorea, endivia, florib. cordialibus, prunis, tamarindis, capillo veneris, & hordeo, cui postea colato, adjiciebatur syrupus de acetositate limonũ, ex quo ad lubitum bibebat, non solum syrupi vice in aurora, sed interdiu, & noctu: item, epithema refrigerans, cordi admovebatur, & sæpe iterabatur. Sed pro præcordiorum tensione, ac flatuoso spiritu exterminandis, dissolvendisque, linimentum vires dissolvendi cum quadam refrigeratione habẽs, paravimus: id autem est, ex succis unguẽtum, sæpe ijs Centurijs repetitum: item thorax in quo incendium, & ignis fornax vigere solet, fomento quoque fovebatur, eoq. imbuta spongia irrigabatur, refrigerabaturve: sic autẽ incedentes ad aliquot dies perseveravimus: in quorum prioribus, ut dixi, urina atra & turbida, mingebatur: sed brevi clara evadebat, indicium brevi morbum à natura victum iri. Cęterum sequentibus diebus, quum nigra meiebatur, sic nigra & turbida, multo atro, & rubricante sedimine apparente, perseverabat: pessimum sanè indicium à nonnullis dicendum, quia febris cum symptomatis cæteris instabat: properabat autem morbi status: demum quum in dubio & agone eramus, & virium robur non admodum constare videretur, contingit, quod septimo die huius morbi, sol cum luna coiret, quo die mirum in modum de adolescente timuimus: tamen Dei optimi maximi gratia, puer prævaluit: ũnde de C pueri vita spes nobis perampla fuit: octavo die sequenti, pulsus parum meliores percipiebantur, & urina nõ ita atra erat: sed sedimen subnigrum quodam cũ rubore apparebat: tunc clysteribus, ut antea quoque, alvus concitabatur, & rectè respondebat, ex se excrementa biliosa mittendo: sed cum ijs puer quasi mortuus prostratus iacebat, & si vocabatur irritabatur, utcunque tamen illi invito ovum sorbile, aut ex destillatitia aqua capi per os mater, & assistentes mulieres injiciebant: imò meis monitis parum vini malvatici illi dederunt; D quibus vires tãquam ex Plutonis famulitio revocatæ fuere: unde paulatim in dies melius habens, decimoquarto die rectè comedebat, & bibebat: prorogatus tamen fuit morbus ad mẽsem integrum, in cuius fine basilicè habuit, & nunc viget, & valet, & firmata valetudine utitur.

SCHOLIA.

DIgnum consideratione in hoc morbo, lotium nigrum & turbidum venit: quod quarto, & quinto die nigrum & turbidũ quũ exibat, brevi postea clarum & album, pendente nubecula reddebatur: sexto vero, & septimo, & octavo, nigrum & turbidum quum exibat, ita quoq. perseverabat, nec album, aut clarũ, ut antea, fiebat: id quod tu naturæ victoriæ tribuas velim: nam primò nigrum & turbidũ brevi cum clarum evadebat, victoriam naturæ supra morbum, citam attestatur, ut ex Galeno paulò inferius indicabimus: agebatur nanque tunc morbi initium status: nam postea nigrum emictum lotium, in eadem nigritie perseverãs, etiam multo maiorem victoriam supra F *modum naturæ arguit: est autem crisis hęc optima, ut ex Hippocrate libris Epidemiorum docti evadimus, & experiẽtia ipsa ita esse quotidie indicat, & attestatur, ut Centuria prima harum curationum, & alibi adnotasse recordamur: sic autem Galenus libro primo de Crisibus, ait: nam quum triplex sit urinarum turbidarum differentia, quia vel cum tales mictæ fuerint, paulò post resident, ut in nostro ægroto videbantur, vel semper similes permanent, vel purę quidem minguntur: postea vero conturbãtur, prava quidem ex dictis tertia: bona verò prima, media autem inter utranq secunda quoniam quę statim quidem residet, parum aliquid inęqualis turbulentiæ superesse demonstrat, quæ verò semper manet similis, vigere adhuc eam quæ est in sanguine agitationem ostendit,* G *quæ vero extra conturbatur debet incipere concoqui, quare hæc non sine ratione pessima est: etenim longiori tempore, & virtute forti indiget ad coctionem: sed quæ turbulenta mingitur, statimq. subsidentiam optimam habet, morbum haud ita multo post concoquendum significat, atq. idcirco melior, medio autem modo se habet reliqua, & tertia, ut enim quę vigente fit conturbatione, quantum malitia differt ab ea quæ adhuc futuram perturbationem significat, tantum superat eã, quæ iam quiescen* H *te obtinet, & cætera, quæ omnia idẽ Gale. lib. quarto de Sanitate tuenda repetit, & nos brevitati consulentes, consultò pręterimus.*

Curatio 46. De tertiana & hædina carne.

SIMON Benesius, vir doctus, ex nobilibus Ragusæis, quum è Byzantio, E ubi Legatum ad Solimanum regem pro patria egerat, vigente canicula, in patriam se reciperet, longitudine itineris defatigatus, in morbum incidit: à quo utcunque levatus, meliusculè habere cœpit: capitis tamen destillationes assiduo patiebatur: nec difficilis eius ægritudinis causa inventu erat: habet enim egregius is vir ventriculum ob frigiditatem, imbecillum: caput verò perquam calidum & humidum: porrò autem iecur non valde calidum. Cæterum huic quum inter deambulandum remedium peteret, optimam F victus rationem proposuimus: nam cum ê capite destillatio pectus ingenti tussi offenderet, & cibaria in stomacho corrumperentur, & acida evaderent: salsedinem præterea in ore semper se habere quereretur, orizam, similaginem, amylum, lactucam, vervecinos pedes, & huiusmodi cibos materiam condensantes, & destillationes reprimentes, concedebamus: unde eisdem ad aliquot dies usus rectè habuit. Cæterum paucis post diebus, in tertianam febrem lapsus est ab exquisita non valde dissimilem. Cæterũ quinta periodo hic, ut decebat, tractatus, è tertiana li-G ber evasit: sequenti verò die, pharmaco purgatus multa excrevit, & hœdinam elixam in victu habuit, prout initio habere solitus erat, vinum illi in potu erat, cinnamomi dęcocto dilutum: ructus tamen acidos, ingratissimosque, & toleratu difficiles incurrebat: pestiferi enim fumi à quibus ructus ij oriuntur, circuniacentem cordis regionem infestabant, adeoq. misere lancinabant, ut H sibi thoracem fractum, aut venam diruptum iri, valde timeret, meamque opem, consiliumq. & diligentiam identidem exposceret. Ego primum in suspitionem veni, de hypochondriaca melãcholia: præsertim enim acidos ructus, flatus, nauseamque sentiebat: unde quoque membranis ipsius ventriculi infixam pituitam esse, verisimile erat: ergo primum admotis hirudinibus, hę morrhoidalibus venis, sanguinis uncias sex extraximus, stomachumq. atq.

hypo-

hypochondria diligēter fovimus,& epithema cordi admovimus, & syrupos atram bilem respicientes, & pituitam bibendos dabamus, nec tamen quicquam proficiebamus: tamen ab hædinæ esu ea symptomata provenire posse suspicari cœpi, nec mea me fefellit opinio: mirum enim & incredibile per multis videri poterit: mutata enim victus ratione, & vice hædinæ, alitibus concessis, brevissimè amissam valetudinem recuperavit, acidosq. illos ructus in totum amisit: nam & vini loco, cinnamomo decoctum bibebat: decet igitur Medicum providentem esse, & rerum omnium naturas dignoscere, ac manu tenere.

SCHOLIA.

NON rarò mortalibus affectiones pessimas, ob hædinæ & agninæ carnis intempestivum esum evenire certū est: agnina enim, utpote temperatura, & ætate humida, non nisi calente iam aere comedi debet, quæ plerunque herbarum nondum à sole illustratarum, quibus agni ipsi vescūtur, naturam sapit: unde viridis quidam succus, lentus, mucilaginosus corruptioni obnoxius, ex eadem in ventriculo & venis gigni solet: ex quo putredines, & corruptiones oriūtur, & consequens febres malignitatem præ se ferentes pullulant, ut Anconæ, & Pisauri, ubi eius frequens est usus, & alibi evenisse, non rarò notavi: caveant igitur, qui sanitati suæ consulere cupiunt, ne ante Aprilis Idus similibus vescantur carnibus: id quod non ignorantes Thurcæ Constantinopolitani, populi saluti consulentes, pro decreto habent, ne ante dimidiatum Aprilem, similes agnorum carnes publicè in macellis venales habeant, quæ omnia etiam ad hædinas carnes referri possent, non ignorantibus nobis, quod hædina caro passivis in qualitatibus temperiem quandam sortiatur: natura etenim hædus siccitatem præ se fert, quæ siccitas humiditate temperativa retunditur, & hebetatur: unde temperies quædam in eo resultat, quâ mediante hædina caro mollicula, friabilis, & facilis concoctionis evadit: depravatur tamē esu herbarum, quibus hœdi, veluti & agni aluntur: unde facillimè corrumpitur, & pessimum adgenerat succum, & eo magis, si in ventriculo hædina aliquid vitiosi succi offenderit, cui corruptioni magis resistit, si tosta comedatur, quā A *aqua cocta, & eo magis, si Avicennæ fidem præstantes, frigidiuscula quam calida accipiatur: hœdinam enim frigidam, agninam verò calidam comedendam esse, ex Avicennæ præcepto habemus: hic enim, ne quis me mendacij arguat, Fen tertia libri primi, doctrina secunda capite illo aureo septimo, in quo de regimine eius quod comeditur & bibitur agit, tradit: hœdus præterea quum fuerit frigidus, erit melior: propterea quod eius quiescit vapor, & agnus quum est calidus, est melior: propterea quod ipsius malus odor resolvitur. Hæc Avicenna qui fortassis ab Hippocrate ea desumpsit libro quarto de Ratione victus in morbis* B *acutis, quum de caprinis loquitur carnibus: advertant igitur Medici, qui hœdinam carnem, ægrotantibus pro selecto & optimo victu tribuere solent, & eo magis si fidē præstiterimus Erasmo, qui colloquiorum libro, ait, hœdinas carnes epilepsiam movere, id quod de caprinis, aut hircinis, medici ingenue fatentur: nam noster ægrotus, ob hœdinæ carnis elixæ esum, in eos dictos incidit acidos ructus, ex quibus flatuosus spiritus, circa regionem cordis delatus, exasperationes & lancinationes ita graves & sævas inducebat, ut pectus illi dilaniatum, aut in eo venam aliquam disruptum iri, pro certissimo haberet, si modo iuvamen* C *propitium brevi non daremus, quod nos advertentes, eius vice, gallinaceorum carnes edendas concessimus: nec amplius, quod mirum dixerim, ructus illos persensit, immò, ventriculus rectè concoctiones obibat, & eo magis post quam vinum absinthithe, in potu familiare, meis monitis habuit, adeò ut nunc egregius & doctus vir hic, fausta & integra fruatur valetudine: ne tamen apparatum vini absinthites desideres, facile ita concinnatum fuit: ampullam vino albo & generoso plenam accipito, in quam, absinthij ex biduo collecti comam manip. medium per horas duas immerges, ac postea super cineres calidos, ampullam calefieri sinito, dein verò, vinum colato, & ægrotus eo utatur, est sanè mirum.*

D

Curatio 47. De subluxato ad talum pede.

PAulus Gozius, Patritius Ragusæus, quum deambulādo pedem supra lapillum poneret inadvertenter, eum ad talum contusit, & in maximum dolorem incurrit, adeò ut vix domum pe-

dibus suis rediret. Cæterum locus ad talum inflatus est, & dolebat: chirurgici tamen opera & diligentia, melius habuit: porrò, elapsis multis diebus, cum liberè non ambularet, medicos & chirurgos convocat, ut causam investiget, unde pedi tantum malum evenerit, illique remedium propitium inquirant: demum post multa huc & illuc adducta, conclusum fuit, pedem in eo loco subluxatum esse, à qua subluxatione chirurgici diligētia pes melius habuit. Cæterum cum ad locum debilem illū, & corporis infimam partem currant superfluitates, & eo magis, quia nulla vacuatio pro hac complenda operatione exercita fuerat, factum est, ut particula hæc tumuerit: adhæc, chordæ, ligamenta, & nervi, & humiditate contractiores sint redditi, & omnia circa eam particulam duriuscula percipiantur, & magis curta, unde pedi impedimento sunt, pro qua abigēda mala affectione, & ut vir hic dextrè pedibus ambulet, sic consultum fuit, primò, ut quiescat, ac per catapotia eius universum purgaretur corpus, quo facto, pes fomento irrigetur sequenti, & desuper emplastrū admoveatur: novistis autem ex naturali scientia duritiē tribus cōtigi modis, vel ob nimiā caliditatem resolventē, & exiccantē, vel propter cōgelationē, vel ob nimiam repletionem, prima curatur humidis, secunda, caliditate, tertia, vacuatione, de qua nobis sermo est, evacuabitur igitur hęc resolutione, per fomentum hoc sic apparatum. Recip. Camæmelæ, meliloti, stœchados, anethi, rosarum, absinthij, seminis lini, fœnugræci, cumini, ana pugil. unum, in libris sex aquæ, & duabus vini fiat decoctio sufficiens, & coletur, ex quo decocto imbuta spongia nova, pes irrigabatur, cui postea exiccato, linteolo, emplastrum admovebatur sequens. Reci. Rerum prædictarum sic coctarum partem mediam, in mortario optimè triturentur, quibus adde olei camæmelini, anethini, an. unciam unam, pinguedinis anseris unciam unam, & mediā, salis unciam mediam: misce fiat emplastrum & bis calidum admoveto, quibus paucis, intra quatuor dies rectè habuit, nec amplius claudicavit.

Curatio 48. De marito, & uxore, morbo Gallico infectis.

FAcies, ut totius corporis inscriptio est, ita latentes hominum morbos indicare solet, eorum præsertim, qui morbo gallico vexātur, ut hisce diebus Ioanni Lucæ viro probo & patritio Ragusæo, cōtigisse deprehēdimus, is enim & si latentem morbum iam diu dissimulaverat, tamen iudice facie, eum correptum esse palam fuit, medico præsertim docto, & rerum experienti, inest enim illi rubor cum quadam nigredine, quæ faciem, & nares deformat, ex quibus notis, cum hominem ita infectum videremus, uxorem quoque eius pari labe correptam, facilè fuit iudicare, iuvenem me herclè egregiè moratam, & ea peste indignam. Porrò, autem notæ, quibus morbus in hac muliere deprehenditur, hæ sunt, scirrhosus tumor in facie cum rubore, dolor etiam ad sinistram mamillam eiusdem lateris, brachium & scapulam apprehendens, totius præterea corporis pallor & lassitudo, eos itaque curare aggressus, hoc unum propono, supra modum enitantur, ut uterque maximè immunis ab eo morbo evadat, si enim uno curato, alter non ita probè valetudini restitutus esset, perinde esset ac si medicus fecisset nihil: contagioni enim locus relinquebatur, sed diversa curandi ratio fuit, ille enim temperatura sanguineus cum esset, & in eo sanguis redundaret, sanguinis missione indigebat, quam primo exercere iussimus, ex communi in brachij curvatura vena, postquam, syrupos humorem ad vacuationem parantes, septem, vel octo ebibit, & inde catapotijs optimè purgatus guayaci decoctum pauco hordeo alteratum ebibere cœpit, quo

quo optimè sudabat, & venter illi respondebat, sed ecce vigesimo die, hic in febrim continuam ingenti cum capitis dolore labitur, quam per sex dies passus est, & paucis refrigerantibus, caliditatemque contemperantibus, rectè habuit, & in universum sanus, adeò ut non amplius guayaci decocti potu indiguerit. Cæterum huius uxor, synarum radicis decoctum ebibit, quo viginti dierum tempore, sanata est, scirrhosus tamen faciei tumor, sequenti ordine extirpatus fuit: singulis nanque diebus, synarum decocto bis & ter cũ lavabat, & desuper ceratum ponebat, quod ex diachilone gummato adiecto pulvisculo marchasitæ, constabat. Porrò victus utrique communis erat, præter enim nauticum panem, in prandio parum carnis hædinæ tostæ comedebant, in cœna verò, uvam passam corinthiacam, & dealbatas amygdalas tantum pauco nautico pane accipiebant, hoc tamen te scire velim, quod singulis octo diebus, ijs debitis purgatorijs pharmacis, purgabantur, & clysterijs quoque eorum ventres, quoties opus erat, irritabantur, vir tamen guayatici, & non radicis synarum decoctum ebibit, quia radix synarum, ad manus non erat, nec venalis reperiebatur.

Curatio 49. de puella, mira quadam sanguinis rejectatione laborante, quæ & omnia quæ comedebat, vomebat.

EX Patritia Ragusæorum familia, puella filia Nicolai Sorgij, non multum posteà quàm menses primò vidit, (est enim quindecim nata annos temperatura biliosa, habitu verò egregio) in sanguinis mirum screatum incidit, hæc enim, mirum dictu, diu duodecies screabat, qualibet autem hora semel, noctu nanq. dormiebat, & si nõ

A dormiebat, etiã nõ screabat, ut mirũ hoc videri debeat, screabat autẽ ut ex scutuiis duodecim percipiebamus: provice partũ, aliquando sanguinẽ rubicundum, sæpe verò aquosum, quem non tussi, aut difficili aliqua anxietudine, reiectabat, unde mihi argumentum erat, quòd à faucibus sanguis exiret, vel à capite in fauces descendens ita facilè reiectabatur, pro quo compescẽdo revulsionibus, retractionibus, derivationibus omnigenis, usi sumus; imò medicamentis varijs constringendi vires habentibus, quæ omnia parum

B vel nihil iuverunt, nam præter sanguinis reiectationem, stomachus paucis post diebus, ita indignatus fuit, infixo ad eius fundum dolore, ut cum primum aliquid puella hæc in victu acciperet, illico, vel minimum illud esset, evomeret, ita enim expultrix ventriculi valida erat, retentrice imbecilli reddita, ut vel cochleari contentum contusum ex pullo per me illi concessum, ut rem experiret, illico stomachus antea quàm illud minimum ad os ventriculi perveniret, revomeret,

C sic autem ad tres menses puella hæc pervenit, ad quam cùm accederemus, & ut valeret quæreremus, continuò nobis sua Illyrica lingua respondebat, onaco, id est, eodem tenore, duodecies autem tantum intra duodecim horas sanguinem screabat, semel autem in hora, &, ut dixi, parum: nec enim pro hac iuvanda puella, clysteres etiam acres divertendi potentiam habentes defuerunt, veluti cerata, emplastra, & cataplasmata. Cæterum, cum tã multa & varia essent applicita, à quibus nihil iuvamenti consecuta esset, univer-

D sus noster conatus eo dirigebatur, circa stomachi malam affectionem pellendam, parum alioquin curantes de sanguinis reiectatione, qua de re, in mentem venerunt Matthei Gradij, & aliorum miræ, de vomitu difficili & pertinaci historiæ, ex quo intestina devoluta, altas partes ascendebant, unde ceratum ex rebus calidis & stypticis, ad spinam indidimus, quòd præci-

pue

pue, nonam, decimam, undecimam vertebram contegebat, sub quibus stomachum iacere a me ijs in centurijs audistis, non minus alterum, eius ori ventriculi applicabatur, & clysteribus acribus diversionem facientibus utebamur, veluti medicamentis paulatim laxantibus. Hæc autem in victu contusum ex pullo incocto calibeata aqua, quandoque vero panatelam oriza tosta paratam habebat quibus semper pulvisculum constringendi, & roborandi vim habens miscebatur, vino verò abstinebat, & eius vice cinnamomi decoctum, quandoque calibeatam aquam, nonnunquam verò decoctum caryophyllorum bibebat. Cæterum, post elapsos non paucos huius sævi morbi dies contigit, quod puella hæc melius habere cœperit, nam & deambulabat, & quæ comedebat retinebat, & non vomebat. Nec sanguinē reiectabat, & si quid reiectabat illud parum vel nihil erat. Cæterum, cum nihil eveniat, ut dici solet, ab omni parte beatum, ecce puella hæc in deglutiendi difficultatem omnimodam incidit, adeò ut inter cætera liquida, præter vinum nihil deglutiat, problema non facile solutum, cur inter cætera liquida, nam crassa etiam bene mansa, & triturata, non deglutiebat, vinum solum deglutiat, nos post multa huc & illuc adducta, deglutiendi impedimenti, duas reperimus causas in quarum enarratione difficile hoc propositum problema diluimus, cur vinū tantum in transglutione puella hæc admittat, aquam verò, & cætera liquida revomat. An quia pars alta stomachi, quam œsophagum dicimus, meri Arabes appellant, ob longum vomitū debilis est reddita, & ipsius fibræ seu villi præcipuè longi, ita nimia humiditate super eos currente sunt redditi, ut deglutiendi munus debitum obire nequeant, quo fit, vinum quia natura sua calidum, & naturæ amicum, eos villos quoquo modo roboret, unde eū admittunt, & inde stomachi fundum petit, aquam verò tanquam villos
E malè afficientem, & eos relaxantem veluti cætera liquida abhorret, & refutat, & hæc est altera causarum impedimenti deglutionis, altera verò sequens, ea est, quæ locum unde sanguis fluebat, indicat, durities scilicet, ad æsophagum ipsum percepta, quæ durities, aut carnis excretio erat, aut verius, cicatrix osculum venæ unde sanguis profluebat obducens, quæ & ipsa villis impedimento est, unde deglutionis difficultas oritur, nec enim morbus hic,
F ad caput verrucæ reducendus est, quæ quandoque stomacho innascitur, ut Arabum doctissimi quidam memoriæ commendarunt. Fuit autem primo morbus hic, ut exactè teneatis, osculi venæ ad æsophagum apertura, unde sanguis profluebat, in cuius postea osculo, caro crevit, aut verius cicatrix obducta fuit, unde sanguis fluere desijt & durities in eo loco percipiebatur, etiam nobis digitis intromittentibus, ex qua duritie, etiam transglutitio impediebatur, nōnihil tamē ingestorum
G cibariorum, etiam si ea evomebat, ad fundum ventriculi pervenire, credendum est, nam aliter, tanto tēpore puella hæc non perduraret, quæ & hodie agitur nanque iam ferè annus, quo eodem modo puella laborat, si verò à nobis curationem spectas, qualem super additæ carni, aut cicatrici, medici describunt, in promptu est, cum chirurgia morbus hic extirpetur, qua de re, nos, machinatis forcipibus, pro abscindēda superaddita illa carne, cum aliter super vivere puella hæc non poterat, non consentientibus parentibus, bona venia discessimus, & revera nihil nobis
H gratius evenire poterat, cùm timor erat, si præcinderetur caro illa, ingens sanguinis aliquod profluvium superveniret, ac sic maluimus puellam hanc satisdivitem incuratam naturæ beneficio relinquere, quam infamiæ onus subire, credimus tamen nos, puellam hanc paulatim convaleturam, quia venę obducta cicatrix, assiduo esu & potu in dies subtilior evadet, ūde ipse meliꝰ deglutiet, ut iā hodie experiri incipit.

SCHOLIA.

QVI artis medicæ ardua cacumina conscendunt, facile iudicare possunt, casum hunc rarum eventu esse. Quis enim unquam vidit, aut literis mandavit sanguinem tam longo tempore, tanto ordine, & tam servata periodo, per os reiectari, intra nanque duodecim diei horas, duodecies puella hæc screabat, semel in hora, cruentum, & parum, ut ex duodecim scutulis, in quib. monitis nostris screabat, percipiebamus, noctu vero nihil screabat, etiam si vigilem totam noctem ageret, an vero sanguis menstruus, qui eo tempore deficiebat, partem altam obrepebat, & per venam parvam & exilem illam stomachi altæ parti complantatam, exiret, in dubium verti posset, vos vero, qui rerum naturalium causas percurritis, considerate, hoc unum ego hic testatum relinquo, non minus difficilem huius morbi cognitionem esse, quam illam Euboici Euripi ab Aristotele, sicut nonnulli prodidere, frustra investigatam, nec tamen inventam, cognitamue.

Curatio 50. De muliere abortiente certo gestationis tempore, deque eius curatione.

MVlier quæ utero gerebat, tertio gestationis mense, semper abortiebat, unde tristis & mœsta evadebat, abortiebat autem nulla comparente causa, unde in mentem mihi subit aurea illa nunquam satis laudandi senis, quinti libri aphoris. sententia, quęcunque mediocriter corpora habentes abortiunt, secundo aut tertio mense, sine occasione manifesta, his cotyledones, sive acetabula uteri, plena mucoris sunt, & non possunt ex pondere fœtum continere, sed disrūpuntur, proinde purgata muliere hac, eius primo præparato corpore, & illi non pauco postea concesso scillino oximellite, cuius officium est, calefacere, attenuare, scindere, aperire, & mucores ac putrilagines extirpare, & iterum ac iterum ex hieris agaricum continentibus, repurgata, ad hoc aliud devenimus, sin-

A gulis namq. dieb. ieiuno stomacho, cōditum ex floribus roris marini, & stœchadis melle concinnatum, pondere unius unciæ comedebat, & noctu cum ibat dormitum, rotulum unum vel alterum aromatici rosati, gustabat, & in tereà hęc apparabantur, suffumigium vestibus circunsepta ad uterum ascendens ex cinnamomo, agallocho, benzuino, compositum sellæ perforatæ insidens, recipiebat, a quo pessus ex opobalsamo concinnatus, quod ex Peru re-

B gione noviter inventa advehitur, indebatur, cuius etiam portiunculam quandoq. ieiuno stomacho, meis monitis bibebat, de quo opobalsamo, si recte teneo in meo dixi Dioscoride, miras autem opobalsamum hoc habere facultates, eius potens sapor, ac gratiosus odor, satis attestantur, est autem opobalsamum hoc, ut noscas, liquor ex piceis quibusdam arborib. destillās, oleum præseferens crassum, coloris subnigri aliquali cum ruffedine, quē si manibus tractes viscidum esse deprehendes, odore verò styracem liqui-

C dum moscho confusum dices. At sapore, primum butyrosam linguam relinquit, sed cum in fauces descendit, eas vellicat, immersus aqua, ima petit, supra natante oleaginosa quadam portiūcula, ex ijs enim iam doctus evades liquorem hunc, quem è Peru balsamū dicimus, ita enim qui eum ex insulis novis adferunt appellant, longe à hiericontis balsamo, vel eo quod nunc, non procul a memphi nascitur, & Solimani Turcarum Imperatoris domi-

D no subiacet, differre, suaderem tamen hoc ex Peru advecto balsamo, pharmacopolæ ad omnia utantur, ad quæ memphiticum, aut hiericontium desiderant, unde in theriaces compositione hoc satius utemur, quam artificiali quocunq. alio, plura vero de eo, ex nostro pete Dioscoride. Nos vero ad mulierem de qua agimus revertamur, cui ut votum assequeretur, ad imum ventrem veluti ad lumbos, λαγόνας Græci appellant, ceratum coccopanno præextensum apponi curavimus, quod ita

habet,

habet, & in hoc primatum obtinet, gummi arabici, dragacanthi torrefacto rum, ana unciā mediam, coralli rubei, albi, ofsium dactilorum combustorum hippochistidos, singulorum drach. 1. & alterius mediam, balaustiorum, scoriæ ferri præparatæ, mumiæ, sanguinis draconis, boli armeniæ, terræ sigillatæ, mastichis, sandarachæ arabum, antheræ, spodij arabū, singulorū drach. duas, acatiæ, gallarum contusarum, pomorum cupressi, myrtillorum, corticum thuris, licij, singulorum unciam mediam, bdelij torrefacti, styracis calamitæ, trochiscorum de succino sine opio, de terra sigillata, de spodio, singulorum drachmam unam, fuliginis camini, plumbi usti, singulorum scrupulum unum, picis colophoniæ, glutinis piscium; singulorum unciā unam, resinæ, quantum sufficit: misce, & gluten piscis optimè primò teratur, & aceto exactè maceretur, & fiat ceratum quod præextensum coccineo panno, imò ventri hypogastrio dicto, veluti inferiori lumborum parti, admovebatur, & ita cæteris cum remedijs con tulit, ut mulier hæc optatum finem consecuta fuerit: nam utero postea gessit, & maturum fœtum in lucem ædidit.

SCHOLIA.

Cerata illa, locis prædictis admovenda sunt, quoniam, ut nostis, uterus sive matrix, inter collum vesicæ urinariæ; & intestinum rectum, sedet, & illis, vinculis tenuibus quibusdā fibrosis, adalligatur, veluti & sacro ossi, ansulis quibusdam nervosis, & musculosis, ad nexum concurrentibus: nam, ex lumbi vertebris quoque matrix ipsa pendet, eam quasi manu tenentibus similibus ansiculis.

Curatio 51. de iuvando difficili partu.

ALoisia, Dalmatæ Navarchi vxor optimi habitus adolescens, nono mense fœtationis, difficulter pariebat, E & post biduum, ita cruciabatur, vexabatur, & anxiebatur, ut propè obitum esse, afsistentes omnes mulieres crederent, ad quam acciti nos, post omnes defatigatas obstetrices, soliciti admodum, ut illi opem ferremus fuimus, & primo hoc illi ebibēdum tradidimus. R. Croci, drach. unam, cinnamomi drachmam unam & alterius mediam, succini candidi scrupulos duos, trochiscorum de myrrha, drachmam mediam, terantur singula, & ex eis fiat subtilissimus pulvis, cuius pro vice drachm. vino cretensi exceptam bibebat, & per intervalla iusculum F capi, vel ex eius carnibus contusum paratum, vel ovum sorbile, illi ad sustinendas vires, offerebatur, & postea per intervalla, prædictus pulvis iterabatur, tertio verò die: quum iam spes frustrata esset, prædicti pulveris drachmæ mediæ, alterā chrisocolæ naturalis in pollinem redactæ adjunximus, & in potu dedimus, & ad inferiora fomenta varia paravimus, ex savina, pulegio, origano, calamintha, seu nepitha, iride, dictamo, artemisia, & similibus, ex quibus & suffumigia instruebantur: sed G naribus sternutamenta citantia ex helleboro, castoreo, piretro, pipere, condiso arabum, parata admovimus, demum elapso tertio die: fœtus mortuus in brachium foras exire cœpit, apparuit autem brachium denigratum, quod intus reducere impossibile fuit: proinde abscisso brachio, & intromissis per pudenda manibus, nō unguento, aut oleo, vel pingui aliquo, delibutis, sed siccis, & per collum arrepto H fœtu, in pugnum compressis manibus ipsis, dexter chirurgus foras eum extraxit, qui si non cederet, ad instrumentum chirurgum quod præsens erat, vulgò speculum matricis dictum, deveniendum erat, ut vel integrum, vel dilaceratum corpusculum eximeretur. Cæterùm, cum corpusculum extra emissum difficulter fuerit, ita quoque secundarum eductio difficilis venit, uteri autem fundo hærebant, pro quibus extrahendis, intromissa sinistra manu, amygdalino oleo illita, ac apprehensa

A præhensa secunda ipsa, chirurgus eam placide ad obliquum deducebat rectã, & ex directo attractionem fugiens, ne uterus ea attractione procederet, laberetur ve, tandem Dei, Opt. Max. auxilio, eam in totum deduxit, & mulier evasit, non sine ingenti fusi corporis iactura. Hæc sciens Pyrrha Deucalionis uxor, puellas exordio mundi nudas maribus ostendit, ne postea cum hæc agerentur, ægre ferrent, sic autem Iuvenalis.

B *Et maribus nudas ostendit Pyrrha puellas.*

SCHOLIA.

VT naturalis & optimus partus fiat, decet fœtus in caput directo exeat, brachijs super extensis ac ad femora porrectis, proinde si in brachium, vel pedem, vel quam vis aliam figuram fœtus prodierit, curabis tu sapiens medice, ut obstetrices omni ingenio, ac arte, in hanc naturalem figuram, hoc est, in caput fœtum deducant, caventes ne brachio, vel pede, fœtum trahant, sic enim magis eum in præternaturali figura firmabunt, unde eorum membra luxabuntur, aut abrumpentur, & consequens partus difficilior evadet, sed hic sciatis velim, quod cum gemini in utero habentur, quorum alter mortuus est, alter vero vivus, mortuus primo exitui occurrit, dein vivus in lucem prodit. Cæterum, quo modo gemini in utero ex adversa figura sedeant, & quomodo singulus singulis involucris, & membranis circumvolvatur, ad anatomicos libros hodiernos, miris depictos figuris recurrite, si modo vobis præsertim Hispanis, quibus piaculum est cadaver concidere, non contingat aliter experiri.

Curatio 52. de febre pestilente.

LVCA Bucchius, nobilis Ragusæus, temperatura sanguineus, inchoante Aprili mense, in totum autumnali respondente tempori, ut docet Hipp. libris epidemiorum, cum dicat, cum folia ficus cornicis pedem imitantur, & cætera, febri lenta laborare cœpit, cum qua, etiam extra domum ad aliquot dies prodivit. Cæterum cum domi se contineret, & ad eum medicus adiret, sanguinem illi extraxit, & pharmacum quo multum egesſit, propinavit, nunquam sitivit, sed occipitis partis posterioris capitis primo dolere cœpit, qui dolor eum semper comitatus est, lingua arida non apparebat, sed parum dormiebat, nunquam deliravit, sed recte mente constabat, undecimo die ad eum vocatus, urinam eius nigram conspicio, sedimine quodam nigro, crasso & lato, cui similem ad id usque tempus nunquam minxerat, qua & pulsus debiles erant, quibus omnibus deprehensis, febrem hanc ex genere pestilentium, & male morigeratarũ esse iudicavi, occupabat autem febris hęc cordis substantiam, unde omnia recte haberi videbantur, adeo ut ægrotus ipse nihil mali pati sæpe assistentibus inculcaret, temporis tamen successu, virtus naturalis quoque male affici cœpit, id quod urina attestata est, proinde hunc brevi moriturum non falso prædixi, & eo magis quia vacuationes

C tam potentes præcesserant, nihil enim exitialius est, aut hominem ad interitum certius trahit, quam ingens & superflua in febribus male morigeratis, purgatio, ut longa experientia comprobatum habemus, proinde caveant medici huiuscemodi febribus malignis, & pestilentibus correptis, ne fortia propinent cathartica medicamenta, cum eorum agitatione, calfactione, acredine, ac purgatione excessiva, certus consequatur obitus, ut docti omnes & experti norunt medici. Et nos iam sæpe ijs in centurijs inculcavimus: satius igitur esset opus hoc clysteribus, re-

D frigerandi vim habentibus, complere, vel saltẽ cassiã ægyptiacam, aut mannã, aut huiuscemodi alia, non transcẽdere, benedicta dicta medicamenta. Referam bona fide, id quod olim Romæ evenit, vigente Paulo tertio, Pont. Maximo. Paulus & Ludovicus fratres Germani, eodem partu editi, cum forte simul ægrotarent febri maligna, & pestilente, Ludovicus Francisci Nursini nobilis in urbe medici opera

opera usus, pharmacum potens ex electuarijs scamoneatis compositum hausit, à quo multa egestio, & brevi mors subsecuta est, contra vero Paulo evenit, quem alij medici leviter ex manna & rhabarbaro purgatum, inter dies paucos, pristinæ valetudini restituerunt, non sine infamia senis illius capularis, quem vulgo, Ludovici interfectorem vocabant, veluti Gaurici Astrologi, qui ex Astrologia Paulum moriturum prædixerat.

Curatio 53. De muliere sterili, quæ medicamentis præparata, post decemocto annos concepit, & puellam elegantem peperit, tandem mulier ipsa tabe confecta, intra biennium diem suum obijt.

EX nobili Ragusæorum prosapia, puella satis dives, viro nobili Ragusæo nupsit qui intra quadriennium orbus obijt. At mulier iuvenis paucis elapsis annis, Marino Machullio iuveni nobili, & egregio, iterum nupsit, ex quo agebatur iam decimus octavus annus, post eius coniugium, prægnans nunquam evasit, cæterum mulier hæc, cum prolem summopere desideraret, quam nec à primo marito contraxerat, omni data diligentia obstetrices vetulas, Medicos, & omne genus hominum consuluit, ut præsentato remedio, ad conceptionem disponeretur, tandem post tam longum tempus, ut auditis, ebibitis multis medicamentis, ac applicitis varijs alijs ceratis, & emplastris, ac admotis & introductis diversis pessis, prægnans evasit, & nono mense puellam elegantem recte peperit, quę & hodie feliciter vivit. Cæterum mulier hæc post partum malè illico habere cœpit, adeo ut ab eo die partus, nunquam postea lecto discederet, sed magis intra bienniũ tabe confecta

E & consumpta, ac marasmoi de affecta suum diem obierit.

SCHOLIA.

SVA natura mulier hæc sterilis erat, quæ remediorum beneficio concepit, & fructum in lucem ædidit maturum: sed non sine sui corporis iactura, à partu enim tanquam marcescens stirps exiccari cœpit, & in dies magis, ut intra biennium diem suum obierit.

F *Curatio 54. De vetula, cui intra triduum sanguinis libræ octo per nares effluxere.*

MATER Francisci Sorgij, nobilis Ragusæi, annos nata unum supra septuaginta, absque procatarctica causa aliqua, in sanguinis fluxum per nares insignem incidit, & ita insignẽ & copiosum, ac renitentem, ut intra tres dies continuos eius octo librę effluxerint: unde cum fluxus remedijs non cederet, præfixis iam cucurbitulis, etiam circa iecoris regionem, & frictionibus, & retractationibus celebra-
G tis, ex brachij curvatura secta vena fuit, & sanguis per intervalla extractus, unde fluxus desijt, & ipsa rectius habere cœpit, & nunc pulchre valet.

SCHOLIA.

SENIVM aut ætas aliqua non ex eijs sunt, quæ primitus ad se remediorum consiliũ trahant, cum id morbi aut intemperiei in corpore vigentis officium sit: verum quoniam af-
H *fectionum naturas per coniecturam accipimus, referente Galeno lib. 5. de Sanitate tuenda: idcircò ætatem quoque consideramus unde sit, quod seni valido, & recte ferenti, ut Galenus quoque admittit, & nos quoque diximus, puero robusto, & bene musculoso, cogente necessitate, sanguis per venas sectionem mitti poterit, ut in hac exercuimus vetula, & varijs alijs pueris, cæterum, quia virium imbecillitas plerunq. senium comitatur, idcirco sanguinis missio in senioribus abnegatur: rectè igitur Cornelius Celsus, libro suæ medicinæ dixit, non quæ ętas, sed quæ virtus, aut virium*

rium robur, advertere decet, ut cum de pueris loquuti sumus, etiam ijs in Centurijs patefecimus.

Curatio 55. De præservatione à coxendicum dolore.

FVLLO, sive pannorum infector, qui extra urbem ad pilas agit, & coxendicum dolore vexari solet, ut sanus perseveret, nec in eum labatur morbum, consilium a nobis petit, pro cuius præservatione, cautelàve, primò ut optimis cibarijs exiccandi & attenuandi vim habentibus, veluti victus ordine optimo uteretur consuluimus, non minus a rebus venereis, & alijs varijs naturæ ordinem excedentibus abstineret, monuimus, a vino verò abstinebat, cuius loco aquam mellis, in qua folia salviæ incocta erant, bibebat, quibus perscriptis, quum vir hic natura sua calidus & humidus sit, ætate quadraginta trium annorum in mentem venit, morbum hunc plerunque ab humore crasso pituitoso, pauco calido misto, coxarum articulum offendente, evenire, prout in hoc evenit homine: proinde, ut tantum malum fugiat, consulo, cum is pronus & facilis ad vomitum sit, ut singulis octo diebus vomitum provocet, digitis ad fauces intromissis, vel pinna intincta oleo, vel saltem singulis quindecim diebus, epoto vomitorio sequenti, vomitum irritet. R. Asari, florum camæmelæ, an. pugil. medium, seminis raphani, cumini, anethi, an. drach. duas, in libris duabus aquæ fiat decoctio sufficiens, & coletur, cui decocto adde, oximellitis unciam unam, & alterius mediam, agarici albi in pulverem redacti drachmam mediam, misce, & tepidum bibat, est enim vomitorium medicamentum hoc prestans, quo si quis ischiadico, vel quovis articulario morbo laborans, modo optimo victus ordini assuetus sit, utatur, sanus in longum tempus præservabitur. Solebat nanq. Galenus homines à morbis similibus in totum annum sanos & liberos relinquere, sola vernæ curationis exercitatione, aut sanguinis missione, aut purgatorio pharmaco, aut vomitus evocatione, quib. omnibus nos, ut hominem hunc liberum relinqueremus, usi sumus, nam exordio huius præservatricis curationis, vomitum copiose admodum prædicto vomitorio evocavit: dein verò syrupũ hunc ebibit. R. Betonicæ, stœcados, maioranæ, primulæ veris inter consolidas habitæ herbæ, hissopi, camæmelæ, ana pugil. unum, seminis fœniculi, anisorum, ana drachmas duas, rosarum rubearum pugillum medium, passarum cum suis seminibus uncias duas, in libris tribus aquæ fiat decoctio sufficiẽs, & coletur. R. Prædicti decocti uncias quinque, syrupi de betonica unciam unam, mellis rosati colatitij unciam mediam, misce, & fiat syrupus, quem ieiuno stomacho, in aurora bibebat, & quatuor horas post cœnam, alterum iterabat, & interea dum syrupis utebatur, per clysteres alvus lubrica semper esset illi curabamus, quarto verò ebibito syrupo, basilicam in flexu brachij respicientis locum dolorosum secare, ex eaque sanguinis uncias sex fluere permisimus, alijs tandem quatuor ebibitis syrupis, catapotia hæc deglutivit, quibus alvus optimè respõdit. Rec. Pilularum asayaret drachm. unam, aurearum scrupulum unum, diagridij grana quinque, melle rosaceo colatitio excipiantur, & fiant pilulæ quinque, & pulvere glizirhizæ obvolvantur, & capiat tertia hora, ante auroram, & dormiat, ijs enim alvus optimè respondit. Cæterum, sequentibus octo diebus, singulis auroris ieiuno stomacho, ex condito floribus salviæ exceptis melle parato, unciã unã, comedebat, & nunc rectè valere inquit. Cæterũ membra urina virili assiduo lavare, ab articulario morbo defẽdi creditur, exẽplum adducit Plinius lib. 28. naturalis hist. capite 6. fullones, & qui lanam elutriunt. Qui ob id quod urinam versantur, nunquam in

podagram, aut chiragram incurrunt. E
Porrò, Patavinus iuvenis, qui gravi-
ter ischiatico dolore torquebatur, &
ad eũ cum pervenimus, ipsum multũ
contristari, & ſævo illo dolore cruciari
invenimus, ita à nobis tractatus fuit,
& primo abstemio facto, circa particu
lam dolentẽ, ischiã dictam, fomentum
hoc, pro sedãdo dolore, applicandũ cu
ravimus, quod habet. R. Camæmelæ,
meliloti, absintij, an. pugill. unum, &
mediũ, hypericonis, camepithis, came
dris, primulæ veris, an. pug. 1. semi. lini
fœnugręci, rosarum, ana pug. mediũ, F
libris decẽ aquæ, fiat decoctio sufficiẽs,
& coletur, cui adde, olei camæmelini,
anethini, vulpini, an. unc. 2. misce, fiat
fomentum, & filtro imbuto parum ex
presso, sed bene calente, dolenti loco ap
plica, & sæpe innova, posteà loco op-
timè absterso, hoc inũgatur linimẽto.
R. Olei camæmelini, vulpini, hyperi-
conis, an. unc. 1 butyri recentis, pingue
dinis anatis, gallinaceæ, vulpinæ, taxi,
an. unc. med. cæræ citrinæ parum, mis
ce, & ad ignem, ut decet, fiat unguentũ
molle, & succida lana cooperiatur, vel G
canabacea stupa. Cæterum cum dolor
perseveraret, ex interna brachij vena
eiusdem lateris sanguinis uncias quin
que demere iussi, a qua sanguinis mis-
sione, aliquantulum melius habuit, sed
tunc emplastrum hoc aliud applicitũ
fuit, quod habet. R. Sapæ libram unã,
vitellos ovorum tres, salis drachmas
duas, farinæ cicerum unciam unam,
furfurum quantum ad spissitudinem
sufficit, misce, fiat emplastrum, calidũ
applicetur, porrò, cum hæc parraban-
tur, clysteriorum immemores non
eramus, quæ singulis diebus injicien-
da curabamus, præcipue composita, ex H
herba heliochryso, anetho, centaureo
minori, iua, salvia, betonica, adiectis se-
minibus, fœnugræco, fœniculo, cumi-
no, ameo, & caro veluti oleis, camæme
lino, lilino, rutaceo, & hypericonis, &
hiera picra, benedicta laxante, diaphi-
nicone, & electuarijs alijs pituitam cũ
aliquali bile respicientibus, non min⁹
ac discocto melle, vel colatitio, vel sac-
charo rubeo, sale & ovorum vitellis,
& similibus clysteres adornantibus, sy
rupos quoque materiam respicientes,
decoctis herbarum dilutos bibebat,
quibus omnibus exercitis, sexto die bo
lum hunc deglutivit. R. Diaphinico-
nis unciam mediam, electuarij amech.
drach. duas, elescoph indi, ana drach.
unam, rhabarbari scrupulum unum,
spicæ celticæ, grana quinq. saccharo
omnia excipiantur, & fiat bolus, quem
rectè deglutivit, & eo alvus optimè res
pondit, desiderantur autem hoc in
morbo, veluti quovis alio articulario,
medicamenta forma pilulari, aut so-
lida, ut contracta mora valentius à re-
motis partibus attrahant. Cæterum
ijs, & si hic melius haberet, dolore ta-
men vexabatur, qua de re, duobus à
purgatione elapsis diebus, ex vena is-
chiatica dolentis pedis, quæ sub exte-
riore talo, utriusque pedis secari solet,
aut circa ipsum talum, sanguinis un-
cias quatuor extraximus, à qua, ite-
ratis prædictis omnibus remedijs, &
ebibito vino decoctionis guayaci, op-
timè habuit, & hodie rectè ambulat,
& fausta valetudine fruitur. Vnum mi
hi mente exciderat, quod mulierculæ
vicinæ, cum hunc sic afflictum, & vo-
ciferantem audirent, ad eum iuvan-
dum cucurrerunt, ex quibus altera, me
taxas Gręci, Hispani, Gręca voce cor-
rupta, Madexas appellant, sic suo cine-
re calentes admovit, has autem Ro-
mani, pensa fila in orbes circumacta,
appellabunt, remedium Arnaldo Vi-
llanovano, ut audio, familiare satis,
quo & colico dolore affecti, non pa-
rum iuvari solent, veluti & hic, qui
eisdem aliquid profectus & iuvamen-
ti contraxerat. Sed cum hæc scribi-
mus, in mentem venit Ariminensis
quidam vir, qui cum assiduo fluxum
sanguinis per hæmorrhoides patere-
tur, nec solito tempore responderet,
illicò in ischiaticum dolorem labe-
batur, pro quo levando, cum
fluxum solitum evocaret,
illico ab eo liber
evadebat.

SCHO-

SCHOLIA.

FIT morbus hic, ut nostis, in coxis, ea præcipuè dearticulatione, quæ Enartrosis dicitur, cum scilicet excipiens ossis cavum, altum & profundum admodum est: caput verò quod in id inseritur femoris, oblongum: quæ duo ossa nexu validissimo copulantur, connectunturque tendine quodam amplo, & valido, à musculo exorto, ab intima pectinis parte prodeunte: unde cum per meatum quendã, canaliculum sive rivulum dictum, in acetaculum, sive ossis cavitatem humores defluere contingant, tendo facile imbuitur, & impletur: quo fit, vel crus contrahitur, vel integræ parti liber motus adimitur, non sine dolore, quem ischiacum, vel ischiadicum, & coxendicum dolorem appellamus: aduertendum tamen duxi, quod quando dolor hic diuturnus & longus contingit, tendo ita laxari solet, ut caput femoris oblongum excidat, & tunc in acetabulo mucores creantur, & crus tabescit, & ægrotus claudicat: pro quo curando, ad ignem currere necessarium est, ut bonus senex docuit, ultimis duobus aphorismis, libri sexti Aphorismorum, & alibi veluti post eum Paulus & Aetius, & non contemnendus Albucasis, tractatu suo, de Curandis per cauteria ægritudinibus difficillimis, & rebellibus: sed cum iam ijs finem imponerem, ecce Brandanus meus, qui nunc magna cum gloria Bristolij artem medicam exercet, per litteras petit, coxendicum in dolore, quoties pedis vena secanda est, an internam, quam Saphenam appellamus, incidere debeamus, vel potius externam ischiaticam dictam: cui respondentes, dicimus quæsitum vulgare esse: nondum tamen ab aliquo (quod sciam) plenè solutum, proinde ut illi, & vobis ad præsens satisfaciam, audite, Galenus ita sæpe saphenæ sanguinis missionem ischiatico dolori convenire scriptum memoriæ commendavit, ut res incantamento videretur, cum ægrotantes ea sola, ocyssime, ac brevissimè sani evadant. Avicenna verò, & Arabes, ac eorum asseclæ, ischiaticam venam potius scindendam, esse, ut ex ea quam ex saphena, præstantius & celerius iuvamentum subsequi notarunt, contestantur, firmantque id longa experientia ab eis observatum esse. Nos vero, ut rem hanc discussam relinquamus, nec deinceps quis amplius de ea dubitet, sententiam nostram in praxi observandam, in medium afferemus: pro qua intelligenda, scire decet, quod vena cava supra cervicem coxæ, ad partem internam in duos ramos dividitur: quorum alter, crassior per internam ti-

A biæ regionem descendit, ex se venulas musculis adipi, & cuti, interim impartiendo, quousque ad internum talum, sive malleolum perveniat, in quo loco saphena appellatur, & inde ad pedem in multos ramulos devaricatur, ex quibus unus sæpe ad digitum magnum apparet, qui non comparente saphena, non raro scinditur, & ex eo sanguis demitur, alter verò divisionis ramus, subtilior, in sylvestrem tibiæ partem decurrit, portiunculas quoque in adipem & cutim obiter mittens, donec ad claviculam externam, quæ est imi capitis minoris ossis caput, deducatur, quo loco, vulgo, ischiatica vena dicitur. Et de ijs satis, ex quibus percipitis, & saphenam & ischiaticam venam ex eodem loco oriri, unde conso-

B num esset asserere, perinde esse hanc vel illã scindere, cum æquales inde oriri debeant effectus, & iuvamenta æqualia, sed non ita res habet, quum ischiatica vena exteriores magis respicit partes, quam internas, & saphena contrario modo, habet nanque ischiatica vena suas ita consitas ac dispositas percurrentes fibras, & villos ac complantata stamina, ut ex directo schiam respiciat, & ex ea particula brevi attrahat, & hauriat, contingit tamen, quod hęc ischiatica sylvestrem malleolum perreptans vena, sępe eo in loco occultetur, & non appareat, & si apparet, adeò exilis & gracilis, ut satius fuerit

C saphenam aperire, ea tamen rectè apparente, consilio in horum coxendicum dolore, eam aperiamus, cum celerius, & potentius, iuvamentum inde sequi sciamus, quam ex saphenæ ipsius incisione, utraque tamen cautè aperienda est, ne ex parte alta humores ruant, & gravius præsenti morbo, afferant malum.

D

Curatio 56. de lacte ingesto, & in grumos concreto in ventriculo, deque eius curatione prospera.

QVum Andreas Myroparonis Præfectus, vir annos natus quinque supra quadraginta sicca scabie laboraret, erat autem temperatura biliosa, hic, & illi aquam lactis, serum appellamus, ebibendum priscorum more proposuissem, ille domi suæ lac coagulan-

gulandum iubet, ut ex eo concreto, se rum habeat, sed ecce, cum aliquando lac coagulo permistum, sed nondum coagulatum aut concretum esset, eius filius Marinus decemseptem annos natus, tẽperatura pituitosus, totũ ebibit, pondere fortassis quatuor librarũ, à cuius potu, iuvenis hic cõqueri cœpit, & stomachi pondus gravi cum dolore incurrebat, sed cum vomere volebat, in strangulationem veniebat, proinde ad eum accitus, rem ex toto deprehendo, & causam in totum coniecto, videlicet, lac in vase coagulari paratum, in stomacho coactum ac concretum esse. Est sanè casus rarus, & inter venena, à Dioscoride, Galeno, & Nicandro, ac alijs præstantissimis viris connumeratus, pro quo abigendo, cum periculum sit in mora, omni data diligentia, institimus, ac contra eum invasimus, acetum acerrimum, nepitæ siccæ mistum ebibendum, illico tribuentes, ut concretum lac dissipetur, & fluidum fiat, quod si ægrotus hoc remedio non rectè valuerit, aceto acerrimo coagulum leporinum, vel quodcumque aliud ad manus habitum, misceatur, & ebibendum detur, mandamus, utroque tamen remedio usus est, & tunc ad vomitum cum traximus, qui multa admodum vomuit, sed tunc quoque clysteribus alvus irritabatur, unde optimè sequẽti die se habere dixit.

SCHOLIA.

NON solum prædicto modo lac in stomacho coagulatur, & densatur, sed etiam quoties stomachus frigidus & imbecillis est, sua nanque intemperie purum etiam lac cõcrescit, coagulat, & densat, unde cum quis uno vel altero modo, lac in ventriculo coagulatum persenserit, medicorum præceptis, illico ad remedia à nobis ęgroto propinata confugiet, quibus lac eliquatur, & discutitur, & tandem vomitus irritatur. Sed silentio non est prætereundum dubium, an vomitus pro curatione huius in ventriculo concreti lactis, vel sanguinis concreti, eadem enim curatio est, provocandus sit, vel ne. Huius dubij authorum gravissimorum dissen-
E *tio causa est, nam Dioscorides libro sexto suæ rei medicæ, vomitum in hoc casu omnino abnegat, dicens, cum coagulato lacti occurrit, nec illos vomere convenit, siquidem concretum lac sese in stomachi angustias insinuans, strangulat, id quod & antea cum de sanguine concreto egerat, dixerat, quem imitatus Rasis libro vigesimo sui continentis, inquit, non est irritandus vomitus huic, cui sanguis concretus, vel lac coagulatum in stomacho est, quoniam meri, id est, æsophago, obstructio ab ijs concretis rebus superveniet, & inde suffocatio & mors. Galenus vero ijs contrarius est, ut qui libro de Antidotis dicat, quibus lac ebibitum in grumos concrevit, ijs confert*
F *bibere acetum, dandum est & coagulum cum aqua fontana, aut aqua portione silphium & sulphur cum oxycrato, quæ omnia incidunt, attenuant, & vomitum proritant, nos, quibus datum est similium gravissimorum doctorum discordias conciliare, brevi dicimus, nullam inter eos discordiam esse, nam Dioscorides non esse in lacte concreto irritandum vomitum recte quidem tradit: siquidem concretum lac, & coagulatum per vomitum evocatum, hominem suffocaret, oportet igitur ante eius evocationem: primo id medicamentis scindamus, subtilicmus, & ad vomitum promptum reddamus: proinde Galenus hæc noscens, primo ijs utitur medicamentis, quæ opus complent, & vomitum provocant, sic autem nos ad Galeni imitationem, primo densatum in ventriculo lac, dissol-*
G *vimus, dein vero per vomitum vacuamus. Et de hoc satis, non me latet, Nicandrum in suis Alexipharmacis, quinque propulsatrices medelas contra coagulatum lac præscripsisse, quas vos per otium legite. Sed aliud non minus dubium se offert, an sal in hac coagulati lactis curatione, admittendum sit, vel non: quoniam Dioscorides omne salis genus detestatur, dicens sed nulla salsilago objiciatur, quoniam magis lac coiret, & in caseũ densaretur, Galenus verò libro 3. de Alimentorũ*
H *facultatibus cap. 15. quo de lacte agit, bis lacti salem & mel misceri, ne in ventriculo concrescat, & in caseum abeat, mandat, inquiẽs, quod si sal & mel adjiciantur, fieri nõ potest, ut ipsum in ventriculo concrescat, ac coaguletur: nos verò dicamus, nec in hoc loco aliquam stare discordiam, quia sal lacti mistus, nunquam sinit id densari, porrò si lac densatum & concretum iam in stomacho fuerit, sal & res salitæ id magis densant, & concrescere faciunt, Dioscorides igitur ad lac in ventriculo compactum & coagulatũ, respiciens salẽ abnegat, quia id magis concres-*

concrescit, densat, & lapidescit. Galenus verò antea quam bibatur, ne in ventriculo concrescat aut densetur, optimo consilio obviam venit, dicens iniiciendum illi esse salis, vel mellis parum, cum hæc eius coagulationi adversentur, nec hæc vobis duriuscula esse videri debent, quum eo modo sali evenit, quo coagulo evenire cernimus, nam salsi lacti liquido & recenti miscetur, non amplius (ut dixi) coagulatur & densatur, ita lacti si coagulum infundimus, lac brevi concrescit, & coagulatur, quod si lacti iam concreto coagulum miscuerimus, tantum abest, ut lac ipsum magis coaguletur, ut potius id eliquabitur, & discutietur.

Curatio 57. de errore cuiusdam medici, qui acetum in colica affectione dedit, & ægrotum interfecit.

QVum quidam vir natus annos quadraginta, Colico dolore cruciaretur, ad eum iuvandum accessit medicus, qui cum clysteribus, fomentis, unctionibus, cucurbitulis, & potionibus varijs pro eo iuvando uteretur, & non iuvarent, ad acetum confugit quod ægrotanti potandū dedit, infelici tamen successu, cum inde ægrotus brevi mortem contraxerit, at medicus fortè acetū ægrotanti tribuit, ut humorem crassum, viscidū, colicam affectionem inducentē attenuaret, scinderet, & subtiliaret, id quod Avicen. detestatur Fen. 16. libri tertij, cum de colica ventosa agit, & ex aliorum mente, clysteres ex syrupo acetoso iniiciendos proponat, quibus accedit, quod acetū natura sua colicum dolorē gignit, ut quod intestinis membris exanguibus & frigidis adversum sit, quod non ignorantes mortui viri propinqui, cōtra medicum iure agere cœperunt, qui quidem archiatri auxilio usus, evasit, quas tamen rationes præter adductas, pro se adduxerit, divinare nequeo.

(§.)

A

Curatio 54. De ardore urinæ, cum caruncularum mictione, & præstantia conditi ex malvæ floribus sacharo apparati.

VXor Blasij Valetini Sorgui, iuvenis annos nata sexdecim, cum quintum ageret conceptionis mensē,
B in ardorem urinæ ingentem incidit, à bile acri, originem trahentem, est nanque ipsa, tēperatura biliosa, renes, iecur, cor, & cerebrū, calida habēs, quę sæpè meiebat, ardore non exiguo percepto. Ad hāc igitur vocatus ego, lotiū sæpe emictū contēplor, quod crassū iumentorum modo, ex matula in aliud transcolabamus vas, unde in fundo residentes carunculas notabamus, alias subalbidas, pingues, alias vero carneas, sanguinolentas, utrasq. exiguas, & paucas, unde excoriationē in
C vijs urinæ, & renibus esse, certa mihi fides erat, docente Hippocrate libr. 4. Aphor. 75. quib. in urina crassa existēte, carūculæ parvæ, ac veluti capilli, una exeunt ijs, a renib. excernūtur, pro qua levāda mala affectione, quæ & febrem, & vigiliū sæpe secum affert, sic orsi sumus, & primo abnegatis, sale, & reb. salitis, acrib. acidis, vino, exercitio, & coitu, bolum hunc deglutiendum illi dedimus. R. Floris casiæ, drac. octo, tamarindorum optimorum, drachm. tres, pulveris coriandorum præparatorum, scrupulum unum, misce, fiat cum saccharo bolus, quem ante cibum
D duas horas deglutiat, erat autem huic cibus, pullus gallinaceus, aut caro hœdina, incocta lactuca, aut cucurbita, aut malua, aut hordeo mundo. Cæterum à bolo rectè egessit, sed acrius doluit. Proinde decoctum hoc parare diligenter curavimus, quod habet. Recipe Calicum papaveris cum suo albo semine, numero sex, foliorum lactucæ, endiviæ, malvæ, portulacæ, radicum malvavisci, ana

pugillum unum, iuiubarum, sebesten, singulorũ quindecim, prunorum pinguium, decem, florum malvæ, nenupharis, violarum, rosarum, ana pugill. medium, ordei mundi unciam unam, seminis lactucæ, scariolæ, malvæ, cucurbitæ, melonis, citrulli, ana drachm. unam, in libris quinque aquæ cucurbitæ, fiat decoctio, ad consumptionem tertiæ partis, coletur. Recipe Prædicti decocti uncias quinque, syrupi portulacæ, papaveris, ana unciam mediam, misce, & fac syrupum, quem interea dum decoctum perduraverit, ieiuno stomacho, bibat, aliquãdo vero ita describebamus. Recipe Syrupi violacei, nenupharini, ana drachm. sex, aquarũ portulacæ, lactucæ, violarum, nenupharis, ana unciam unam, misce, & utatur. Cæterum cum hæc agebantur, exterius, renes, iecur, & inferiores partes fovebamus unguento rosaceo, admisto santalino, vel altero per se solo, aut refrigerante Galeni, aut populeone, aut epithemate uno vel altero, ex succis composito, ut semperuivæ, solatri, lactucæ, portulacæ, cum lacte muliebri, vel tantum oleo ex quatuor seminibus frigidis concinnato, & pauca cera alba excepto, quod Mesues in hoc casu summopere cõmendat, cum hoc describat oleum. Non minus, ut alvus responderet soliciti eramus, & ea de re, clysterium hoc per intervalla iniiciendum curabamus, quod habet. Recipe Malvæ, hordei excorticati, foliorũ lactucæ, ana pug. unum, in libris duabus aquæ fiat decoctio sufficiens, & coletur. Recipe Prædicti decocti uncias quindecim, olei violacei uncias duas, sacchari albi, & fini unciam unam & mediam, ovum integrum, hoc est, album & lutheum, misce, para clysterẽ, & iniice, item per syphonem iaculabatur ad vias ipsas vesicæ, aqua decoctionis hordei mundi, saccharo fino mista, vel lac purum humanum, aut aqua lactis saccharo fino mista, aut aqua plantaginis, aut lac vaccinum per se solum, quod præter id quod abstergit mirificè, butyri ratione consolidat, aut candi

E dum ovorum optimè concussorum, spuma dempta, a rebus autem, quæ nimium abstergunt, abstineb amus, quia sua abstertione magis aperiunt, & excoriant. Cæterum cum nobilis hæc mulier ijs parum iuvaretur, immò multum & sępe angustiaretur, & doleret, ut de abortu timor esset, ad sanguinis misionem in brachij curvatura venire decreveramus. At, cum asistentes mulieres renuerent, ab opera destitimus, & tunc ad conditum ex floribus malvæ saccharo cõcinnatum, nos divertimus, cuius asiduo usu, intra viginti dies sana & immunis evasit, comedebat autem ex condito isto, stomacho ieiuno integram unciam, & vespe-
F ri alteram, superebibita malvarũ destillatitia aqua ad uncias tres, singulis vicibus, nunc autem prospere valet, & regiè vivit.

Curatio 59. De lapide reiecto a renibus simulque de methodo servanda in ardore urinæ.

G PAVLVS Gradius Senior, annos natus octoginta, constans, doctus, sapiens, & patritiorum horum, aut verius huius Reipublicæ ornamentum, lapillum per virgam olivæ magnitudine eiecit, sed quod mirari est, absque lumborum gravedine, absque iliorũ dolore, & fractione, ita ut antea nullum persenserat ad lumbos põdus, nul-
H lum ad ilia dolorem, nullum in ipsa virga ardorem enimvero, eo die quo ipsum eiecit, in virgæ suprema parte, pauculum persensit dolorem, vel verius ardorem, unde in prandio hœdinam carnem malva incoctam, ut ea laxiores vias redderet, habuit, quo factum est, ut ipsum brevi eiecerit, non absque tamen scoriatione viarum, unde lotium sanguinolentum, acredine percepta, meiebat, pro qua placanda acredine, & observanda scoriatione,

tione, iussimus ut magnificus & generosus senex hic, ieiuno stomacho unciã unam cõditi saccharei ex floribus malvæ comederet, superbibita aqua stillatitia ipsius malvæ, aut eius decoctionis, aut ea in, quã incoctum fuit gummi tragacantum paucum, comederetq. panatellã, aut hœdinam, aut pulli carnẽ incoctam portulaca, vel lactuca, vel hordeo mũdo, vel istiusmodi re aliqua cõmendabamus, porrò cum inhonestũ esset hominem octogenarium abstemium facere, iussimus vinum biberet optimum, dilutum tamen aqua decoctionis malvæ, vel gummi tragacãthi, utereturq. iulebo, violaceo, rosaceo, & similibus, permittebamus. Cæterum à rebus diureticis, salsis, acribus, & acutis abstineret, suasimus, tandem tertio die post emissum lapillum, rectè habuit, & extra domum exivit.

SCHOLIA.

HIc medicorum quorundam à me detegenda venit ignorantia, ut qui nesciant differentiam ponere inter ardorem urinæ evenĩetem ab humore salso, & acri, ab eo qui propter arenas, & renum & vesicæ calculos evenire contingit, solent nanque medici lacte ardorem urinæ obtundere, & curare, sed utinam non eum, qui à lapillis, & arenis evenit, cum tantum abest, ut lac ardorem hunc mitiget, ut eum potius augeat, & in augmentum trahat, gignit nanque lac, & caseus, ut lacticinia omnia, lapillos, calculos, & arenas, ut omnes inculcant practici, proinde caveant medici, in præsenti suadeo, ne cum ardor urinæ ab arenis, vel lapillis, aut calculo evenerit, lacte utãtur, cum tantum abest, ut lac iuvet, ut potius malum maxime augeat, & crescere faciat. Contrario tamen agent, quoties ardor & urinæ acredo, ob humorem acutum & acrem, aut salsum evenerit, præcipuè non apparente febre, tunc nanque lactè securè utentur, & ægrotanti tuto ebibendum dabunt, veluti utroque in casu, prisana, iusculis pinguibus, cassia ægyptiaca, balneo & similibus. Cæterum elapsis paucis diebus, hic idem, cum alium lapillum per virgam emittere vellet, eius urina suppressa est, unde pectinis parte, veluti ea, quæ inter anum & virgam iacet, oleo scorpionum inunctis, brevi eum ciecit, & sanatus est. Adnotandum tamen duximus, quod quoties adfuerit urinæ ardor, acredo, & incendium, quod tunc satius erit balano, sive glande, ex saccharo cando, inuncto oleo violaceo, quam re salita, vel acri aliqua, uti, vel eius loco, clysteri parato decocto malvæ, violæ, malvavisci, nymphex, semine lini, folio salicis, adiectis oleo violaceo, rosaceo, & ovo integro, vel eius tantum albo, & camphora, & similibus, solet quoque in hoc vitio exterius inungi pubes, renum regio veluti & iecur, rebus frigidis, ut unguento rosaceo, santalino, albo, sive Galeni refrigerante, populeone, succis frigidis, vel oleo ex quatuor seminibus frigidis maioribus concinnato: cavete tamen, ne pro pharmaco purgatorio, in hoc casu, cassiæ ægyptiacæ florẽ transcendatis, referam ego id, quod olim Anconæ evenerit: ægrotabat Ioannes Caribaldus Mediolanensis, mercator dives, ex huiuscemodi vitio, cui cum syrupi rosacei solutivi recens parati uncias quatuor ebibendas propinaveramus, morbus in tantum irritus fuit, & acerbatus, ut inde peius semper habens, obitum traxerit: erat me hercle syrupus rosaceus solutivus à pharmacopola ingenuo & bono, optimè concinnatus, proinde á purgatorijs medicamẽtis in hac affectione cavete, ex ijs autem, quæ palmam in hoc casu obtinent, cassia ægyptiaca est, veluti, malva & eius flores saccharo conditi, & thermarum aquæ, præcipuè in iuvenibus, seniores nanque ut tradit bonus Senex, ab hoc vitio, raro evadunt, porrò, res quæ per virgam eiaculari solent, consulto prætereo, quando eis nostro in ægrotante usi non simus.

Curatio 60. *De quodam, qui natura sua multa & varia abhorrebat.*

BErnardus Bonius, ex Ragusæorum patritia familia, iuvenis annos natus viginti, temperatura biliosus, quum ad me venerit, ut eius urinam contemplarer, & si quid mali protẽderet, eum medicamentis saltem iuvarem, ecce cũ eum renum vitium, & morbi gallici seminaria habere deprehenderim, syrupum unum, vel alterũ describere apud pharmacopolam accingor, at ille, ne temerè sic syrupos describam inculcare cœpit, quia omnia dulcia odio habebat, & re vera ut posteà comprehendi, mel

mel saccharum, & ex eis composita, huic præstantissima sunt venena, imò quod mirari subeat, hic non vescitur uva, non ficu, non pyro, non pomo, nō malo cotoneo, non granato, non persico, non prunis, etiam acidis, quia in eis etiam nescio quid dulcedinis reperiri, aiebat, demum ex omnibus fructibus, comedebat, nuces, amygdalas, & nucleos pineos, multum oblectabatur aceto, multum agresta, multum aqua tamarindorum, multum rebus salsis, nā vinum album in totum abhorrebat, F etiam malvaticum, veluti ex rubricantibus dulce, aquam sibi familiarem in potu habet, quibus omnibus exactè perpensis, & consideratis, medicamenta prout morbus postulabat ad amarorem declinantia, descripsi, quibus ipse postea rectè habuit.

SCHOLIA.

Non ab re Galenus dixit sæpè, ultra temperaturas universales, particulares hominum esse deprehendendas, ut libro Artis curat. ad Glauconem, & alibi sępè, ut ijs in Centurijs quoque nos adnotavimus.

Curatio 61. de muliere prægnante, quæ ob mora alijs cum cibarijs comesta, & in ventriculo corrupta, in anxietudines, & animi angustias devenit.

Uxor Abner Alpharini Hebræorum consulis apud Ragusæos, cum H mora alijs cum cibarijs indiscretè comederet, & in stomacho corrumperentur, in tantam animi angustiam, & anxietudinem, ac oculorum obtenebrationes devenit, ut tūc eam in abortum venire, & ipsa & assistentes omnes timerent, ad eam igitur accitus ipse, considerans eam sexto mense gestationis esse, in mentem revoco, mora, ut Galenus, & medici cæteri testantur, si con-

E tingant corrumpi succum adgenerare venenosum, unde de eo vacuando solliciti admodum eramus: sed quonam artificio, intra animi anfractus vertebā, tandem in memoriam revocata stillatitia florum arātiorum aqua, eius huic uncias decem tepidas ebibendas tradidi, à cuius potu, cum parum requievit, ecce succum illum atrum venenosum ex moris contractum, & cætera corruptione affecta cibaria, vomuit, absque labore, dolore, vel anxietudine aliqua, unde se sanam, intra paucas horas, dixit, & rectè valuit.



Curatio 62. de repentina morte, ex syncopi eveniente, non vero ex Apoplexia.

Reverendus Abbas, ex Croma insula, lapide uno vel altero à Ragusio distante, cum rectè valeret, & alios alloqueretur homines, repentè cor illi dole-
G re dixit, ac subitò supra cordis regionē admota manu, in terram, leviter tamē concidit, omnibus repentè animæ facultatibus amissis, ad quem vocati, eum mortuum esse diximus, deerant autem non solum in metacarpio & temporibus pulsus, sed supra cor etiam nullus percipiebatur motus. At, ut assistentibus satisfaceremus, ad nares accensam candelam admovimus, cuius flamma, nivil movebatur, quin & speculum nitidum ori ad motum fuit, & in eo nihil expirationis contracti visum est, sed & vitreum vasculum aquæ plenum supra thoracem applicavimus, & tamē aqua non movebatur, tunc iussimus ad sequentem diem, eum inhumatum relinquerent, quod si non potuisset, etiam ad tertium diem dimitterent, consului, quoniam, ut nostis, intra septuaginta & duas horas omnes motum suum complent humores, quæ horæ, tres designant dies.

(§.)

SCHOLIA.

Contendebant nonnulli, abbatem hũc ex apoplexia obitum contraxisse, sed revera non sine errore, quoniam hic ex syncopi, lancinato corde, & dissolutis spiritibus, à venenoso aliquo humore, diem suum obierit, vel potius in corde, obstructione aliqua parta, id quod notę hæ attestantur, prima, quia ad cor doluit, & ut nosti ex Hippocrate, ubi dolor, ibi morbum dic, secundo, quia spuma nulla ad os referebatur: nulla oris distorsio, nulla membrorum retractio, immo illi os apertum ferè mansit, adeò ut dentes non claviculatos haberet, ut iure dicendum sit, nervis illæsis, non ex apoplexia, sed magis ex corde primario affecto, hunc subitò & repentè obijsse, quod si quis nervosè contenderit, in forti apoplexia omnimodam fieri membrorum dissolutionem, & non retractionem id quod nos diffitemur, tamen cum hoc sciant velim, apoplexiam non fieri nisi offenso cerebro, & nervis, qui in hoc violento & repentino obitu, non apparuerunt, proinde cum hic cor doluit, & nervi offensi non apparuerint, consentaneum magis videtur asseverare, ex corde malè affecto hunc obijsse, quam ex apoplexia.

Curatio 63. de quodam varia ricini, sive chervæ maioris semina, pro pistatijs comedente, unde illi mors subsequuta est.

QVidam tã multa ricini, sive chervæ maioris semina comedit, putans pistatia esse, ut postea paucis interpositis horis, in vomitum & secessum ita interniecantem devenerit, ut inde mors illi subsequuta fuerit. Sed cũ hæc scribo, in mentem venit, puer pharmacopolæ, qui cum pro avellanis, corylis dictis, myrobalanum sive nucem unguentariam dixerimus, officinarum mangones, ben Arabũ appellant, abundè comederet, parum abfuit tunc quod ex toto moreretur, ita enim illi vomitus, & fluxus immoderati supervenere, sed brevi adiutus evasit.

A

Curatio 64. de scabritie & scissuris palmarum manuum, deq. earum curatione.

ABner Alpharinus Hebræus, apud Ragusæos consul, cum manus dextræ palmam scabritie & scissuris plenã & benè fœdatam haberet, fortè fortuna, in ea fica vulneratus fuit, adeò ut in-
B de multus effluxerit sanguis, à qua sanguinis fluxione, manus illa à scissuris, & scabritie libera, & sana inde mansit, nec ad eam quicquam mali amplius fluxit, paucis tamen interiectis diebus, humor ad dextram fluere solitus, ad sinistram corruit manum, & id genus mali, quod dextra pati solebat, ea incurrit, quod & nunc patitur: pro ea tamen abigenda fœditate, hoc utebatur remedio à multis experto, sed acri, potente, & caustico, nominãdo, sic autem remedium habet. R. Aquæ ardentis, vitæ dictæ libras duas, viridis æris drac. duas,
C aquæ fortis argẽtariorum unci. unam, sublimati scrupulum unum: misce, fiat aqua, qua manus lavabãtur, super quas abstersas, emplastrum diachilon ponebatur, & inde sanies multa fluebat, sed curatio hæc ut violenta, ita despiciendas, eam tamen qui ferre possunt, summopere laudant.



D

Curatio 65. de pilis in lingua genitis, satis longis.

IAcobus ex flumine malè habebat, quem cum curandum susciperem, & varia interrogarem: ecce mihi respondet in eius lingua pilos magnos etiam brevi tempore gigni, quos quandoque proprijs eradicat manibus, id quod tũc rem mihi experiundam indicat, pilum nanque intra noctem genitum, ut ille putabat, oblongum satis mihi indicat, sed rem non ita stare, hoc est, pilum intrã

tra noctem unam genitum non esse conscij satis sumus, cum pilus paulatim tanquam lorum crescit, & producitur: crediderim tamen ipse, ut pili huic in lingua crescunt: ita in eius corde quoq. abundant, ut olim Ferrariæ experti sumus in quodam à nobis confecto: cuius cor pilis circunseptum erat: audacissimus tamen hic erat grassator & latro insignis: Iacobus verò, de quo agimus, bonus videtur: cum scoquijs tamen, piratis, prædonibus ac latronibus insignibus, iuxta patriam suam, maximum habet commertium, imò & affinitatem.

Curatio 66. De continuò febriente.

MArinus Guetaldus, ex Ragusæorum patritia gēte, iuvenis annos natus vigintiquatuor, apud Stagnum civitatem graviter cum ægrotaret, ad eum curandum velis, remisque contendimus: distat autem Stagnum civitas à Ragusio, triginta miliaribus. Hic igitur temperatura biliosus, habitu optimo præditus, rarò ægrotare solitus, causone laborabat: continuò nanq. febri intensissima affligebatur, quam comitabantur vigilia, linguæ nigredo, sitis intensa, corporis inquietudo, caliditas ad tactum acris, & intēsa, caput prioribus duobus diebus doluerat, & vermes tres per os emiserat. Agebatur iam quintus dies, cum ad eum pervenerim, in quibus sanguinem ex brachij curvatura assistentes extraxerant, quos omnes in somnes transegerat, & alvus non responderat, ni clysterio adiutus, imò ad oblata malè se habebat. Cæterum huic pulsus debiles erant, & ita imbecilles, ut vix perciperentur: aliquando tamen per intervalla, quasi ponderi prævalentes, paululum apparebant: sed posteà iterum opprimebantur, occultabātur, & non apparebant. Vnde omne genus imbecillitatis huic inesse coniecto, alteram per oppresionem factam, alteram

E vero essētialem ob spirituum resolutionem: præsertim tanto cum vigilio, de quibus Galenus, sæpe aliàs, sed præcipuè libro de Pulsibus agit, ubi duos homines pro exemplo adducit, alterum validum & potentem: onus tamen grave ferentem, alterum exanguem & imbecillem, æquè tamen ambos deambulantes: de qua re, & nos secunda Centuria abunde diximus: nunc vero omnibus ijs æquè consideratis, ac refrigerato in primis cubiculi aere, & patentibus fenestris, sexto sequenti die mannam paucula cum rhabarbari substantia, dare

F ausus sum, ne fortè aggressus septimum ægrotus succumberet, & morbus prævaleret. Bona igitur fortuna, ebibito pharmaco, alvus optimè respondit, & ea quæ vacuanda erant, vacuata sunt, meraca, biliosa, omnia acria anū pungentia: sed tūc per os vermem magnum prævium emisit: sperabam autem mihi ad votum responsura, quia post ægrotantis decubitum, Aquilonares venti spirarunt semper: agebamus autem prioribus Iulij mensis diebus, quo tempore putulentus Meridionalis ventus solitus spirare, universam hāc Stagni civitatem inficere plerunque solet,

G unde morbi gravissimi oriuntur, quibus plures vita decedunt: cœpi igitur, iuvenem contuso pulli, & destillatitia pullæ aqua, per intervalla alere, veluti vitellis ovorum recentium: sic apparatis, fracto ovi putamine, album depone, & vitello intus manenti: adde aquæ rosaceæ, & sacchari fini, ana parum, & ad ignem calefiat, & sorbendum da, mirum in modum, credas mihi, vires re-

H ficit: posset nanque misceri pulvisculus cordialis, ut diamargaritonis frigidi, coralij præparati, margaritarum præparatarum, veluti & fragmentorum, adiecto succo limonis, arātij vel agrestæ, sequenti nocte, universus noster conatus eo dirigebatur, ut hic dormiret: qua de causa, fomento somnifero, & crura, & brachia sunt lavata, & caput irrigatum: ac postea unguento somnium conciliare promittente illitū, veluti aures, nares, & brachialia, quibus parum vel nihil

nihil aſſecuti ſumus: octavo, ab ebibito ſyrupo, epithema aliud paravi cordi, aliud iocinori, & irrigationem capiti, ſed hac conditione, ut aſsiſtentes in per mutandis, & continuò admovendis, ſe dulo attenderent: veſperi vero, ut qui nonum ingreſſurus erat diem, in quo ego multum timebam, clyſterem iſtum parare iuſsi. R. Iuris pulli, uncias ſex, aquæ decoctionis hordei, libram unã, ſacchari fini unciam unam, & alterius mediam, olei violacei, roſacei, ſucci por tulacæ ana unciam unam; ovum integrum, id eſt, album & lutheum: miſce, para clyſterem, & injice: à quo iniecto, infuſum paucis cum excrementis illicò egeſsit: poſt ingreſſum vero nonum, ter ſua ſponte egeſsit, liquida citrina, omnia fœtidiſsima, tunc dormire cœpit, & aliquantulum guſtare, & pulſus rectè percipiebantur: decimo, ab ebibito ſyrupo, & per clyſterem bis commota aluo, frictiones exercebantur, & poſt ebibitum contuſum, pullæ carnes minutim conſciſſas, & iuri eiuſdẽ miſtas, paucis cum panis aſſulis ſubtiliſsimis, cochleari comedebat, & vini per intervalla optimè diluti parum pitiſabat: quo regimine habito, tertiodecimo, in pollutionem venit nocturnam: ſalutis verum ſigillum, quartodecimo rectè habuit, & nunc pancraticè vivit. Cæterum urina in univerſo hoc morbo, nunquam de ſe optimum præbuit iudicium.

Curatio 67. De κακεξία, id eſt, malo corporis habitu.

STagno reverſum, Neocaſtrẽſis Emi nius, Raguſij me expectabat: cuius uxor iam aliquot menſes graviter decumbebat: laborabat autem, ut ea viſa deprehendi, κακεξία malo corporis habitu: eſt autem mulier hæc, nata annos quinquagintaquinque, pinguis, gravis, & ad inceſſum pigra; cuius oculorum

A palpebræ tumebant, & pedes, & manus inflatæ evadebant, quin & faſtidium eam detinebat, & ſyncopi aliquandò corripiebatur, ut niſi doctus Medicus obviam iret, certum eſſet hanc in hydropem brevi venturam: agebatur autem menſis Iulij, in quo, ut noſtis, æſtus & caniculares dies vigent: proinde omni vitæ ordine ſuo abnegato, qui in univerſum humidus & luxurioſus ſatis erat, brevi melius habuit: continuo autem mulier Thurca hęc utitur balneis, B prout omnes Thurcæ uti ſolent, & in frequenti uſu habent, quæ non mediocris cauſa ad introducendum morbum hunc ſunt, ut omnes fatentur Medici: ut enim aquæ dulcis balneum, huic favet morbo, quia ipſum gignit, parturit, & cauſat: ita thermarum aquæ eum curant, levant, & abigũt: item, pro potu gelidam continuo habet, hoc eſt, frigidam aquam, adiecto gelu, glacie dicta, quæ omnino interiora corrumpit, refrigerat, & imbecillitat, & eo magis æſtatis tempore, in quo interiora calido innato priva ſunt, & facilius oblæ C duntur, nec æſtivalis caliditas ſufficiẽs eſt tantum reſiſtere, & eo magis aqua gelu refrigerata, hos imprimit effectus, ſi pluviales eſſe contingat, & ciſterna collecta, & aſſervata: frigidior nanque quam humanæ naturæ conveniat, evadit, multum terreni in ſe habens: unde ſtiptica cenſetur, quo fit, ad coercendos fluxus eam Medici continuo in uſu habemus, ob exceſsivam nanque ſuam frigiditatem pectori, & ſpiritualibus mẽbris præcipuè adverſatur, & concoctionem impedit, & corrumpit, tam in ipſo ventriculo, quam etiam in iecinore: D unde κακεξία, potiſsimum oriri ſolet, & conſequens hydrops introduci, fontana igitur ſit decet pro potu continuo aqua, & ea quidem à ſole irradiata, ut Galenus in ſua doctrina ſæpe docuit, & nos ijs in Centurijs aliàs meminimus, quod ſi pluvialem aquam nonnulli doctorum hominum laudarunt, eam tan quam philoſophi contemplantur, non tanquam Medici in continuo potu hominibus

minibus evenientem considerantes ac E cedit, nanque pluviatilis aqua ad elementalem magis: ex nostris quoque Medicis nonnulli aquam pluviatilem cum laudarunt, eam tanquam futurum medicamentum, non tanquam pro potu convenientem laudarunt. Sed de ijs satis, si modò dixero, gelu & nivis antiquum usum, sed depravatissimum, pro potu stare, ut Seneca libro quarto suarum naturalium quæstionum deplorat, dicens prope finem. Quid istas, inquis, ineptias, quibus nec literatior fit quisquam, nec melior, tam operosè prosequeris, quomodo fiant nives, dicis, F cum multo magis ad nos dici à te pertineat, quomodo emendæ non sint nives, & cætera. Abnegata igitur aqua, & eius vice, cõcessa huic Thurcæ aqua decoctionis cinnamomi: quoniam vinum ei ex cõsuetudine vetitum est: ac in totum victus ratione ad siccum declinante constituta, solis clysteribus tunc usi sumus, curantes per intervalla vomitum provocare: porrò à medicamentis purgatorijs tunc fugiebamus, quo curandi ordine intra octo dies, assiduo melle rosaceo colatitio ebibito, ita & rectè habuit, ut se sanam diceret, tunc vero oculorum palpebræ, & pedes, ac manuum extremæ partes detumuerũt, & frictionibus siccis utebatur, & ad potum decocti radicis cinarum devenimus, præmissa levi per hieram picram Galeni purgatione: cuius potu, intra octo dies ita rectè habuit, ut ab omni curatione destiterit. Cæterum aloe per se sola, iecori obest, ut tradit Avicenna, cum de Ascite loquitur, Fen 14. libri tertij, præcipuè calido iecori, non frigido, ut Mesues, proprio capite, de aloe cõtendit. Porrò, mulier hæc, quum rectè valeret, & assiduo potui glaciei se dederit, & multis & varijs fructibus vescetur. Denuo in morbum recidit, & ut audio, obijt.

§

Curatio 68. De varijs symptomatis ob laxatum uterum obortis: simulque de epidemio morbo magnam Europæ partem inficiente, brevique durante.

CVm apud Eneocastrum, hoc est, castellum novum, urbem Illyricam, ob numerosum Hispanum militem à Thurcis in ea occisum illustrem agerem, à Mattheo Paschali nobili Catharensi, pro recuperanda suæ nobilis uxoris valetudine, sum vocatus, distat autem Eneocastrum à Catharo Venetorum imperio subiacẽte, decimooctavo lapide, ad quam accersitus, invenio eã circa imum ventrem multa cum gravedine intense dolere, cum quo parum meiebat, sed continuo egerere desiderabat, quum tamen parum egerebat, quæ omnia ab utero malè affecto & elapso, ac vesicæ urinariæ collum, & rectum intestinum comprimente, evenire certis coniecturis deprehendi: hæc nanq. G puellam nono mense pergrandem, sed laboriose peperit: adeo ut inde eam mori omnes timerent, unde malum hoc contraxit. Cæterum septimo gestationis mense, mulier hæc multum sanguinis per os uteri emisit: fortè quia puella calcitraverat, ut foras exiret, aut suo pondere ligamentum aliquod disruperat, sed utcunque restricto sanguine, ad nonum mẽsem pervenit, in quo H rectè licet difficulter puellam peperit, unde, ut dixi, malè habere cœpit: sed præcipuè elapso octavo, vel nono à partu mense, quo tempore ad imum ventrem intense, per intervalla tamen dolebat, parum meiebat, semper egerere desiderabat, quum tamen parum egerebat, non febricitabat, sed aliquando quadam præternaturali caliditate corripiebatur, & tunc non dormiebat, parum bibebat, nec lingua arida apparebat: porro,

portò, dolor hic crus sinistrum sæpè apprehendebat: de quo etiam maximè querebatur, adeò ut de lapide in vesica timor apud me esset. Curationem igitur pro ea iuvanda sic adorior, & primò, quia tunc dolebat, clysterem injiciendũ curavimus, ex chamæmela, anetho, & similibus adiunctis eum componentibus, quo nõnulla egessit: tandem ad fomentum anodinum filtro exceptum recurrimus, quibus dolor aliquantulum acquievit: unde ex pedis vena, Saphena dictas sanguinis unc. sex demere iussi, & in aurora syrupum hunc ebibere. R. Mellis rosati colatitij unciam unã, aquæ stillatitiæ florum chamæmelæ uncias quinque: misce, parum calidus propinetur, & ante cœnam tres horas iteretur, ijs enim paucis, & optimo constituto victus ordine exiccandi vires habente, intra tres dies à dolore libera evasit, ut se sanam clamaret & re vera stillatitia hæc chamæmelina pro ijs similibus doloribus sedandis, tãtum valet, ut sæpè incantamento tribuatur, quod si ad manus non habetur, decoctum ex eisdem floribus parare iubeo, quod fortè magis efficax pro hac complenda operatione habetur, tunc verò infusa ut uterum roborarent, eiaculabantur syphone, & cerata exterius admovebantur. Sed hac nobili matrona persanata, Magnificus Dominicus Priolus, qui Catharo pręsidebat, ad uxorem curandam me accersit, quam capitis dolore gravedineq. ad fauces usq. descendente, non sine febre laborantem invenio, quia vero morbus non adeo contumax, & à robusta natura propulsari posse videbatur, eam tantum optimo victus regimine proposito, integræ valetudini restituimus, veluti nonnullos alios eodem fere morbo laborãtes, ut Petrum Lardichium, & fullonis uxorem. Cæterum Ragusium reversus, invenio permultos tum cives, tum peregrinos eodem similiter infestatos: qui vero Ancona, Pisauro, Venetijs, Ferraria, venerant, omnes de hac gravedine, ac catarrhali affectione querebantur: quam universaliter grassatam assirmabant, unde credibile est, eam aeris intẽperiem universalem fuisse, atq. uno in loco acerbius, quam in alio sævisse, quẽadmodum Messanæ cõtigisse accepimus, ubi eodem tempore, ab eodẽ morbo permulti mortales extincti sunt. Et fuit sanè lues hæc persimilis illi, quam introitu quintæ Cẽturiæ descripsimus, ut conferenti notum evadet: porrò hęc nunc ita leviter Dalmatas omnes, & Italos invasit, ut multis, medicorum opera necessaria non fuerit, quanquã perpauci fuerint, qui ab hoc contagio evaserint, adeò ut mihi hic Ragusij contigerit quadam in domo, septemdecim simul invisere ægrotantes, qui omnes optima proposita victus ratione, brevi absque medicamentorum propinatione sani evaserunt.

Curatio 69. de febre continua coniuncta fluxui ventris.

Filius nobilis Petri Luchari, annos natus quatuordecim, temperatura pituitosus, coloris albini, quarta agebatur hebdomada, quod febri continua coniuncta fluxu ventris, laborabat, ad quem invisendum accersitus, invenio adolescentem hunc ob affectiones prædictas, ita imbecillem, & viribus destitutum, ut parum abfuerit, si vires non confestim restituerentur, quin intra biduum moreretur. Proinde omni data opera de fluxu constringendo soliciti fuimus, quoniam ut ex Galeno didicistis libro Artis curativæ ad Glauconem, & eius enarratore Avicenna, ultimo capite Fen quartæ libri primi: si duo morbi in eodem homine pugnantes habeant indicationes, tunc enim ut genti est insistendum, sed altero nequaquam neglecto, quod propter hoc dictum velim, quia medicus adolescentis curam habens, de ventris constrictione timebat, fortè ne eo constricto, febris intenderetur, sed hic non parvus medici huius error erat, quia cum vires in

dies ob fluxum & spirituum defectionem imbecilliores evadebant, si non restringeretur, aut cohiberetur, ægrotus pessum iret, & moreretur. Clysterio igitur uno, vel altero restringendi vim habente iniecto, & ad os ventriculi admoto refrigerante diaphinicone emplastro, ex Alexandri descriptione, ac concesso initio cibationis pauco diacidonite, fluxus fere ex toto restrictus est, & tunc vires ab eo quod erant antea non collabefactæ sunt, sed magis in dies validiores evadebant, quia bolus Armeniæ pallidus, corallium, margaritæ, & similia, stillatitiæ capi, & contuso, quibus in victu utebatur avidè in debantur, unde paulatim viribus instauratis, adolescens melius habere cœpit, & eo magis quo vinum gustare cœpit, quod avidissimè ebibebat: tunc post contusum admistum ptisanæ epotum, parum pulli minutim scissi, gustabat, adiunctis assulis panis, imbutis iure pulli, & tunc supra ebibebat, quibus, & nonnullis alijs paucis, adolescens hic sanitatem obtinuit, sed ita imbecillus, ut ad duos sequentes menses, solitas vires difficulter recuperarit, unde ego nō raro occinebam illud Hippocratis. Corpora quę longo tempore extenuantur, tardè reficiuntur.

Curatio 70. de luxata inferiori mandibula, & brevi ad locum suum reddita.

PVELLÆ, quæ ad pilas agebat, & malè habebat, post multum vomitum & crebram corporis & animi turbationem, cum oscitaret repentè inferior mandibula luxata est, nimia autem humiditate laxata particula, ex cancello mandibula exivit, unde os apertum invitè permansit, non sine ingenti particulæ illius dolore, & animi deliquio. Ad quam accedens post elapsum tertium diem, diligens chirurgus, puellæ ad pedes suos incurvatæ, mandi-

E bulam foras, eius pollice dextro intra os misso, altera manu mentum fortiter apprehendente, trahebat, ac sic facilè mandibulam ipsam ad locum suum reduxit, non sine mediocri artis gloria, præcesserat autem iam fomentum ligamenta laxans, veluti post mandibulam reductam, ligans & constringens medicamentum, ut agendum docet Paulus Ægineta, libro suæ medicinæ sexto, & Avicenna, fen quinta, libri quarti, cap. 7.

F

Curatio 71. de febre continua absque symptomatis, interficiente tamen.

MARINVS Gondulanus nobilis Ragusæus annos natus viginti, quum ruri ageret, & multam paludosam & cœnosam biberet aquam, & pessimis vesceretur cibarijs in febrem

G incidit continuam, ad quem vocatus ipse post viginti dies ægritudinis: cum distortum os habere deprehendi, liberaveram nanq. iam ego iuvenem hūc à morbo Gallico è Memphi reversum. Cæterum cum oris distorsio hæc nihil mali protendere videretur, nec à medico, nec ab assistentibus fortè percipere tur, quia avidissime comedebat, & caput non dolebat, nec de membro aliquo, quam de splene querebatur, nihilo minus tamen oris illam distorsionem ego multifaciebam, & pro malo indicio eam habebam: dormiebat hic quoque non admodum, tamen profundè,

H & aliquando delirabat, continuò hic febriebat, miti & absque symptomatis febri, unde quietus ferè semper manebat, cui vires tunc rectè constabant, & alvus sua sponte respondebat, liquida, corrupta, fœtida, omnia mala, lotium optimum semper apparuit, & nebula quadam plenum, unde non mirari est, si tam medicus quam assistentes oris distorsionē præterirent, & hunc rectè valeturum

leturum p rędicerent, sed contrario eve
nit, ut paulò inferius dicemus: nã huic
bis sanguis abundè per medicum assis-
tẽtem extractus fuit, & manna in potu
concessa. Porrò, ut noscatis, huic pulsus
longi lati, & alti erant, sed nescio quid
convulsivi & tremuli motus præ se fe-
rebant, unde omnia hæc perpẽdens, ac
æqua lance librans, iudico hũc ex hoc
morbo moriturũ, id quod postea octa-
vo sequenti die ita evenisse omnes vide
runt, indies autem vires magis & ma-
gis labebantur, deficiebantve, & motus
ille convulsivus accrescebat, tunc fric-
tiones, tetractiones, cucurbitulæ, ac hi-
B rudines admotæ sunt, sed nihil iuverũt,
cum indies motus ille tremulus cresce
bat, & intendebatur, & quò magis cref-
cebat, eo magis vires imbecilles fiebãt,
& ægrotus ipse magis per intervalla de
lirabat, adeò ut ad palearum collectio-
nem, & stragulorum plicaturam deve-
nerit, & consequens ad obitum. Cibus
huic ptisana, & pulli cõtusum simul mi
stum erat, potus verò hordeacea. At cũ
semel illi vinum ego cõcederem, quod
summopere appetebat, & desiderabat,
C rectè dormivit, & optimè locutus fuit,
cum tamen antea melancholicè, & sa-
turnè habebat, immò egestiones tunc
emendatiores, hoc est, minus corruptæ
apparuere. Cæterum cum motus ille
tremulus perseveraret, timor erat, ne
vinum in delirium accresceret, qua de
causa, ab eius propinatione abstinui-
mus, quod fortè præ cæteris rebus huic
morbo iuvamentum afferret, quia ab
aquarum turbidarum & lacustrium po
D tu, ut dixi, potissimum originem traxe
rat, vos verò iudices estote, obijt autem
trigesimo die Aug. 1557. qui cum antea
per biduum non erat loquutus oremo-
ne laborans, antè obitum tamen tres
horas, loquutus est, & minxit, cuius lo-
tium rubrum, crassum, & turbulentum
ad me delatum est, immo tunc illi san-
guis per hæmorrhoides ex se multa
in quantitate effluxit, instabat au
tem ut ex Philosophia didi
cistis, ultimus naturæ
conatus.

A

Curatio 72. de pulsu deficiente, eiusque intermissione in febre continua, à crassis, & viscidis succis pendente.

IAcobus Basilius, nobilis Ragusæus,
cum aliàs morbo gallico, & oculorũ
suffusione laboraret, nunc febri conti-
nua vexatur, & ea quidem lenta & mi-
ti, pro qua levanda, medicus sangui-
nem primo extraxerat; & varia adhi-
buerat remedia. Cæterum hic cum sit
quadraginta quinque annorum, mor-
bi huius successu, ut ego ad eum acce-
dens deprehendi, pulsus intermissio-
nem habebat, singulis nanque quatuor
vel quinque pulsationibus, arteria de-
ficiebat, remorabatur, & detinebatur,
& tempore duorum ictuum sive dua-
rum pulsationũ immobilis manebat,
signum, ut à me, ijs in Centurijs audi-
stis, malum, præsertim in febribus con
tinuis, ut Curatione quadragesima-
quarta tertiæ Centuriæ peramplè sum
persecutus, & si rectè teneo, ex Galeno
dixi; intermittentes pulsus in iuveni-
bus periculosiores habentur; dein in
pueris, cæteris minus periculosi in seni
bus. Cæterum cum intermissio pulsus
huic evenerit ob arteriam à crassis &
malis succis compressam, non vero ob
vitalis facultatis imbecillitatem; non
difficulter fuit eum brevi liberare ad
causam, unde mala affectio originem
trahebat, attendendo: cor autem tunc
roboravimus, & humores ab eo retra-
ximus, quos postea attenuavimus, inci
dimus, & postea purgavimus, unde pul
sus, ex heterorhythmo, hoc est, multũ
à proportione & consonantia distante,
pararhythmus, & postea eurythmus, id
est, consonus, est factus, & ægrotus ipse
ex toto sanus.

SCHOLIA.

RHythmus idem est quod consonãtia, sive proportio temporis ad tempus, ut ex

E

Galeno libro tertio de Dignoſcendis pulſibus percipitur, capite præcipuè illo, cui titulus eſt, de dignoſcendis rhythmis, in quo & quæſitum abſoluit, antea ab eo propoſitum, libro primo eiuſdem voluminis, videlicet, quo modo applicanda ſit manus in arteriæ contractione, inquit igitur Galenus, quia iam in comparatione temporis diſtentionis cum contractionis tempore rhythmus conſiſtit prius paranda ſeparatim nobis utriuſque temporis notitia eſt. Ex quibus Galeni verbis ſatis clarè evadit, quid ipſe per rhythmum in ſua doctrina intelligat, ut fuſius ex eodem capite percipitur, ut ſexcentos alios locos ſileam, in quibus omnibus, rhythmum verſari circa quātitatem motus temporis, ait, quia rhythmus aliud nihil eſt, quam proportio temporis ad tempus, cuius partes, ut tyrunculi exactè teneant cum Galenum percurrerint placuit eas hic deſcribere, & in figuram redigere,

F

quia vel Gal. referente libello de Pulſibus ad tyrones, rhythmorum pertractatio difficilis admodum eſt, qua de re, in eo libro de rhythmis, quia tyrones alloquebatur nihil quicquā ſcripſit, eos iam arte provectos, remittens ad reliquos de pulſibus libros, ſcire igitur decet, ut inſtitutum perſequamur, quod rhythmus duas habet differentias, ſcilicet eurythmum, id eſt, cōcinnum & proportionatum, & arythmum, id eſt, incōcinnum & diſproportionatū, arythmus verò tres quoque alias habet differentias, ſcilicet pararhythmum, hetherorhythmum, & ecrythmū, eſt autem pararhythmus, qui mediocrem conſonantiæ, & proportioni

G

optimæ propinquitatem habet, hetherorhythmus, qui multū à conſonantia diſcedit, ecrhythmus, qui in totum errat, & á conſonantia diſtrahitur, quæ omnia figura ſequenti facilius deprehendetis.

Rhythmus, in pulſu — eſt proportio temporis ad tempus.

H

Conſonus, & dicitur Græcis eurythmus.

Diſſonus arythmus dictus.

Eurythmus, qui in totum errat, & à conſonantia diſtrahitur.

Pararhythmus qui mediocriter conſonantiæ accedit.

Hetherhothythmus qui multum à conſonantia diſcedit.

Cæterum cum de rhythmis confuſe admodū Galenus ſcripſerit, nonnulli firmant eum nullibi clarius de eis ſermonem commiſiſſe, quam libro ſecundo de Dignoſcendis pulſibus, capite ultimo, ubi preſertim quæſitum abſoluit, an puerorum pulſus debilior ſit, quam ſenum pulſus, & Herophilum carpit, ex quo ut rem comprobet, veſicas, utres folles, ventres, adducit, vos verolegite, & iudicate.

E

Curatio 73. De dyſenteria interficiente, quæ poſt polypos comeſtos evenit.

CVM Venetijs Raguſium, menſe Septembri, promiſcuè ut fieri ſolet, plures quodam myoparone navigarent. Ecce ad Iaderam Dalmatiæ civitatem, quatuor vel quinque iuvenes facti ſocij, polypos piſces abundè comederunt, unde omnes in fluxum ventris venerunt & brevi evaſerunt, ex eis tamen Aloiſius Raguſæus mercator, illico in dyſenteriam devenit, ſanguinem

F

nanque cum excrementis, comitante ingenti inteſtinorum dolore, egerere cœpit, unde morbus in dies gravior factus, Raguſium venit, ad quem inviſendum accerſitus ego, eum totum ad tactum algeſcentem, interioribus eius nimia caliditate flagrantibus, ut ex eius atra lingua, & excrementis percipiebatur, comperio, nam huius pulſus vix percipiebantur, cum quibus rectè lo-

G

quebatur, & omnia quæ illi offerebantur, comedebat, cæterum ea quæ egerebat, nigra, & viridia, ac veluti ea quæ à corpore mortuo decidi ſolent, conſpiciebantur, ut ea omnia tanquam tabum quis dixerat, proinde à præſagio habito, quod hic brevi moriturus eſſet, ut tertio ſequenti die ita eveniſſe omnes viderunt, bona venia diſceſsimus,

H

Hippocratis conſilio muniti, deplorati ſolis præſagijs ſunt dimittendi, ne tamen immiſericordes videamur, ſi iterum ad eos ſic deploratos inviſendos vocamur, eos inviſere tenemur, ne fortè quoque ipſi in deſperationem veniāt, item quia non raro in arte medica mirabilia contingunt.

§.

Curatio

A

Curatio 74. De verme lato quatuor cubitorum per os eiecto, simul & Hippocrates enarratur.

MVLIER Illyrica cum rectè valeret, vermem latum longitudinis quatuor cubitorum, per os, præcedente tussicula vivum eiecit, quem vermem ad me videndum chirurgici attulerunt, sed emortuum iam: erat autem vermis is admirandus, nunquam antea similis à me visus, longitudinis, ut dixi, quatuor cubitorum, latitudinis parvæ, & fortè semiunguis exigui, coloris albissimi, substãtiæ intestinorum, & nescio quid spolij colubrini præ se ferentis. Nam huius caput verrucosum erat & album, ex quo corpus latum procedebat, & quo magis ad caudam accedebat, eo strictius evadebat, erat autem vermis hic unum tantum corpus, divisiones tamen plures habens. Huius nanque lati lumbrici portiunculæ semina cucurbitæ præ se ferunt, qui intra se nihil continere ob corporis sui lati compressionem videtur, unde Hippocrates libro quarto de morbis eum intra intestina non fætare contra alios medicos evidentissimis rationibus probavit, duobus præcipuis, prima quarum, aliorum contrarium affirmantium destruit fundamentum: dicebant nanque antè Hippocratem medici, latum hunc lumbricum, quem tæniam, id est, fasciam, appellare solent, intra intestina fætare, & quod ita esset probant, quia homo qui hunc intra se habet vermem, sæpè vermes parvos egerit cucumeris semen præ se ferentes, quos genitură lati huius lumbrici esse, omnino contẽdebant, quibus Hippocrates divinitus respondet, parvos illos lumbricos eiectos non lati lumbrici genituram esse, sed potius portiunculas eius abruptas, quæ ut dixi, & figura attestatur cucumeris, aut cucurbitæ semina præ se ferunt, magnitudine, & figura, aut verius speciem ipsius lati lumbrici, quæ qualis alba intestinorum rasura est, & quod ita se res habeat, secunda eius ratio firmat, à nemine, quod bona doctorum hominũ pace dixerim, huc usque intellecta, & est probans, quod latus lũbricus intra intestina non fætat, quam Hippocrates ab ipso corpore lumbrici desumit, quia vermis hic ita compressus est, ut nullam habeat loci capacitatem gignendi vermes: ita enim Hippocrates loquitur, nã homo

B

qui latum lumbricum habet, velut cucumeris semen excernit, alias atque alias, una cum stercore ipso, & sunt homines qui hoc lumbrici partus esse dicunt, mihi verò non rectè dicere videntur, qui talia dicunt, nec enim ab uno animali tot pulli generari possunt, neq. est loci in intestino capacitas, ut partus educare queant: hactenus Hippocrates, cuius ultima verba ipsum nimium faciunt veracem, quæ aiunt, neque est loci in intestino capacitas, ut partus educare queant, quæ verba sic intelligenda veniunt, vermes lati ij cũ compressi, & stricti admodum sint, nec habeant

C

intra se locum capacem, in quo fætare possent, aut genituram continere, aut partus educare, consequens est, impossibile sit intra fętificent, aut genituram habeant, sed quod ita Hippocrates intelligendus sit, vermis huius corpusculum satis compressum, & capacitatis privum, satis clamat: item, quia absurdum esset asserere, in hominis intestino non esse locum capacem in quo lati ij lumbrici, etiam si tricenum pedum essent, ut aliquando visi sunt & Plinius refert libro undecimo suæ Natu-

D

ralis historiæ, suos educare queant partus, sed Hippocrates, ut qui verissimis, & indubitatis utitur rationibus, de ventre, & loco vermis, generationi inepto loquitur, ut qui codicem Græcũ percurrit, nobiscum alacrius sentiet: cæterum, ut vermis is latus non fœtificat, ita rotundus maximè, ut curatione sexta, centuriæ primę, & curatione quadragesimasexta quintæ elapsæ, meminimus, quos locos legere ne graveris,

ut huius tractationis exactam teneas notitiam, & Paulum & Aetium allucinatos deprehendas. Cæterum mulier hæc de qua agimus, ut nobis refert, non integrum extraxit per os lumbricum hunc, sed magis abruptum infima in parte, pro quo deponendo, & ne in similium generationem deveniat, rebus necessarijs sæpè à nobis, ijs in libris inculcatis, usi sumus, & rectè habet.

Curatio 75. De febre continua cum exanthematis.

Filia Petri Luchari, nobilis Ragusei, annos nata sex decim, cum noctu fulgura, & cadentia fulmina peraudiret, territa, ac timore percita, malè habere cœpit, nam cum menses consuetos suos ad octo dies, & eos quidem copiosos, habere solita esset, tunc cum secundus eorum fluxionis ageretur dies, retenti, & ex toto suppressi sunt, unde febris continua orta est, quam comitantur ventris fluxus, dolor ventriculi, & intestinorum ad pectinem usque, pervigilium, linguæ ariditas, aliquali cum siti, ad oblata mediocriter se habebat, & vires utcunq. constabant: est autem puella hæc temperatura biliosa, & optimi habitus, pro qua iuvanda, illi unciæ sanguinis quinq. primò extractæ sunt ex pedis vena, saphena dicta, ad quam accitus ego sexto die decubitus, omnia dicta puellam hâc pati comperio, cum quibus omnibus varia per universum corpus expansa exanthemata pati, deprehendo, eisdem nondum à medico eam gubernante, aut assistentibus, animadversis, pro salute igitur puellæ, proponitur, an sanguinis missio repetenda sit, vel eius vice pharmacum unum vel alterum sit propinandum, & quod sanguis sit mittendus, febris continua postulat, quæ ob retentos menses multos orta est, solebat nanque puella hæc, per octo continuos dies, suos consue-

E tos habere menses, & eos quidem copiosos, præcipuè ultimis diebus horum octo, ob quorum suppressionem, ventriculi quoque & intestinorum dolor obortus est, & cætera citata, adstipulatur tempus conveniens, agimus nanque prioribus diebus mensis Septembris, quin & ipsa ætas, corporis habitudo, temperies, immo quod elapso die, hoc est, quinto ab ipso morbi initio sanguinis fluxus per nares erumpi cœpit: item quod exanthemata rubricantia multa erant, & eorum nonnulla ad nares crassa, ut variolas esse F diceres, nec vires ab hac chorea eliminabantur, quia mediocriter vigebant, quin & lotium rubrum non adeo tamen crassum hoc efflagitabat, nec prima sanguinis missio, hanc secundam impediebat, quia parva fuerat quantitate, ut iure dicendum sit, sanguinem esse mittendum, sed ij contrarias & duras partes habent, ut quæ tueantur, sanguinem non esse mittendũ, & ijs fulciũtur rationib⁹, quia præter quod sanguis extractus iã fuerat, venter singulis diebus, bis & ter respondebat, qui fluxus sanguinis missionem prohibebat: item G quia exanthemata foras apparuerant, & esset venenosam materiam intus revocare, quibus adde, quod si natura per nares fluxum sanguinis tentaverat, id vel Hippocrate teste, pessimum est indicium, dicente ipso libro primo prorhetici, stilla sanguinis per nares, pessimum indicium, indicat enim, ut Galenus in fine enarrationis primæ ait, naturæ imbecillitatem, quæ tentare, sed nõ completam vacuationem peragere H valet, non igitur sanguis mittendus est, sed sanguinis missione vice, fortè manna aut rhabarbarum exhibẽdum erat, quia natura per inferiora tentaverat materiam eam pellere, aut satius esset tunc temporis superstare, & nihil quicquam agere, quoniam satis agitur quoties opportuno tẽpore, ab omni opera supersedetur, porrò, qui contendebant de sanguine emittendo, variabant, alij ex pede contendentes, alij vero potius ex brachio contestantes, nec dee-

rant

rant utriusque rationes, demum conclusum fuit, non sine ingenti errore, quod sanguis per plures disseminatas cucurbitulas ad scapulas, costas, & nates, secta cute, extraheretur, fuit igitur sanguis per eas ad uncias quinque extractus, & post duas horas, cœnata est, ptisanæ duas partes, alteri pulli contuso admistas, & pro potu ius pulli nō adeo cocti habebat. Cæterum ut diu, & noctu per intervalla aliquid gustaret, rotulum unum vel alterum descriptum est. Recipe Specierum diarhodonis abbatis, diamargaritonis frigidi, ana scrup. 2. specierum trium santalorum drachmam mediam, cum saccharo ad ignem fiant rotuli drachmales, & ut supra bibat. Recipe Aquarum endiviæ, capillorum veneris, ana libram unam, iulebi violacei unciam unam, misce ex quo bibat ad lubitum: porrò, ea nocte aliquantulum dormivit, & circa os ventriculi doluit, pro quo sedando dolore, asśistentes mulieres absinthium calidum ventriculo admoverunt, & melius habuit, tunc in aurora ad eam de more accedens, eam melius valere inveni, pulsus rectius constabant, in lotio hypostasis sive nebulæ pendebat, & exanthemata imminuta fuere, tunc clyster paratus est, ex decocto camæmelæ, & anethi, & cæteris eū perficientibus, & ventriculus illitus, oleo absinthino, & cotoneorum simul pauca adiecta cera, quibus dolor aliquantulum quievit, sequenti verò die, ex continua maligna, & malè morigerata, duplex tertiana facta est, & dolores ex toto quieverunt, sed tunc ægra ipsa, ob humorum acreditnem, pruriu & lancinationem in ano & vulva persentiebat, & lamentabatur, quæ partes unguento rosaceo, & populeo simul, inunctæ sunt, & immunes manserunt, sed & clysteres tunc ex hordeacea, & oleo rosaceo, adiecta casśia extracta, parabantur, & syrupos refrigerantes bibebat; demum venter ex se nono die in aurora commotus est, & bilem meram egesśit: tandem vesperi sudavit copiose, & febri fere libera ea nocte mansit, sed denuo febris rediјt ita affligens, ut primo, & venter bis & ter respondebat, aquosa & citrina, quę omnia evenere ob errorem commisśum, quia vice extrahendi sanguinem per venæ sectionem, per cucurbitulas fuerit extractus, unde tunc coacti sumus, venā in brachij curvatura aperire, & sanguinē mittere, ex quo extracto, melius habere visa est: tandē concoctione optima apparente, concesśum illi fuit pharmacum ex manna & rhabarbaro concinnatū, quo recte purgata est, tandem morbus imminui cœpit, & ad aliquot dies ægra ipsa sanata est, dubio procul, morbus hic brevior foret, si modo quando per cucurbitulas sanguis fuit extractus, per venæ apertionem esset misśus, cum ut dixi, morbus hic a sanguinis copiosi retentione evenerat: cætera consulto præterimus, quoniam ut Galenus ait, lib. tertio Methodi medendi, curatio nulla ad unguem scribi potest, & eò magis, quia nos tātum eas morborum curandorum partes persequimur, quæ enarratione dignæ nobis videntur, cæteras subticendo.

Curatio 76. De febre oblonga & miti, absque symptomatis, ab obstructionibus meseraicarum venarum, pendente.

STEPHANVS Gozius nobilis & magnificus Ragusæus, annos natus quinquaginta, post elapsos sexaginta dies ægritudinis, in quam bis reciderat, malè habebat, ad quem vocatus ipse, eum febrem continuam mitem, lentam, absque symptomatis aliquib. pati deprehendo, illi nanque pulsus imbecilles satis erant, & corporis impotentia ingens, ut pedibus stare vix poterat, bis, & ter, ex se quotidie egerebat, cum quibus optimè, & avidè comedebat, & bibebat, & mediocriter dormiebat, pendebant autem febres hæ,

ex

ex obstructionibus meseraicarũ, ut ex E chilosis & humidis, ac male compactis egestionibus, deprehendebamus, veluti ex earum meseraicarum duritiæ, ut febres has accidentales appellare, à ratione dissonum non esset, quæ omnia, comitabatur color non tantum faciei, sed totius corporis citrinus, & flatus in ventre quidam aquositati admisti, quos cum ventrem comprimebamus, facile percipiebamus, audiebamusve, ut igitur ab omnibus ijs affectionibus generosus vir hic liber evadat, neq. in eas amplius recidat, univer F sus noster conatus, in reserandis & aperiendis meseraicarũ obstructionib. versatus est, tam intus ebibitis, quam extra admotis: proinde victum sic illi instituimus. Nam in prandio hora decimaquinta, æquas portiunculas simul mistas ptisanę optimè concinnatæ, & pulli contusi primò incocti capillo veneris, & petroselino vulgari, quas gabata mediocris continebat, ebibebat, dein verò parum carnis turturis iurulentæ, aut perdicis, aut pulli eisdem her bis coctæ, & minutim scissæ, adiectis G subtilibus quibusdam panis optimi assulis, pauculo iure simul mistis cochleari avidissimè comedebat, & tunc bis vini potum repetebat, nonnisi albi & optimi, aqua decoctionis capillorum veneris, & aliquando radicum petroselini vulgaris, diluti, & vltimo, pauculo diacitonite sacchareo prãdium claudebat, nec supra bibebat: quę omnia, ut audistis, in cœna, hora vigesimatertia, vel vigesimaquarta, repetebat. Quantùm verò ad medicinalia, scire decet, quòd in aurora syrupi vice, gabatam iure plenam, in qua incoctæ erant cichorea, capillus veneris & radix pe- H troselini, bibebat, id quod ad octo vel decem dies sequutus est, posteà verò, huius vice, syrupum bizantinum, & acetosum de radicibus, & de capillis veneris, æquis portionibus dilutis prædicto decocto ebibebat, & extra venter illinebatur ungueto ex succis deopilante, quod sæpe ijs curationibus memoriæ commendavimus. Elapsis vero quindecim diebus, in quibus vires aliquantulum refectæ sunt, syrupo prædicto adjiciebamus decoctum citatũ, in quo infusum erat rhabarbarum ad scrupulos duos, & nonnunquam ad drachmam integram: quo per intervalla ter ebibito, multa pituitosa viscida, & biliosa crassa ejecit, & bene habuit: deinceps vero febris imminui cœpit, adeo ut ad quinq. sequentes dies ex toto defecerit: tunc vero potum cõtusi & ptisanæ prætermisit, & turture jurulenta, qua maximè delectabatur, vescebatur, aliquando perdice incocta, iure capi, vel pulli. Sed audi, quod tũc, vice syrupi, reficientis sive restaurantis dicti, portiunculam in aurora comedebat: & postea gabatam plenam optimi iuris capi junioris supra bibebat: cujus restaurantis alteram portiũculam, cum primum prandere aut cœnare vellet, comedebat: habet autem restaurans confectio, sic. ℞. Pulpæ capi uncias quatuor, seminum quatuor frigidorum majorum, omnium unciam unam, amygdalarum dulcium mundatarum, pineorũ præparatorum, pistaciorum, ana drachmas tres, specierum diamosci dulcis scrupulum unum, specierum diarhodonis abbatis drachm. mediam margaritarum præparatarũ, corallorum præparatorum ana drach. mediam, sacchari fini dissoluti cum aqua rosacea uncias octo, secundum artis ministerium: fiat confectio restaurans, in morsulis teneris, in eum modum, quo parari solet savonea, singuli ternas pendentes drac. quorum unum in aurora, ut dixi, comedebat, & supra bibebat capi juris optimi scutulam: & cum prandium aggrediebatur, alterum veluti initio cœnæ alium, quibus, stante optimo victu, intra aliquot dies ad vires suas solitas redditus est: meminisse tamen decet, quod in hoc morbo raro nisi lavante uno vel altero clysteri, usi sumus: item, quod ægrotus hic, carnes intinctu acrium cerasorum saccharo confecto, gustabat: sed postea meis monitis hoc alio usus est sapore. ℞. jecur unum vel alterum pulli co-

ctum

ctum, quod in marmoreo mortario tere, cui adde amygdalas albas sex, medullæ panis parum, cinnamomi drachmam mediam, succi agrestæ, quãtum ad componendum sufficit: misce, para intinctum, saporem dictum. Cęterùm, quũ primùm ambulare cœpit, aerem meis monitis mutavit.

Curatio 77. In qua agitur de distillatione ad pectus descendente, simulque de ventriculi & lienis obstructionibus, & errore Medici.

IOsephus Gozius, nobilis Ragusæus, temperatura biliosus, gracilis, collum oblõgum habens, pectus strictum satis, quum ætatis suæ annos ageret trigintaquinque, catarrho à capite ad pectus descendente laborabat, unde & tussiebat, & aliquantulum febricbat: ad quem accedens Medicus quidam, & considerans ægrotum prædictis cũ affectionibus, obstructiones circa stomachum & splenem pati, syrupum de obstruentem & aperientem nimium descripsit, veluti inunctionem quandã calidam quoque: unde humor calidus à capite calido facilius ruebat, & spiritualia membra validius offendebat; adeò ut tussis crebrior acreverit: ita ut in pectore ipso vena disrumpi cœperit, & sanguis ex ea per os efflui: quapropter vocatus ego ad eum, & omnia perpendens, noto Medicum illum attendisse potius ad ventriculi & splenis obstructiones, quam ad humorem à capite in pectus descendentem, unde oximel & syrupum de hyssopo, huic concedebat: quo factum est, ut humores magis subtiliati, magis ad pectus descenderent, & symptomata omnia graviora evaderent: quapropter abnegatis omnibus per Medicum illum concessis, quæ calida & aperiendi vim habebant, & introductis rebus frigidis, intra triduum, ita ægrotus valere dixit: acsi ab inferis revocatus fuerit: nam cùm antea multum tussiebat, & viscida & sanguinolenta spueret, ut ea omnia è corpore tabido decissa quis diceret, tunc parum vel nihil tussiebat & parum excreabat: sed illud quidem album, aquam supernatans, nihil tabitudinis præ se ferens, sed & febris im minui cœpit, & eò magis post adplicitas ad scapulas cucurbitulas, per quas sanguis abundè extractus fuit: sed tunc pulli contusum cum ptisana hic pro victu habebat, & abstemius, ordeacea aqua contentus in potu evadebat, & syrupum violaceum & rosatum ex rosis siccis deglutiebat, sed in ore diadragachantum cum bolo armeno diu habebat, & per intervalla, eclegma, sive lambetivum ex althæa, simplex gustabat, quod veluti ex farfara parari solet: paratur autem eclegma ex althæa, sic althææ sive hibisci radices recentes incoque, ac eas optimè tere, & per setatium sive tamisium trajicito, & sacharo aqua violacea dissoluto, eas excipito, & eclegma parato, sive lambetivum: ijs enim, ut dixi, is bene habuit: quia de re amplius obedire noluit. Cæterùm, quum hæc literis mandarẽ, ecce quidam catarrho affectus, ut ex eius libello apparet, ad manus meas pervenit, qui pueriliter satis, catarrho in frigido cauterium abnegat: sed quã ratione, ipse ignorat: proinde iuvenibus ijs nulla experientia suffultis, nullà danda erat scribendi circa res graves, & periculum minitantes authoritas: quod si illis ut senioribus, & in artẽ medica experientissimis, æqua datur scribendi licentia, vos à simili eorum doctrina abstinete, quia illis satis superque erat de elementis inquirere, non vero de rebus difficillimis, ad opus condescendentibus iudicium suum ferre.

Curatio

Curatio 78. de dolore ventriculi à multa viscida pituita oborto.

VIgente divite autumno, nobilis mulier, & fortè mater Iunij Georgij patritij Ragusæi, nata annos quinque supra quinquaginta, quum ruri apud Chupaniam ageret, & fabis omnino, ut ex Galeno nostis, flatuosis & fructib⁹ varijs vesceretur, de ingēti dolore oris ventriculi conquesta est: pro quo abigendo, varia ibidem à mulierculis machinata sunt remedia. Cæterū, cùm indies peius valeret, & acrius à dolore cruciaretur, Ragusium se cōtulit: ad quam vocatus ipse, invenio mulierem hanc de dolore isto conqueri, qui à multa viscida & flatuosa pituita ortum traxerat: pro quo levando, vomitus varijs medicamentis fuit irritatus; quibus nunquam scopum obtinuit, & fomenta varia sunt admota, & oleum nescio quale in potu exhibitū, & cucurbitulæ umbilico admotas, & clysteria, sive infusa quam plurima iniecta: sed, ut dixi, absque profectu ullo, cum dolor gravius semper affligeret: proinde omnia hæc considerans, & stomachi temperaturam frigidam & humidam, doloremque valdè & continuò offendentem, qui ad cor fortè properabat, & thoracis bonam partem occupabat: de quo Avicenna Fen. 13. lib. 3. inquit. Et quandoque moritur ægrotus confestim propter adventum doloris ad cor. Data omni diligentia, vomitorium hoc medicamentum parare jubeo quod habet. Rec. Stillatitiæ aquæ, floris chamæmeli libram unam. oximellitis unciam unam, agarici albi, optimè pulverizati drachm. unam: misce, & tepidum totum propinato: à quo ebibito, brevi in vomitum soluta fuit: id quod antea nullis medicamentis consequuta fuerat: unde cùm de obitu timeret, se evasuram ab hoc morbo credidit, vomuit autem pituitam ita E viscidam, ut ligno apprehensam, eam ex alto tenerem: nec enim semel vomuit, sed bis posteà pituitæ dictæ iustā quantitatem: & ut ea tunc asistentib. referebat, dolore alleviata erat, nec ita eo lancinabatur, sed tunc clysterem injiciendum curavi hunc. R. Anethi chamæmelæ, betonicę, stœcados, ana pugillum unum, centauri minoris, seminis lini, fœnugræci, ana pugillum mediū, cumini, ameos, cari, ana drachmas duas, in libris tribus, aquæ fiat decoctio sufficiens, & coletur. R. Prædicti decocti libram unam & mediam, F olei anethini, chamæmelini, an. uncias duas, mellis rosati colati unciam unam & mediam, hierę picrę drachmas tres, diaphiniconis drachmas sex, ovi vitellum unum, salis drachmam unam, & alterius mediam: misce, fac clysterem, & injice, quo alvus parum respondit. Cæterùm, intereà dum hæc operabantur, ut dolor ex toto levaretur, fomentum parabatur hoc. R. Anethi, chamæmelæ, meliloti, betonicæ, rutæ, stœchados, calamenti, majoranæ, absinthij, menthæ, centauri minoris, ana pugill. unum, seminis fœniculi, apij, cumini, ameos, dauci ana drachmas duas, semi G nis lini, fœnugræci, radicis althææ, spicæ celticæ iam hodie officinis satis notæ & vulgatæ, ana pugillum medium, in libris duodecim aquæ fiat decoctio sufficiens pro fomento, ex quo imbuta spongia nova, vel filtrum, sæpe applicabatur, & rectè sentiebat: postea vero, locus affectus dolore, linimento sequenti inungebatur. R. Olei Keiri, spicæ nardi, anethini, ana unciam me- H mediam, ceræ parum, ad ignem misce fiat linimentum: ijs enim ea nocte leviter transegit, & dormivit, parum cœnata est, & illud quidem ius pulli pauco minuto pane exceptum, non nisi exiguo cinnamomo adjecto, pro potu vero aquam incoctam anisorum semine habebat, in aurora vero ad eam accedens, eam melius habere deprehendi, tunc verò bolum ex speciebus hieræ picræ Galeni, pauco oximellite exceptum, deglutivit, à quo elapsa hora

panatellam

panatellam iure pulli paratam comedit: & posteà elapsis quinis horis, condit: & posteà elapsis quinis horis, tusum ex pullo bibit, & ovum sorbile super ingessit, & parum vini generosi aqua cinnamomi & anisorum diluti pitissavit, & recte habuit: porrò, ut ventriculus roboraretur, sequenti die rotulos sic descripsimus. R. Specierum aromatici rosati drachmam mediam, specierum diambræ scrupulum unũ, cum saccharo, quantum ratio pharmaceutica postulat misce, fac rotulos pendentes singulos singulas drachmas, & alterius mediam, ex quibus in aurora unum gustabat, & supra parum vini generosi bibebat huius tamen confectionis loco, solet propinari electuariũ de baccis lauri, tantopere à Rasi, libro nono ad Regem Almansorem dicato laudatum, veluti theriaca, aut mithrydatica antidotus, aut terebenthina vera non lota pondere semunciæ, supra ebibito pauco vino generoso, aut Cretensi, aut aqua ardente dicta, vel vitæ, vel horum vice parari solet electuarium sequens, quod habet. R. Pulveris radicis peoniæ drachmam unam, cinnamomi optimi, garyophyllorum, nucis moschatæ, ana drachmam mediam, macis cubebarum, ana scrupulos duos, ligni aloes electi, specierum aromatici rosacei, specierum diambræ, ana scrupulum unum, gingiberis albi scrupulum medium, mastichis grana sex, theriaces optimæ drachmã unam, & alterius mediam: omnia mel le rosaceo colatitio excipiantur, & ad ignem fiat confectio ad formam confectionis opiatę, secundum ordinem pharmacopolium, ex quo iejuno stomacho drachmam integram deglutiat, & nihil supra bibat. Cæterùm, ex varijs quæ extrà admoveri solent, hoc communissimum & satis vulgare est, non contemnendum emplastrum, flatus digerens & resolvens. R. Lanam, quam pannorum tonsores ex panno cocco infecto demere solent, pondere semilibrę, cui adde mellis tantundem: & misce, ac posteà ad ignem calenti, superadde pulveris gingiberis, galangæ, cinnamomi, cubebarum, ana drachmam unam, seminis anisorum, fœniculi, apij, ameos, ana drachmas duas: misce, & fiat emplastrum. & calidum admove: dissolvit nanque flatus, & humores domat frigidos.

SCHOLIA.

Periculosus admodum oris ventriculi dolor est, & eo magis, quo cordis regionem occupaverit: pro quo levando, cum pependerit à flatuoso & frigido humore, vomitus omnino irritandus est, quem nos omni diligentia evocavimus: sed audi, solent practici inter habitas observationes pro irritando vomitu commendare, ut ventris lenitio præcedat vomitum, ut ex Avicenna eliciunt fen quarta, libri primi, capite undecimo, quem ordinem nos non sequuti sumus, nec servavimus, quia antea multa præcesserant remedia, item quia regula illa servari debet, quoties acribus & potentibus vomitorijs usi fuerimus, secus autem, quoties levioribus, ut nunc usi sumus, ut ex Avicenna quoque, prædicto loco, quisque doctus, & sensatus deprehendet medicus, & scire decet, quod si dolor hic perseverarat, coacti eramus in potu, unam vel alteram antidoti philonij Tharsensis, aut requiei Nicholai, drachmam dare, postea vero ad causam recurrere, id est, ad materiam pituitosam viscidam, flatulentam, eam incidendo, subtiliando, & pellendo, dein vero membrum ad contrarium alterando, & roborando, præsertim cerato, vel emplastro, ex varijs ad rem facientibus, aut cucitrula ex aromatis, absinthio, & similibus consita: sed ultimo in hoc casu, ut ventriculus calidus servetur, nec in hanc malam affectionem labatur, uti solent pelle oloris, cygni dicti, aut vulturis, aut avis tardæ, aut anseris saginati, recte apparata, prout Venetijs, Ferrariæ, & varijs alijs locis, vendi solet.

Curatio 79. De dolore stomachi, in tertianæ paroxismo affligente.

PEropportunè monachus lignipes iuvenis ex Stagno civitate, graviter tertiana correptus ad nos venit. Qui, cùm paroxismo corripi incipiebat,

bat, ita ventriculi dolore cruciari quo-
que incipiebat, ut alta voce ad mediã
horam clamaret, qui dolor non aliun-
de quàm à bile acri ex jecore ad ven-
triculum fluxa, ortum trahebat, quæ
ſua acredine, & mordacitate dolorem
inferebat, proinde nos cauſam morbi
tenentes, eam clyſteribus ante paroxiſ-
mum horam unam vel alteram im-
miſsis, divertẽdam curabamus, & buc-
cellam panis comedendam elargieba-
mur, intinctam ſucco granatorum
acetoſorum, aut robo herberorum, aut
ribes, aut ſucco cotoneorum auſtero-
rum, aut malorum acidorum, aut oxi-
ſacchara ſimplici, aut robo myrtillo-
rum, aut aliquo horum ſimilium, nec
F minus tunc ventriculus roborabatur
linimento parato oleo myrtino, roſa-
ceo, & cotoneorum, in quibus, ut ars
docet, maſtichis & thuris parum pri-
mo inferbuerat, & colatura facta, præ-
dictis oleis miſcebatur pulvis roſa-
rum rubearum non completarum, co-
rallorum, coriandrorum præparatorũ
& pauca cera alba linimentum para-
batur, cuius vices ſupplent varia alia ſi
G lentio à nobis prætermiſſa, ſed ijs mo-
nachus hic melius habuit, & præpara-
ta materia, ac expulſa, & jecore, & ſpi-
na dorſi, nonullis frigidis, contempe-
ratis, à dolore liber factus fuit, morbus
tamen ad aliquod dies perſeveravit,
qui poſtea errando in quartanam mu-
tatus eſt. Cæterùm, cum hæc percutro,
in mentem venit olim quidam, qui cũ
H malè de ſtomachi dolore quæreretur,
& pro ſua ſalute me accerſiri curaret:
ecce interea dum ad alios diverto æ-
grotantes, muliercula aſsiſtens, hunc
ſolo calente pane diſſecto, & ſtomacho
adplicito, eum ſanavit, ut poſtea mea
opera non indiguerit. Erat enim dolor
hic, fortè ab intemperie frigida, abſque
materia veniens, & re vera, panis hic
à furno recens extractus in hoc caſu,
multum valet, veluti ſi à caliditate do-
lor evenerit, prędictus panis aceto acer
rimo imbutus applicitus fuerit, quod
opus quoque malum punicum aceto
tabefactum, & admotum, complere ex-
E pertus ſum, variè igitur morbi pro va-
ria eorum cauſa, curari debent.

Curatio 80. De vertigine, quæ Græcis σκότωμα dicitur.

MArinus vir inſularis, obeſus, na-
tura pituitoſus, vertigine mor-
bo gravi periculoſo & in comitialem
venturo facili, jamdiu eſt laborat, huic
caput continuò circunfertur, rotatur-
ve, & præ caligine oculi obſcurantur,
quæ omnia fortè ab ſpiritu vaporoſo,
F levato ab imbecilli calore, & in cere-
bri partibus inordinato modo & mo-
tu procedunt, cum quibus, capitis do-
lor, & eius ingens gravitas, aurium ſo-
nitus, olfactus amiſsio, & ſimilia erant,
ut morbum hunc per primogeniam
affectionem in ipſo fieri capite, certum
ſit. Nam cùm vir hic trigeſimum
octavum ætatis ſuæ annum agat, agi-
tur iam tertius annus, quòd hoc vexa-
G tur morbo, prioribus nanque ſex hu-
ius carnificis morbi menſibus, circa
ventriculi os dolorem ſentiebat, &
ſæpè nauſeabundus incedebat, ut cre-
dendum ſit, morbum hunc tunc per
conſenſum ortum traxiſſe, temporis
tamen ſucceſſu, capiti inſitum & pro-
prium fieri, eo autem nunc continuò
vexatur, & torquetur. Pro quo levan-
do multa & varia fuere adhibita re-
H media: nam & corpus per potiones
paratum, purgatum non ſemel fuit
per catapotia, & ſanguis per hirudi-
nes ex ani venis abundè extractus, ve-
luti per cucurbitulas ſectæ cuti ſcapu-
larum affixas, non minus gargariſmis
apophlegmatiſmis, & ſternutamenta
moventibus, ut ſucco cyclaminis, in
nares infuſo, veluti anagalidis, & cu-
cumeris aſinini, vel ſtruthij, vel pipe-
re albo, aut helleboro albo, aut ſtru-
thio, lanaria herba dicta: quæ omnia
per nares egregiè purgant, ſed & ca-
put irrigatum fuit embrocha compo-
ſita, varijs herbis diſcutiendi facultate

præ

A prӕditis, tandem ad vesicatorium deventum est, quӕ omnia nihil contulere. Proinde ad me venit, auxilium pro tanto profligando malo petens, cui lubentissimè obtemperantes, eius curam suscepimus, & repurgato corpore, ad vinum decoctionis guayaci, in quo inferbuerat betonica, tantis laudibus decantata herba, ab Antonio Musa Augusti Cӕsaris medico celebri, confugimus, quod per quadraginta dies ebibit, optimo victus ordine servato, & inde sanus evasit, & nunc fausta & prospera valetudine utitur.

B

SCHOLIA.

Commodum hӕc scribebamus, cum tertius navigationum tomus vernacula Italorum lingua conscriptus, è Veneta Typographia, prodijt, in quo circa calcem, hӕc animadversione digna invenimus. Gallos in novam sive floridam Franciam navigantes, novo & insitato morbi genere correptos fuisse: cui nullis remedijs occurri poterat, postea tamen novӕ arboris subsidio, subito convaluisse, non tantum eos, qui eo morbo infecti erant: sed a multis retro annis gallica scabie infectos, unde mihi suspicio est: eandem hanc cum guayaco arborem esse, cum verò certiora afferentur uberius de ea volente Deo, scribemus interim fides ipsa penes gallos authores esto. Illud etiam repetitum velim, Hispanis hominibus persuasum esse: Europem buxum guayacum esse, cuius buxi decocto ad propulsandum morbum gallicum insigni fӕlicitate utũtur, eos nos ijs in Centurijs sequuti sumus, quod si error fuit, non mihi, sed authoribus Hispanis asignandus erat, novi ego quantum buxus Europeus a guayaca arbore, folijs, tum fructu, ac reliquis differat. Cӕterum Hispani quibus differentiam inter utranque obijcimus, verum non fateri respondent, sed non per inde desistunt opinione, cum eas soli ratione tantum differre, & eo in climate procerius, & alacrius crescere, quam in Europa, dicant, nos utcunque sit, utranque arborem viribus parem esse experti sumus. Cӕterum, practicas scribentes differentiam faciunt inter vertiginem, & scotomaticum affectum, aut ut ipsi aiunt, scotomiam, quanquam scotomiam, receptum vocabulum apud Grӕcos authores esse, docti quidam memoriӕ mandarunt, dicunt igitur scotomiam, sive scotomaticum affectum, eum esse morbum qualem Marinus hic passus est, vertiginem vero, ubi capitis simplex rotatio absque oculorum obtenebratione reperitur, quӕ sane divisio, tametsi prӕter Grӕcorum mentem sit, quum apud eos σκότωμα, vertigo sit, non omnino tamen improbanda est, quum nescio quid in hoc morbo nominando, claritatis afferat.

C

D

Curatio 81. De phymate inter anum & testiculos, & quod crudum aperiri debet.

Ludovicus Spartarius vir, qui cum diu apud Romam egit, nunc Ragusij phyma inter anum & pudendum patitur, ad quem accitus ego, inveniens phyma ferè ad suppurationem venisse, suadeo illico de eius sectione, & apertura: nam aliter pus rodens fistulam creare, timebam. Alter verò medicus asisistens, nondum exactam maturitatem in phymate esse contendebat: proinde differendam aperturam contestabatur: cui ӕgrotus fidem prӕstans, fortè sectionis dolorem fugiens, tantum interposuit tempus, ut ex se inflammatio disrupta fuerit, ex qua multum puris effluxit, unde quantumcumque diligenter postea curata aperta manet, & ut creditur, in fistulam degenerabit.

SCHOLIA.

Ignorabat asistens medicus ille, huiuscemodi phymata ex Hippocratis mandatis cruda aperienda esse, sic enim Hippocrates, libro de fistulis, non procul a principio ait, ante omnia igitur quum nasci senties eiusmodi aliquod phyma, priusquam suppuratio ad anum pertineat, celerrime crudum secabis. Ex quibus Hipp. verbis satis constat, medicum hunc satis errasse, quum phymatis sectionem in longum distulerit tempus, nec enim subterfugiendi locus illi datur, cùm dixerit, Hippocratem de ani phymate loquutum, non vero de eo, quod inter pudendum & anum habetur, quum phymata ea omnia fere eadem

sunt, quia partes eædem, & interse similes satis sunt. Cæterùm iubet Hipp. hoc in loco, vt phymata cruda aperiantur, quia longa suppuratione locus hic ita computrescit, ut laceris vestium fragmentis similis evadat, vocatur autem a Græcis rhacodes, & agglutinari difficulter potest, vt in Altarasio olim vidistis. Item quia si phymata ad suppurationem venerint, timor est inde fistula evadat, morbus curatu difficilis, nec enim Hipp. magnum putat malum, quod ex crudo aperto phymate oriri potest, quum illud inflammatio sit, quam curare non magni negotij est.

Curatio 82. De abcessu spirituoso dicto, raro evenire solito.

ABcessum patiebatur adolescens Ragusæus sub ala, & illum quidem præmagnum, qui temporis successu, mollis & lividus magna cum pulsatione ita evasit, ut intra eum pus contineri medici & chirurgici pro certo haberent: itaque de eo aperiendo, nulla inter eos discordia habita, opus aggresi sunt, sed quali successu, audite, vix enim abcessus phlebotomo apertus fuit, ex quo sanguis impetuosè, quodam cum spiritus strepitu prosilivit, cum ægrotus ipse, posito capite, expiravit, non sine tamen ingenti assistentium medicorum opprobrio & dedecore.

SCHOLIA.

INflammatio ut a sanguine è venis effluxo, fieri solet, ita abscessus hic ex arteria spirituoso sanguine extra collecto, evenire solet, qui quidem abscessus periculosus admodum est, vt in quo spiritus, qui ipso Galeno dicente, anima ipsa, vel animæ immediatum instrumentum sunt, continentur, quo aperto, vel ex se disrupto, ægrotans periclitatur & deficit; memini me alias Romæ similem vidisse morbum, a quo qui illum patiebatur, ut & hic brevi obijt.

E

Curatio 83. In qua detegitur error, in descriptione galliæ muschatæ Nicolai, & alter in descriptione unguenti rosacei apud Mesuem.

QVum Nicolai medicamentum, aut verius trochisci galliæ moschatæ passim usui veniant, operæpretium me facturum existimo, si ad præsens errorem, quem in eis concinnandis pharmacopolæ cõmittunt, detexero: pharmacopolæ nanque ex precepto primo paratos trochiscos, & in pulverem postea redactos, uncijs quatuor olei sambucini, vel ut alijs placet sambucini, vel ut alijs etiam sãsuccini, qua in re, non multum moror, miscent, ipsis supra injiciendo cinnamomi, garyophyllorum, nucis muschatæ ana unciam mediam, ex quibus omnibus recte commistis, & fermentatis, postea trochiscos concinnant: sed quanto errore, audite: primo quia hic componẽdo medicamento, olei quatuor uncias miscent, quæ sanè olei quantitas sufficiens est ad medicamentum penitus humidum & liquidum ac ineptum figuræ trochiscorum reddendum: secundo, quod prædictam olei quantitatem infundentes, medicamentum exurunt, oleum ad medias consumendum, credentes, atque ita sese rem habere, ipsa descriptio Nicolai satis testatur, quę ita habet. Rec. Mastichis unc. 2. gummi unc. 1. camphoræ scrup. 1. hæc autem benè terantur subtilissimè, & cribrentur, & trochisci inde fiant, aqua rosacea, & siccẽtur ad umbram, & postquã fuerint desiccati terantur subtilissimè, & misceantur, cum unc. 4. olei sambucini bulliti, & colati, ad medietatem: deinde, misce, cum speciebus istis bene tritis, & cætera: ex ijs autem nos verum loqui deprehenderis, proinde, ne pharmacopolæ amplius errent, sciant, Nicolaum olei sambucini

pondus

F G H

pondus rectũ, conveniens & sufficiens A injiciendum describere, non quidem, ut pharmacopolæ rudes putãt, quatuor unc. sed magis, ut diligentes norunt, quartã partem unciæ unius, quæ pars, drachmæ duæ sunt, tantum olei pendentes quantum, ut ex omnibus illis trochisci parentur, satis est, & quod Nicolaus ita quartam partem unciæ intelligat, vel ex hoc facilè percipitur, quia primo quartam partem, & posteà unc. decussat, sic enim ille habet cum unc. 4. id est, cum quarta unciæ: nam si cum quatuor uncijs intelligeret, primo ut illi mos est, uncias decussaret, dein B numerũ signaret, sed quum quartam partem unc. intelligat consequens erat ut eo modo, quo fecit describeret. Cæterùm, quantum attinet, ad ea, quæ sequũtur, scilicet olei sambucini bulliti, & colati, & medietatem, deinde misce, cũ speciebus istis bene tritis, & cætera. Cum hæc diligẽtius inquirerem: ecce in Nicolai exemplar quoddam manu scriptum characterib. longobardicis elegantissimis, & inauratis exaratũ & depictum incidi, quod ex instructa bibliotheca Mathiæ ungariæ Regis illi⁹, C qui Ioannem ex Monte regio Ephemeridum scriptorem multis auxit honorib. & divitijs prodierat, in quo bucini cocti, & bulliãt ad medietatẽ cum specieb. istis bene tritis, ex qua lectione satis clarum evadit, locum hunc apud Nicolaum depravatũ Typographorũ vitio esse. Sic igitur dehinc, locus hic legendus est, & postquã fuerint desiccati trochisci terantur subtilissime, & misceãtur cũm quarta parte unciæ unius, D olei sambucini cocti, & bulliant ad medietatem, cum specieb. istis bene tritis: quæ sane lectio, veritati & rationi conficiendorũ trochiscorum huius galliæ muschatæ, consonat: cui sequens Antidotus Nicolai idem est, cum gallia descripta à Mesuæ: miscetur autem gallia Nicolai emplastris, ceratis & unctionibus: Mesues vero gallia magnis & celeberrimis medicinis, ac Antidotis singularibus iungitur: ita enim Nicolaus post confectionem galliæ muschatæ suæ, tradit: confectio verè ita fit, id est, galliç muschatæ veræ descriptio, sive Antidotus, quam Mesuæ memoriæ commendaverat, ita habet: ambræ orientalis, & cætera: camphoram tamen hic plus habet. Cæterùm, dum in Nicolao restituendo laboro, ecce alter Mesues error mihi se offert, ex descriptione unguenti rosacei. Inquit enim Mesue in unguẽti rosacei descriptione. Rec. Axungiæ porcinæ recentis, quãtitatem, quam volueris, & inferius: olei amygdalini partes sex. Hic enim error maximus est, cum pro sextam partem Typographi, sex partes legerint: si enim sex partes olei, ad unam axungiæ miscuerimus, proculdubio non unguentum, sed linimentum potiùs, & id valde liquidum conficiemus, unde satis mirari non possum eos, qui Mesuem Latinissimum, & eloquentissimum reddere pro viribus laborant, hæc & similia non aduertere, ut error enim hic apud Mesuem emendandus occurrit, ita plures alij similes in promptu sunt, quos ad præsens silẽtio præterire volui, quum hoc mei instituti non sit, satis enim est, me alijs viam munire, & aperire.

Curatio 84. De Tenesmo ob inflammatum rectum intestinum, cum stranguria, id est, urinæ difficultate veniente.

QVi extra urbem agebat, Stephanus Gozius nobilis Ragusæus, & difficulter cõsequebatur valetudinem, in tenesmum incidit, contra quem clysterem abstergentem illico injiciendum curavimus, & brevi ea desidendi frequens & assidua cupiditas repressa est. Cæterùm, paucis elapsis diebus, mala hæc affectio iterum redijt, & prædicto injecto clysteri, & varijs alijs adhibitis remedijs, nihilo melius habuit, sed morbus potius auctus est, & in alium, quem Græci stranguriam,

Celsus difficultatem urinæ vertit: alij verò stillicidium urinæ vocant, lapsus est: pro quibus abigendis malis affectionibus, in mentẽ venit hanc malã affectionem primariam, tenesmum dictam, ab inflammatione ortum traxisse, cuius causa fuit sanguis atrabaliarius trajectus ad venas hemorroidales, eoque cõsortij ratione, vesica passa est, & ægrotus in urinæ difficultatem incidit, quibus de causis, admotis eisdem hemorrhoidalibus, tribus hirudinibus, & extracto multo sanguine, brevi affectio hæc sublata est.

SCHOLIA.

Tenesmus varijs de causis evenire solet, ideoque variam curationem exposcit: evenit autem ob stercus prædurum impactum intestino cæco, ob frigus extrinsecus advemẽs, ob acres rodentes & biliosos humores, ob falsam pituitam, ob inflammationem, & nonnunquam ob ulcus. Cæterum, Hippocrates lib. de Fistulis, ita describit hunc morbum & eũ ita suis numeris absolvit & coloribus sive m dicijs depingit, ut nihil quod amplius desideremus sit, eius autem verba hæc sunt, quod si anus inflammetur, dolor, & febris accidat, atque homo crebro desidat, sed nihil deijciat, videturque anus procidere, ὑπὸ τοῦ φλέγματος *hoc est, ob pituitam, vel si mavis, ob inflammationem, utroque enim modo verti potest ut doctè Vidius Florentinus eo in loco monuit, quoniã* φλέγμα *ab Hippocrate, non solum pro pituita, sed pro inflammatione accipitur, quum autem phlegma dicimus, salsum intelligere hac in parte debemus, quum verò inflammationem, aliquando phlegmonem, aliquando verò citra omnem tumorem æstuantem nimia caliditate particulam, ut Hippocrates quoque intelligit libro de vulnerebus capitis, & nos experimur in nostro ægrotante.*

Curatio 85. De ulcere in palato à morbo Gallico ortum trahente.

Aeneas Neapolitanus musicus; morbo Gallico leviori quum laboraret, ulcus in palato ad columellã

E exedens patiebatur, ex quo periculum erat, ne columella ipsa corrosa excisave evaderet, pro quibus abigendis curandisve morbis, non semel (ut decet) purgato corpore, decoctum radicis similacis asperæ, hodie zarzæ parillæ vocatæ, pauco senæ paratum, optimo & parco instituto victus ordine, ebibendum tradidimus: quo rectè sudabat, & melius habebat. Cæterum, pro ulcere ipso sanando, aquam hanc describendam paravimus, ex qua gosapij madefacta pilula, intus indebatur adaptabaturque, ita ut ne stilla guttave ulla caderet, habet autem aqua sic. Rec. Aquæ plantaginis uncias duas, rosarum. 3. id

F est, viridis æris drach. mediam, misce, & ad ignem parum calefiat, & ut dixi, per intervalla utatur, est enim aqua hæc optima, & quę à putrilagine ulcera expurgat, mundificatque: porro aquam hanc, quãdoque magis mitem quandoque verò potentiorem paramus, prout necessitas urget, cui & tutiã præparatam ad scrupulos quatuor addimus, sed hic prædicta usus est, & frequenter gargarismo sequenti gargari

G zabat. R. Sumachiorum, balaustiorum summitatum rubi, foliorũ olivæ, plantaginis, rosarum, ana manip. unũ, thuris, mastichis, sarcocollæ, ana unc. mediam, in aquæ libris tribus fiat decoctio secundum artis ministerium, & coletur, cui adde mellis rosacei colati unc. duas, misce, & ad ignẽ iterum parum bulliat, quo assiduo utatur. Nam

H & per intervalla lacte gargarizabat, quod summum remedium pro ijs curandis ulceribus habetur: ijs enim ita rectè valuit, ut intra viginti dies pristinam sanitatem adeptus sit. Cæterum, hodie quidam loco aquæ viridis dictæ ex arsenico paratam aquam admittunt, veluti alij oleum de vitriolo, aut pulverem ex pręcipitato, sed fortè contra Galeni decretum, ut qui in sua doctrina hortatur, iubetque ne quis pro curandis oris ulceribus, medicamentis urendi vim habentibus utatur, timet nanque ipse, eorum in stomachum aliquem descensum.

Curatio

A

Curatio 86. De accelerando partu, simulque de redundante lacte minuendo.

VXor Abner Alfarini, biduum ante partum cecidit, & puerum intra uterum ad caput ita contudit, ut eũ interfecerit, tempore verò posteà partus, ita difficulter pariebat, ut remedijs partum accelerantibus opus habuerit, B qua de causa, ita descripsimus. R. Trochiscorum de Mirrha, drachmam mediam, croci scrupul. duos, cinnamomi drachmam unam, diptami cretensis, scrupulum unum, seselis scrupulum medium, omnia terantur subtilissimè, & iure & pauco vinno Cretensi excepta calida bibenda dentur, & ad nares sternutamentum provocans, ut helleborũ, aut condisum, aut piperis pulvis, aut simile aliquod admoveatur, quibus adiuta, brevi puerum integrum, sed mortuum peperit. Cæterùm, C quum hæc primipara esset, iuvenis sanguinea, ad eius mammas multum lactis confluxit, pro quo minuendo, unum præceptum habentes, quod quæ semen extinguunt, lac in mammis extinguere soleant, sic aggressi sumus, & primò quoniam hæc mulier abundè purgata erat, oxicratum linteis exceptum suprà mammas sæpè admovebat, quo rectè valere inculcabat, sed posteà hoc emplastrum descripsimus. Recipe, Farinę lentium, fabarum ramenti, radicum caulium, ana unam unciam, & alterius mediam, croci D drachmam unam, salis, drachmam unam & mediam cineris cancri fluviatilis unciam mediam, laccæ, lithargirij, ana drachmas duas, omnia cum decocto fœnugræci in mortario excipiantur, & terantur, quibus adde, mucaginis psilij, unciam unam & alterius mediam, aceti acerrimi unciam unã: misce, fac emplastrum secundum pharmacopolium magisterium, & admove: superpositis folijs ricini, hoc enim emplastrum tanta vi & potentia fuit, ut opus brevi confecerit, proposita victus ratione sanguinem parum gignentes Nam parcus victus huic malæ affectioni multùm prodest. Cæterùm, morbum hunc, Græci σπαργάνωσιν, vocant, qui si rectè non curetur in θρόμβωσιν, hoc est grumescentiam, sive in grumos conversum lac, verti solet, veluti in inflammationem. Cæterùm, si mulier passa fuerit lactis defectum, accipito fœniculi virentis summitates, quas vino vel aqua, aut utrisque simul incoquito, quod decoctum bibat, ad lubitũ in prandio & cœda, & interdiu, & eo lac brevi multiplicabitur, ut experientia compertum habetur.

Curatio 87. De impostura quadam, videlicet, quod muliercula in incantamentis iuvenem surdum fecerit.

ILlyrica mulier, quæ omnibus Ragusij prostabat, apud Iudices accusatur, quod iuvenem nobilem excantamẽtis surdum reddiderit. Qua de causa, carceribus retenta (advocato eam defendente) crimen inficiebatur: tandem post multa & varia in hac controversia jactata, me rogãt iudices, ut quod hac de re sentiam, chartis tradam: quibus obedire cum par sit, pauca hæc describere coactus sum: nam in hac re si omnia ad unguem percurrere velim, iustum volumen conficiendum esset, quod contra institutum nostrum est: medicinam nanque deorum artem exercemus, qua non paucos ab orci faucibus revocamus: pro quo exactè complendo instituto, Hippo. magni, & eius maximi ampliatoris Galeni Asiatici libros, & sacra dogmata diu noctuque versemus oportet. Non nobis igitur vacat de incãtationibus prolixe agere. Proponitur contra meretricem causa, quod iuvenem nobilem, robustum apprime & bene musculosum, vi ve-

neficij surdum reddiderit, & opus id ab ea fieri posse, proponuntur historiæ citantur leges, & doctorum hominum placita adducuntur, quin & testes oculati, qui circulis, invocationibus, excantationibus, sortilegijs, & huiuscemodi varijs, simillima hæc & majora portenta fieri ab alijs producuntur, non minus contra eam adducunt id quod de huiuscemodi mulierculis jactatur, quod homines impotentes reddant, & ab eisdem postea nonnullis exorcismis impotentiam illam depellant: itaque, ut hæc machinantur, ita & iuvenem hunc surdum potuisse facere non esse mirum, quia sæpe suis incantamentis ac magicis invocationibus, absentes tanquam præsentes indigitant, imò seipsas in alia corpora non raro transformant, atque eas Strigas vocant, ut per amplè Comes Mirandulanus huic negotio dicato libello, indicavit: Romana nanque mulier precatione aquam cribro, ut memoriæ est traditum, attulit, & Vlysses carmine sanguinem profluentem compescuit, ut alias multas & varias hominum transfotmationes præteteramus, quæ hoc fieri posse attestantur, in legum nanque duodecim tabulis legitur, qui fruges excantasset: & alibi, qui carmen malum incantasset, ut Plinius prosequitur libro vigesimooctavo suæ natural. Historiæ. Item in lege à Deo optimo maximo per Mosem tradita legimus, Veneficos ne patiaris vivere. Sunt autem ij incantatores dicti, qui incantationibus, & cæteris malis artibus, veluti vetita magiæ specie utuntur, ut est goetica, thurgia quoque dicta, quæ dæmonum invocatione, infandisque incantationibus constat, & ea hominum mentes fallacia perstringuntur, quæ aut fit per aquã, aut securibus, & alijs ferramentis, aut pelvibus aqua plenis, aut speculo, aut igne, aut terra, aut evocatione umbrarum, & hæc Necromantia dicitur, & eam exercentes Necromantici, quorum incantamentis mortui revocari ad vitã, divinare, & ad interrogata respõdere videntur,

E aut fit fumo, aut cribro, aut lineis manuum: quanquam hæc ultima veritatis nonnihil contineat, chiromãtia dicta: si modo veri libri Medicorum & Philosophorum sunt, quibus titulus est, Quod animi mores sequuntur corporis temperaturã, & physionogmia, sed Aristoteles non prorsus commentitiã esse hanc observationem tradit, libro Problematum, quum quærat, quare lõgævi sint, qui habent integram lineam mediæ manus: sed hæc per excursum. Quum igitur tot artes pessimæ sint, quibus muliercula hæc uti poterat ad
F surdum reddendum nobilem hunc iuvenem, non absurdum esset eam tanti criminis ream facere. Galenus quoque anicularum incantationes vim habere credit, ut refert quoque Alexander Trallianus libro nono suæ medicinæ, capite 4. missa facimus cætera huius generis varia, quæ contra hanc afferebantur, quæ ad præsens recensere non vacat: neque si vacaret, puto operę pretium fore, & eò magis quòd credimus mulierculam hanc non posse solis verbis, aut incantationibus aliquem surdum redere, ut ex divi Thomæ li-
G bro tertio contra gentiles decerpimus, ubi præcipuè Avicennæ opinionem, quòd imaginatio faciat casum, persequitur, refellit, & sugillat, de qua re nos ad præsens multa notatu digna conscribere poteramus: sed quum extra institutum sit nostrum, ea prætermittere satius duximus. Reliquum est igitur videre, an medicamentis aliquibus, duntaxat conjunctis verbis nonnullis, mulierculam hanc hoc confe-
H cisse opus credendum sit, quod fieri posse dicet aliquis, quum Dioscorides de Mandragora morione dicta tradat, eius radicis drachmam in potu, aut cum polenta in panis offa, vel obsonio datam infatuare, & solani maniaci, seu insani, radicis drachmam in vino bibentibus non injucundas imagines repræsentare, ut hic Ragusij factum esse à quodam Mario in cœna, omnes Ragusæi norunt, à quo omnes convivæ sui, lymphati, ceriti,

&

& insanientes elati sunt, cuius radicis duplicatum pondus in triduum mentis excessum efficere: quadruplicatum verò, mortem quoque adferre certum est. Adhæc, & similia, talia sunt, ut nobiscum concludant mulierculam hanc ne que verbis nudis, neque medicamentis adiunctis, opus hoc confecisse: nam solis verbis divus Thomas, ut dixi, id fieri posse negat, veluti fascinationem nuda qualitate: verbis autem non fuisse adiuncta medicamenta, vel ex hoc elicitur, quod si fuissent ea iuvenis statim, vel intra diem ad summum persensisset, id quod minimè persensisse fatetur. B Item surditas subitò illum arriperet, quæ potius, ut audio, paulatim aliquot mensibus ingressa est. Restat igitur, ut dicamus, iuvenem hoc contraxisse malum ex alio morbo, quam ab incantamentis mulierculæ, ut prolixius cum huius iuvenis curationem prosequuti sumus, diximus. Is nanq. cum bis morbo Gallico laboravisset, manus & pedes ragadis, & fœdis scissuris infectas habebat: pro quibus curandis Venetias petivit, ubi à quodam empirico homine solo linimento curatus, ab hac fœda affectione sanatus fuit: retrocessit nanque materia ad alium locum, & fortè ad aures, unde paulò posteà is de auriũ sonitu cõqueri cœpit, qui cum nullum vitæ ordinem servaret, sed magis effrænatus ad omne vitium proclivis esset, non multò posteà, prædicente Medico docto, penitus in surditatem lapsus est: est enim auditus organum tanto artificio fabrefactũ, ut à quavis vel levi caussa solvatur, & in discrasiam exactam D veniat: stapedæ nanque osseæ, ut aliàs dixi, figuram, veluti incudem, osiculũ malleoli modo ferit, quod alligamento sustinetur, & cum à sonis impellitur, incudem ferit: exiccantur nanque ea percussione spiritus in nervis existentes, unde auditio resultat. Hanc igitur verissimam surditatis causam esse crediderim, & eo magis, quia non paucos olim observavimus, qui cum ab huiuscemodi manuum palmarum vitio curari contendissent, aut surdastri, aut

A lusciosi, aut ingentissimis doloribus cephalicis affecti sunt, aut omnino brevi vitam cum morte commutarunt: cæteris verò magicis præstigijs, unum Almaum, nostro tempore alterum Demogorgonem, hominem, si rectè teneo, Hispanum, opponere satis esset, quẽ ut universa Anthuerpia, ita Caroli Quinti Imperatoris aulici omnes optimè noverunt. Qui tam multas incantationes & delusiones machinabatur, ut omnium, qui unquam fuere, præstigiator maximus haberetur: nullam tamen naturæ iniuriam inferebat, ut Imperator ipse egregiè novit, qui ipsum ab Inquisitoribus accusatum absoluit: obijt autem vir hic Anthuerpiæ, apud Mediolanensem quendam Bartholomæum Vicomercatum, hominem pium, anno 1541. qui eum è carcere in quo propter æs alienum detinebatur, liberaverat. Reliquis verò Senecam objicere possum libro quarto Naturalium quæstionum capite sexto, ubi incipit, non tempero mihi & cetera, quem vos per otiũ legite, veluti & Plinium omnium harum vanitatum contemptorem, libro C trigesimo capite primo & secundo. Cæterum paucis ijs, iusti iudices adducti mulierculam hanc absolverunt.

Curatio 88. de veneno, quod ad certum tempus datur.

QVum in controversia essent Medici, an dari posit venenum, quod ad terminatum interimat tempus, hoc est, quod uno mense, vel duobus, vel integro anno opus suum conficiat, & perimat, me rogãt, ut quod hac de re sentiam, in lucem prodam: diversa nanq. & varia esse hominum iudicia in hac re inculcant: proinde nostro more, hoc est brevi dicamus, venena quæ certo & præscripto tempore interimant, à nemine mortalium excogitari possunt. Nam Medicus doctissimus quisque, & sapiẽtissimus, qui etiam veneni exactè

teneat

teneat naturam & vim: non tamen exactè accipientis venenum, resistentiam novit: quæ duo, scilicet veneni vis, & resistentia eius, qui venenum accipit, ut noscat ad unguem Medicus necessarium est. Cæterum cum hominum variæ sint temperaturæ, & earum multiplices dispositiones: hinc fit, ut vario modo operētur venena, quædam citò, quædam tardè, quædam medio modo. Nam corpora frigida arctos habentia meatus, venena quæcūque sint, tardius intermeant: quia ea tardè ab huiusmodi corporibus reducuntur à potētia ad actum, & lentè ac longo tempore ad cor perveniunt, & ex consequenti longo intervallo interimunt: quæ omnia corporibus calidioribus contrario eveniunt: quia venena citius in eis à potentia ad actum transeunt, & per meatus laxatos ab ingenti calore arteriarum & vasorum aliorum, ad cor citius deferuntur, & ex consequenti celeriùs interimunt: quibus addimus, quod homo varijs horis vario modo habetur: quandoque validus, & ad omnia peragenda firmus, & potens: quandoque verò invalidus, infirmus, & imbecillis: proinde nunquam dari posse venenū, quod determinato quodam tempore enecet, certum est. Thurcæ tamen & Indi, qui venena scitè tractant, venena ad determinatum tempus ita dextrè & artificiose concinnant, ut rarò suis frustrentur votis: præparant autem medicamenta varia, quæ ad tempus interimentia vocant: quorum aliud menstruo, aliud bimestri, aliud vero annuo spatio opus suum conficit. Cæterùm, cùm tempus signant, non determinatum intelligi volunt, sed plus minus pro subjecti ratione: id quod (ut ego sentio) viris doctis absurdum videri nō debet, cum aliter irritæ essent medicamentorum purgantium & interimentium doses, id est, eorum determinatæ quantitates, & pondera à viris doctis & exercitatissimis Medicis perscriptæ & signatæ. Neve absque exemplis agamus, quæ plerumque multum lucis afferre solent, Dioscorides vir gravissi-

E mus, & in medica arte exercitatissimus, & vigilantissimus libro quarto capite septuagesimonono, in quo de mandragora agit, inquit, Succus huius duobus obolis ex mulso potus, ut veratrum per vomitiones bilem atram pituitamque extrahit, verum potu largiore, vita adimitur, & in capitis fine, cum de morio mandraguræ altera loquitur specie, ita quoque tradit, tradūt eam in pane offa, obsoniove drachmæ pondere devoratam non memoriam modo, sed usum quoque rationis inter-
F cipere: obdormiscit enim homo eo ferè quo comederit habitu, sēsus impos, ternis quaternisve, ex quo data est, horis. Hæc autem Dioscoridis ultima verba nobis consideranda sunt, quibus ait hominem impotentem fieri, tertia vel quarta hora post eius esum: signat namque hic Dioscorides tempus in quo fere morion operatur. Non igitur difficile creditu erit, venena artificiosè concinnari posse, aut fortè ita nata, & natura sua reperiri, quę determinato quodam tempore paulò seriùs ociusve in-
G terimant, Adhæc describit exercitatus Medicus, habita humoris peccantis ratione, catapotiorum purgantiū drachmam unam vel alteram, adiectis tribus vel quatuor aut pluribus diagridij granis: rarò verò vel nunquam, drachmas tres, vel plures propinat, quia novit ille humanæ temperaturæ modum, cui purgantium catapotiorum præscriptum pondus satis sit: quo pondere parum variato, omnes hodierni Medici utuntur, quia noruntilli, & longa experientia compertum habent, eo homines tutò, rectè & absque angustijs, & intestinorum torminibus purgari. Quare
H ij quoque, qui venenum præparant, & longo & frequenti usu eius exhibendi artem consequuti sunt, omnino noverunt, quanto tempore id necaturum sit, & opus suum confectum: paulo tamen ocyus, seriusve dictum est: idem enim in exhibitione venenorum usu venit: quod in alijs quoque quæ à Medicis exhiberi solent medicamentis, referente Galeno libro de Curandi ratione

tione per sanguinis missionem capite A duodecimo, nihil æquè artem medicã in agendo coniecturalem efficere, ut cuiusque remedij quantitatem. Etenim cum compertũ frequenter habeamus, tempus instare exhibendi, aut cibi, aut potus, eiusq. aut calidi, aut frigidi: quantum tamen dandum sit certò haud novimus: idem usu venit in purgantibus medicinis. Nam quod laboranti præbendum medicamentum, aut bilem, sive flavam, sive atram, aut pituitam, aut serosum excrementum vacuãs, exactè novimus. Cæterum quantum præberi debeat, nescimus, ut idem etiam enarratione 37. commentarij secundi libri B de Ratione victus in morbis acutis ostendit. Hinc ab eo, libro secundo methodi medendi capite tertio, & primo Artis curativæ ad Glauconem capite octavo, rectè traditũ est, fieri non posse, ut quantum ex quaque re dandum sit, aut calamo quisquam, aut verbis omnino exprimat, immò ut loco citato libri de Ratione victus in morbis acutis tradit, coniectura hoc artificiali medicus assequatur oportet, quod quidem cuiuslibet non est, sed eius tantum, qui C vim omnium eorum, quæ sub arte cadunt, facultatemque didicerit, & qui memoria vigeat, ac in artis operibus diligenter, & accuratè sit versatus: breviter igitur dicamus. Quemadmodum in exhibendis purgatorijs medicamentis catarcticis dictis, artificiali cõiectura uti opus est, ita eadem uti opus est in exhibendis ad definitum tempus venenis, quæ, ut obiter hoc dicam, venena scilicet longo tempore necantia, ex eis sunt, quæ toto suo genere interimunt, D hoc est, occulta vi, & rodendo & putrefaciendo, & verè deleteria dicuntur, nõ verò ex ijs, quæ suis primis qualitatibus, sive quantitate interficiunt, & frigida sunt, & statim interimere solent, non verò secus, quia à corporis caliditate vincuntur, quæ omnia dignoscens Theophrastus libro nono de Causis plãtarum capite sextodecimo dixit, Aconitum olim ita componi, ut certis occidere temporibus possit, videlicet, bimestri, trimestri, semestri spatio, anno quoq. interdum etiam biennio completo, ut nos quoque ex eo libro quarto nostris Dioscoridis capite de aconito meminimus.

D

Curatio 89. de pleuritide notha.

VIR qui iamdiu morbo laboraverat, eoq. fortasse habituali, in pleuritim spuriam lapsus est, quæ costas nothas deformavit, & internam costarum membranam occupavit, id quod indicabatur ex eo quod super latus læsum commodè ægrotus iacebat, super alterum verò, cum iaceret, magnum dolorem sentiebat: ex hac enim pleuritide ita invalidus, & imbecillis ægrotus is est factus, ut cum moriturum omnes putarent. Nos vero ut eum à tanto malo liberaremus ita commenti sumus, & primo, fomentum hoc paravimus. ℞. Absinthij, anethi, chamæmele, ana manipulum unum, rosarum, meliloti, phlomos, parietariæ, seminis lini, fœnugræci, ana manipulum medium, in libris sex aquæ fiat decoctio sufficiens, & coletur; cui adde, olei anethini, camæmelini, ana uncias duas: misce, & vesica bovina exceptum tepens dolenti loco admoveatur, aut spongia eo imbuta applicetur. Deinde vero linimento anodyno, sive pectorali, locus abstersus ab humiditate illinatur. Cæterum quum dolor perseveraret, & hæc haud conferre viderentur, ad aliud remedium confugimus, quo practici hodierni utuntur, & ei multum tribuunt, quod ita habet. ℞. Farinam molendini, volatilem dicunt, & eam aqua in massam redige, ex qua orbiculos para ea circunferẽtia quam pollex, & index in orbem flexi efficiunt, quos orbiculos oleo scorpionum frige, & eorum unum vehemẽter calentem quantum ægrotus ferre poscit supra dolentem locum admove, & quum refrixerit, alterum itidem calentem adpone, & sic successivè per dimidiam

diam horam itera. Dein vero absterso loco linteolo ceratum hoc adpone. Recipe Emplastri de meliloto partes duas, thuris masculi partem unam, ammoniaci & ceræ ana partem mediam, ad ignem misce, fiat ceratum, & extendatur in panno lineo, & calidum applicetur. Hoc remedium tantum potuit, ut brevi dolorem superaverit & eum abegerit. Cæterum quum ægrotus hic laboraret febri hectica, & iam ingressus esset secundæ speciei metas, & obstructiones prope ventriculum pleuritimq. dictam notham pateretur, inter medicos propositum fuit, de balneãdo ægroto, balneo quodam aquæ dulcis, inter quos tandem convenit differẽdum esse balneum, quoad pleuritis flatuosa discussa, & exterminata esset, interim tamen uteremur ad cor, iecur, & renes fomentis, & linimentis, refrigerandi, & humectandi vim habentibus, quæ balneorum vicem supplent, quin etiam dorsi spina refrigerante aliquo linimẽto omnino ungeretur.

SCHOLIA.

PLeuritidis nõ veræ, exactã descriptionem, & plenam curationẽ prosequitur Aetius ultimo capite libri octavi suæ medicinæ, quem percurrere ne pigeat.

Curatio 90. *De tussi veteri & de tussi recenti puerorum.*

MVlti qui tussi veteri laboratabãt, experti varia medicamenta, hoc uno liberi facti sunt. R. Sulphuris vivi, vel communis optimè triti unciam mediam, benzoini scrupulum unũ in ovo sorbili excipito, & ieiuno stomacho in aurora sorbenda dato, vel post cœnam eunti dormitum, hoc enim remedio repetito, sani omnes facti sunt, ut sæpè experti sumus. Cæterum, pueri qui absq. manifesta aut procatarctica causa, tussi ingenti cruciabantur hoc alio sanati sunt. R. Succi petroselini vulgati un-

E ciam mediam, lactis muliebris unciam unam, pulveris cumini scrupulũ unũ: misce, & propina tepidum, & illico pectus pueri hoc iunge linimento. Recip. Seminis lini, fœnugræci, radicum malvavisci, ana parum, in aqua incoque, & postea mucaginem illam excolatam butyro excipe, & calida pectus pueri inunge, & fascia, breviqne rectè habebit.

F

Curatio 91. *de lapide in virgæ meatis contento, ex quo symptomata gravia oboriebantur.*

FIlius cuiusdam, qui pannos polit, natus annos decem, quum nunquam aliàs mali quicquam persensisset, ad radicem virgæ duritiem evidentem repentè passus est, ex qua ingentem dolorem vel tactu tãtum tolerabat, & sæpè sed parum per intervalla mingebat, ad quem vocatus ipse, octavo die postquã malè habuit, post multa variaque versa

G ta, lapillum esse vias urinæ immò virgæ ipsius colem obstruentem inveni, nulla ei febris erat, neque quicquam aliud præter dicta patiebatur. Proinde mandato parco victu, remedium hoc parandum iussimus, quo lapillus facilè elapsus est. Habet autem remedium sic. Asplenium herbam incisam, & butyro exceptam, apprime calidam loco dolenti & malè affecto impone, & vix hora præterierat cum lapillum illum

H puer emisit, & sanus factus est. Prætereo multa quæ describi poterant, & parari meatus laxantia & aperientia, ut bulborum omne genus, malvaviscum, malvam, brancham ursinam, fœnugræcum, semẽ lini, caricas pingues, baccas rusci, & asparagi, omnes radices diureticas, & aperiendi vim habẽtes herbas omnes, ut ononim herbam dictam remoram aratri, oleum scorpionum, oleũ amygdalarum amararum, oleum seminis lini, seminis raphani, butyrũ, & varia

ria huiusmodi, quæ præterire eo magis volui quòd prædicto remedio tantùm, ut dixi, lapillus exivit renum figura: sed magnitudine & colore instar seminis siliquæ ægyptiacæ, quem posteà in pulverem redactum, pater vino cretico excepit, & ieiuno stomacho per triduum bibēdum puero tradidit, persuasus hoc remedio puerum amplius non lapsurum in hunc exitialem morbum.

SCHOLIA.

Memini me iterum hoc morbo laborantem aliquando curasse, pro cuius è virgæ meatu extrudendis lapillis, ad virgæ incisionem descendi, ex qua is sanus evasit, parte nanque superiori apertio facta est, ut in alijs centurijs scriptum reliquimus. Novi autem, inquit Philagrius, quendam cui quidem lapis fuit aliquantum progressus, sed in summo pudendo vehementer obstructus constitit, & parum abfuit, quin is, propter urinæ suppressionem, & maximum dolorem periret. Angusta igitur volsella ipsum lapidem extrahere non potuimus, eoque sensim & quiete agitavimus perquam tenui auriculario specillo. Quum verò neque hoc modo cum extrahere possemus, secare virgam statuimus, vulnusculo supernè iuxta glandem incusso, infernè enim secandum non est, quandoquidem ferè semper ex eo fistula efficitur, ac postea per ipsam fissuram urina excernitur. Porrò, ubi per urinam prodierit lapis: lac asininum melle modico mixtum præbeatur, & reliqua etiam diæta commodior, uti ad ulcera fieri consuevit, ob vexationem videlicet in locis ex lapide factam constituatur. Exinde verò præservare hominem oportet, ne rursus renes lapide infestentur, hæc Aetius lib. 11. cap. 5.

Curatio 92. de disuria, hoc est, emittendi urinam difficultate, maximo cum ardore.

Marinus Sorgius nobilis Ragusæus, annum agens septuagesimū ætatis suæ, sed prosperè satis, repentè in asiduam irritationem ad mictionem ingenti cum acredine lapsus est, quæ

A mala affectio, & si varijs de causis evenire solet, huic tamen ab arenulis decisis à renibus, meatus obstruentibus, coadiuvante aere frigido, evenit: solebat nanque iandiu vir hic nephritim pati, qui tunc in villa sua apud Gravosam, nobilem & totius Dalmatiæ, ac Illyricæ regionis, immò totius Orientalis plagæ famosissimum portum agebat, distat autem ut obiter hoc dicam, portus hic à Ragusio, lapide uno vel altero. Ad quem accitus ego, cum sæviter hoc morbo cruciari inveni, cœperat nanq. uno antea die affigi. Qua de

B re, quum hominem hoc modo afflictū reperissem, parietariæ herbæ summitates butyro frixas, & calidas apprime pectini apponi iubeo, quo remedio malū aliquantulum quievit, sed brevi ut primò recruduit, & hominem affligebat. Itaq. victus regimine tenui instituto, postero die, à clysteri iniecto, & aluo excrementis purgata, hoc aliud remedium applicitum est, quod eo præstans & potens fuit, ut illico se sanum exclamarit, habet autem remedium sic. Pa-

C rietariam & rutam minutatim incisas oleo scorpionum incoque, & calidas ac tabefactas pectini applica, postea verò quam refrixerunt linimento hoc imus venter, & locus inter pudēda, & anum inunctus est, & postero die favēte Deo se sanum dixit, habet autem linimentū sic. R. Olei scorpionum, amygdalarum amararum, ana sesquiunciam, ceræ parum, ad ignem fiat linimentum. Cæterum si hæc non conferrent, ad sequentia devenire decreveramus, quæ quoties à pituita malum hoc evenit, summopere opitulantur, & primò irritato

D vomitu, fortè primas in hoc casu haben te, ad huiuscemodi clysteres deveniendum erat. R. Camæmelæ, parietariæ, meliloti, anethi, scolopendrij, rutæ, malvæ, capillorum veneris, an. M. s. seminis fœniculi, ameos, ana drach. ij. in aqua fiat decoctio secundum artem. R. Prædicti decocti, sesquilibram, olei scorpionum, amygdalarum dulcium, ana sesquiunciam, mellis rosacei collatitij unc. ij. salis drac. j. diaphœniconis, dia- benedictæ,

benedictæ, ana drach. iij. misce fiat clyster, rursus R. Parietariæ, saxifragiæ, herbæ milij folis, ruptæ, apij, fœniculi, petroselini, seminis anethi, dauci, ana M.1. chamæmelæ, meliloti, ana M.s. in libris tribus aquæ fiat decoctio ad consumptionem dimidij, & coletur, cui decocto adde mellis rosati colatitij sesqui unciam, ovi unius vitellum, diabenedictæ drach. vj. electuarij lithontribi, indi, an. sesquidrachmam, salis drach. j. misce, fac clysterem, simul verò terebinthinæ unciam unam sacharo obvolutam ieiuno stomacho degluticndam daremus, quæ mirum in modum conducit & prodest, ut in Thurca ancocastrē si experti sumus, & interea topica remedia validius agunt, ex quibus primò fomentum est. R. Perditij, id est, parietariæ, radicū malvavisci, malvæ, chamæmelæ, anethi, absintij, herbæ milij folis, rutæ, violarum cheiri, ana M.1. radicum cyperi, rad. meu, petroselini, apij, ana M.s. seminis fœniculi, anethi, apij, fœnugræci, lini, ana tantundem, in libris decem aquæ fiat decoctio sufficiēs, ex qua spongia imbuta, vel filtrum novum imbutum, sed calidum, imo ventri applicetur, & sæpè ad mediam horam iteretur, dein verò hoc linimento inungatur non solum prædicta pars, & renum regio, sed etiam quæ inter anū & pudenda sunt. R. Olei scorpionum, liliorum alborum, amygdalarum amarum, anethi, ana unciam semis, pulveris seminis dauci, apij, cari, ana drac. j. pinguedinis gallinaceorum, æsypi, ana drac. vj. ad ignem pauca cum cera misce, & fac linimentum, & utere ut dixi. Quod si hæc non contulerint, ad emplastrum confugiemus, quod componetur ex rebus fomentum ornātibus, quæ omnia in mortario teri debent, & ipsis tritis addi, farinæ seminis lini, fœnugræci, pulveris radicum ononis, ana M.1. olei scorpionum, amygdalarum dulcium, anethini, ana unciam unam, butyri recentis, unc. semis: misce, fiat emplastrum, quo imus venter totus obducatur, & fascietur, veluti renū regio. Quod si morbus adhuc perseveraverit, tunc ad balneum homo trahendus est, quod ex aqua & oleo multo dulci, vel seminis lini cōpone, in quo primo incocta sint absinthiū, radices cyperi fœniculi, apij, lapathi, dauci, saxifragia, origanum quale hoc Illyricum, pulegium, ononis, malva, althæa: cum suis radicibus, radiculæ præcipuè armoratiæ dictæ, asarum, chamæmela, hypericon, agrimonium, arthemisia, & rosa, & quoties ægrotus ad stomachum usq. in cortina continente balneum manserit, si modo stomachus vacuus fuerit, hunc propinabis potū. R. Pulveris subtilissimi ex corticibus ovorum optimè purgatorum, à quibus pulli extracti sunt, drach. unam, quam vino excipe albo, subtili, aut decocto saxiphragiæ, aut eiusdem aqua, aut decocto malvæ & saxiphragiæ, & potandam tribue, vel hoc aliud. R. Pulveris radicis ononis, id est, remoræ aratri, herbæ, quam Itali bonagam appellant, pulveris seminis lithospermi, quod lachrymam Mariæ apud Italiam appellari, & Plinium eius ortum ignorare, satis in nostro indicavimus Dioscoride, seminis phalaris herbæ, quod milium solis pharmacopolæ, fortè quia granum milij magnitudine, figura, & colore referat, appellant, seminis urticæ, ana scrup. 1. in pollinem redacta, decocto horum simplicium, aut vino albo excepta, bibenda tradantur, vel hoc aliud. Rec. Conditi Iustini Imp. lithontribi, diaphiloantropos, ana scrupul. 1. excipiantur decocto prædicto, aut vino albo, & bibenda dentur, vel hoc aliud, quod experimentatores hodierni summè laudant, & ego quoque expertus sum, & ita habet. R. Seminis violarum vulgarium, unc. iij. pilularum tenacium lappæ, vel ad furnum, si opus fuerit, exiccatarum, unc. iiij. in pulverem redige, posteà accipe leporem quendam integrum strangulatum, à quo nihil sanguinis deperditū sit, quem in furno ita exiccari permittes, quod ad facilè in pulverem verti persenties, & cum quoque ut cætera in pulverem redigere curabis, & prędictis duobus pulveribus dimidium eius misce-

cebis,

scebis, quibus addes, foliorum sicco-
rum quercus, aut verius, foliorum sic-
corum arboris mori nigri, in pulve-
rem redactorum, unc. ij. herbæ saxi-
phragiæ siccæ, unc.v. baccarum lauri
libram mediam, omnia in pulverem
redigātur subtilissimum, sicut alchool,
ut Arabes aiunt, & misceantur, cuius
scrupuli duo, vino albo excepti ieiuno
stomacho propinentur. Verum ho-
rum vice drachma vna balsami ex
Peru allati concedatur, quod miras in
hoc casu facultates obtinet.

SCHOLIA.

QVoties hac, & simili affectione, aut dolore alio laborantes ad balneum traxerimus, aut pro illis iuvandis fomentum, vel ceratum, aut emplastrum, aut insessiones, aut cataplasma paraverimus, medicamentis aut simplicibus, laxandi & aperiendi vim habentibus, aliquod constringens semper miscere debemus, ne fortè ad locum illum plus iusto relaxatum, materiæ ruant, labanturve, ut suadet Galenus, & Avicenna, eius interpres, non raro inculcat, cum de hac, & simili loquitur affectione, ut fen. 18. libri tertij, capite eo, in quo medicamenta lapillos aterentia percurrit, & alibi. Cæterum, cognito morbo, & adhibito remedio conveniente, sæpe voti compotes non sumus, qua de causa ad aliud remedium eiusdem naturæ & facultatis, quod fortè convenientiam maiorem cum ægrotantis natura habet, & ex directo morbo potentius & validius cōtradicit, confugimus, unde non novum est a doctissimis medicis pro vno abigendo malo, tam multa mutuari remedia, ut Avicennam adnotasse legimus, libro sui canonis tertio, capite de Asthmatis cura, sed hac forte aphorismo illo legi debent, omnia secundum rationem facienti, & non eveniente secundum rationem, non transeundum est ad aliud manente eo, quod visum est à principio. Porro ægrotus noster, ut audistis, paucis citatis, sanus evasit. Cæterum, cum de disuria ago, locus apud Aetium cap. de Ischuria mihi occurrit, dignus ad præsens ut a nobis exponatur, inquit nanque Aetius lib. 11. suæ medicinæ, cap. 21. si vero crassi humores in causa sint ischuriæ, hoc est, urinæ suppressionis, fomentis, & incessionibus, ac cataplasmatis cura concredenda est, ab his vero quæ urinam cient, in totum abstinendum, veluti in loco de difficultate emittendi urinam in febribus est

A *velatum. Hæc autem Aetij ultima verba, eà sunt, quæ a nobis exponenda veniunt, in quibus legitur, si urinæ suppressio evenerit ab humoribus crassis, ab ijs quæ urinam movent in totum abstinere debemus, quæ sane Aetij verba mica salis, ut aiunt, indigent, ut rectè intelligantur, quum ut omnes norunt medici, quoties urinæ suppressio evenerit ab humoribus crassis, & viscidis, medicamentis incidentibus, attenuantibus, & urinam cientibus curari debet, id quod ex Paulo elicere quis poterit, libro tertio suæ medicinæ, ut Galenum omnium magistrum taceam, qui hunc eundem curandi modum docet, in eius universa doctrina, à quibus, neque ipse Aetius deviat, immo ita curandum docet, capite*
B *sequenti vigesimo tertio, cui titulus est, simplicia remedia ad suppressam, ac ægre prodeuntem vrinam, si aut eius multitudo, aut crassities in causa sit, decet autem si quis rectè morbum hunc curare voluerit, eisdem utatur, quæ crassos humores dissolvere & incidere facultates habeant, tam extrinsecus admotis, quam ebibitis, aut per virgam syphone iniectis medicamentis, ut omnes fatentur medici: restat igitur dicamus, Aetium commendasse, quoties humorum crassorum ingens copia in universo corpore præsens fuerit, tunc medicus doctus ab ijs, quæ urinam ciunt, provocantve, abstinere debet, quum tunc satius est, primo purgante medicamento crassos illos*
C *humores utcunque paratos, purgare, ne eos urinam cientia pharmaca ad urinæ vias ducant, quia sua multitudine, aut crassitie, in obstructionem addent, & consequens, urinæ retentionem maiorem inducent. Id autem intellexisse Aetium, percipitur ex verbis quæ præcedenti capite perscripserat de difficultate emittendi urinam, in febribus prope finem, pro summa dicamus, quum humorum crassorum & viscidorum multitudo non obstiterit, secure urinam cientibus pro obstructione emollienda a crassis humoribus pendente, & urinam retinere faciente, utemur, ut omnes*
D *consentiunt medici, sed ego forte, nimis multa in re omnibus nota, sed mea sententia nimium saluti humanæ necessaria.*

Curatio 93. *De atterendo, comminuendove, renum & vesicæ calculo.*

NVsquam, quod equidem meminerim, tam plures renum & vesicæ calculo affectos observavi, quam hic

Ragusij, fortè ob quotidianam vini insalubris varietatem, ut cætera taceam: novistis autem obesos magis vexari nephritide, quam lithiasi, graciles verò, contrario, fortè quia obesi strictas vias habent, graciles verò latas, per quas ad vesicam materia calculi descendit, non minus renum calculo homines provectæ ætatis magis quam pueri apprehenduntur, quemadmodum vesicæ calculis pueri frequentius quam ætate provecti. Causam verò generationis calculi, materiam crudam & incoctam signant omnes, quam intensa caliditas tam circa renes, quam vesicam exassat, exemplum norunt exactè ij, qui lateres fingunt, & eos excoquunt: quod verò pueri vesicæ potius, quam renum calculos plerunque incurrant, in causa est, quia voraces sunt, & perpetui motus, & cibis utcunque oblatis & nocivis utuntur, & neq. horam cibum capiendi servant ordinatam, quin etiam prius quã prior assumptus cibus cõcoquatur aliũ ingerunt, & quum vehementius à cibo moveantur, crudus & incoctus in venas cibus distribuitur, mollia autẽ sunt eorum corpora, & quæ facilè cedant, eiusq. rei gratia obturationem circa renes non perferunt, quum vero crassissima lotia in vesicæ amplitudinem perferantur, ibidẽ veluti vini fæx & limus aquæ subsistunt, ac postea ex loci caliditate desiccata lapidescunt, ut ex Galeno Aetius. Ceterum quum multa & ferè innumerabilia, quæ atterunt & confringunt lapidem, tam renum quam vesicæ ab omnibus passim describantur authoribus, & ea quę vesicæ calculos comminuunt potẽtiora faciant, ego ad præsens, unum tantum ex Avicenna describam Antidotum, quo Avicẽna ipse utebatur, & nos singulare esse experti sumus, habet autẽ ex capite ultimo fen decimæoctauæ, sic. R. Pulveris vitri cõcremati, cineris scorpionum, cineris radicum caulium, cineris leporis cõbusti lapidis spongiæ, sanguinis hircini præparati, cineris corticum ovorum, è quibus pulli sunt extracti, lapidis Iudaici, gummi nucis arboris, acori, sive galan

E gæ crassioris, singulorum partes æquales, petroselini, dauci, pulegij, gummi arabici, seminis althææ, piperis, ana partem unam, & alterius mediam, melle cocto excipiantur, & fiat Antidotum, cuius drac. duæ, & tres, singulis vicibus cum decocto tribulorum, aut cicerum nigrorum ieiuno stomacho, & rectè repurgato, ut decet, corpore, propinẽtur, non solum enim renum & vesicæ calculos atterit, & comminuit, sed etiam ex terreo sedimento renes & vesicam purgat, & liberat. Cæterum ut componere noscas, audi, vitrum tametsi crudũ

F in pulverem friatum vino albo tenui & calido exceptum efficaciter vesicæ calculos frangere perhibetur, nihilominus combustum maiorem vim concipere creditur, qua de causa, quo modo comburi debeat, doceamus, præcipuè ex ipso Avicẽna, citato capite. Accipe igitur vitrum album, & clarum, quale crystallinum appellamus, utcunq. atritũ, quod ferreo cochleari ignito, exceptum urere sinas, quo ad satis tibi videbitur, postea verò ipsum in aquã destilla-

G titiam fabarum immergas, ac postea iterum, ut primo exure, & deinde inter duos porphirijtes lapides in pollinem redige, interim affusa stillatitia illa fabacea, quo ad coralij, aut margaritarũ præparatarum modum solitum rediga tur, quo postea quando opus fuerit utere. Sequitur cinis scorpionum, excipies igitur scorpiones vivos olla vitreata, optimè cooperta, quam in furno desines, quo ad scorpiones exiccẽtur, ut ex eis pulvis parari possit, non tamen urãtur. Sequitur cinis radicum caulium, qui Avicenna authore secundo libro

H sui canonis, lapidem frangit, pro quo parando, nullo artificio, quam simplici ustione, opus est accedit ijs, cinis leporis combusti, quem hodierni experimẽtatores concinnantes, leporem vivum postea strangulatum, ita ne ex eo quicquam sanguinis deperdatur, accipiũt, Marcianus vero medicus Apher, ut citat Aetius, undecimo suo libro, leporis tantum pellem desiderat, de qua ita ait, leporis pellem in ollulam conjice, & in

& in furnum demitte, atq. ubi usta fuerit, ut probè conteri posit, acceptam tere, & ex ipsa cochleariũ unum cum vino ieiunis in solij calidæ aquæ inscensu præbe, si verò velis experimentum pharmaci ipsius accipere, ex eo in vinũ conjice, & in vinum item lapidem ex flumine acceptum injice, & contectum per paucas horas sine, & in grumos lapis dissolvetur, hoc nanque remedium & experimentum ita facile paratu est, ut experiri à quocunq. vel nullo dispendio, poterit. Avicenna verò cui in hac parte adhærere decet, ut qui ipsius compositionem paramus, leporem iugulatũ accipiendum contẽdit, qui totus vel in partes dissectus in ollula comburi poterit, desiderat nanq. Avicenna partes extremas leporis, ut caput & pedes ad solem exiccatas. Spongiarum calculi considerandi veniunt, qui renum calculos comminuunt, ut omnes fatentur medici, & Paulus firmat libro tertio suæ medicinæ, cap. 45. quum medicamenta renum calculos atterentia recenset: sed iam sanguinem hircinum præparatum citemus, de quo Aetius ita tradit, citato libro, cap. 12. Sanguis hircinus tum ad nephriticos, tum ad calculos præsens remedium. Nam & præexistẽtes lapides soluit, atque ita per lotium excerni eos facit, ut etiam alij amplius non gignantur præterea, & dolorem sedat. colligitur autem hircinus sanguis hoc modo, quum uva maturescere cœperit, ollam novã accipito, & infusa in ipsam aqua, donec terreum deposuerit olla, coquito, & accepto e gregè hirco, ætate matura, plus minus quatuor annorum cum mactato, eiusque sanguinem medium olla excipito, ita ut eum, qui primum effluxit, itemq. postremum penitus relinquas: mediã autem inspissari finito, & in olla situm per acutam arundinem in multa frusta dissecato, indeq. reticulo denso, aut linteolo raro, aut cribro arctiore contectum subdio exponito, ut insoletur, & roscidus fiat, cavendo ne imbre commadescat: porrò, ubi exicatus fuerit, eum diligenter terito, & in pyxide adservato, & remittente malo, cochleariũ plenũ cum passo cretico exhibeto: cognominatur autẽ pharmacũ hoc theucir, huius & nos, inquit Philagrius, in brevi tempore non aspernãdum periculum fecimus: aliquando autem odoris commendandi gratia, parũ phylli, aut amomi, aut similiũ admiscemus. Ego, inquit, hoc pharmacum cum troglodyte passerculo permixtum, cuidã penitus nihil lotij ejicienti, post magnos dolores exhibui, & per magnum lapidem attritum ab eo expuli. Hæc ex Philagrio Aetius, quæ apud Avicennã manca & corrupta citato loco legũtur, ut consideranti notum evadet. Cæterũ nos, ut verũ fateamur, huic Avicennæ antidoto, passerculi troglodytis cineres quoq. miscemus, de quo placet ad præsens paululum agere, reliqua ut lectori manifesta subticẽdo. Est autem troglodytes passerculus, nõ ea avicula porcos amans, quæ Paris dicitur, & Lusitã nostri Albelam appellant, sed longè alia, quæ hyeme potissimum apparet, & valde est nota, de qua ita Aetius tradit. Est autẽ troglodytes, passerculus minimus iuxta sepes & muros victum quæritans, estq. hoc animalculum omnium aviculatũ minimũ, *ea excepta*, quæ Regulus appellatur: similis est autem regulo in multis, præter quam quod in fronte auricolores pennas nõ habet: est etiam troglodytes passer regulo paulò maior, est nigrior, caudamque semper subrectam, & albo colore retro interpunctã habet: magis item garrulus quam regulus est, & sanè iuxta summum alæ lineamẽtum cinerei amplius coloris, breves item volatus facit: naturalem autem vim omnino admiratione dignam habet: itaque sale conditus, & crudus in cibo acceptus, morbum perfectè sanat, & novi adeò quosdam ob eius usum nunquam amplius ab affectione vexatos. Conditur autem optime pennis evulsis, atque inde largo sale adobrutus, & postquam fuerit arefactus, comeditur, & affectionem perfectè sedat. Melius autem est etiam aliter ipsos edere, si plures contigerint, coctos nimirum eius præsertim generis, quod per hyemem

ubiq. apparet: exhibetur autem & alio modo, passerculus non deplumis in ollulam conjicitur, ac deinde operculo addito uritur, animadversione assidua habita, ne fallaris, quum in cinerem sit redactus, & in aerem exhalans, per exustionem totus consumatur: consuevit enim hoc cõtingere tum ipsi, tum alijs quæ uruntur. Quapropter præstat operculum non oblinire, ut per intervalla quædam operculo adempto, ustionis modum intueamur. Exhibendus est autem semel omnis unius passerculi usti cinis per se, aut modico phyllo, & pipere ammixto, quo saporis iucunditate commendetur, & subdit. Melior autem mihi videtur condiendi modus, atque adhuc dictis præstantior, si quis prævulsis pennis vivum passerculum sale adobruat, quod & ego facio, inquit Philagrius: arbitror enim & sanguinis naturam quoddam in se complecti, quod minimè volgariter prosit, cui amplius stercoris efficacia accedit, quam exustione debiliorẽ reddi planè credo. Proderit etiam eis qui abundant, assatos edere integros, ita ut nihil ex eis præter pennas abjiciãt, atque hæc quidem sunt, quæ secundum proprietatem totius substantiæ efficacia existunt, & cætera, quæ omnia apud Avicennam fœdissimè & depravatissimè leguntur, & hinc facilè instaurari possunt, meminisse tamen decet, quod medicamenta renum calculos confringentia nimis acria & calida esse non debent, ut commendat Galenus libro sexto de sanitate tuenda, & libris Methodi Med. cui subscribit Paulus, libro tertio suæ medicinæ, præcipuè ijs, qui calidiore habitu præditi sunt: eis vero qui temperiem corporis frigidiorem habent, calidiora præbeto, ut Aetius meminit capite decimo prædicti libri: cætera verò, quæ dici uberius & profusius poterant, consultò prætermittimus, lectorem ad prædictum Aetij librum remittendo, qui tam de calculosis curandis ipsis, quam præservandis, memoriæ abundè admodum commendavit.

E

Curatio 94. de renum ulcere per potum aquarum salsarum & nitrosarum naturalium sanato.

QVI ex abscessu renum ulcus contraxit Eneocastrensis Iminus, triginta natus annos, post multa excogitata remedia, quæ nullius profectus fuere, eum ad Tuslam transmisimus, ut ibi naturales aquas ex sulphure & nitro, prævalẽte sale composita biberet, apud quas per integrum mensem mansit, & F ita earum potu & usu sanus, quod mirum dixerim, evasit, ut omnibus admirationi esset.

SCHOLIA.

TVSLA, *vicus est in Mœsia inferiore, circiter p. 150000. à mari distans: in eo puteus visitur tetrum quendam odorem spirans: cuius aqua colore subalbida, tactu frigidissima, sapore salsissima est: eam verò accolæ lento igne in salem spissant, sed hoc minor pars: maxima verò ligna, quæ proxima sylva suppeditat, in struem aptè concinnat, suppositoque igne incendit: crescentem* G *verò flammam, ea aqua irritat potius quam extinguit: ubi verò tota ligna in prunas abiere, tum copiosissima aqua extinguunt. Quare ea frusta in cineres facillime abeunt: is illarum regionum sal est, nec temere alia utuntur. Manet tamen color ille cinericius, atque odor insuavis: sapor verò perquàm ingratus. Puteus ipse Thurcarum regi ad quinos aureos in die vectigalis est, ex quo aqua, quia salsa nimis bibi non poterat, ea de re, circum circa fodere, & suavissimam aquam pululantem ebiberet commendavimus, qua usus in potu Turca hic ad triginta dies sanus factus est. Cæterum dicitur tusla Turcicè, id quod Latinis salina.*
H *Porrò, Archigenes, cum de renum & vesicæ ulceribus agat, citante Aetio, capite trigesimo libri undecimi, ad hunc modum de Albularum aquarum potu. Conferent itaque aquæ albulæ si adsint, & consimiles, post matutinam deambulationem trium heminarum mensura, prima die potæ: deinde usque ad quinque & sex heminas perveniendum: ad hoc enim*

quod

quod intestinum eluunt, aer etiam ipsarum fuliginosus vesicam ad doloris sensum percipiendum hebetat, & humoribus segregatis puriorem ac lucidiorem sanguinis vaporem reddit. Quin & ipsę aquę ulcera utiliter repurgant, & cum voluptate infra subeunt, atque adeò nihil ęgro sanando efficacius deprehendere possis: hora autem calidior ad eas accipiendas apta est, quod si non adsit huiusmodi aquarum qualitas: adsint autem aliæ nullam gustui qualitatem exhibentes, sed latè se ad gustum diffundentes, hæ ipsæ reliquis meliores sunt censendę, & proximo ab eis loco bituminosæ, nitrosarum etiam si adsint, & salsarum experimentum sumere prodest: maiorem enim quam credi potest sępe ex his succedentem vidi effectum: intercapedine autem & distantia à balneo facta, aridarum rerum comestio primum utilis est, & catera. Hęc Archig. singularis doctrinę vir, cuius opera utinam hodie extarent, ac fortè non tanta, quę neoterici à priscis prætermissa putant, desiderarentur. Paucis enim ijs citatis ebibendi thermarum aquas, methodum Archigenes docuit, quam & hodie universam Italiam servare novimus, cui Savanarola subscribit, & alij doctissimi viri, qui de balneis scriptitarunt, quos omnes in unum volumen congestos typographia Veneta superioribus annis, pro iuvanda salute humana in lucem misit.

Curatio 95. de remedio ad eos qui se somno permingunt.

ADolescens duodecim natus annos lectum in somno commingebat, quod sanè vitium ex musculi in collo vesicæ laxamento eveniebat, à multa pituita fortè ortum trahente: sed alijs de causis evenire posse norunt Medici, & Avicenna prosequitur Fen 19. libri tertij tractatu 2. cap. 15. Nos igitur pro salute huius adolescentis, sic machinati sumus, & primo fluido, ac bene purgato corpore pituita redundante, & victus ratione subtili perscripta, & potu diminuto, illi hœdi pulmones assatos ad aliquot dies edendos concessimus, & rectè habuit: postea vero ceratis con stringentibus imo ventri & renum regioni adplicitis, illi leporis cerebellum

A siccum exceptum vino dedimus, & quandoque porcinæ vesicæ exustę cinerem, & exactam sanitatem adeptus est. Sed cum hæc tractamus, ecce iuvenis Dalmata, forma elegante prædıtus, mœstus & tristis ad me venit, se malle mori inquiens, quam simile vitium pati: hic nanq. cum coibat cum muliere, nullum emittebat semen, sed potius ventris crepitus pedebat. Qua de re eũ à tanto dedecore, & vitio liberem, me rogat. Ego verò huius vitij causam inquirens, mul-

B tam pituitam crassam inferiori intestino hærentem conieci: cuius præsentia, vasa seminaria frigida & coarctata erãt unde semen genitale deficiebat: pituita verò motu & caliditate dissoluta, in flatus vertebatur, quam primo depellere statui: id quod assequutus sum proposito primo victu calido, qui ex cibarijs optimis & multi succi constabat, veluti potu vini vermiculi & odori: dein verò præparato per oxymelitis assiduum potum, corpore, & rectè purgato, ac in iectis infusis pituitam quoque hanc mi-

C nuentibus, imum ventrem & inguina, ac inter anum & pudendum hoc unguento illini faciebam, quod habet, piperis albi, & nigri, ac longi, ana drach. 1. s. seminis erucę, seminis urticæ, nigellæ, ana drac. s. pyrethri scrupulum unũ, olei lilini in quo iniectæ sunt erucæ herbarum, aut pinus animalia tria, vel quatuor, & per aliquot dies insolata uncias duas olei de castoreo, unc. s. ceræ quantum sufficit: misce, fac unguẽtum, & eo, ut dixi, partes inungantur, præcipuè in aurora, & ea nocte in qua non coibat: nam hora coitus vino calido se lavabat, sed in aurora, etiam & hora

D coitus unciam mediam ad drachmas sex huius electuarij deglutiebat, & super parum vini malvatici pitisabat, habet autem sic. R. Diasatyrionis uncias duas, diagalangæ drachmas duas, specierum diambræ, diamoschi, ana scrupulos duos, ramenti pudendi cervini aridi drach. s. nucum pinearum, pistaceorum, amygdalarum dulcium mundatarum, ana unc. s. carnis scinci. drac. duas, seminis erucæ, urticæ, nasturtij

ana ſcrupulum unum, pectuſculi capi
cocti uncias tres: terenda terantur, &
melle optimo fac electuarium liquidũ
ſecundum artis ordinem: ijs enim hic
intra menſem voti compos fuit factus,
& artis laudum maximus evaſit buc-
cinator.

SCHOLIA.

*QVum ad me venit iuvenis hic, illicò in
mentem mihi ſubit caſus ſimilis, fortè ex
Rufo per Aetium citatus ad calcem libri un-
decimi, qui ita habet. Adoleſcens enim quiſ-
piã ad nos acceſsit, & ſe vehementer coitũ ap
petere confeſſus eſt: verum ubi commiſceretur,
ſemen emittere non poſſe, ſed flatus plurimos
ſibi per ſedem erumpere. In hoc itaq. conectu
ram feci, vaſorum ſeminariorum ſiccitatem
adeſſe, quod ipſum etiam adepta ſanitas de-
monſtravit: nam poſtquam humida & boni ſuc
ci diæta eſſet uſus ſemẽ emiſit, & ſubdit alius
item adoleſcens domeſticus miniſter confeſſus
eſt ſe quando cum muliere rem haberet, ſemen
effundere non poſſe: cum vero dormiret, pluri-
mum ei ſemen prodire. Viſum itaque mihi eſt,
vaſa eius ſeminaria propter multam una cum
frigiditate humiditatem, calefieri non poſſe,
propterea quod caliditas in coeundo ad cor-
poris ſuperficiem diffunderetur, in ſomnis ve-
rò amplius calefieret propterea quod ſomni in
terna calefaciunt, & refrigerant exteriora:
Quare hunc ipſum infernas partes exercere
iuſsi, atque id maximè per equitationem, ca
ſtoreum etiam bibendum præbui, & diætam
omnem calidam & ſiccam conſtitui. hæc Ae-
tius. Nos verò hunc ſecundum caſum aliquan-
do hominem pati obſervavimus, ob hæc eadem
ab citata, veluti ob carunculas in meatu uri-
næ & ſemini genitali communi habitas ſed cu
ra varia cum ſit, pro varietate cauſæ, non ad-
modum difficilis eſt.*

*Curatio 96. quomodo fœcundæ mu-
lieres dignoſci debeant.*

SElinus Turcarum Solimani Impe-
ratoris filius, & qui imperium am-
bit, petit quomodo fœcundæ mulieres
dignoſci queant, nam Turcæ & ſi plu-
res uxores habeant; hic tamen hac in
re à nobis certior fieri cupit, cui ſic ex
E Sorano viro graviſsimo & ſapientiſsi-
mo ſatisfecimus, à quintodecimo æta-
tis anno ferè uſq. ad quadrageſimum,
mulieres concipiendo idoneæ ſunt iudi
candæ, quæ neq. viragines, neq. corpo-
ris habitu denſæ, duræve fuerint, nec
contra humentes, & languidæ, aluique
iugiter fluentis, ſed recta ratione hilari
que mente fungantur, lumboſque latos
habeant, & ventrem amplum, ſintq. il-
lis libera menſtrua, nec morbis præci-
puè uteri iugiter infeſtentur, aiunt etiã
cõcepturã ne ſit mulier hoc experimẽ
to deprehendi: inferiores partes pannis
F undique obſeptas reſina ſuffiunt, ut à
pudendo vapor excipiatur. & inde ele-
vato ad os odore, fœcunditatem, non
elevato, ſterilitatem indicari. Item, al-
lia decorticata, & lana involuta mulier
dormiendi tempore ſibi tanquam peſ-
ſulum imponat, & ſimili modo, ab odo
re, utrum ad os pervenerit vel non per
venerit fœcunditatem iudicato: hęc ex
Sorano. Nos verò cum experimentato
ribus hodiernis, longè certius ſignum,
an conceptura ſit mulier, etiamſi ſit vir
go, habemus, & tale eſt, coagulum lepo
ris pondere unius drach. aqua calida
G diſſolutum; mulieri ieiunæ calido in
balneo exiſtenti bibendum propina-
bis, nam ſi ventris dolores eam infeſta
verint, talem generationi aptam præ-
dices, ſi verò non, eam infœcundam fir
mato. Cæterum ex Hippocrate ſcito,
quod tempora fœtus variè habentur,
nam maſculi citius abſolvuntur quam
fœmellæ, fortè quia calor vehemen-
tior in maſculis eſt, & in ijs, alij citius,
alij tardius ad perfectionem ſive matu
H ritatem perveniunt, primis nanque ſex
diebus, bulliente ſemine, fiunt ampul-
læ, & ut ex faceta Hippocratis hiſtoria
accipimus, velut quædam ovi ſpecies
exiſtit, ſed tunc nondum fœtus appella
tur, ſed ſemẽ potius, deinde novem die
bus attrahitur ſanguis, ex quo paulatim
hepar & cor fiunt, ita ut poſt duodecim
dies, iam diſcerni poſsit hepatis, cor-
dis, & cerebri delineatio, & tunc fœtus
nominatur iam, & Græca appellatione
embryon, id eſt, pullulans ſeu germi-
nans.

nans. Postea octodecim diebus membra cætera formantur, & fœtus exerit ramos, sunt nanque omnes ij dies collecti, quadraginta quinque, in quib. formatis & distinctis mẽbris vivere iam fœtus incipit; quia sentit, nondum tamen movetur ob imbecillitatem, & tũc ut theologi aiunt, animæ pueris inseruntur, & iam non solum embryon, sed infans appellatur. Ne tamen ab Hippocrate vetustissimo & sapientissimo discedamus, scire decet, quod dies a conceptione ad formationem duplicati, indicant diem motus, postea triplicati dies motus, indicant diem edendi partus, verbi gratia, si fœtus formatus est, quadragesimoquinto die, movetur nonagesimo, & tunc fortè anima rationalis introducitur, quam a sensitrice & vegetatrice differentem esse Ocham doctor Angelicanus multis probat rationib. sed hæc minimè huic conveniunt negotio, triplicato verò nonagesimo die, nonus resultat mensis, quod est usitatissimum partus tempus.

Curatio 97. *De muliebri satyriasi, simulque uterino furore.*

MVlier quædam innupta, malè habebat, ad quam accitus ipse, eam temperatura sanguineam optimi habitus, natam annum trigesimum quintum; sed per intervalla delirantem comperio. Cœperat nanque delirium rabidum antea sex vel octo dies, quod & aliàs passa fuerat: sed nunc, hoc cum delirio eius calent membra, sed pulsus a temperamẽto parum distant, ut ipsa febriẽns non dicatur, sed quãdo delirio apprehenditur, quod per intervalla, ut pote per cõsensum fit, garrula evadit, ad hæc inquieta & iracunda, insuper tam multa de habendo marito inculcabat, ut assistentes omnes admirarentur, quoniam nihil loquebatur, aut effutiebat, quod non ad concubi-

A tum, aut venerem faceret, ex quibus ego hanc uterinum furorem pati deprehendi, & eo magis, quia sæpe dextram ad pudibunda inferebat: solent nanque mulieres satyriasi, & fortè valentiori & frequẽtiori quam viri morbo tentari, ut Soranus Ephesius singularis doctrinæ vir docet, & experientia ipsa confirmat, quem pudendorum ingentem pruritum, & coeundi ardens desiderium, ingens uteri & locorum circa assistentium ardor præcedit, qui ardor & uteri incensio, ipsi cerebro & toti corpori communicata rabidi furoris dicti est in causa. B Primò autem vena pedis saphena dicta secta fuit, ex qua sanguinis libra extracta fuit, dein vero purgato corpore, ei victum parcum constituimus, & ex cibarijs ijs, quæ flatu prorsus, ac vi excitandæ veneris carent. Postea verò ad cucurbitulas scapulis fixas, cute primo secta devenimus, tandem membra inferiora refrigeranda curavimus, varijs cum fomentis, tum unguentis, & linimentis, constantibus ruta, castoreo, solano sedo, papavere, rosa, mandragora, vitice, C aceto, portulaca, hyoscyamo, lactuca, cerusa, argenti spuma, cerato rosaceo, populeo, & similibus, quæ ad præsens recensere non decet.

SCHOLIA.

SOlet plerunque uterinum hunc furorem consequi febris, ex uteri ipsius inflammatione oborta, sed in muliere hac, quum inflammatio sine phlegmone non esset, febris vice, caliditas excedens erat, per consensum igi- D *tur uteri hic furor fit, unde uterinus furor appellatur. Cæterum, satyriasis quantum à priapismo differat, novistis ex Galeno omnes, est nanque satyriasis ingens, pudendorum pruritus, & venereorum intolerabile cum caliditate desiderium, quod desiderium in priapismo non reperitur, sed magis membri genitalis & fortè virilis extuberatio tantum, ut suadet Galenus, in calce librorum de sympt. causis, & lib. 6. de locis affectis, cap. ult solent nanque satyriasi mulieres viris frequentius & gravius tentari, tam virgines, quam quæ coitum gustarunt, & castitatem profitentur, præcipuè, quæ à maritis absentes sunt, aut*

viduæ

viduæ manserunt. Porrò, ut furor consequi solet uteri malam intemperiem calidam, & eius ardorem caput obrepentem, ita & satyriasim plerunque, id quod mariti verum esse deprehendent, quando precipuè uxoribus apprimè non satisfaciunt, garrulæ nanque evadunt & rixosæ. Cæterum uteri mala hæc qualitas, ex qua uterinus furor oritur, longè differt ab uteri suffocatione: in hac nanque uterus contrahitur, & vasorum attractio fit, in illa verò immobilis permanet uterus, ut Aetius quoque ex Sorono memoriæ commendavit.

E

Curatio 98. In qua inquiritur, an quæ in thorace continentur, tantum per screatum purgari soleant.

QVum Gozius male haberet, & intra secundam & tertiam costam doleret, dissidium inter medicos fuit, nam eorum nonnulli inflammationē esse, & eam quidē membranam costas succingentem occupantem dictitabāt, quia febris continua aderat, & aliqualis spirandi difficultas, & dolor si continuo non affligebat, tamen cum ad latus sanum vertebatur, dolebat, quibus addebāt, quod extra inflatio apparuit, & brevi delituit, & sanies ad umbilicum descenderat, quæ postea per secessum excreta fuit, unde homo brevi mortuus fuit. Alij verò, dolorem illum ab humore flatuoso membranam distendente, & solutionem continui facienti contestabantur, quia si esset inflammatio, sive phlegmone, ut primi dicentes firmabant, pleuritis vera esset. Cæterum, quum illi multa deessent ad veram pleuritim, videlicet tussis, pulsus serrinus, continuus dolor, & alia huiuscemodi, non esse inflammationē concludebant. Item, quia si inflammatio esset, & ad suppurationem perveniret, & rumperetur, ad umbilicum pus descendere non posset, & consequens per secessum non posset excerni, quia diaphragma, sive septum dictum transversum, quod naturales ab spiritualibus separat & dividit, & à primis nothis costis & spurijs oritur, membra ipsa spiritualia tanquam in sacco continet, unde à thorace ad membra naturalia, nullam esse viam aut descensum dicunt, imo quæ in thorace ipso continentur per sputum purgari, cum Galeno libro de Locis affectis quinto, capite secundo, in quo agit de thoracis affectibus, & Erasistratum vellicat, contendunt, adduntque, si contingat pus in thorace contentum, per urinam aut secessum purgari ex tali vacuatione cordis tremorem, pressuras, & syncopen, ægrotanti supervenire necessarium esse, & id primo Galeni authoritate probant, libro sexto de Locis affectis, capite quarto, in quo agit de vesicæ affectibus, qui ad hunc modum ait,

F

Nos vero pulmonis vomicam per urinam: thoracis autem per intestina, & alvum expurgari vidimus, & cætera. Pro quo intelligendo, scire decet, quòd pulmones saniem in thorace contentā ad se attrahunt, & tanquam spongia eam retinent, postea verò irritari, majori ex parte per asperam arteriam eā transmittunt, solet tamen quandoque pus non per ipsam, sed potius per lævē sive ratam arteriam unicam tantum habentem tunicam, atque inde arteriam venosam dictam transmitti, quæ ad sinistrum cordis ventriculum pervenit, quo in loco ad arteriam magnā ahorti dictam, se transfundit, & per eam ad renes descendit, & consequens ad vesicam: ex qua foras per urinam truditur, & ut ante per lævē arteriam pus transmitti solet, quæ postea per urinam transcurrit, ita aliquando per venam arteriosam, densam dictam sic, quia duas contineat tunicas, transmitti solet, unde ad cordis dextrum ventriculum perveniens, venam magnam ingreditur, & per eam ad iecoris descēdit gibbas, dein per vias satis āplas, sed plerunque lapidibus & tophis impeditas, concavas pervenit partes, à quibus postea ad intestina transmittitur, & secessu excernitur, sed quandoque cum pus in gibbosis partibus deti-

G

H

netur, ad renes fit transitus, & in vesicam, tanquam in cisternam cadit, & foras pellitur. Ex ijs autem nostris dictis, facile Avicenna restitui poterit, fen x. tertij libri, qui confuse admodũ hæc scripta reliquit, eo præcipue capite, in quo de pure & sanie in thorace contenta agit, revera, Galenus citato à nobis loco, quum causam reddat saniei contentæ in thorace, quæ quandoque per secessum excernitur, longè aliam à nobis citatam scribit, ita verò ille ait. Id vero quod per ventrem expellitur, aliam & quidem raram, quæ in corporum dissectione apparet, habet causam, quippe concava vena mediante vase quodam stelechniæ, id est, venæ quæ arboris caudici proportione respondet, videtur iterum adaptari, proinde nihil mirum, neque impossibile est, & ex partibus septo transverso superioribus, pus in ventrem defluere, & ex his quæ eidem supponuntur, ipsum per renes in vesicam pervenire, nam corporum raros habitus, par est, ut rara etiam accidẽtia sequantur. Hæc Gale. in quibus innuere videtur, quod quandoque ex vena concava ramulus ad thoracem pervenit, & illi inseritur, per quem sanies ad iecinoris portas transmitti poterit, & ex eis postea per intestina foras pelli, ut enarratione 54. libri 7. Aphor. quoque firmat. Aetius vero libro octavo suæ medicinæ, cap. 65. in quo de pectoris suppuratis ex Archigene agit, inquit, rumpuntur autem suppurationes aliquæ quidem sursum versus, aliquæ vero deorsum: quæ deorsum rumpuntur in alvum & intestina ac vesicam transfunduntur per vasa quædam transmissione ad ea membra facta, quæcumque vero sursum rumpuntur, in vacuum videlicet thoracis locum periculosiores existunt, hæc Aetius, quæ omnia a Paulo mutuatus est lib. tertio suæ medicinæ, ut legenti manifestum evadet. Ex quibus satis elicitur, puris in thorace collecti: & ad intestina, & ad renes & vesicam per vasa quædam inferiora transumptionem fieri, præter citatum

A primum ex Galeno modum, hoc est, per lævem arteriam, unde per urinam pus mingitur. Cæterum, non est prætereundum, quod ut in hominibus inter secundam & tertiam costam, secure & liberaliter possumus secare, & aperire absque diaphragmatis læsione, ut prima & secunda diximus, centur. ita in brutis tutè fieri non potest, quia septum transversum diaphragma dictũ in brutis animantibus, hæret costis nothis; in homine vero ita elevatur, ut apertio prædicto in loco tutè fieri possit, ut periculum facienti notum evadet. B Quo factum est, ut medici ex brutis anatomiam petentes timerent sectionem intra secundam & tertiam costam, imo non nisi intra quartam & quintam, aut si Deo placent intra quintam & sextam apertionem admitterent, non sine tamen ingenti, ne dicam pudendo errore, meminisse tamen oportet, quod Hippocr. inter costas sectionem non moliebatur, sed terebella potius os costæ perforabat, terebrabatve, ut alias dixi. Vt receptui igitur canamus, concludimus, quod in nobili viro isto Gezio inflam- C matio, aut postema nõ erat, neque pus aliquod ad umbilici partes ex ipso trãsmissum fuit, quanquam fieri posse Galenus non negat, imo Aetius & Paulus fatentur.

Curatio 99. De prurigine inter inguina.

D

AIdar Epirota Spado homo ab ineunte ætate in Byzantia aula educatus, tribus ordine potentissimis regibus, primum à cubiculo, deinde à consilio, postremò bellorum socius atque adiutor fuit, is verò cùm è purpuratis, hoc est Basaijs quatuor, unus esset, ac intẽperanter Solimano filij cædem exprobraret è suprema dignitate dejicitur. At quia singulari semper fide atque amore, erga Othom. familiã fuisse

fuisse dicebatur, exiguæ Illyrici parti cum imperio præficitur, is Idibus Iunij, in quo dies solemne Arabicæ gentis ieiunium fortè inciderat, quúm animi causa Neocastrum amœnissimum eius satrapiæ oppidum se contulisset, me ad se accersivit, & barbarè quidem sed regiè, experiri inquit libet, an quæ de doctrina acceperim tua, aliqua ex parte vera sint, iam nunc quo corporis morbo laborem ut mihi indices, cupio, effusus deinde in risum me magni fi.è à liberalitate sua expectare iussit. Cæterum, quum viri huius inveteratas affectiones percurro, cum inter inguina pruriginem quandam ab hinc viginti annos continuo pati deprehendo, ex qua ichores citrini quidam per intervalla effluere solent, quam malã affectionem levare compescereque difficile atque periculosum videbatur, inveteratum enim malum in homine præsertim ætate præcipitata cutisque ac laboribus confecto iam in naturam abierat, contumaciterque quantumvis diligenti medico repugnabat, quapropter ad mitia placidaque remedia decurrimus. & eo magis quia inguinibus insitum malum, locũ à natura nocuos è corpore recipere succos solito. Vsi igitur sumus, duobus, vel ad summum tribus remedijs, uno hirudinum venis hæmorrhoidalibus admotione, quæ diversio, ut nostis, non minus iuvat quam venæ in fronte sectio, posteriore capitis parte dolẽte, imo vacuatio hæc maioris momenti hoc in casu est, quia corporis decliviori in loco fit, ad quem natura supervacuos noxiosque derivare solet humores, secundo inunctione unguenti compositi, ex albo camphorato, populeo, ac plumbeo, æquis portionibus, quibus remedijs, proposito optimo victus ordine, Turcis raro solito, imo toleratu difficili, rectius valere cœpit, singulis nanque quindecim diebus, hirudines duæ admovebantur, & bis quotidie linimentum supra malum iterabatur, plantaginis supra posito folio, non rarò præhabito fomento ex plantagine & inguinali sive bu-

E bonio herba parato, neque enim plura ut dixi, machinari pro hac propulsanda mala affectione opus erat, quando circa proregem capularemque senem versabamur, præcipuè hominem Turcam, & barbarum, qui si è vivis decederet, non sine viræ curantis periculo & dispendio id fieret, medico nãque eius servi belluini mortem imputant, contra quem ferociter irruunt.

F Curatio 100. *De capitis vulneribus detecto craneo, & tutiusne curetur exiccantibus medicamentis, an cataplasmatis humidis, ut digestivo ex ovi vitello dicto, & similibus.*

Colloquium, GRADIVS, CELETANVS, VANVCCIVS.

GRADIVS.

G NAvis nostræ præfectum, ita quidam ex nostratibus sævè & graviter in caput percussit, ut eum brevi moriturum putem, vos verò viri boni & diligentes CELETANE, & VANVCCI, qui ex conducto nostri estis chirurgici, ad eum curandum, ut quàm celerrimè properetis rogo, interim ipse Amatum physicum accersendum curabo. CELETANVS, Perge & cũ apud officinam Gabrielis pharmaco-
H polæ invenies. VANVCC. imo ipsum prætereuntem modo, & eam domum ingredientẽ, ni falor, vidi. GRAD. Ad domum illam accedamus rogo, ut cũ Amato misellum illum vnà invisum eamus, nec vobis gravè sit quæso si paululum moremur. CELET. Ita contractæ sunt luces, ut vix sufficiant pro ægrotantibus curandis ipsisq. tractandis GRAD. Salve Amate. AMATVS. Vos quoque salvi sitis, ecquidnam rei novæ est? GRAD. Est non fœlix omni

no

no, quando cum chirurgicis & medicis negotium est. AMAT. Hoc minus malum quam cum alijs secularibus, sed quidnam affertis quæso. GRAD. Insularis vir probus, & rerum maritimarum maximus explorator, capite percussus & ut credo lethaliter est, pro quo curando chirurgos hos accersivi, quibus tu dignaberis pro paterna & fraterna in te observantia in curatione preesse. AMAT. Lubenter id faciã, & quodvis aliud quantumcumque difficile negotiũ pro Gradia Illustri domu aggredi minimè gravabor. GRAD. Novit iampridem candorem & animi tui in nos propensionẽ frater meus Ioannes Gradius, qui Reipublicæ nostræ iussu, Venetijs nunc agit. Ego vero ad præsens Timantem imitabor, & quod exprimere penicillo non possum velo contegam, sed hæc domus est, ingrediebamur, hic saucius est. VANV. Ceream candelam accensam afferto, tria ut video hæc sunt capitis vulnera, primum in occipite, alterum in syncipite, postremum vero in fronte, accedatis ergo ad ea videnda. AMAT. Tundeto capillos, & caput & collum à sanguine spongia abstergito, postea vero quid agendum sit discernemus. CELET. In omnibus ut video, tam capitis quam frontis vulneribus ijs, calvaria læsa est. VANVC. Immo syncipitis vulnus os nudatum habet, & duram attingit membranam. AMAT. Novacula ea, ut nostis, duabus lineis mutuo se per medium secantibus secatote, & carnem angulorum quatuor ab osse recte separatote, & membranã calvariam tegentem quoque quoad fieri poterit, servatote, & si quæ ossicula sunt fracta ut cõminuta, quæ manu, aut vulsella, aut forficibus dextre nunc extrahi possũt, extrahitote. VANVC. Ad curam accingamur. CELET. En ovorum albumina turundis & plagulis stupeis excepta adsunt, cura igitur ut vulnera hæc optimè farcita & plena sint, ut postea pateant operi peragendo terebello, vel hippocratica serra, hodierno nostro modiolo dicto, vel

A scapris rasorijs, prout nobis melius videbitur, aperiẽdo, vel ossa fracta forficibus, & vulsella deponẽdo AMAT. Cum hæc recte parata sint, ab excretis per balanum alvi excrementis, ex communi brachij vena sanguinis uncias sex demendas curatote, paucus nanque, ut audistis, ex vulneribus effluxit sanguis. Nam & in hoc casu, corpore etiam inculpato, à plethora existente, sanguinem emittendum, omnes iubẽt medici, fenestras quoque & rimas por-

B tarum occlusas habendas curatote, & paucis accensis carbonibus huius cubiculi aerẽ contẽperatote, viget autumnus, strepitum quoque & canum latratus, & similia amovetote: post emissum vero sanguinem duabus horis, victum porrigitote, panatellam scilicet simplicem, & lentes ne datote, cephalalgiam nãque ferunt, ut alias dixi, in potu vero ex coriandro incoctã aquã simplicem, aut rosaceo iulebo mistam conceditote, crastina verò die ægyptiacæ siliquæ florem, ad unciam unam & al-

C terius mediam in bolo deglutiendum diligens pharmacopola illi dato, valẽte. CELET. Cum sepe mihi contingat capitis fracturas curare, non raro mihi succurrit o Amate quantum difficilis sit earum curatio, & eo magis quum videam quantum hodierna curatio ab ea, qua prisci utebantur differat. VANVC. Artem chirurgicam nunquam antea ita rectè exercitam fuisse, in primisque capiti vulnera nunquam ita rectè curata, pro firmo teneo, sed quidquid sit, pergratum faciet Amatus si iudicium suum hac in rẽ dare dignabi-

D tur, ut deinceps inter nos habita tam vetus contentio, dirempta & absoluta sit. AMAT. Ego ingenuè vobis respondebo, sed an satisfecero vestrum erit iudicare, novi sanè ex sapientum dictis, quantum periculi afferat inter duos amicos sententiam ferre, quum præsertim alter iudici inimicus evadat necesse sit. VANVC. Hoc ne pili facias o Amate, quũ nihil veritate apud nos antiquius sit, neque veritas apud nos odium parit, sed amicitiam potius

conci

conciliat, glutinat, & ut ita dicam, ferruminat. AMAT. Quum unanimes, & concordes in mea recipienda sententia vos videam, placet eam, qualē qualē in medium, sed brevissimè afferre, proinde aures prestate benignas. Hippocrates ita capitis vulnera curatu difficilia esse sensit, ut de eis integrum librum memoriæ scriptum reliquerit, cui titulum indidit de Vulneribus capitis, quanquam antea alterum in lucem dederat, de ulceribus, in quo ulcerum sive vulnerum curationem persequitur, vario tamen modo, cū in hoc vulnera sive ulcera cutem & carnem, & os attingentia curet, in illo verò vulnera sive ulcera capitis tantum, quæ calvariam detectā habent. VANVC. Est ne liber ille de vulneribus capitis Hippocratis? AMAT. Maxime, & Galenus libro sexto Methodi meden. cū, & alijs sexcentis locis Hippocratis esse genuinum & Germanum testatur, præcipue cum fracturarum ossium differentias ex nonnullorum opinione percurrit, & postea prope calcem eiusdem libri ita esse confirmat, dicens, de ijs verò quæ in capite accidunt, Hippocrates certe integrum volumen scripsit, ubi omnia præcipit, quæ in his sunt agenda, & nos cum huic operi finem imposuerimus, enarranda eius opera aggrediemur, &c. CELET. De hoc nō est abigendum, cum Galenus evidenter Hippocratis librum esse testetur, & enarrationes in eum librum exarandas pollicetur, quæ utinam hodie extarent, quia eis nobis magnum certè laborem levaret. VANVC. Vidius Florentinus conterraneus meus, Galeni, audio, vicem in eo libro implet, ut qui non solum eum è Græco in linguam Romanam verterit, sed etiam suis cōmentarijs illustraverit, veluti antea librum de ulceribus, & alterum de fistulis. AMAT. Novi, & Iosephus Sthrutius Polonus, vir singularis doctrinæ, & eloquentiæ eosdem labores ad adiuvandam rem medicam in lucem edendos parabat, utcunque tamen sit, Vidius multa laude dignus est. VA-

E NVC. Quia de vulneribus agimus, mihi primo inquirendum occurrit, cur Galenus o Amate nullam faciat in universa eius doctrina, inter ulcus differētiam AMAT. Idem est sive vulnus sive ulcus, nimirum continui solutionē manifestam, (plagam dixerim) appelles, quemadmodum & Hippocrates facit, recentiores tamen, a telo illatas plagas, vel casu, vel quomodolibet acceptas, modo recentes sint, & eis non insit pus, vulnera appellant, quum verò pus illis supervenerit, non iam vulnera, sed ulcera potius appellanda esse contendunt. Alij verò, cum plagæ à causa procatarctica evenerint, sive

F ipsæ occupent cutem tantùm, sive carnem, & os, etiamsi eis insit pus & sanies vulnera appellant, sed in hoc ut dixi, magna vis non est, plagas, sive ulcera, sive vulnera appellemus, modo eas recte curare sciamus, ut Galenus millies inculcat. CELET. Non facile est capitis vulnera curare, ut dixi, & quo magis senesco eo calvariæ fracturas difficiliores curatu invenio. AMAT. Non alia de causa Hippocrates integrum librum huic dicavit negotio, nisi quia capitis vulnera curare est magni atque ardui negotij, item, quia longè aliam

G curationem postulant capitis vulnera, quam aliorum membrorum, & longe aliam fasciandi & vinciendi rationem, quibus accedunt, ut Hippocrates testatur, quod hominum capita non sunt inter se similia, quia figura variāt; ut ille libro de aere, aquis & regionib. testatur: & Aristoteles libro primo de animalium historia affirmat, quibus Galenus non raro subscribit, & ut figura capita variant, ita quoque suturis & commissuris, adeo ut suturæ & commissuræ longè aliter in uno quam alio

H reperiantur, quæ ut percipitis, non parvum medico etiam exercitatissimo errorem adducere possunt. Novistis autem caput illud optimum obtinere habitum & figuram, quod ceream pilam utrinque compressam refert, quod vero ab hac figura recedit, id vitiosum appellamus: in optimi nanque habitus

&

& commissuræ ad istam constituuntur figuram,⊢ K. sed non raro, alio modo habentur, ut Hippocrates dicat, nec suturæ calvariæ omnibus eodem modo, & merito sanè, quia suturæ hæ quatuor modis variari possunt, ut inibi Hippocrates libro de vulneribus capitis refert, & Galenus libro nono de usu partium illi subscribit, qui præter quaternas illas varietates, quintam mentē conceptam, imaginatur, & admittit: imo quandoque in nonnullis tam viris quam fœminis calvaria absque sutura & commissura ulla reperitur: quæ omnia curationem per difficilem reddunt, non minus ac variç capitum temperaturæ & dispositiones, & diversa aeris tēperies: vidi nanque ego, ut qui per tot orbis regiones peregrinatus sū, & multorum hominum mores, & urbes varias contemplatus sum, uno in aere omnes capitis vulneribus affectos obire: in alio vero secus evenire, & quātumcunque lethalia vulnera sint, ex eis ægrotantes facillimè evadere. VAN. Florentiæ & Bononiæ, ita capitis vulnera periculosa sunt, ut raro capite vulneratus sanetur: in hoc vero saxo Ragusæo contrario evenit. Vix enim ex fracto & comminuto capite ægrotus decedit, immo plerunque convalescit. CELET. Vnde hæc eveniant vehementer scire cupio, ut ubi caput fractum brevi curatur, pedum vitia difficulter sanantur, & contrariò. VAN. Id ego evenire crediderim, ut Amatus ait, ex aeris varia temperie, quia caput, ut ille ijs in Centurijs ex Galeno dixit, ex influente, quod aiūt, temperie, quocumq. calidissimo æstivali calore, calidius est, veluti ex innata tēperie, frigidum & humidum. Vbi igitur aer capitis tēperaturam fovet, fortè morbus magis invalescit, & ægrum in perniciē trahit. Vbi verò non adeo illi favet, sed qualitatibus potius adversatur, fortè inde melius habet. Novistis autē sanitatē per similia servari: morbos verò per cōtrariū depelli. AMAT. Quum multæ signatę causę sint, quæ capitis vulnera difficilia curatu reddant: hæc ut mihi videtur, præ cæteris primas tenet, scilicet, quód caput cùm aliquando percutitur, longè à loco percusso malū aliquando habeat: ab ictu enim malū sive læsio longè subsultat. VANVC. Id fieri posse apud te aliàs legi. AMA. Soranus id fieri posse scriptum reliquit ut qui Hippocratem imitetur, cui Cornelius Celsus, ut sæpe solet, subscribit: unde Hippocratis Latini nomen traxit, quanquam Paulus Soranum reprehendat, ut qui ex Galeno id fieri non posse dicat. VANVCC. Hoc ne apud Hippocratem scriptum ais? AMAT. Hippocrates, ut audis, ita libro de capitis vulneribus præclarè tradit, frangitur calvaria sub vulnere, alia parte, quā ubi plaga est, atque os nudatum. VANVC. Optimos & graves autores legendos semper audivi. CELET. Quis dubitat ex fonte potius doctrinam hauriendam esse, quam à turbidis rivulis? VANVC. Ni Amatus ex Hippocrate sententiam hanc adduceret, nunquam eam Hippocratis esse crederem, & eò magis, quia Paulus opus hoc fieri posse negat. AMA. Paulisper hic immorari ne pigeat, ut rem hanc integram deprehendatis. Paulus Ægineta Soranum reprehendit, ut qui dicat in suis scriptis, quæ adhuc extant de vulneribus capitis, quemadmodum in vitro, ita in capite evenire: nam si una parte vitrū percutiatur, in altera & forte adversa findi contingit. Aegineta tādem hæc non ferens eum suggillat, & carpit, ut apud eum legitis, quia vitrum inane est: calvaria verò plena. Item, quia Galen⁹ nono libro de usu partiū: ideo naturam providā calvariā varijs suturis ornasse ait, ut altera percussa, altera non lædatur: quod aliter evenisset, si solida esset, & absque suturis. Nō negaret tamen Aegineta id quod Hippocrates ait, & nos quoq. scriptū aliàs reliquimus. Si calvaria telo percutiatur, non rarò ultra eum locum ubi plaga conspicitur, os findi, & frangi, ut in assere accidit, qui si securi feriatur, non semper finditur quà securis ferit, sed alibi. CELETAN. Hæc ut ipse puto

nec Galenus negaret. AMAT. Si recte
teneo, non tantum hoc evenire posse
dixi, sed multo maiora, scilicet, percus-
sa una parte, ex aduersa duram mem-
branam, quæ suturis calvariæ implici-
ta est, & ex eis pendet, cadere posse: un-
de maximum malum oritur. Item, ve-
nulas cerebrum ambientes ex adver-
sa ictus parte rumpi & aperiri posse,
unde sanguis effluit, & brevi pus factũ
cerebri substantiam putrefacit, & cor-
rumpit: id quod olim non sine ingenti
artis honore deprehendi, imo hoc fieri
posse etiam capitis cute, & ipsa calva-
ria integra manente: pręcipuè ex re ab
alto cadente Cornelius Celsus fatetur,
& Galenus post eum libro secundo de
Com. Med. S. L. non negat: id quod
Hippocrates si apertè non dicit: intel-
ligit tamen, quum ait, citato loco, quin
tus hic modus. Quod infortunium ubi
accidit, nihil est, quod iuvare possis:
quoniam ubi hoc malum fit, nulla via
deprehendere licet homone id patia-
tur, aut qua parte calvariæ. VANVC.
Quomodo hęc deprehendemus, quum
quis in infortunium hoc inciderit?
AMAT. Paulò posteà audies, nunc sa-
tis hæc dixisse sit. CELET. Quum de
calvariæ fracturis sit, dicas rogo, o A-
mate, persistisne ea in opinione, calva-
riam tres habere partes, superiorem,
inferiorem, & tertiam medullarem
diploem à Galeno dictam? AMAT.
Cur non, quum ijs in Centurijs ita esse
ex Hippocrate & Galeno patefecerim,
& nunc, ut rem ex integro teneatis, au
dite: ita se habet os cranei, quemadmo
dum id, quod costam componit, am-
bitve. Costæ autem os latum unicum
tantum esse videtur: intus tamen me-
dullæ vice, spongiosa pars venis & san
guine plena se nobis offert. Si costam
quis igitur perforare tentaverit, ut
olim Hippocrates cùm purulentos cu
rabat, perforabat, dubio procul tres
partes in ea, vel invite esse dicet, pri-
mam & imam densas & duras: me-
diam verò inter utranque spongio-
sam. Ita & calvaria tres habet partes,
quarum mediam Galeno diploem ap-

E pellatam, Hippocrates præcipuam fa-
cit libro huic dicato negotio, non pro-
cul à principio, & illi os supremum, &
infirmum, durissimum, densum & le-
ue, tanquam proprias partes tribuit:
mediam autem illam partem spon-
giosam facit, carunculis plenam, mol-
libus & raris, quæ digitis si atterantur
in sanguinem resolvuntur, ut liquido
ex Hippocrate evadet calvariæ tres es-
se partes. Sed agite, sive tres partes,
aut si calvariæ laminas magis appella-
re libet, sive duas tantùm admittamus,
F hoc nihil refert, modò sciamus, quæ
nam in calvaria ipsa partes infirmio-
res, quæve robustiores sunt, ut inde
præsagium, indicium & morbum col-
ligamus. VANVCC. In hoc ancipi-
tem, & dubium civem meum Vidium
invenio. AMATVS. Hoc tam leve
& facile solutu dubium est, ut omnes
uno consensu respondeant hoc modo,
Syncipitis os tenuissimum & infirmis-
simum esse: posteà ossa temporum,
dein frontis, omnium robustissima, &
cracissima, quæ post aures & verticem
G sunt, id est, quæ in occipite continętur.
VANVCC. Ita omnes scribunt chi
rurgici. AMAT. Omnes ita scribunt,
sed rationes cur ita sit, ignorant. VA-
NVC. Eas tu igitur explana. AMAT.
Audite. Os syncipitis omnium in cal-
varia tenuissimum & infirmissimum
esse, ex pueris in lucem recenter edi-
tis convincitur, quia perforatum, &
nondum completum os hoc ostentent,
quod postea in adultis infirmum ita
esse convincitur, quia syncipur pau-
H cissima & tenuissima contegitur car-
ne: quo fit, ut vulnera in eo periculo-
sa sint, & eo magis quia multum cere-
bri sub se continet, quod Hippocrates
non siluit, cùm inquit, quod ad eras-
situdinem & tenuitatem, ex universo
calvariæ osse, id tenuissimum est, & in-
firmissimum, quod inter frontem &
verticem est: idemque paucissima &
tenuissima carne contegitur: hac item
parte plurimum cerebri subest, quam-
obrem & cætera. VANVCCIVS.
In hoc enarrando textu conterraneus
meus

meus Vidius, anceps & dubius, ut dixi, est, ut qui os inter frontē & verticē ab Hippocrate syncipitis vocari ambigat putans fortè longè aliud os prope tempora esse: cùm tamen os temporis Galeno autore libro sexto Methodi med. in seipso ipsas squammatim cōpactas commissuras habeat, immo si quis versatus fuerit in doctrina Galeni, os inter frontem & verticem, id esse, quod nos appellamus Syncipitis debilissimum, & omnium firmissimum facilè inveniet. AMATVS. Temporum os post sinciput cæterorum infirmissimum habetur: unde in eo vulnera periculosa quoque admodum sunt, sed præcipuis tribus de causis, quas Hippocrates ita describit, dicens. Ex cæteris os temporum infirmissimum est, quod maxilla in tempore cum calvaria committatur, & sursum ac deorsum moveatur articuli modo, quod propè sit iter per quod facultas audiendi meat, quod vena cava & valida per tempus intendat. Ob tria igitur hæc Hippocrates vulnera temporum periculosissima esse testatur, ob connexionē maxillæ in tempore cum calvaria, & motum, ob foramen auris, ob grandes venas quatuor, quæ per tempora feruntur, quas σφαγίτιδας appellamus, quarum duæ per interiora vadūt, & penetrant, totidem per exteriora. Vtræque capitis & colli partes nutriunt, sed illæ altiores, hæ verò summas, & per tempora quoque currunt: cum quibus etiam & arteriæ eiusdem ferè magnitudinis obrepunt, quum raro venæ absque arterijs reperiantur. Hæc igitur tria cum osse tenui, & infirmo, locum infirmissimum & obnoxium malo reddunt. Eo accidit ut vulnera quoque, quæ supra suturas cadunt, periculosa quoque sint, præcipuè syncipitis, quia suturæ natura sua infirmæ sunt, & duram mēbranam alligatam habent, & syncipitis os infirmum quoque est, adeo ut hæc locum hunc infirmissimum reddant. Vtcunque tamen sit, Galenus syncipitis os audacius proferat, quam temporum aut à lateribus os, ut ex dua-

A bus historijs ad calcem libri sexti Methodi medendi, adductis percipitur: quod sane documentum Hippocraticum est, ut ex libro suo tam sæpe à nobis hodie citato percipitur: ita enim Hippocrates ait, ubi caput incidendum sit, cæteræ partes eius tutò inciduntur, tempus & regio superior iuxta venam, quæ per tempora fertur: hic inquam locus scalpello attingi non debet. Eum enim, qui incisus fuerit, nervorum distentio prehendit, & cætera. Iis enim suadet Hippocrates, ut neque tempora, neque supra regionem

B temporum ad latera incidamus, quia vena, arteria, & non contemnendi nervi per ea loca ferantur: quod si contingant præcidi, inde nervorum distentio oritur: præcisis hanque ex uno latera nervis, sive musculis, alterius lateris nervi & musculi retrahuntur, ut alijs in Centurijs, pro exemplo equi frænum adducens, patefeci. Sed nunc ad propositum redeuntes, dicamus, occipitis vulnera, & quæ retro aures contingunt, minus periculosa esse: quia circa eas partes, os durius,

C & multum carnis est, & minus cerebri subtus est: frontis quoque parum periculosa sunt vulnera, ut memoriæ in curationibus quandoque mandavi, sed magis periculosa ijs, quæ in occipite sint, ut Hippocrates quoque testatur. CELETANVS. Hæc præscire dubio procul multum ad præsagium, & indicium, & ad curationem faciunt. AMTAVS. Non iniuria Hippocrates suadet in primis spectandum,

D qua in parte capitis homo vulneratus sit, inquiens, spectare autem in primis convenit, qua parte capitis homo vulneratus sit, imbeciliorve, & cætera. Nec minus considerare vulnerum genera & an in eis tantum collisio sit, an fissura, an incisio, quoniam pro ossis, & teli, vel procatarcticæ causæ ictus varietate, calvaria variè frangitur, & afficitur, & in collusione inspicere oportet, an tantum collisio simplex sit, ut in pueris sæpe evenit, quorum ossa supprimuntur & deprimuntur, veluti vasa

plumbea & stagnea, non secus atque in provectis synciput, & modus hic ad fracturæ species reduci debet, si modo cum Hippocrate sentire volumus, quia in collisione quædam continui divisio videtur. Item considerandum si cum collisione adsit fissura, vel rima, quanquam Hippocrates non fieri fissionem absque collisione tradat, inquit nanque Hippocrates, si quid finditur, necesse est plus minusve collidatur. Fissuræ igitur sive rimæ considerandæ maxime sunt, ut tradit Hippocrates, quum quædam tenuiores sint, non nullæ tenuissimæ, ut vix percipi possint, & hæ ad interitum sæpe hominẽ trahant. Contra, aliæ crassæ & latæ oculis conspicuæ, aliæ quæ multum excurrunt, quædam breviores, aliæ rectæ, aliæ flexuosæ, & obliquæ nonnullæ parte summa videntur, aliæ altius descendunt, veluti aliæ quæ per totum ad imum usque penetrant, & percurrunt, quas Galenus ad finem non esse persequendas monet, ut inferius latius dicemus. Quod si incisio est, considerandum, an in ea teli vestigium relictum sit, quod ab acuto & levi plerunque fieri solet, & an cum scissura, fractura & ossis suppresio sit, ut membranam duram comprimat, quod plerunque à telo gravi & recurvo fieri solet, vel si icto loco ex adverso malum respondeat. Id quod evenire non raro supra meminimus, sed in hoc multum refert scire, quo teli genere percussus ægrotus fuerit, vel ex quonam loco ceciderit, alto, infimo, vel medio, & an à robusto, vel debili inflicta vulnera sint, & an ægrotus illicò ceciderit, & an scotomate & vertigine affectus fuerit, & an vomuerit, an verò nihil horum evenerit. VANVC. Hæc quum dicta & admonita rectè sint, placeat nunc ægrotantem invisum accedamus, ut hac secunda curatione inter nos de rebus gravioribus sermo habeatur, & quod agere debeamus, sanciamus. AMATVS. Quum timor nõ sit, de sanguinis fluxu in deponendo vinculo, accedamus: nam Galenus, ut

E alìas vobis dixi, vinculum sive fasciam non nisi ad quartum & quintum diem solvebat, præcipue quando sanguinis fluxum ex vulneribus timebat. CEL. En Vanucci fasciam depone, & expedite eam solve, & vulsella hac turundas extrahe, & linamenta omnia, & cave ne earum quicquam intus latitet, & maneat, ac linamentis ijs siccis, & spongiola recenti & nova hac, vulnera à sordibus absterge. Adsunt quoque instrumenta, quibus ossa fracta extrahamus, & quà opus fuerit apperiamus. AMA. Non excidat vobis fracturas has diligenter inspicere & contemplari, & an in hac calvaria denudata ad suturam

F incisio sit, quoniã ut difficile ita Hipp. hoc maxime considerandum monet, denudato nanque osse, fracturæ oculis patent, in suturis verò non itẽ, ut aliàs Ferrariæ in uxore Antonij Lucei Illustrisimi Ducis Ferrariæ medici, evenisse à me audistis, ex quo errore diẽ suũ obijt, erat autem plus iusto squammosa aperta commissura, parum ab asistentibus chirurgicis & medicis deprehensa. VANVC. Providus, & oculatus mente oculis sit chirurgus in ijs tractandis calvariæ vulneribus, oportet, quia suturæ quum infirmæ natura

G sua sint, parvo negotio findũtur & dehiscunt. CELE. Super suturas secarene consuevisti? VANVC. Absit, imo Hippocrates ab illis recedendum, & ubi necessarium fuerit, proximum os secandum suadet. CELET. Ob multa non esse secãdas suturas nuper accepimus. VANVCCIVS. Quia fortè suturæ natura sua imbeciles cum sint, facilè à modiolo penetrante perforarentur, & cerebrum læderetur. Item quia per suturas venę & membranæ transeunt, quas ferro attingere periculo non va-

H cat: decidet forte illis adalligata membrana, quam duram dicimus. Item quum suturæ à natura providè sint constitutæ, ut per eas, tanquam per camini foramina & expiramenta fumus evaporet, earum vice callus super crescens impedimento expirationi esset, ut his rationibus convincatur, supra

supra suturas non esse secandum, sed ijs proximum os cum sectio necessaria fuerit, perforandum. CELET. Vtcunque est. Ego ubi sectio necessaria est, etiam supra suturam non raro rado, & aperio, & ad votum omnia mihi respondent, immo assentiēte Amato, hoc non semel feci. AMAT. Ita res habet, & ita agendum cùm casus exposceret dixi, quum minus periculi inde evenire soleat, aperiendo, quam non aperiendo, ut ex historia a nobis citata percepistis. VAN. Exercitatissimus chirurgus sit oportet qui hæc contra Hippocratis sententiam facere audeat. Sed dicas rogo o Amate, cur in capitis vulneribus sectio admittitur, alijs vero in mēbris minus? AMAT. Galenus prope finem libri sexti Methodi medendi, huic tuo respondet quæsito, quem tu magno tuo fœnore percurrere poteris, nos vero interim tibi sic respondemus. Sectio ossis in capite necessaria est, quia admirāda iunctura membrorum fracturis accommodata, in capite ob eius figuram dari nequit, quum nō habeat partes convenientes ad quas humiditates, & superflua transmittere valeat, sicut habent brachia, crura, & alia membra, item secamus, ut pus si quod in cerebri membrana colligitur, rectè extrahatur, mundetur, nec putredine sua cerebrum corrumpat, id quod fieri nequit, si sectio ossis non sit, cæteris autem in membris pus debito vinculo exprimitur, quod in capite fieri non potest, imum nanque pus petit. Qua de re Hippocrates in capitis vulneribus præter fascias laxas, ad continenda medicamenta & linamenta sufficientes, cæteras utpote adstringentes damnat, quia vincula, & fasciæ comprimentes, dolorem & inflammationem adducunt, & humiditates retinent, & eas tanquam carceratas remorantur, ex qua re tot mala quæ homini perdendo sufficiunt, gigni solent, cæteris autem in artubus, ut brachio & crure quæ separata & diducta sunt, in unum cogere & glutinare vincula valent, & ab inflammatione defendere materiam, quæ aliunde ad affectā particulam confluit reprimendo, & eam quæ iam recepta est, pellendo, ut latius sequenti dicemus quæstione, in qua proponimus, an capitis fracturæ, emplastris curari debeant, quemadmodum cæterorum membrorum fracturæ. VANVC. Accedamus igitur, & vulnera inspiciamus. Primo nobis occurrit occipitis vulnus, in quo satis detecta calvaria est, sed vah in ea nūc fissura satis ampla & manifesta cōspicitur, quæ an mēbranas cerebrum tegentes attingat, nunc demum experiamur. Pueri techam atramentariam afferte, ut attramentum per incisuram hanc indamus, ut ad quem locū penetret, sciamus. CELET. Quoniam instrumento, dicas, o Amate, ad hunc secādum os utemur? AMAT. Dicam, si prius vobis memoriæ revocabo occipitis vulnera minùs periculosa esse, ut iam dixi, & tardius qui ab eis morituri sunt, vita decedere, & eo tardius quo tempus frigidius fuerit. Sed ad quæsitum tuum revertor cum Galeno libro sexto Methodi medendi, ita dicente. Ergo de fracturis calvariæ, quædam usque ad secundam laminam, quam Græcis διπλόην vocant, perveniunt, quædā usque ad internā ossium faciem, quædam simplices fracturæ sunt, quædam contusiones, quædam vestigia eorum, quibus inflicta plaga est. Quæ igitur simplices fracturæ ad secūdam usque laminam perveniunt, ijs, quos modo diximus, angustis scalpellis indigent, expedit autem hos ut numero multos, ita magnitudine impares esse, necubi desit quod operi sit commodissimum, postea vero nudato prout fieri solet vitiato osse, utendum primo quidem latissimo, secundo loco, quod illo est angustius, mox ita reliquis, deinceps usque ad angustissimum. hoc vero in ipsa diploe est utendum, & inferius subdit, & fracturis vero quæ ad cerebri usque membranas pervenerunt, si simplex tantum fractura sit, iam dictis scalpellis angustis utendum, sin cum contusione ali-

qua, quod contusum est, excudi debebit, idque vel terebellis prius in circuitu perforatum, mox deinde scalpris ad motis, vel protinus ab initio cycliscis. Ac quæ per terebellam quidem ratio fungitur parũ tuta est, propterea quod dum audacius eam tractãt, durã membranam quæ ossi substernitur, nõ raro violãt. Quod vero per cycliscos opus administratur, ne id quidem omnino vitio caret, cum quatiat immodicè caput, quod potius quietem postulat. In ijs autẽ Galenus, ut audistis, nos docet in calvaria aperienda perforandave, ac ipsis demendis extrahendisve ossibus, sive fracturæ simplices sint, sive compositæ, operandi rationem, veluti operationem per terebellam parum tutam esse, quia membranam duram, & cerebri substantiam violat, nihilominus quoque improbat opus, quod per cycliscos administratur, qui caput immodicè quatiat. VANVC. Miror Galeni diligentiam, ut qui rem hanc sic desertam reliquerit. AMAT. Nihil minus, desine mirari Vanucci, immo Galenus distinctione quadam habita, nos docet quando terebra, & quando cycliscis uti debeamus. VANV. Eam rogo recitare ne graveris. AMAT. Inquit Galenus, si magnæ sint fracturæ, & ossa, quæ fracta sunt, vehementer mota, tunc cycliscis uti optimum esse, quia paucis excisionibus opus consequemur, ut postea excisorijs lenticulatis, in totum compleamus. Hæc, ne dubites, Galeni sunt verba. Mihi igitur hic quoque placet, si magnæ sint fracturæ, & ossa, quæ fracta sunt vehementer mota, cycliscis uti, quippe paucis excisionibus facies excisorijs lenticulatis locum, sin firma plurimũ ossa sint, vocanda terebella sunt. Hactenus Galeni verba; quæ, ut noscis, nihil à nostra citata sententia differunt, immo ut Galeni sententiam teneas, ita dicentem audi. Quidam autem quo minus usquã aberrent, eiusmodi terebellas excogitarunt, quę mergi non possint, quas ab argumento abaptista dicunt: circũcurrit enim parum supra terebellæ acutã

E cuspidem circulus quidam parum extans sanè expedit complures id genus præparatas habere, ad omnem calvariæ crassitudinem, nam crassiori longior terebra conveniet (voco autẽ ita cuius spatium quod inter summam est cuspidem, & circulum, quia extans circuncurrit, maius est) tenuiori brevior: est autem huic quoque quod interest inter cuspidem & quod circuncurrit minus. Aliqui verò (sive illos his timidiores, sive tutiores appellem) etiã ijs quas chynicidas vocant, sunt usi. Tu vero, si neque improvidus eorum quæ
F fallere possunt sis futurus, neque plusquam satis es timidus, commodissimè cycliscis utere, & primo quidẽ aggressu latioribus, postea magis angustis, donec ad crassam membranam perveneris. Cæterum, quod excidi oportet, id totum circulo cycliscis mundandum non est: sed ex ea maxime parte, qua fractura est gravissima, nam præter alia, etiam membrana ipsa ab ossibus, quæ vehementer sunt afflicta, celerrimè recedit, adeo ut nullus sit metus eam, quæ iam seiuncta est, tetigisse. Si verò unam semel nudaveris partem,
G ac scalprum, qui in cuspide præfixum habet obtusam lævemque lenticulæ speciem, aciem vero per longitudinẽ erectam submiseris, ubi latam partem lenticulæ super membranam statueris, feries malleolo, ac si calvariam divides eveniunt enim ita agentibus quę requirimus omnia. CELETANVS. Ita hæc Galenus clarè docet, ut nihil quod desideremus in hac tractatione sit, si modo, o Amate, nomina instru-
H mentorum quibus Galenus operandum docet, patefeceris. AMAT. A terebra incipiam, quæ & terebrum, & terebella, & terebellum diminutivè appellatur instrumentum satis vulgare, quo fabri passim utuntur, & dolia, ligna, & tabulas perforant, cui similem terebram chirurgici olim in usu continuo habebant, alteram vero quæ supra acutum eius mucronem circulum habet, ob quem altius descendere non potest, unde abaptista, quasi sebmergi

mergi non possint, à Græcis appellantur, & hæc varijs modis habentur, & operantur, nam quidam ipsam manibus circumducunt, alij eam per pilam in summo circumagunt, alij per transversarium convertunt, alij per habenã in medio arctè illigatam eam tornant convertũtve, nonnulli per arcum eam circumrotant, alij per habenã & transversarium, exemplum ab ijs qui ad tornum poliunt, sumentes. VANVC. Harum terebrarũ, parvus vel nullus usus, hodie apud chirurgos habetur, proinde eas prætermittamus in hac præfocãda calvaria, & quid Galenus per chynicidas. AMAT. Chynicidium instrumentum, Galenus vocat, id quod Hippocrates serram appellat, nostri verò hodierni chirurgici, modiolum dicunt, instrumentum sanè admodum periculosum, quod, ut dixi, Hippocrates serrã appellat, quam tu intellige teretem, sive rotundam, quia, ut nosti, rotundæ serræ modo operatur, qua ad præsens minimè quoque operabimur. CELETA. Vtamur igitur cyclisceis saltem, si modo primũ eos patefeceris. AMAT. Per cycliscos, Galenus, cavos excisorios scalpros intelligit. VANVC. Si melior a non adduxeris, perinde ut antea dubitabimus. AMAT. Sunt cyclisci, seu cavi excisorij scalpri, non multum à nostris vulgaribus scalpris rasorijs differentes, sed differunt, quod illi canulati sive cavi ad circuli figurã acuta acie fabrefacti sint, & similibus fabri lignarij sua excavãt ligna, adacto malleolo, sed Galenus an eis usus fuerit citra malleoli operam, scriptum non invenimus credibile tamen est superferiente malleolo, eisdem operatum fuisse, quum dicat, eos vitio non carere, qui immodicè concutiant, & eisdem (ut audistis) utitur cum os vehemẽter est perruptum, quibus tantum excidit quantum satis est, ad postea operandum scalprum securissimum ima in parte lenticulam rẽferentem non sine malleoli percussu. VANVC. Instrumẽta omnia hæc quibus non nisi feriente malleolo operantur, tanquam periculosa dimittamus,

A quia parum tuta, & à Galeno non libenter admissa. AMAT. Vtamur igitur vulgaribus nostris scalpris rasorijs, satis tutis, aduncis, & curuis, aut quos Germania & Hispania singulares habent, & ita fabrefactos, ut ijs non nisi exercitatissimi aperire nossent, aut terebra, qua usi sunt prisci, & per manubrium vertitur, ferrum quadratum ima in parte habens cavũ, in quo ut aliud & aliud ferramentum inseri solet, excidendo ossi accommodatum, ita clavus habens turbinatum caput crebris foraminibus scabris ut in lima cernitur compunctũ illi adaptatur, qui summopere mihi arB ridet, & à nemine huc usque quod sciã, descriptus aut depictus, aut in usum tractus, aut adductus est. VANVC. Ego huic instrumento indere soleo ferramẽtum quod ab ima parte, quasi in pomũ desinit striatum, quinque acutas acies habẽs, alpij verò, Thusci magistri mei huius ferramenti loco, quo ego utor, aliud inserere solent, quod unguem representat, quandoque verò aliud semicirculatum. CELETA. Modo uno modo alio, prout opus exigerit utamur, à C latioribus incipiendo dein strictis, prout Galenus nos agendum docuit. VANVC. Accedite igitur, & gosapium puer dato, ut ægrotantis aures obturemus. AMAT. Cura diligentissimè opus exequaris, quoniam Galenus iubet libro octavo de usu partium, ut ossa capitis celerrimè excidantur ne cerebrum refrigeretur. VAN. Imum petivit atramẽtum, & incisura hæc durani attingit meningem, da Celetane stricD tiores scalpros. Vah, videtis ne iam pulsans cerebrum, da lenticulatum scalprum, ut si quæ sunt ossicula quæ sæpè duram membranã pungunt & feriunt, extrahamus, ijs enim squammis sæpè dura membrana, lęditur nisi chirurgus dexter fuerit, unde dolor, inflammatio paralysis & febres oriri solẽt. AMAT. In syncipitis vulnere id quod vehementer est confractum, auferendum cura, vel his forficibus, vel vulsella, vel dentata forfice, & vectibus dentato & non dentato subleva, & attolle ea, quæ sunt

compressa

compressa & fracta ossa, ac lenticulato scalpro postea, ut novisti utere. VAN. Occurrit os quod movetur sed longius percurrit, curabimus ne de illo extrahendo? AMAT. Absit, præceptum Galeni est, ubi de hoc negotio agit, quum ossium fragmenta quædam longius excurrunt, ea persequi ad finem non expedire, cum persuasum sit illi, nullam inde noxam futuram esse, & revera Galenus, ut oculatus testis & experimentator acerrimus loquitur, vidimus nanq. nos non raro similia percurrentia ossa consolidari & succedente corporea cicatrice, ferruminari, si modò reliqua ritè peracta essent. VAN. Exercuistine Amate artem chirurgicam aliquando? AMAT. Sub præceptoribus Salmanticæ maximè, ubi cum nondum decimũ octavum ætatis meæ annum agerem, præceptores Pontanus, & Olivarius, tantum mihi & diligentiæ tribuebant meæ, ut duorum hospitalium, varijs ægrotantibus promiscuis refertorum mihi curam committerent, quorum alterum titulum divæ Crucis, alterum verò divæ Blanchæ, si rectè teneo, habet, postea verò in patriam revocatus parum de arte chirurgica exercenda curiosus fui. VAN. Vt quisq. optimus artifex evadat, oportet, omnes artis partes eius quam exercet, non tantum sedentario studio completas, sed exercitio maximo conquisitas habeat, ut Hippocrates, Soranus, Archigenes, Ruffus, Galenus, Paulus, Celsus, & similes qui ad unguem omnes tenebant, & earum partem chirurgicam non solum viri ij gravissimi & sapientissimi, sed ipsi, Machaon & Podalirius suis exercebãt manibus, nunc vero hodiernis medicis satis superq. est pulsum tetigisse, etiam si nihil præter pallium medicum habeant, fortè ut melius suam traducant, aut verius exerceant & occultent ignorantiam, aut fortè ut Abinzoari subcenturientur, qui cum ulcus videbat, illico substomachabatur, & nauseabundus scotomate & vertigine afficiebatur, unde physicum non debere exercere chirurgiam, scriptis mandavit. AMAT.

E Hippocratem eam partem methodi curatoriæ quam opera manuali complectemus, exercuisse, nondum satis habeo exploratum, quum eam apud suum iusiurandum physicis interdictam legimus, unde apud Romanos mos invaluit, ut medici qui victu, & medicamento ægrotantes curarẽt, operam manualem non exercerent, nec ij chirurgici dicti prioribus partibus operam darẽt, tanquam Decretum, & lege Sancitum reliquerunt, sed de his satis. CELETANVS. Ad colloquium nostrum revertamur, quod de ossium fragmentis
F longè percurrentibus erat, quæ omnes nos ut Galenus quoque docuit, non esse detrahenda, unà convenimus, quanquam hodie non desint plus iusto audaces chirurgici quidam, qui ossa omni amota vi, & diligentia accuratissima auferre audeant. AMAT. Ij fortè iuvenes inexperti sunt, digni ut sub magistris adhuc agant, & artem exerceant, ut doctores, & ab erroribus immunes evadãt. CELETANVS. Referam casum notatu dignum, multum ad rem hanc
G facientem. Superioribus diebus, capite vulneratus iuvenis quidam ad me venit, qui calvariæ ingentem portionem circuli figura fractam habebat, à qua omnia illa ossa fracta, & comminuta detraxi, unde membrana dura, magna quantitate detecta circuli figura videbatur: sed quod mirari est, in medio circuli tanquam in centro, frustum calvariæ, etiam si modo mathematicè loqui volumus, necessariò rotundum tanquã insula in medio aquæ, illæsum mansit, quod omnes assistentes mecum foras ad aliquot dies exiturum credebamus, sed contrario evenit, præfixum nanq.
H mansit, neque ipse de eo extrahendo solicitus admodum fui, quum tentatum vulsella id membranæ firmatum, & affixum perciperem. AMAT. Cordatè operatus es, quia chirurgus non multũ solicitus in eradicandis, & detrahendis ossibus esse debet, sed potius placidus, & mitis, & si extractioni resistant ossa, tunc opus naturæ committere debet, quæ sæpè id quod nos consequi multis

machi-

machinamentis,& sudoribus non possumus,ipsa per se facillimè operatur,& complet. VAN. Quum omnia ossa perfectè,& exquisitè exempta sint,ut dixerit Galenus de huiusmodi opere.

Dimidium facti qui bene cœpit habet,

A Ad immittenda medicamenta accedamus. CELETANVS. Hoc opus hic labor est, quum nonnulli exiccantibus medicamentis huiusmodi curent vulnera,alij verò cataplasmatis, & humidis:sed quid agendum sit, dicat Amatus quem tanquam iudicem in hac re cōstituimus. AMAT. Vt ab ovo,quod dicitur, incipiamus,& in pomum, sed non malum desinamus,ab Hippocratè medicorum principe exordium sumamus,qui libro huic tractationi addicto iubet,ut quamprimum ad vulneratum os nudatum in capite habente accedamus, incidamus quantum nobis satis esse videbitur,ut postea sequēti die vulnus inspiciamus & rectè curemus, sic enim ille. Ergo, quum nudati ossis causa, plaga in capite secatur, ut appareat læsum nec ne à telo fuerit,eatenus incidi debet,quatenus opus esse videbitur: oportet autem ubi secatur,diducere ab osse carnem,quæ mēbranæ & ossi iuncta est,deinde ulcus universum linamētis implere,quæ in posterum diem minimo labore ipsum apertum exhibeat: ubi autem linamenta dantur,quandiu adhibentur,imponendum est cataplasma ex polenta tenuissima,quæ ex aceto subacta incoquatur & maximè glutinosa fiat. Hæc Hippocrates,in quibus figuram,qua sectio fieri debeat prę̨terivit: nos tamen aliorum doctorum hominum doctrina instructi,ad X. literæ similitudinem eam facimus, quemadmodum vos alij consuevistis,& in hoc ægrotante operati estis , & carnem ab osse,ut docet Hippocrates, separastis, nec tantum carnem,sed etiam membranam calvariam tegentem. Qui , ut paulò postdocet,oportet ut sectio ossiū, si quæ necessaria fuerit tertium diem non prætereat, præcipuè æstate,& calido tempore,immo si primo occursu id facere poterimus,nō prętermittamus,

quia tunc nōdum est inflammatio,nec intra tres dies hominem infestare consuevit,unde ossa tutius intra hoc trium dierum tempus, tractari possunt, radi secari,componi,& in suam sedem collocari & redigi:dixit autem Hippocrates æstate,aut ubi tempus calidum fuerit, quia hoc tempore, caro citius putrescit, & pus copiosus gignitur, & ex consequenti os gangræna facilius tentatur & corrumpitur, quæ omnia hyeme tardius evenire satis novistis. VANVC. In his cum Hippocrate sumus, & eum in tractandis , & eximendis ossibus sequimur,& imitamur,sed in me-

B dicamento,quo pro constringendo san guine in prima curatione utitur,ab eo discrepamus. AMAT. Miscemus nos linamentis album ovi satis agitatum, & si defluxum sanguinis copiosiorem timemus,superaddimus pulveres constringentes, qui in officinis væneunt, vel eos,quos Galenus in usum trahebat,& ita habent,aloes partes duas,thuris unam, pilorum leporis,quantum satis videbitur,misce. Hippocrates verò utitur linamentis , eo quo nos utimur modo , & cataplasmate ex farina tosti

C hordei aceto subacta & glutinosa reddita,sed an linamenta misceat huic cataplasmati , quemadmodum nos nostra ovi albo solemus,vel tantum cataplasma hoc superponat, non satis constat, quum dictat,ubi autem linamenta dantur,quandiu adhibentur,imponendum est cataplasma ex polenta tenuissima, quæ & cætera. Ego verò,ut credo,Hippocrates non tantū cataplasma hoc superponebat,sed etiam linamentis miscebat,quia medicamentum hoc repri-

D mit,siccat, & ab inflammatione arcet, ut ovi album quoque facit. Paulus Aegineta verò, vinum temperatum oleo statim pro sanguine reprimēdo admovebat,fortè quia dolorem timebat,nam medicina hæc, & lenit, & reprimendi vim habet. CELETANVS. Galenus, ut noto, libro sexto Methodi medendi nullo horum utitur medicamento, sed siccantibus potius. AMAT. Id verum esse scitote, quod ubi caro à medico secta

secta est, & ossa sunt extracta, linamentis uti debemus, quibus dum utimur, cataplasmate etiam uti necessarium est, ut suadet Hippocrates, quia dum inflāmationem timemus, semper cataplasmate uti debemus, qua de causa, Hippocrates quandoque, neque cataplasmate usus est, neque fascia, quia inflammationem non timebat, sed de his in sequenti latius dicemus, nunc ad quæsitum redeamus, an vulnera hæc, hac secunda curatione curari debeant siccis medicamentis, vel potius humidis. Galenus ad calcem libri sexti Methodi medendi dubium hoc proposuit, & brevi absoluit, dicens, in hac re duas esse contrarias curationes, alteram mitem, Romæ frequentatam, alteram verò, maximè siccam, quā laudabat Meges Sidonius, & eam Eudemus civis suus in opus continuum trahebat, ut qui nudatæ membranę protinus superinducebat emplastrum, quod *isis vocatur, cuius descriptionem* mox audietis, & extrinsecus oxymel adaptabat, & hanc curationem Galenus ibidem magis laudat quàm alteram lenientem: quia ut Hippocrates, ait, introitum ad librum de ulceribus, & alibi, quod sanum est, siccum est, quod ulceratum & morbosum, humidum. Sicca igitur ad sanitatem magis accedunt, humida verò magis ad morbum: unde Galenus eodem loco, si in Asia mansisset, se potius usurum exiccāte hac curatione, quàm leniēte, inquit, quia ea multo plures servatos observaverit, quam reliqua miti curatione. Sed quum Romæ ageret, ut bis morem insequi proposuit, operam manuariam chirurgicis relinquens, subscribit igitur Galenus Eudemi curationi. Qui etiam ut eius corroboret opinionem, exemplum auris affert, cuius foramen non solum ad cerebri membranam, sed etiam ad ipsum cerebrum pertingit, & tamen medicamenta vehementer sicca tolerat, ex quibus est Andronis pastillus: unde ipse Galenus paulò antè dixerat, tum protinus, tum ad finem usque siccis medicamētis esse medendum, quæ ob id ipsum, cephalica Græcè, id est, capitalia sunt dicta. Ea componuntur ex iri Illyrica, & erui farina, & manna, & aristolochia, & panacis radicis cortice, & alijs ab Avicenna adiectis, ut myrrha, sarcocolla, sanguine draconis, & similibus, quæ extergere & siccare, citra rosionem possunt. VAN. Emplastra, quibus Medici illi prisci vulnera, detecta dura meninge, curabāt, apprimè scire desidere. AMATVS. Honestissimo tuo desiderio brevi nunc satisfaciam, & primò sciēdum est, veteres ea medicamenta excogitasse, quæ quia ossi ferè fracto superponūtur, Catagmatica appellātur, cuius modi, emplastrum nigrum est, quod ad Aristam auctorem refertur, & id quod Moschionis dicitur, quæ Galenus libro secundo de Composit. medic. categeni describit, capite decimoseptimo Cæterum inter hæc quæ robustiora sunt, à capite, cephalica nuncupatur: quanquā non tantum *capiti, sed alijs* etiam partibus opitulentur, & conveniant, ut refert Galenus eodem citato libro secundo, capite decimooctavo, cuius generis sunt, quod Deilōtem auctorem habet, isis emplastrum à nobis supra citatum, viride cephalicum, & alia similia, quæ libro quarto eiusdem voluminis describit. VAN. Horum descriptiones, ne postea eas inquirēdo fatigemus ad præsens describere, ne graveris, rogo. AMAT. Primò catagmatica duo occurrunt, dein cephalica potentiora & robustiora aggrediemur.

Emplastrum nigrum, Arista auctore, ex Galeno decerptum libro secundo de Comp. med. s. genera.

Cap. 17.

Hæc recipit. Argenti spumæ, bituminis, singulorum drachmas ducentas, *picis aridæ, cæræ, singulorū drachmas* centum, resinæ, terebenthinæ, singulorum drachmas quinquaginta, aluminis scissilis, propoleos, singulorum drachmas triginta, guttæ ammoniaci drachmas vigintiquatuor, æruginis drachmas decem, olei sextarios quatuor, præparato,

parato, ut dictum est. Hactenus Galenus. Cæterũ hic nos pro denario, drachmam vertimus, & notandum est sextarium duas continere cotylas, heminas quoque dictas, ut Q. Rhemius Fannius cecinit.

At cotylas, quas si placeat, dixisse licebit,
Heminas recipit geminas, sextarius unus.

Porrò Hemina hic decem continet uncias.

Moschionis pharmacum, sive emplastrum, catagmaticum, faciens ad fracturas ex eodem loco Galeni.

ARGENTI spumæ pondo minam. Mina verò in hoc pharmaco habet denarios; vel si mavis drachmas centum sexaginta, sevi vitulini drachmas centum sexaginta, resinæ terebenthinæ drachmas octoginta, æruginis drachmas octo, opopanacis drachmas octo, galbani drachmas octo, olei cicini heminam, aceti tantundem, liquoris sycamini heminam; picis liquidæ heminæ dimidium. Cæterum argenti spuma lævissima, & cicinum oleum in vas fictile æreumque iniecta, & super ignem posita incoquuntur, ac posteà quàm ebullierint, sevum, & manna thuris adduntur, moveturque continuò, quum ipissantur, pix, cera, resina admiscentur, & coctis usque non inquinent, galbanum aspergitur: deinde ærugo, & opopanax ex aceto resoluta. Liquor verò sycomori, & pix liquida in alterum vas transfusa coquuntur, & condensata priori pharmaco admiscemus: rursus supra ignem posita usque ad puritatem coquuntur, & in vinum demersa triduum relinquimus, inde subactis utimur in linteolum illinentes, & cætera. Nunc demum cephalica, robustiora & acriora catagmatis tempus est, ut describamus amplastra, & primo occurrit Deileontis.

Deileontis Cephalicum, ex Galeno, libro quarto prædicti voluminis, capite 13.

℞. Æris squammæ, mannæ thuris, resinæ siccæ, singulorum drachmas centum, aceti heminas duodecim, terito squammam ex aceto, & quum lævis facta fuerit, thus in minutissmum pulverem redactum adijcito, & resinã, pastillos fingito, quos in umbra desiccabis ad usum.

Isis Cephalicum cruentis conveniens ex Galeno libro quinto dicti voluminis capite secundo.

℞. Ceræ drachmas centum, terebinthinæ drachmas ducentas, squammę æris rubri, æruginis rasæ, aristolochiæ rotundæ, thuris, salis ammoniaci, æris usti, radicis dracunculi ana drachmas octo, aluminis combusti drachmas sex, myrrhæ, aloes ana drachmas duodecim, olei veteris heminam, sive uncias decem, terenda terantur, adiecto aceto acerrimo, & ut convenit, coquantur, quousque nõ coinquinetur man⁹, & fiant pastilli manibus aceto acerrimo intinctis, qui per decẽ dies in aceto acerrimo macerẽtur. Cæterũ quũ plura emplastra isi referta à Galeno prædictis libris describantur, hoc ad preses à nobis conscriptum pro capitis vulneribus curandis, & ulceribus extirpandis, in usum medendi trahere debemus à quo id, quod Paulus libro septimo suę medicinæ scripsit, licet nõnnihil ponderibus, medicinis tamen parum differt: reliqua verò varia huius generis medicamenta ex ipso petite Galeno, Paulo, Largo, & Celso, quæ tam scilicet cephalica, quàm catagmatica carnem producunt: & ubi os nudatum est, tam capiti, quàm alijs corporis partibus per se absque mistura aliqua aplicari debent: ubi verò os nudatum non est, tunc aliquo liquore, vel cerato dilui debent, ut Galenus non rarò libris signatis meminit & secundo ad Glauconem. VANVCCIVS. Cur sic? AMATVS. Quia vulnera quæ os detectum habent, exiccantibus valde curari debent medicamentis: reliqua verò quæ non habent, minùs exiccantibus, qualia hæc sunt medicame ta largo oleo rosaceo diluta, aut mista cerato,

to, aut aliquo alio liquori. Et hoc est, quod (mea sententia) Avicenna dicere volebat, quum dixerit Fen quinta libri quarti, vulnera capitis, quæ ad almochatim perueniunt, curãtur eo modo, quo cætera ulcera curari solent, id est capitis vulnera, quæ neque os detectum habent, nec perforatum, imò quæ non attigerunt membranam caluariã tegentem, curari debent, nõ eo modo, quo vulnera os detectum habentia, sed potius ut reliquorum membrorum ulcera, & vulnera, quæ non ita exiccantibus solent curari, & sanari, & hanc sententiã Avicenna ex Hippocrate & Galeno decerpsit, ex Hippocrate, libro de Vlceribus, & libro de Vulneribus capitis. Ex Galeno verò, Commentarijs in librum de Articulis, sic dicente, Hippocrates sicciorem curationem tradit in libro de Vulneribus capitis, quam in eo, qui de ulceribus est: ea verò ulcera capitis, quæ usque ad os non penetrant, sub ijdem præsidijs, atque aliarum partium curantur. Hæc Galenus, qui meritò ex Hippocrate sicciorem curationẽ tradit libro de Vulneribus capitis, quã reliquo de Vlceribus, inquit, quia Hippocrates hoc de vulneribus capitis libro agit, osse decocto, sive nudato osse, aut perforato, aut saltem læsa membrana calvariam tegente: eodem enim modo vulnera membranæ craneum tegẽtis curari debent, quo detecto osse, aut perforato curari solent, ut suadet Galenus, libro secundo de Comp. med. s. l. Cæterum Avicenna non solum ex prędictis decerpsit locis sententiam illam, sed etiam ex Galeno, libro sexto de Comp. med. s. gen. sic dicente. Sicciora medicamenta vulnerato capite eatenus idonea esse, quatenus os apertum est, quoniam capitis ulcera, ubi os nudatum non est, nihil proprium requirunt magis quam in alia corporis parte: semper tamẽ spectata affectæ sedis natura, & cætera. VAN. Arrident nobis hæc. AMAT. Meritò & vobis arridere debẽt, quia Galenus libris citatis de Cõp. med. s. g. dempto capite. Cæterarum partium vulnera recentia ad cruenta,

E mollibus, blandis, & ijs quæ dolorem non excitant medicamentis, curat, qualia sunt enhema: vocantur autem ex bitumine emplastra barbara cirrha, & phæa, quia fulvi & fusci sint coloris, sed cur barbara dicantur, Galenus se ignorare fatetur libro secundo ad Glauconem, de quibus Commentario quarto in librum de articulis meminit, veluti de Compos. med. s. g. Quod si potenter siccantibus medicamẽtis pro ijs curandis vulneribus antiqui utebantur, illis aliquod ex glutinantibus medicamentis non vehemẽter siccãtibus miscebant, quod crescentem teneram carnem blande, & sine vellicatione coge-
F ret, non minus ac in sinu curando, ut ad eius veniret finem, & ibi retineretur sua viscositate, ut opus compleret, veluti quando mediocriter carne repletus est sinus, ut humiditatem redundantem naturalem absumeret: solet autem eorum acrimonia exui, si eorum pauxillo, largum oleum aut ceratum misceatur, & emmotorum modo reddat. Vocant autem Græci emmota medicamenta liquida, quæ μοτοῖς, id est linamentis, & linteis excipiuntur, & in sinus & cavernosa ulcera sordida pyulco, aut melius fistula lata vesicæ suillæ insita
G injiciebantur, & linamentis obturabantur: ex quibus sunt emplastra, isis, & quæ ad Macherionem, & Epigobum referuntur, ut multa alia prætereamus. VAN. In curandis capitis vulneribus, nudato osse, servatne Galenus semper prædictum curãdi ordinem, quem Meges tantopere laudabat? AMAT. Minimè gentium, imò illum alium mitem & blandum Romæ usitatum. Nam libris de Facul. simpl. med. ita tradit: ego verò sexcentos novi eorum, quibus Romæ perforata fuere capitis ossa, nec
H quicquam ab usu rosacei, citra columbæ sanguinem offensos, & subdit: itaq. melius invenire nihil possis in capite perforato, quam ut rosaceo probo utare. Hæc Galenus, ubi, ut obiter hoc dicam, sanguinem columbæ in hoc casu prætermittit. CELE. Vidi ego non raro probatos quosdam chirurgos supra

duram

duram membranam, calentem ex ala columbæ sanguinem perfundere, felici & optimo semper successu. AMAT. De ijs uberius, si placet, legite nostrum Dioscoridem. Galenus tamen libro secundo de Composit. medic. ubi Apollonij medicamenta persequitur, ad capitis dolorem ex ictu, detracto osse, rosaceum quoque supra membranam denudatam indit, & eò rosacei huius usus devenit, ut hodie plures duram membranam nudatam per totum vulneris cursum solo eo curare nitantur, testantes oleum rosaceum omphacinum tepefactum sufficiens esse, supra posito uno vel altero unguento, vel capitali cerato ad huiusmodi malum curandũ, quum tamen Paulus tres dies tantum rosaceum admittat, ut inferius audietis. VANVCCIVS. Prioribus septenis diebus rosaceo detectam duram membranam plures curare observavi, linamenta intincta ovi albo & rubro simul contusis, & mistis rosaceo supra ponendo. Alios verò, qui illicò restricto sanguine, medicamentum satis vulgare digestivum dictum compositum ovi vitello, terebenthina, & rosaceo tepente supra ponebant, irrorata primò membrana dura rosaceo tepente, aliquando solo, quandoque verò melle rosaceo colatitio admisso, & pro plagæ ratione quandoque ad decimumquartum & vigesimum diem in eadem persistebant curatione, semper capitis partem eodem rosaceo calente abundè perfundentes, & eo lintea imbuta supra ponentes, quoad fortè de inflammatione securi essent. CELETANVS. Non desunt hodie qui vulnera similia curent aqua vitę (quam Ardentem appellant) excepta varijs medicamentis aridis cephalicis à nobis numeratis, & posteà per campanã destillata, quos ego semper detestatus sum. VANVCCIVS. Hodie quoque nonnulli sunt qui sola frigida aqua susurratis nõnullis verbis non solum capitis, sed reliquarum partium corporis vulnera curare contendant, contra quos Vidius conterraneus meus ita prosequitur, dum Hippo. orationem illam interpretatur, Vlcus in capite neq. vino, neq. alia re madefacere oportet, aut certè quàm minimum: inquit igitur conterraneus meus vir doctissimus & eloquentissimus. Ex his patet, quam miserè ægrotantes occidant, qui non solum alijs vulneribus, sed illis etiam, quæ in capite sunt, medentur linteis ex aqua frigida madefactis. Nam si vinum incommodum est, quãto magis aqua? Verũ multos adducunt, hac medicina restitutos, neq. verentur asserere id nõ aquæ potentia, sed miraculo quodam fieri, cum sacris quibusdam verbis prolatis aqua propè divina reddatur, & id efficiat, quod per se minimè posset, quæ superstitiosa religio eodem modo refelli potest, quo refelluntur, qui scorpionem volebant carminibus & saliva necari, nam, si utrunq. seorsum experiamur, idem præstare aquam per se, quod prolatis verbis inveniemus: igitur, ut nugis omissis atq. ineptijs rei naturam persequamur, frigida aqua nõ aliter in ulceribus proficit, quam in frigidis morbis, in quibus, si hominem non ita calidum nacta sit, calorem extinguit, & ipsum interimit, si abunde calidũ, quum calor frigus refugiat, & in unum coactus potentior reddatur, morbum exolvit, quod placuit Hippocrati, quum iuvenem boni habitus, æstate, nervorum distentione prehensum sanari aqua frigida scribit. Cunctis itaque vulneribus aqua frigida nocet, tunc autem magis innocenter adhibetur, quum natura & corporis totius, & partis affectæ calida est, cum affectus recens, quum per tempestatem licet frigidis uti, quod voluit Cornelius Celsus. Vbi sine peregrinis & conquisitis medicamentis sola aqua frigida curari vulnera tradidit: nanq. ubi sustineatur, ulcus purum servat, repellendi vim habet, & naturali calore aucto sanitatem restituit. Sed quum os apertum est, ex toto fugienda est, non modo in capite, quod vino quoque offenditur, sed in alijs etiam partibus. Quod vero iactant innumeros eiusmo-

di præsidio liberatos, utinam æquè lice
ret interemptos aspicere atque eos, qui
convaluerunt. CELETANVS. Varij
cum sint, & tot curandi capitis vulnera
modi, quid Hippocrates in hac re sen-
serit, dicere ne graveris rogo, quum ip
se medicinæ lumen sit. A M A T V S.
Dicam brevi, Hippocrates, Galenus, &
omnes quotquot sunt clari medici, una
nimes, & concordes in hac sunt senten
tia, si vulnera simplicia sint, in quibus
neque de dolore, neque de inflamma-
tione timetur, exiccantibus solis medi
camentis curari debere, neque cataplas
mata, neque vincula esse admovenda,
præter ea necessario laxa, quæ tantum
medicamentum tenere valent, si verò
vulnera composita sint, in quibus & ca
ro contusa sit, & membrana fortè lace-
rata, aut læsa, & dolor adest, & inflam-
matio occupare incipit, aut timetur ne
brevi eveniat, tunc ad lenientia confu-
giunt, ut Galenus libro secundo citato
de Compositione medicamentorum s.
l. & libris de Facultatibus simplicium
medicamentorum, veluti alijs sexcen-
tis locis testatus est, in quibus oleo rosa-
ceo tepente semper utitur, & lenienti-
bus, postea vero quum timor non est
doloris, neque inflammationis, ad ce-
phalica medicamenta arida siccantia
venit, quæ supra membranam resper-
git, quam curandi viam servat Corne-
lius Celsus, qui si non obstiterit dolor,
aut inflammatio, à principio ad finem
siccantibus semper utitur: extracto nan
que osse, illico membranam acri resper
git aceto, ut si quid sanguinis ex ea con
fluit cohibeatur, si verò concretum fue
rit discutiatur. CELETANVS. Si ita
res habet, hodierni laude multa digni
sunt chirurgici, ut qui rosaceum super
membranam per se, etiam linteolo ex-
ceptum respergunt, & superponunt, &
medicamentum ex ovi vitello, & tere-
benthina, rosaceo tepente temperatum
ad aliquot dies admittunt. AMATVS.
Proculdubio, quia rarò membrana du
ra visui patet, ut non contusa, laniata,
aut lacerata sit, non minus ac caro &

E membrana calvariam contegens, quæ
omnia lenientia, & mitia medicamen-
ta hæc postulant, & multò magis si à
chirurgo secta caro fuit, & calvariæ os
instrumento perforatum, quia doloris
& inflammationis timor est, hanc sen-
tentiam confirmat Hippocrates libro
de Vlceribus, dicens. Quodcunque ul-
cus telo acuto inferatur, vel ita etiam,
ut altè insidat, medicamentum exigit,
quod cruentis vulneribus protinus in-
jicitur, quod desiccādo suppurationem
prohibeat. Si quid carnis collisum attri
tumque à telo fuerit, ita curandum est;
F ut quam celerrimè suppuret, nam &
minus inflammatione prehenditur, &
necesse est collisam detritamque à telo
carnem in pus versam tabescere: dein-
de novam creari. Ex quibus Hippocra
tis verbis liquido cernitur, contusam,
aut collisam carnem plagæ coniun-
ctam, necessario in pus verti debere, id
quod de membrana dura intelligen-
dum quoq. non raro Hippocrates ipse
inculcat. Hanc eandem sententiam cō-
firmant Hippocrates libro de Vulneri
bus capitis, ad hunc modum, inquiens,
necesse enim est collisam carnem detri
G tamque in pus versam tabescere. Sed
multo clarius eodē hoc libro cum ait;
malum autem in ulcere carnem humi
dam esse, hebetem & diuturniori tem-
pore purgari: danda vero opera est, ut
ulcus quam celerrimè suppuret, hoc
enim pacto, quæ iuxta sunt inflamma-
ri non poterunt, ipsumq. purum quam
celerrimè efficietur. Necesse enim est
laceratam collisamque à telo carnem
in pus versam tabescere: post quam
H purgata erit, siccari ulcus debet, nam
sic maturè admodum senescet, & caro
non humida, sed sicca producetur, sic
etiam in ulcere caro minimè supercre
scet. Hæc Hippocrates, quibus fortè
Romani nixi, mitem & blandam cura
tionem, tanquam securam & optimam
sibi addixerunt, quia ea primò vulne-
rum collisam carnē in pus versam pur
gant, dein exiccant: iubet nanque Hip
pocrates pro virili curet medicus, ut
quam

quam celerrimè suppuret vulnus, quia hoc pacto, partes quæ iuxta sunt inflammatione non tentabuntur, nam si interea collisa & contusa caro in pus versa non fuerit, nequaquam vulnus sanari poterit. Postquam autem opus hoc cópletum fuerit, quod calidis & humidis, ac putrefacientibus, & pus moventibus prius, quam frigidis siccisque compleri debet, tunc purgata à sanie carne, siccari postea debet, & caro produci, & consolidari, ac cicatrice obduci. VANVC. Cur in vulneribus contusa caro, aut collisa in pus verti primo expetitur? AMAT. Quia præter quod caro ita est affecta ut restitui non possit, disruptis venulis sanguine plena est, qui quum extra venas sit, necesse est corrumpatur & cum eo caro ipsum cõtinens, ad quæ concurrunt, dolor, & calor superfluus, ex quibus inflãmatio partes proximas occupans cõcitatur! meritò igitur Hippocrates quam diligentissimè ad suppurationem, collisum, & contusum verti suadet: si citò igitur & brevi caro suppurat, & vulnus brevi purum efficietur, quoniam vulnus purgari ante carnis suppurationem nequit, quemadmodũ neque curari ante apostematis curationem, quæ omnia ut de carne, ita de dura membrana, & de ea quoque quæ calvariam tegit, ab Hippocrate dici putate, præcipuè quum læsæ, vulneratæ, aut contusæ fuerint. Tradit autem Galenus, ut id repetamus, vulnera membranam calvariam tegentem attingentia periculo non vacare, minus quam ea quę membranam detectam habent, ex quibus omnibus colligitur, quam optimum esse, & rationi consentaneum, digestivo dicto medicaméto uti, & hoc magis putabimus cum id componentia considerabimus. Occurit primo ovi vitellus, qui Galeno affirmante, libro undecimo de Facultatibus simpliciũ medicamentorum frigidus primo gradu est, id quod Avicenna nõ negat, immò ovi vitellum frigidum testatur, libro de medicinis cordialibus, & libro secundo sui canonis cõfirmat, quum gallinæ

A ovi vitellum conferre apostematibus calidis aurium tradat, in secunda verò qualitate siccu esse omnes consentiunt. Accedit oleum rosaceum omphacinũ, quod frigidum & siccum esse, post Galenum omnes fatentur medici, quod Galenus ipse, ut audistis, tot & tãtis laudibus extulit, præcipuè pro curandis capitis vulneribus, perforato osse, completum verò oleum rosaceum eodem Galeno teste libro secũdo de Facultatibus simplicium medicamentorum, cap. 27 easdem vel similes vires obtinet, quas succus rosarum. Cæterum succum ex

B rosis expressum exciccandi vires habere omnes novistis; terebenthina verò vulgaris laricea, eadem ferè viribus & facultatibus habetur cum vera ex terebintho destillante, ut fatetur Galenus, & nos in nostro diximus Dioscoride, quæ ambabus qualitatibus omnium resinarũ moderatissima est, & ea de causa, inquit Galenus, omnibus medicamentis, quæ ulcera rectè curabunt, eam admiscere satius est. Ad hæc quod nervis summopere convenit, & eos roborat, ac vivificat, adeò ut multi hodie ea sola omne genus ulcerum curare contendant, nõ nisi prospero & fœlici sem-

C per successu, ut iure ea uti debeamus. At, quia in ea nescio quid acredinis percipitur, ea de causa, non semel ea frigida, prius, quam ad opus trahamus, abluimus, ut iure concludendum sit, ex omnibus ijs medicinis magno iudicio medicamentum hoc excogitatum fuisse, quod vulgò digestivum appellatur, quia in eo exiccandi pollet facultas mitis, & blanda, & qua mira consequuntur bona, inflammationes nanque arcet, & prohibet dolores levando & le-

D niendo, & quidquid ad suppurationem in vulnere venire debet, brevi trahendo, pus non nisi album, læve & æquale, absque odore malo, producendo. Vnde vulnera brevi cum purgantur, parvo negotio, exiccãtur, abstergũtur, & ex consequenti in eis caro producitur, & consolidatur, cephalicis aridis supra respersis. Quod si huius digestivi

præſentia,pus ſuperabundaverit, ab eo
deſiſtimus & fortè ſiccis linamentis uti
mur,quouſq. exiccatum vulnus ſit; aut
tunc iam eo abſtinemus , & hoc alio
abſterſorio dicto utimur,quod conſtat,
farina hordeacea , melle roſaceo cola-
titio,vitello ovi,& quandoque oleo ro-
ſaceo, aut horum vice , cephalicis ari-
dis memoratis utimur, aſpergendo ſu-
pra membranam mel roſaceum cola-
titium admiſtum roſaceo oleo , quan-
quam vice roſacei tepentis , multi ho-
die , oleo extracto ex ovorum vitellis
frixorio aſsis , fœlicisſimè operentur,
ut ex Avicenna quoque deprehenditur
libro ſecundo capite de ovis : ſed tunc
unguenta cephalica ſuperponimus, ut
ex betonica,gumma elemi dicta, oleæ
ſylveſtris, matre ſylva, gratia Dei, au-
reo chirurgico,dicto de reſina,& ſimi-
libus,modo uno,modo alio pro tempo
ris qualitate,æſtate namque frigidiori-
bus, hyeme vero calidioribus utimur:
ſed iam tunc vinum rubrum auſterum
incoctum abſynthio,betonica,roſis,po
mis cupreſsi,& ſimilibus, quod ſtypti-
cum appellamus, exceptum linteo , &
bene expreſſo,ac calido,ſuperponimus
demum ad ceratum quod corpoream
cicatricem, ſuccedentem in oſsium vi-
cem, coadiuvat,& humiditates dereli-
ctas exiccat, & caput omnino roborat
devenimus,quod ex betonica plerunq.
in officinis proſtat , aut ad eum quod
gratia Dei dicitur,aut ad aliud diachy-
lon appellatum, aut ad carpenſe cera-
tum capitale dictum,aut ad huius gene
ris excogitatum aliud. CELETAN.
Ita hæc tua mihi arrident, ut non poſ-
ſim niſi in tuam ire ſententiam. AMA
TVS. Ne quis ſycophanta in nos de-
bacchetur, ex ijs dico,qui ſupremis la-
bijs artem medicam deguſtarunt, tan-
tas rationes nos ad opus hoc trahentes
audite,& primo,ſi quis rectè Galenum
tenuerit libro quarto methodi meden-
di,ubi præcipuè Hippocratis orationē
ex libro de ulceribus adducit, inveniet
omnia ulcera eſſe exiccanda, præter
ea , in quibus pus movendum eſt, ſed

E quæ illa ſint,dicite vos rogo. CELET.
Si Galenus ita ex Hippocrate agēdum
docet,proculdubio,ea ſola vulnera,quę
per primam tantum intentionem cu-
rari ſolent, & in eis tantum labiorum
agglutinationem procuramus , ſiccis
medicamentis curari debēt:aut ſaltem
ea ulcera,quæ nihil præter ulceris cura
tionem, in ſe habent. Quoniam ulcus
in quantum ulcus exiccationem poſtu-
lat. Cæterum cum vulnera,præter mi-
tia illa citata, omnia reliqua pus movē
dum in ſe habeant , quia vulneratam
carnem, quia colliſam, aut laceratam,
& perruptis venis plenam,conſequens
eſt,ut cataplaſmate citato,vel ſimili, ut
F quam celerrime plagam ad ſuppura-
tionem trahamus, utamur. AMAT.
Hoc veſtrum argumentum efficax ia-
nè eſt,pro quo roborando,paulisper at
tendite,ſi Hippocrates ulcera ſiccis cu-
rat,cur eſt quod articulos ulceratos ce-
rato , & rebus humidis curet? VAN.
Forte id in cauſa eſt, quod cum hæc
molitur Hippocrates , non tantum ul-
cus, quantum nervorum diſtētionem,
quam timet , reſpicit. AMAT. Beaſti
me Vanucci,ut qui tam rectè & ad Hip
pocratis mentem reſpōdiſti: ſed quum
ita ſit, cur nos in fracta calvaria, dete-
G cta dura membrana à qua,ut Eraſiſtra
to placet, nervi originem trahunt:aut
ut Galeno,ex cerebri ſubſtantia,& per
eam membranam nervi ipſi tranſitum
habent, ut ea læſa,& cerebrum & ner-
vos lædi credibile ſit, nos nervorum di
ſtentionem non timebimus, & omni
data opera,ne ægrotus in nervorum læ
ſionem deveniat,muniemur? CELE.
Hæc ita convincunt,ut nihil ſupra dici
deſiderent. AMAT. Si quis rectè Pau-
lum tenuerit, facilè inveniet ipſum nō
multum ab hac noſtra curatione diſſen
H tire. VANVC. Quonam modo Paulus
curabat? AMATVS. Poſt reſtrictum
ſanguinem,primo die oleum roſaceum
calidum ſupra membranā indebat , &
linteolum eodem loco tepente imbutū
ſuperponebat, deinde lanā roſaceo eo-
dem ſimiliter madefactam uſq. ad ter-
tium

tium diem supra positā dimittebat, intra hoc triduum sæpè oleum rosaceum supra infundendo, fortè quia de dolore timet, & hic proculdubio, noster curandi modus est, omphacinum oleum calidum super membranam respergimus, & linteolum, sive zendalum rubrum eo madefactum supra eam adaptamus, deinde linamenta eo digestivo intincta superponimus, & multo rosaceo tepente caput perfundimus, vice quorum Aegineta suam lanam oleo madefactam admittit, neque Cornelius Celsus hanc curationem rejicit, ut qui eum percurrerit, invenit, iubet tamen Celsus semel in die vulnus, etiam bis in æstate curari, postea verò Aegineta à tertio die membranam siccantibus nutrit, qualia sunt à nobis citata, & cruentis vulneribus simplicibus injiciuntur. Quod si membrana inflāmetur, sic, ut tumeat, eam Aegineta fovet oleo rosaceo, & aqua, in qua fœnugræcum, semen lini, althæa, camæmela, atque huius generis alia decocta fuerint, & cataplasma ex farina hordei superimponit, vel ex semine lini & alijs proximè citatis, quod si nigruerit, fortè ex medicamentis in id efficacibus, mel triplum oleo rosaceo mistum supra destillat, reliqua admovendo. At si nigrities sua sponte proveneris, idque in imo potissimum, cum alijs gravibus indicijs, tunc à præsagio habito, hunc moriturum esse, quia nativum calorem emortuum habeat, attingi non debere suadet, sed nos ne immisericordes videamur cum adiuvamus & visitamus, ad horam usque obitus quia mirabilia in hac arte non rarò evenire percipimus? Celsus verò, si mēbrana per inflammationem intumeat, superinfundit oleum rosaceum tepidū, quod si usque eo tumeat, ut super ossa emineat eam reprimit pulvere lenticulæ, vel foliorum vitis, excepto recenti butyro, vel adipe anserino: quod si membrana parum pura videbitur, tūc æquam emplastri alicuius, quod calvariæ causa componitur partem cum melle infundit, eiusque continendi causa, linamenta adjicit, & tandem linteolo

A emplastro illito contegit. At, ubi membrana satis pura videtur, ut caro citius producatur, ceratum emplastro misce. Cæterum Galenus ab Apollonio acceptum refert, ubi cerebri membrana vulnerata est, neptæ succo & farina hordei sicca facilè glutinari. VANVC. Sunt sanè hæc, utpote à tantis & tam gravibus viris dicta, vere aurea, quorum præcepta in totum observo, casum referam non pœnitendum, si modo eum audire nō pigebit. AMAT. Immo Galenum

B imitabimur, qui in universa sua doctrina non contentus cōmunibus theorematis, exempla permulta exercendi gratia adjicit, quibus rerum cognitio evidentior, & magis firma evadit, dic igitur. VANVCC. Ogaricus quidam Omblensis ferrea clava à viro forti & robusto in capite ad syncipur percussus fuit, ita sæve, ut illico tanquam mortuus in terram ceciderit, ad quem vocatus ipse, cum ingens vulnus magna cum cranei fractura habere deprehendi, ex quo subitò quatuor non contem-

C nenda extraxi ossa, & restricto sanguine, ut fieri solet, per album ovi, ex brachio sanguinem mittendum curavi, ventre primo per clysterem exonerato, secunda vero curatione, iustæ magnitudinis alia ossa, præter plura alia exigua, rasorio lenticulato extraxi, & ut opus erat, craneum per circuitum, eo lenticulato, veluti incisorijs alijs rasorijs polivi, erat autem dura menix magna quantitate detecta, ac non parū dilaniata, tandem post chirurgiam, oleum rosaceum omphacinum supra duram membranā tepidum injeci, & linteolum imbutum eodem rosaceo calen-

D te supra posui, & linamenta quoq. madefacta eodem oleo per ordinem digessi & adaptavi, tandem duplicato linteo, eodem calēte rosaceo imbuto, omnibus rite compertis, leniter ne mēbrana comprimeretur, fasciavi: instabat autem æquinoctium hyemale, temperatū satis, & ut ante audistis me fecisse secūda curatione, ita tertia, & quarta, actitatum putate, cæterum quarto die, hic de ingenti capitis & oculorum gravedine

conqueri cœpit, non habebat tamen febrim, qua de causa iniecto infuso, & alvi respõdentia habita, melius habuit, tunc verò oleo rosaceo, rhodomelitis portiunculam miscui, & digestivum medicamentum vulgatum linamentis exceptum vulneris labris indidi, suprà expanso duplicato illo linteo rosaceo calente imbuto: septimo verò gravi rigore affectus est, quem postea subsequuta fuit febris ingens, mentis cum alienatione, & linguæ nõ exigua ariditate, sed tunc in duræ membranæ particula nigredo quædam apparuit, eius reliqua comparente parte livida, quin & vulneris labra, subalbida, ac suppressa erant, pro quibus abigendis malis, & ægroto ipso iuvando, omni data opera, occurrimus fomento parato oleo rosaceo, aqua decoctionis althææ, fœnugræci, seminis lini, & chamomillæ, eo cerebrũ fovendo, & postea gallinaceorum pinguedinem superfundendo, linamentis eadem intinctis superpositis, veluti leviori quadam aridæ cucurbitæ testudine, exquisitè cõsita, ne comprimeretur à medicamentis supra admotis: nondũ autem septimum exierat diem, quãdo graviori rigore apprehensus, animam expirare brevi omnes crederent, & ut ante septimo die bis rigore correptus fuit, ita octavo, nono, & decimo, sed quod peius est, absque somno ullo, quo in tempore, huic victus pulli contusum erat, potus verò ius pulli semicocti: quum igitur in agone, & labore tanto cura versaretur hæc, ecce undecimi initio pus, quantum ovi testa capit, disrupta apparente membrana, comparuit, inde eadem curatione protracta, quartodecimo die, huic tres supervenere rigores, gravissimi & sævissimi, ut ipsum tunc mori crediderim, adiutus tamen & diligenter nutritus eo die evasit, decimoquinto eum curare cœpi rhodomelite & terebinthina, supra posito linteo illito unguento gummi elemi, & hoc bis in die, ad vigesimum quartum, in quibus diebus de alvi respondentia soliciti semper eramus, quia singulis illis diebus, singuli rigore illi superve-

E niebant porrò, à vigesimoquarto die ad trigesimumprimum, paroxysmi alternis diebus eum invadere cœperunt, post rigorem succedente febre, à trigesimo tamen primo die, ad quadragesimumprimum, absque paroxysmo, & noxa ulla procesit: at quadragesimo primo die, denuo paroxysmus ingenti rigore eum invasit, qui ad viginti horas sequentes non contemnenda febre prostratus fuit, quo tempore, & si caro satis esset in plaga producta, de novo supra eam, pinguedinem gallinæ destillavi, qua sequenti die, multum puris F in vulnere conspexi, & ægrotus subinde à febre immunis evasit, sed prædicto unguento, & reliquis dictis, supra admoto vino dicto styptico, curationẽ ad quinquagesimumquintum diem traxi, in quo tempore ossium squamæ exierunt, & in totum sanus à vulnere evasit, ore manente distorto, & ipse quasi stupidus & fatuus redditus. AMATVS. Placuit sanè casum, & eius curandi rationem audire, fuit nanq. membranæ duræ inflammatio, sive apostema, ob dilaniatam membranam eveniens, quam tu diligentissimè curasti, G & ut erat necessarium tractasti. CEL. Non dissimilia, & digna notatu varia alia quotidie evenire, observamus, quę si chartis mandarentur, minimè de puero Smirniæ apud Galenum admirarentur iuvenes. VANVC. Meministi tu Celetane, illius pueri ab alto cadentis, quem ambo nos curabamus tractabamusve, ex cuius cerebri parte anteriori, non exigua portio per intervalla exivit, & tamen evasit, & nunc alacriter vi-H vit? AMAT. Mira in hac arte quotidie evenire, qui eam exercent, norunt satis, immo in ea prope quoddam divinum esse merito clamant, sed iam curãdi via signata, ægrotum nostrum curate, neq. latũ unguem, ut dici solet prætereatis, & eo magis in vulnere frõtis, in quo veluti quovis alio inflicto cuivis corporis particulæ, dempto capite Hipp. & cataplasma, & fasciam constringentem admittit. VAN. quade causa? AMAT. Quia aliunde superfluitates recipiunt,

& timor

& timor est à facili quaque causa inflammentur, unde & cataplasma admittit, & constringens vinculum: ita enim Hippocrates, ne me mentiri dicatis, ait: at neque adstringere etiam convenit capitis ulcus, nisi fuerit in frõte, aut in parte quæ sine pilis sit, aut ad supercilia atque oculum ulcera enim his locis cataplasmata magis & vincula requirunt, quam alia capitis parte; siquidem reliquum caput, frontem universam continet: ulcera autem ubicunque fuerint, ob sanguinis cursum ex iis quæ continent, inflammantur, intumentque. VAN. In fasciando & vinciendo vulnere, undenam diligaturam extendere incipiemus? AMAT. Galenus libro sexto Meth. med. huic respõdet dubio, dicens, non alienum à ratione arbitror, deligaturæ principium super ipsam fracturam injici, ab hinc verò ad reliquum membrum dispensari; etenim qui contra deligat, is ab integris ad ægram partem saguinem compellit, atqui si ab ægro loco incipiat, in integrum finiat, non solum innoxia eiusmodi deligatura in ijs quæ diximus erit, sed etiam utile quiddam contulerit: quippe, cùm nullam circa fracturã sinet excitari phlegmonẽ, cuius rei curam habere in primis oportet, & cætera. VAN. Clarè sanè Galenus à loco juxta fracturam dispensandam esse deligaturam ad reliquam partem tradit, sed utinam hodierni chirurgici non tantis fascijs, aut pileis fulcitis pellibus, capite vulneratos etiam calente aere obvolvant, muniantve, quum ex illis sæpe maiora noxa, quàm iuvamenta sequi deprehendamus. CELET. Fasciandi & vinciendi rationem quicunque rectè tenuerit, non parum in arte chirurgica obtinuisse creditur. AMA. Haud dubiè, & hanc partem artis prisci medici tantum fecerunt, ut de ea integros libros memoriæ commendauerint, sic Soranus, sic Heliodorus, sic Galenus, & Oribasius, quæ omnia ab Hippocrate tanquam à fonte perenni & scaturiente emanarunt. CELET. Ne mente decidat, dicas rogo, o Amate,

A estne verum, quod vulnera capitis, quo maiora sunt, minus periculi habent? AMATVS. Ita esse Hippocrates testatur, præcipue si membrana dura illæsa fuerit, quia locus per quem sanies, & humiditas exeant, satis pateat: sic enim Hippocrates ait, quodcunque etiam os à suo statu recedens desidit, vel quod perruptum sit, vel quod latè omnino præcisum, minus periculosum est, mẽbrana inviolata: quod item pluribus rimis & latioribus fractum est, minus adhuc periculosum, & facilius evellitur, & cætera. Per quæ Hippocrates

B satis clarè dicit, quod ossa capitis, quo magis præcisa & magis abrupta sunt, ac fissa, eo minus periculosa sunt, modo membrana inviolata maneat, sic costa fracta minus periculosa est, & faciliorem curationem recipit, quam collisa, & spina si concutiatur gravius malum afferre solet, quam si pervertatur; ita jugulum quum transversum frangitur, minus in se periculi habet, quam quũ in longitudinem, quæ omnia Hippocrates ita esse testatus est. VAN. In capitis vulneribus, si rima, aut fissura illico in principio non apparuit, & postea

C supervenerint symptomata gravia, ut febris, delirium, & huius generis alia, aperire ne debemus, an emplestris malo succurremus? AMAT. Huic dubio Hipocrates respondet, quod illico aperire debeamus, sic enim ille ait. Verũ, ubi intelligis febrẽ invadere, vel quid aliud signum languenti supervenire, nihil cessare debes, sed os usque ad mẽbranam secare, vel scalpro radere, & cætera. Ex quibus Hippocratis verbis, illorum detegitur turpis error, qui capitis omne vulnus, etiam apparente

D rima aut fissura subtili, solis suis emplastris, absque apertura, & ossis perforatione, curare contendebant, argumentum forte desumentes à fractis crurib. brachijs & costis, quæ solis emplastris, unione proposita, restitui ad sanitatem animadvertebant: sed ij, ut dixi, miserè decipiuntur, quia lõge aliud est operari, ubi cutis & caro secta est, quam ubi integra manet, & longè aliud in capitis

pitis quam aliorum membrorum vul-
neribus, quoniam ubi cutis integra &
non detecta manet, fieri potest, ut quo-
tidie evenire videmus, ossa restituan-
tur, quia calor unitus, & coactus, nō dif
flatis spiritibus, coadiuvantibus etiam
medicamentis sufficiens est opus hoc
complere, id quod complere non va-
let, ubi cutis & caro secta fuerit, & hinc
Hippocrates enarrādus à nobis venit,
in ea sententia, quod collisum & contu
sum est, necessariū est, in pus versum cō
tabescat, scilicet, stante plaga, & cute
secta, id quod est collisum, & contusum
necesse est in pus vertatur, secus autem
non existente vulnere. Nam ubi non
est plaga, etiam comparente carne col-
lisa & contusa, non est necessarium, in
pus vertatur, ut sæpe observamus in
membrorum fracturis, non detecta cu-
te, quæ & si multum habeant collisi, &
contusi ad sanitatem tamen absque pu
ris comitantia restituuntur, veluti in
oculorum vibicibus quotidie quoque
percipimus, ut demum concludere de-
beamus, in casu à te proposito, illico ad
sectionem confugere oportere, etiam
integra manente cute. VANVC. Arri
dent hæc, ut quæ ad Hippocratis & Ga
leni mentem sint dicta, sed si menin-
ges cerebrum contegentes ex ictu ma
le essent affectæ, manente cute integra
& inviolata, ut fieri posse conclusimus,
tunc emplastris, an potius sectione suc-
currere debemus? responde quæso.
AMAT. Ego ut qui non multum em-
plastris fido, ad sectionem illico deve-
nirem. VANVC. Quibus notis, & in-
dicijs, malum tantum pati hominem
deprehendemus? AMAT. Talis ex e-
quo forte cecidit, aut re obtusa & gra-
vi percussus fuit, aut supra eius caput
ab alto res ponderosa & gravis cecidit,
& ille illico vertigine & scothomate
affectus in terram cecidit, & vomuit,
& postea bene habuit, sed intra triduū,
conqueritur, & cum horrore febris eū
aprehendit, & postea superveniunt ca
pitis dolor, delirium, sitis intensa, lin-
guæ nigredo, & varia alia quæ moritu
rum prædicunt. VANVC. Quo in lo-

E co sectio fieri debet, quum cutis inte-
gra sit, & nos lateat locus affectus? A-
MAT. Id ex quo ægrotantis relato per
cipiamus decet, quia ubi dolebat, ibi
malum subest, immo ad locum læsum
ægrotans sæpe manum admovet, &
fortè cutis, si non secta, contusa saltem
videbitur, & ægrotus dentibus paleam
scindere non potest ob dolorem, quæ
indicia omnia vobis deserviunt in ca-
pitis vulnere à contraria parte malum
habente, sed tunc vulnus sublividum
evadit, & saniem modicam effundit,
F VANVCC. Nonne pro tanto & tam
difficili, ac abscondito malo, satius esset
emplastris uti, ut magistri illi Bartapa-
lia, Rolandus, Rogerius & huius mili-
tiæ viri utebantur, & eo magis, quia
nos videmus in phrenitide, & lethar-
go morbo, solis emplastris humores
domari, resolvi, & ad optimum termi-
num reduci? AMATVS. Minimè gen
tium, quia ratio dispar est, in morbis
nanque illis humores peccantes à na-
tura regulari possunt; etiam non ad-
miniculantibus medicamentis: in vul-
G neribus vero capitis, etiamsi admove-
ris emplastra, cataplasmata, cerata, &
quæ sunt reliqua, sanguis extra venas
existens qui periculum minitatur, &
brevi cerebri substantiam corrumpit,
nō superabitur, nec digeretur, aut eva-
porabitur, quibus de causis, ad sectio-
nem deveniendum cum Hippocrate
omni adhibita diligētia concludimus.
VANVCC. Vnum in hac tractatio-
ne semper ab ijs præcipue qui proble-
mata nodare & dissolvere profitentur
H scire desideravi, cur est, quod in vulne-
ribus capitis raro à parte inferiori ad
superiorem producatur, in alijs verò
contrario eveniat, hoc est, à superiori
ad inferiorem produci soleat? AMAT.
Nos Salmaticensibus, Complutēsibus,
Parisiensibus, Colymbriēsibus, Lova-
niensibus, Ferrariensibus, Patavinis,
& Bononiensibus, cum quibus satis ver
sati sumus, tibi ut respondeant com-
mittimus, interim sic dicentes, an for-
tè ob nutrimentum ab inferiori parte
ad caput delatum, quod reliquis in
mem

membris cõtrario evenit. CELE. Carnem vulneribus superadditam, quib. medicinis leuas? AMA. Hodie omnes alumine vulgato, à rocha dicto, sed usto utimini, veteres verò in huius vicem utebantur chalcitide, misi, ærugine æris, modò una, modò alia, pro temperaturæ ratione: in hoc vero nostro ægrotante, vos usto alumine utimini, & curationem perficite, qua & nos sextam hanc Centuriam claudemus, quam ut ultimam in hoc dicẽdi genere esse cupivimus, ita nunc volumus testantes, si verum est quod à Thucydide viro Atheniensi gravissimo, & eloquentissimo dictum est, historia tanquam thesaurus est, qui nunquam è manibus excidere debet, procul dubio Centuriæ medicinales hæ nostræ vobis gratissimæ esse debent, & tanquam medicinæ thesaurus habendæ, eis nanq. adjuti, vos similes morbos, paresq. casus, facilius curabitis, eosque è corporibus humanis detrudetis: sunt nanque Centuriæ sex, sexcentas curationes continentes, nec id sine exemplo. Nam si magnus ille Scipio trecentos olim fortissimos adolescentes in Sicilia succenturiavit, quorum opera, & virtute fuso in Africa Hannibale, æmulam Romani Imperii Carthaginem imperata facere coegit, quid vos duplicato numero, hoc est, sexcentis his curationibus morborum omne genus extirpari posse desperetis? Valete. Ragusij anno 1558. quo tempore Caletum Henricus secundus Francorum Rex de Anglo recuperavit. Iterum valete, & secũdum harum Centuriarum tomum, è Græcia hac, hodie Turcia dicta, brevi Deo favente expectate, quam vobis pergratum fore nõ dubito, quum præsertim cognoveritis composita esse ex habitis curationibus eadem in regione, & eisdẽ civitatibus, in quibus bonus ille senex Hipp. artem exercuit, in quibus, ut ingenuè fatear, hodie veluti suo tempore, omnes morbi etiam tertianæ, & quartanæ periculo non carent: neque id mirum, quum omnes è peste contagium trahant. Thessalonicæ, anno 1559.

(‡)

SEXTÆ SENTVRIÆ FINIS.

AMATI LVSITANI MEDICI PRÆSTANTISSIMI CVRATIONVM MEDICINALIVM

CENTVRIA SEPTIMA.

Curatio prima, de Animi deliquio ob mærorem veniente.

OMINA Belida, uxor Solomonis Senioris, mulier procera, obesa, carnosa, temperatura sanguinea, & quæ sæpe in abortum veniebat, & ex ea sanguis multus fluebat, quum repente audiret adolescentem domesticum, ab alio famulo domi interemptum esse, in animi deliquium ita altum incidit, ut eã emortuam omnes acclamarent. Ego verò, qui fortè ad adolescentem deploratum, tunc vocatus fui, ad eam alio in cubiculo stantem, divertor, cuius carpii arterias cum tango, pulsus non percipio, sed ipsam potius dentibus apprime constrictis, claviculatisve absq. sensu & motu, tanquam emortuam conspicio. Est enim animi deliquium hoc sævum, & periculosum, ob mœrorem, & tristitiam veniens, quod medicorum consensu, testante id Galeno libro primo Artis curat, ad Glauco, & alibi non raro, curatur odoribus, narium constrictione, capillorum vulsione, vini potu, & vomitu, quibus tu ex aliis Galeni locis adde, frictionib.,

E ligaturis, cucurbitularum admotionē & similibus, proinde nos exordium rē pente sumpsimus à capillorum vulsione, narium & aurium attractione, digitorum attritione, & variis aliis similibus. Nam, & per intervalla suo nomine vocabatur, & ad manus habitum origanum aceto exceptum, ad nares F admovebatur, veluti nōnulla alia optime olentia, & de maxillis, & constrictis dentibus aperiendis, ligneo cochleari, veluti cuneolis, soliciti admodum eramus. Cæterum, quum hæc nō proficerent, ad brachiorum, & cruriũ frictiones, & eorum ligaturam, deuentum est, & Hippocratis consilio, libro quinto de Morbis popularibus, super G fusæ sunt ipsi, aquæ frigidæ amphoræ aliquot supra faciem & pectus, quibus tandem revixit, & ad se rediit, & tunc à marito, & asistentibus, optima illi dabantur verba, & vinum generosum odoratum, illi pitissandum propinavimus, veluti conditum moschatum, & ambaratum degluttiendum: tunc ut non dormiret, sed confabularetur, sua- H simus, ac postea, tremula ova recentia illi pro cœna offerrentur, commendavi, ea nocte sequenti, bis, vel ter, emortua est, sed adjuta, revocata fuit. In autora

tora

rora vero, de cordis palpitatione conquerebatur, qua de causa, ab infuso in jecto, & alvo respondente (vomere nanque nunquam potuit) culcitrula ex rebus odoriferis cordialibus, ambaro, & moscho consuta, ad cor applicita est, sed non multo post, in animi deliquium relapsa est, & forte periculosius: sed tunc, celebratis omnibus actis, & cucurbitulis ad umbilicum applicitis revixit. Contendebant mulieres assistentes, & medicus, qui eius curam aliàs habuerat, & à simili morbo eam quoque liberaverat, firmabat, animi deliquium hoc, etiam si à mœrore venerat, sæpe aliàs in simile, ob uterum male affectum incidisse, quia concipiebat cito, & perdebat, maximo cum sanguinis fluxu, qua de re, ad nares, male olentes, & ad inferiores partes, optimi odoris esse admovendas, contestabantur: unde cum postea paroxysmo esset apprehensa, ad nares, chartæ, & pennarum fumum admovebant, inferiorib. vero zibetum intromittebant, sequenti tandem die, catapotia ex castoreo, assa fœtida, & peoniæ semine composita, devoranda illi dedimus, quibus rectius habuit, & bis egesit: tandem duobus interjectis diebus, pharmacum ex agarico, & rhabarbaro apparatu ebibit, quo venter apprime solutus fuit, & ipsa à tanto malo libera, veluti postea, uxor Solomonis Naamias, ex improviso à sorore amplexata, & illico e mortua facta, sicuti quoque uxor Danielis Tabagani, & virgo nata viduæ sororis Habibii: variè nanque curatur animi deliquium, prout à varia evenit causa.

SCHOLIA.

Ob mœrorem spiritus dissipantur, unde deliquium animi consequitur, quo fit, in ipso paroxismo, veluti postquam ægrotans ad se rediit, rebus optime olentibus, & generoso vino, eam refecimus, veluti cibarijs, quæ facilè in sanguinem verti solent, & optimum adgenerant succum: cæterum, per amphoram, non putarim Hippocratem intellexisse vasculum octoginta continens libras: sed magis parvum aliquod commune.

Curatio 2. de pleuritide.

MVLIER iuvenis, annua quartana laboraverat, quo in tempore menses, ut fieri solet, nunquam vidit, pleuritide corripitur, cœpit autem corripi nocte Veneri dicata, hoc est, die Iovis in nocte, ad quam, secunda die sequenti, hoc est, die sabbathi, accersitus vesperi, iubeo illi, ex eodem latere cubiti axillaris, tundatur vena, & sanguis ad libram integram extrahatur, & ptisana colata, penidiis concinnata in victu, veluti hordeacea aqua pro potu, paretur, & fomentum ex rosis, chamæmello, radicibus althææ, folijs malvarum, violarum, semine lini, & similibus compositum, bovina vesica exceptum, dolenti loco calidum applicetur, ac per intervalla syrupum violaceum, aut lambetiuum de althæa pauco oxymelliti mixtum lingeret. At assistentes alibi forte impediti, sanguinis extractionem in sequentem diem Soli sacratum distulerunt: diluculo igitur ad eam veniens, eam miserrime affligi inueni. Intensissimè à punctura dolebat, febriebat, gemebat, tussiebat, & tota nauseabunda, ac si animam expiraret, videbatur; & non raro in animi deliquium, & defectionem incidebat, & quod peius est, vix eius percipiebantur pulsus; nihil spuebat, sed multum, & frequēter egerebat, cœperat autem alvus turbari nocte antea, & septies vel octies excreverat liquida, ferruginea, pessime olētia, cum quibus multa, sed cordate loquebatur. Ego vero morbum gravissimum, utpote sævam pleuritin considerans, à præsagio habito, quod hæc moritura esset, & forte quia interposita erat sanguinis missio, eam relinquere propolueram, cæterum rogatus, & ne immisericors viderer, in cura perstiti, & omnia quum æque librarem; jubeo axillarem ejus, dem

dem lateris, ut antea agendum commendaveram, aperire: occupabat autem dolor superiores thoracis dextras costas, extractus itaque est sanguis ad uncias octo, corruptus, & infectus admodum, cuius maiorem quantitatem demere in animo constitueram, ni animi deliquium mulierculæ supervenisset. Ab hac igitur sanguinis missione, muliercula hæc melius sensit, eius nanque arteriarum pulsus, clarius percipiebantur, & nausea evanuit, & respiratio facilior est reddita. Vesperi tandem, ex eodem foramine, quia dolor infestabat, quinque aliæ sanguinis unciæ sunt extractæ, desijt nanque sanguis fluere: noctem verò sequentem totam insomnem transegit, intensè autem doluerat, ut non nisi supina cubaret, in qua bis tantum alvus citata est, tunc pulsus rectius habebant, sed lotiũ rubrum, crassum, & turbatum valde erat, ob quæ, die Lunæ, prædicta vena iterum secta fuit, & sanguis ad uncias octo fluxus, qui in universum corruptione maiori, quã antea infectus erat: ab hac vero sanguinis missione, expuere cœpit, album, coctum, & minime malignum: tunc hæc in eodẽ perseverabat victu regiminève, & eadem dicta gustabat medicamenta, syrupũ tamen de glycyrrhiza per intervalla cochleari lambebat, & dolenti loco, cataplasma hoc admovebatur, Rec. chamæmeli, meliloti, radicum malvavisci, foliorum malvarum, branchæ vrsinæ, an. pug. vnum Seminis lini, fœnugræci, an. manip. unum, in aqua fiat decoctio sufficiẽs, & coletur, ac in mortario omnia rectè terantur, quibus adde, olei amygdalarum dulcium, uncias duas, butyri recentis unciam unam, & alterius mediam, assungiæ gallinarum unciam unam, farinæ hordei unciam unã: prædicto decocto misce & fac cataplasma, quod sæpe calidum applicetur: tũc alvus constricta est, & die Martis, hoc est, quinto à morbi initio, omnia eadem erãt. Sexto deteriora omnia facta sunt, & luctuosas respirationes expirabat, & sufflabat, & arteriæ

E carpii ingentem duritiem præ se ferebant, & tam supra quàm infra in totum restricta est, nihil nanque expuebat, nec quicquam etiam clysteri iniecto egerebat. Septimo desperata sunt omnia, in fine cuius obiit: obiit autem eadem hora, qua ægrotare cœperat, & ut puto, quia primo die prætermissa fuit sanguinis missio, & in sequentem procrastinata.

SCHOLIA.

F *NON est, quod quis mihi objiciat in hac muliere, quia menses integro anno suppressi erant, ex saphena pedis vena primo sanguis demendus esset, quando noverit ille morbum hunc phlegmonem grauissimam, & periculosissimam, internam succingentem costas membranam occupantem esse, à qua omni acta diligentia, non solum materia fluens, sed parata fluere, & ea quæ actu malam qualitatem, & solutionẽ continui facit, vacuanda est. Cæterum, quum citius, & ocyus, secta axillari ea extrahatur, consequens est, ex axillari, quam saphena, exordium sumpserimus. Adde, quòd si ex saphena, sanguis demeretur, vt ægrotans brevi juvamentum conse-*
G *queretur, sanguinis maiorem quantitatem opus esset extrahere, & inde vires magis, & magis laberentur, & per consequens ægrotans diem suum citius obiret, quum sanguis inflammationem faciens, non ita cito, & facile vacuaretur. Meministi enim ex Galeno, libris Methodi med. pleuriticis & schœnanticis, & peripneumonicis, virium robur unicam esse salutem: fuit autem pleuritis hæc ex morbis incurabilibus, qui necessariò jugulant, & interficiunt, quos attigit Gal. libris de facult. simpl. med. ubi de bolo armeno agit, veluti alibi sæpè. Porrò si pleuritis hæc,*
H *vigente lue pestica contigerat tunc etiam in viro satius erat, à saphena sanguinem demere, quàm à vena brachij. Cæterum cur sanguinem extraximus, stante fluxu ventris, scholiũ Curationis sequentis legite.*

Curatio 3. De pleuritide,

IOsephus Bonus. vir robustus, & fortis, pleuritide grauissima correptus est: nam præter accidentia, sive signa

παθογνωμόνικα, propria, sive perpetua, & inseparabilia dicta, fluxum ventris patiebatur, & comatosus, sive soporosus erat, ad quē ingressus medicus, illi sanguinem ex interna brachii vena extrahere jusserat, chirurgus vero, quum internam, & mediā venam occultam invenit, cephalicam capitis aperuit, secuitve, & sanguinem extraxit: ad eum igitur vocatus ego, quarto die ægritudinis eum pessime habere deprehendi, omnia enim gravia, & periculo plena erant, qui non nisi vocatus, & incitatus meiebat, urinā turbatam satis, & pessimā, ut liceat mihi admirari, egregiè cordatū senē Hippocratē nūquā satis laudatū, libro primò Prædictionū, qui de hac re ita tradit, Vrinæ quæ mingūtur à non recordātib. nec commonefactis, perniciosæ. Nā hæ mingūtur, velut si subsidentiam cōturbasses. Cœterū, huius vires imbecilles erāt, & ventris fluxus fere cohibitus, quib. de causis, hunc brevi moriturum præsagivi, assistens tamen medicus, illi sanguinē mittere ex brachio contendebat, & accersito chirurgo, ut interna tunderetur. Ecce, deprehendo errorem, ut vice axillaris, cephalicam tunderet, aperiretve, occultabatur nanque interna vena, quam tunc indigitauimus, sed sanguine fluxo, peius habuit, & brevi postea à vivis decessit.

SCHOLIA.

ADvertant hic medici, tātum errorem à chirurgo venā feriente cōmissum, qui si doctus adesset medicus, proculdubio, nō aberraret, nec in tā grave laberetur peccatum. Curent igitur medici, paucos ægrotātes, & ipsos forte bene nūmatos, præ manibus habere, sic enim ut puto, tantus nō nasceretur error: sed, ut mea fert opinio, errores ij, & similes, non medicis, sed ægrotantiū avaritiæ tribuendi sunt: passus nanq. fuerat vir hic, ut audio, annis elapsis similē morbum, cui septies sanguis ex brachio extractus fuerat, sed utinā ex vena morbo cōveniente. Nā cū pleuritis morb. erat, pro quo curando interna cubiti diligenter secāda erat, & sanguis ex ea ocyssime extrahendus, medicorū tamen negligentia ex cephalica, sive capitali vena chirurgus sanguinē demebat, quo factū est, quum ægrotus nullū cōsequebatur juvamē, medici iterū vacuationē repetere jubebant, ita ut septies hic ex vena capitis, phlebotomatus fuerit, unde, quū à pleuritide, bona sui fortuna, hic evasit, semicæcus tamen, & lingua contracta mansit: recte igitur consulebat Damascenus in suis Aphorismis, ne multorum ægrotantium medicus curam haberet, cui omnes hodie docti subscribunt, adstipulanturve. Cæterum, cum ventris fluxum pleuritidi complicatū periculosum dicerem, alter medicus, ex Avicenna oppositum contestabatur, & revera, Avicenna loco huic dicato negotio, inquit, & fluxus in principio apparens, bonum est signum: revera tamen medicus ille cæcutiebat, quum ignoraret profluvium alui ab hoc ægroto passum, non esse à natura regulatum, sed verius symptomaticum, & violentū. Si autem initio pleuritidis, fluxus ventris apparuerit, & eo dolor delituerit, & respiratio liberior fit, & symptomata omnia minuuntur, ut ægrotus melius habeat, tunc dubio procul, talis alvi fluxus optimus erit: mea tamen sententia, initio pleuritidis, alvi profluviū, raro optimum cernitur, sed potius tanquam lethale indiciū sæpe habetur, quia morborum initio, omnis vacuatio violenta, & symptomatica est: successu vero morbi, profluvium alui optimum esse poterit, id quod non siluit Hippocrates, & Galenus libro sexto aphoris. enarratione 16. cū dicat. In non periculosa admodum pleuritide, sed mediocri, profluvium alui supraveniens, potest juvare, ratione vacuationis, & eo magis, si indicia concoctionis fuerint, & morbus iam citra periculum cernitur, quæ omnia Mesues cordatus practicus, & famigeratissimus medicus non ignoravit.

Curatio 4. De pleuritide.

EX multis qui pleuritide laborarunt, omnes quibus febris desiit, manente adhuc dolore, evaserunt, eorum tamen nonnulli, quibus dolor primo evanuit, & febris perseveravit, obierunt, ut nunc verno hoc tēpore anni 1560. sæpe observavimus, in quo epidemicæ pleuritides plures grassabantur, quibus nō pauci laborātes, desinūt febrire, manente dolore, & salvi omnes fiunt, ut nepos Eben Portæ, & socrus Iacobi Navarri, & alii varii: forte

quia crasſior ſpiritus locũ imbecillem obſedit,& dolorem, febre abſente, incitat,ut proprio ſuo loco diximus.

SCHOLIA.

Satius igitur eſt,in pleuritide febris deſinat,etiamſi dolor perſeveret, quàmſi contrario contingat, id quod ante nos memoriæ commendavit Avicenna, & alii priſci medici.

Curatio 5. de compeſcendo ſanguine, & ſectione venarum ſub lingua ſuperfluente.

VIR, cui ſub lingua venæ leonicæ dictæ ſectæ ſunt, valde anguſtiabatur, quòd ex eis multus fluebat ſanguis, nec pro eo compeſcendo remedium habebatur. Cæterum,poſt multa hinc inde petita, ſed fruſtra actitata, iuſſum fuit, ut ægrotus acerrimũ acetum ore teneret,& aliquoties id repeteret,quod,Deus bone,ita contulit, ut illico ſanguis conſtrictus fuerit, & venæ ipſæ agglutinatæ.

SCHOLIA.

VT multis & honeſtis, ac homine liberò dignis artibus, opus eſt medicus ornetur,ut bonus & ſummus evadat, ita oportet, remediis nõ ſolum exquiſitis, & ab India & exteris nationibus petitis,inſtructus evadat, ſed domeſticis,& paratu facilibus muniatur, ut quum opus fuerit, nulla interiecta mora, eiſdẽ utatur:periculũ eſt enim,ĳs,& ſimilib. in morbis,mortem minitantibus, dilationem in medicamentis inquirendis interponere.

Curatio 6. de Tertiana interficiente.

SOlomon Seneor,vir æterna memoria dignus, ob varias multaſq. eius heroicas virtutes,quas in præſẽti ſubticeo:liberaliter nãq.cũ dives ſatis eſſet, ſua pauperib. impartiebat bona,& ita alacriter,ut omnib. eſſet admirationi. Is,cum eſſet temperatura ſanguineus,

E obeſus,in deliciis agens,variis aſſuetus cibariis,multo gelu,mellonib.cucumerib.peponib.& aliis horariis, peſsimi ſucci fructib. ætatis ſuæ anno 48.vigẽte autumno,febre tertiana corripi cœpit,ex qua priorib. dieb. mundus evadebat, & minorante epoto medicamẽto,alvo placide reſpõdente,melius habere videbatur. Tertio vero paroxyſmo,gravius habuit, & re vera à febri immunis non fuit,ſed per nares guttatim ſanguis illi fluebat: elapſo vero quarto paroxyſmo,ſanguinẽ ex baſilica ad ſex uncias extrahendum curavi-

F mus,habito præſagio, quòd poſt ſanguinẽ extractũ,quaſi depoſita ſarcina, natura meli⁹ & alacrius gubernatura, ſanguinẽ per nares copioſe tranſmiſſura eſſet,id quod poſtea omnes ita eveniſſe viderunt: à ſanguinis miſsione, peius ſemper habuit, & paroxyſmorũ varia fuit cõplicatio,& cõfuſio,& conſequẽter ingens viriũ cõſternatio, tandẽ ſeptimo paroxyſmo,hoc eſt 14.die, ſupervenĩẽte,non parvo,neq. frigido, ſed calido & copioſo ſudore,occubuit, & vitam,proh dolor,cũ morte commutavit.

SCHOLIA.

G *QVòd huic non eſſet extrahendus ſanguis per vena ſectionẽ cõtẽdebat quidã,nec aliã rationem, quam quòd alter ſimili morbo correptus,cui extractus fuerat ſanguis,obierat,afferebat.Cæterum,cũ morbus poſtularet, & vires cõſtarent,& cætera cõſentirent, aſſentirẽturvẽ,hominis impudentiſsimi, & artis medicæ ignorãtiſsimi, ſententiã parviſecimus,immo conteſtabamur nos, hunc nõ poſſe evadere niſi bis,& ter ſanguis abunde ex eo demeretur,quia ingens vigebat plethora,quare re,quũ repetita ſanguinis miſsio non fuit,*

H *ſed lõge prætergreſſa,diẽ ſuũ obiit.Memoriæ revocandũ eſt,Hippocratẽ meminiſſe aliquãdo,ægrotantes omnes quib. è narib. ſanguinis ſtillicidium cõtigit,abiiſſe, ut noſtro evenit ægroto quanquã alias,contrariũ evenire memoriæ quoq. cõmendavit, ut ex Libris Epid. doctus quiſq. evadere poterit.Cæterũ hac in curatione dubitaret merito aliquis,ſi die decretorio copioſus huic ſudor, & bene calidus supervenit,quomodo tamen è vivis deceſsit. Nos multis reſpõdemus modis,primo, ut verũ eſt,quod ĩ declinatione univerſali morborũ nemo mori põt,ut latius alias diximus:ita nõ*

mirum

mirum est, ægrotos in paroxysmi particularis inclinatione, ob imbecillitatem succumbere & mori. Obiit autem ægrotus hic in morbi augmento, in quo nunquam concoctio digna consideratu apparuit. Secundo respondemus, humorem gignentem sudorem benignum esse, venenosum vero, & interficientem, intus latitare, & cor, membráque præcipua, ut à natura non regulatum oppetere. Tertio respondemus, ea hora, cum duellum inter morbum & naturam committatur, humor venenosus tanquam bestia fera dormiens irritatur, vnde vires succumbunt, & ægrotus obiit, quo fit, ut in febribus pestilentibus ægrotantes diebus decretoriis, quàm quibusvis aliis diebus, mori contingat, ut cum de diebus decretoriis egi, abunde patefeci. Tu vero candidæ lector, si hæc non satisfaciunt, meliora quærito, vel nobiscũ dicas, hunc præ multitudine humorum, quos natura ultimó regulare non valuit, occubuisse.

Curatio 7. De intensissimo capitis dolore, post optimum partum oborto.

MVLIER primipara, cum recte puerum peperisset, & partus purgatio copiose illi responderet, nihilominus caput intensissime dolebat, & ventris dolorem patiebatur, & intensissime febriebat ad quam vocatus, jussime febriebat ad quam vocatus, jussime e saphena sanguinem mittere beo ex saphena sanguinem mittere copiose, & destillatitiam ex flore chamæmeli ebibere, quibus remediis, optimo proposito victus ordine, intra biduum, sanata est: erat enim optimi habitus juvenis hæc, & bene sanguinea.

Curatio 8. De capitis ingenti dolore, à vomitu contracto.

ABRAHAMVS, qui antea ex Melitensibus miles erat, quum multa magno impetu vomeret forte ob gravia comesta cibaria, ita caput doluit, ut vertiginosam quãdam affectionem inde contraxerit, adeo ut cum in A cubili staret, levaretur ve ex eo, omnia circumrotari, & in gyrum verti, illi viderentur: non febriebat, sed multum de capite querebatur hic à clysteri injecto, & cucurbitulis secta cute, scapulis affixis, & roborato ventriculo, & quiete habitâ, ac frictionibus, brachiis & cruribus celebratis, intra triduum recte habuit, ut liceat clamare veridicum, & divinum axioma illud, contrariorum contraria sunt remedia.

Curatio 9. De vermibus.

B QVVM intense febriret, & de ventre quereretur puella annos nata sex, & filia viduæ Cavalerii medici, ad eam sum vocatus, cui cum electarium nostrum è semine santonico, & pauco rhabarbaro, exiguóq; albo agarico apparatum, ut superioribus libris legitis, darem, plures egesit vermes, & brevi sanata est, veluti filiolus Abrahami Hodaræ, & puer ex Melitensib. militis supra citati, & puella Sagaciorum, varie tamen medicamẽtum hoc paro, offeróve, tùm forma, tum pondere, aliquando oxymellite dissolutum, C nonnunquam vero opiata forma apparatum, prout pueri magis appetunt, idque nõnunquam supra epoto vino, aliquando aqua graminis, vel destillatitia portulacæ, aut eius decocto, prout vires constant, & symptomata urgẽt.

Curatio 10. de opisthotono, hoc est, capitis cum cervice ad posteriora tensione retractione ve.

D MVLIER Romana, annos nata quinq. supra quadraginta, repẽte opisthotono correpta fuit, caput nãque cum cervice ad posteriora cõtracta habebat, cum quibus & dentes clavi viculatos habebat, ut vix ad sorbitiones per os injiciendas, mulierculæ as-

ſiſtentes,cuneolis aperire poterant,nã
& linguam contractam quoque habe-
bat,& intenſe dolebat, & anguſtiaba-
tur : ſævus nanque & crudelis mor-
bus hic eſt, ex quo, per intervalla,mi-
ſera hæc ita acriter vexabatur, crucia
baturve, ut à cervice ad calcaneum
omnia illi retrahi, avellive deplora-
ret, incipiebat nanque retractio, di-
ſtenſiove hæc(ut ipſa aiebat) à medio
ſcapularum, quæ inde per ſpinam, &
crura ad calcaneum uſque diſtende-
bat,ut non ſolum cum cervice caput,
ſed univerſum eius corpus tunc ad po-
ſteriora contrahi videretur, & tunc
exululabat, & fortiter dolebat, non
tantum poſteriores partes, ſed ventri-
culi quoque os,ſed id forte conſortii
ratione : eſt nanque caſus is miſeran-
dus, & revera omnes, qui miſellam
hanc videbant, eius miſerabantur:ad
quam vocatus ego,& prædicta perpen
dens,æquilibranſve,jubeo huic victus
ſint ova recentia: pauco cinnamomo
ſupra reſperſo,aut gallinæ juſculũ,aut
ex eius pectuſculo paratum cõtuſum,
& aromatis concinnatum, potus ve-
ro aqua cinnamomo, aut ſemine ani-
ſi incocta: iis paucis propoſitis,bolum
diaphœnicone, & ſpeciebus hyeræ
conſtantem deglutiendum illi dedi-
mus, quo alvus optime reſpondit,po-
ſtea vero clyſteres acres injiciebantur,
& cervix cum tota dorſi ſpina ex o-
leo lilino, & vulpino inungebatur : e-
lapſis vero duobus diebus, cucurbitas
ſex, ſecta cute, affigi juſſi duas ad cor
vicem, totidem infra ſcapulas ,ab u-
traque ſpinæ parte, & duas ad nares:
quibus magnum eſt conſequuta juva-
mentum:ſymptomata nanque ex par
te remiſſa ſunt, & os aperiri cœpit,&
lingua in proprium ſuum locum ſe
recepit, tunc vero ex oleo de caſto-
reo calente,prædictæ illinebantur par
tes, & tota cervix ſuccida lana faſcia
batur, & ſingulis auroris, ſtomacho
jejuno,aut ſyrupum de ſtæchade com
poſitum, adjecto decocto ex maiora-
na,pulegio,ſtæchade,origano,& ſimi-
libus confecto,aut ſemiunciam theria-

E ces diateſſaron dictæ,accipiebat, poſt
quas præparata expulſioni materia,
quia catapotia nondum deglutire va-
lebat, pharmacum pituitam reſpiciẽs
(à pituita nanque morbus hic ortum
traxerat)obibit, quo multa egeſsit pi-
tuitoſa, & melius habuit. Tunc vero,
ſequentibus diebus,circa caſtoreũ om
nia verſabantur,tam intus ebibitum,
quàm foris applicitum,bibebat autem
ſemidrachmam pro vice, aut prædi-
cto ſyrupo miſtam, aut theriacæ com
memoratæ obvolutam,quibus, & fri-
ctionibus admiſsis, intra menſem ſa-
F nata præter omnium ſpem eſt:agebat
autem mulier hæc apud eos, qui ex
Appulia ſunt. Porrò Abrahamus Bo-
tonius mercator diues, hyemalibus
menſibus, tetano correptus fuit: eius
nanque cervix,recta intendebatur, &
ad latus non movebatur, ex quo mor-
bo graviſsime dolebat,qui cum cucur
bitulas inciſa cute non admiſit, etiam
ſi veſicæ,& fomenta,& ventriculi, ex
oleis calidis apponebantur cervici, &
omnia per neceſſaria exercebantur,
non ita facile tamen ſanitatem adep-
G tus eſt, etiam ſi febres mites illi ſuper-
venirent:erat autem vir hic annos na
tus ſexaginta fere, carnoſus, ſtatura
procera,temperatura optima, qui pau
cos poſt menſes,ex alio morbo, ut au-
dio,diem ſuum obiit.

SCHOLIA.

*HERODOTVS non poſtremæ notæ medi
cus libro definitionum illo, qui falſò
ſub Galeni titulo,paſsim circunfertur,inquit,*
H *Spaſmus,ſive convulſio eſt affectus, qui ner-
vis, ac muſculis accidit, quum modo totum
corpus,modo pars eius,citra voluntatem tra
hitur,quæ ſane definitio, multum accedere vi
detur ad eã,quã Gal. lib. 2. de ſympt.cauſis,
eiuſdẽ numeri capite,& lib.6.aphor. enarra
tione 39.& lib.de tremore, & palpitatione,
prope finẽ,& ſæpe alibi memoriæ cõmẽdavit,
dicẽs:Cõvulſio eſt,quæ nervos muſculoſq. ad
eũdẽ cogit affectũ,in quẽ ab animali faculta
te,quũ naturalẽ habitũ ſervarẽt, ducebãtur:
ſi nanq. facies,aut eius aliqua pars affecta cõ
vulſione eſt, tunc cerebri nervos male affici,
certũ eſt:ſi vero totum corpus,aut eius aliqua
pars,*

pars, dempta facit, tunc aut à nucha, aut ab
spina, exortos male affectos esse nervos, prout
doctus conjectat medicus, Galenus est auctor,
libro 3. de locis affectis capite de Apople-
xia, ad hunc dicens modum. Si toti corpori cō
vulsio acciderit, spinæ initium affectum esse
declarat, faciei partibus omnino servatis illæ
sis quod si hæ quoque afficiantur, cerebro jam
illatam esse noxam ostenditur: ubi vero pars
aliqua convulsa est, nervum qui eius motio-
ni deputatus est, aut musculum affici necesse
est. Igitur si ex anatomia nervorum, ad singu
las partes venientium principia didisceris, per
quam facile earum, & sensum, & motum de-
perditum carebis: ex ijs igitur Galeni dictis,
nostra manifesta satis evadunt. Cæterum ad-
vertendum duximus, quòd in cōvulsione tria
habentur, convulsio, sive malus ille motus in
voluntarius, mala figura, & malus humor, si
ve mala intemperies humida, vel sicca. Nam
malus ille motus involuntarius, sive deprava
tus, morbus non est, sed symptoma potius, ut
meminit Galenus libro quinto de sympto. cau
sis. At mala membri figura, morbus in posi-
tione sive situ est: erit igitur, in hoc casu mor
bus dicendus, mala intemperies ab humidita-
te orta, vel potius humiditas ipsa immediate
operationem lædens, veluti siccitas in convul
sione ex inanitione facta: nec enim refert, idē
causam, & morbum dici, ut lapis in vesica,
quoties enim lapis vesicæ imam partem occu
pat, offenditve, tunc morbi causa dicitur: quū
vero eius viam colli, & causa, & morbus ob
struens, merito appellabitur, sed hæc sic per
transennam sint dicta, non ignorantibus nobis
priscum illud, & hodie satis exagitatum du-
bium, de causa conjuncta: porrò ex Hippocra
te libro sexto aphor. 39. vobis notū esse haud
dubito, convulsionem fieri, vel à repletione,
vel inanitione: à repletione, quoties nervi
humiditate repleti, latiores facti, tenduntur:
ab inanitione vero, quoties nimia siccitate
contrahuntur, ut fidiculis, chordisve lyræ, &
corijs, lorisque nimiæ humiditati, aut igni ex
positis, evenire quoque notamus. Unde Ga-
lenus libro octavo de Comp. med. sec. loc.
præter repletionem, & inanitionem, nullam
aliam reperiri convulsionis causam dixit.
Quod intelligi velim de convulsione facta
per essentiam, sive primogeniam affectionem,
ut ex ipso Galeno elicitur lib. 5. aphor. enar
ratione prima: nam præter has duas convul-
sionis species, longe differens tertia, quæ per
consensum, aut communionem fieri solet, ha
betur, quam non proportionatam ad materiā
Avicenna, & eius sequaces non insulse appel
litare solent: quia in ea nulla est materia ner

A vos sua repletione lædens, aut extendens, nec
inanitio, quia nervi neq. vacui neq. inanitio
ne aliqua sunt affecti. Fit igitur cōvulsio hæc
non proportionata ad materiam dicta, cū res
noxia, aut acris, aut vellicans, nervis suam
impartitur noxam, tunc nanq. nervi contra-
huntur, & originem suam quærunt. Nec Gale
nus hanc unquam præterivit, sed eam potius
memoriæ commendavit, ultimis lineis libri
duodecimi Methodi med. Sic enim pro coroni
de Galenus ait, convulsio fit, vel ex plenitudi
ne nervosarum partium, vel ex mordente &
tenui humore, qui nervosa corpora rodat, vel
ex ingenti frigore, quod tale quippiam quale
gelu efficit: quarta, quæ ex nervosarū partiū
siccitate provenit, & insanabilis est. Per ea
B igitur verba quæ Gal. ait, ex mordente, & te
nui humore convulsionem fieri, hanc non pro-
portionatam ad materiam intelligimus, quæ
& ab ingenti frigore, fieri quoque potest, sed
eam clarius libro artis medicinalis Galenus
ipse descripsit, cùm dicat. Nervi vero & ten
donis punctura, propter sensus vehemētiam,
& quoniam hæc pars principio continuatur,
prompta est ad nervorum convulsionem exci
tandam, & cętera. Per communionem nanq.
convulsio hæc fit, quæ juste non proportiona-
ta ad materiam dici meretur. Porro quū tri-
bus modis nervi & musculi depravato motu
moveri soleant: fit inde quòd cōvulsionis tres
describantur ab authoribus species, sive dif-
C ferētię. Nam si membrum ad anteriorem par
tem trahitur, ea cōvulsio emprosthotonos ap-
pellatur, cùm verò ad posteriorē opisthotonos,
quā ægrotans nostra passa est: in qua vel Hip
pocrate teste, in calce libri de internis affe-
ctionib. & Paulo libro 3. suę medicinæ retrò
in cervice tēdines, nervi & musculi ęgrotāt,
veluti in emprosthotono anteriores, sed in
ægrotante ista, non solum partes posteriores,
lęsæ erant, sed etiam cerebrū ipsum, id quod
mandibulæ malè affectæ, & dentium constri-
ctio, & linguæ retractio, attestabantur, undè
& capiti quoque subvenimus. Tertia nanq.
D species Tetanos dicitur, quam Celsus rigorem
appellat, & fit quoties membrum recte inter
utranque partem intenditur, quia nervi æque
ab utraque parte trahunt. Et hanc passus est
Abrahamus Botonius, ad quē elapsis vigin-
ti diebus accedens ego, ipsum acriter dolere
inveni, & ut tunc mihi retulit, primis diebus
illi ad posteriora caput trahebatur, sed postea
recta cervix mansit, ex qua multum dolebat:
hinc enim Oribasium ego multis laudibus ex
tollo, ut qui in tetani curatione, ex Philome-
no, præter vesicam oleo calido repletam, &
cervici admotam, jubet cataplasmata, &

remedia non ſolum comprehendant cervicem, ſed utranque maxillam, totámque ſpinam, ad lumbos uſque. Sed jam nunc juſtum eſt inquiramus, á quo humore morbus hic hortum trahat, hoc eſt, convulſio ex plenitudine facta, & quæ repente, aut non multo poſt aliquem morbum oriri incipit. Galenus igitur libro quinto aphoriſmo enarratione quinta & libro ſecundo eiuſdem voluminis enarratione 26. veluti multis alijs ſuæ doctrinæ locis, firmat, convulſionem à materia pituitoſa fieri, quanquam libro 12. Method. meden. ut ſupra jam memini, tradat, convulſionem fieri poſſe à frigore intenſo, ut gelu operante, quod nervos rigidos & concretos redigit: id quod Paulus Aegineta eius ſimia imitari videtur, quum tradat libro tertio ſuæ medicinæ capite 20. ex Pelopis Galeni præceptoris documento, convulſionem, ſive eius differentias fieri, ab ſpiritu craſſo, & ut glacies concreto, intra nervos contento, qui difficulter, & contumaciter movetur, & non niſi calidis & ſiccis medicamentis diſſolvitur, & curatur. Hos præclaros Authores imitatus Averrois libro tertio ſuæ medicinæ, dixit, convulſionem a flatu fieri: ait nanque Averrois, nervos receptiores eſſe pituitæ, quàm alterius cuiuſque humoris: ex qua pituita innati calidi beneficio flatus, ſive ſpiritus reſultat, qui maius occupans in nervis ipſis ſpatium, in cauſa eſt, quòd ipſi contrahantur, convellanturve. Et rectius forte dixerimus ſi Averrois Galenum imitatur libro tertio de locis affectis capite quinto, in quo de morbo comitiali totius corporis cōvulſione univerſali agit, qui non ab ariditate, vacuationeve talem morbum fieri sed ab humore craſſo; brevi tamen à cerebro concuſſo tradat: Avicenna vero fen. 2. libri tertij tract. 5. eiuſdem numeri capite, inquit, ſpaſmum ſive convulſionem plerunque a pituita fieri aliquando verò, á melancholia, tertio verò & rarius, à ſãguine, præcipuè phlegmonē in muſculo gignēte, ut Gentilis inibi enarrat: cōiectat nãque Gētilis de Fulgineo quód ſãguis cōvulſionē facere nō poteſt, niſi inflãmatione creando. Nos, ne amplius diſcurramus, brevi cū Galeno, & paulo dicamus, cōvulſionē ex plenitudine plerūque à pituita multo ſpiritui flatuoſo miſta, evenire, qua pituita, & flatus nō raro, ut glacies infrigidãt, unde nervi rigidi & cōcreti manēt, veluti animales ſpiritus intra eos cōtēti: qui ſi in cerebro ita nervi afficerētur, procul dubio, catalepſis morbus, recētioribus congelatio, oriretur, ut Curat. 14. Cēt. 2. dixi: non eſt tamē negandum, quód nō nullæ leviores convulſiones à flatu tãtum gignan-

E tur, ut cruribus ſæpe evenire notant homines, præcipue natatores, non ſine eorum ingenti pernicie: repente nanque morbus hic apprehendit, & brevi dimittit, quem Hiſpani Calambram, Itali cranfium, aut granchium appellitare ſolent, à frigiditate nanque, ut ad Galenum revertamur, libro 12. Metho. meden. non ſolum convulſio non proportionata ad materiam, ut Avicenna vult, fieri ſolet, ſed etiam quæ a plenitudine oriri ſolet, frigus nanque potens, & validum ita vapores craſſos in nervorum ſubſtantia reddere poterit, ut ſua craſſitudine, & humorali ſubſtantia eos coarctet, & repleat, ac poſtea ipſi convulſionem pariant, â bile vero
F convulſio ſi fit, ea ab eius acredine, & mordacitate fit, quæ ad non proportionatam materiam merito referri debet, ut ex Galeno diximus, & Avicenna firmat, citato á nobis loco. Conſequens eſt, hic ſecundum proponamus dubium, ſi verum eſt, quòd convulſio â pituita fiat, ut Galeno placere dixi, cur eſt, quòd ab hac eadem pituita nervis imbibita, non magis oritur reſolutio, paralyſis dicta, quam ſpaſmus ſive convulſio. Averrois citato a nobis loco libro tertio ſui collectorū, ob hoc dubium anceps, opinatus eſt, convulſionem non ab humore, ſed â flatu potius ortum trahere, quia ſi pituita nervis imbibita eſſet, perinde ratio militaret, quod ab ea non tam convulſio, quam reſolutio ſive paralyſis fieret. At Averrois in hoc parcat, quia etſi
G inſignis fuit philoſophus, non adeo tamen in medicina excelluit, ut illi authoritatem dare debeamus: nec enim ipſe novit differentiā habitam inter obſtructionem, a qua fit convulſio, & eam, a qua ortum trahit reſolutio, quam nos nūc ad omnium utilitatem ſcriptis mandamus, & ſic habet. Quando pituita, vel materia alia, nervorum amplos occupabat meatus, tunc convulſio oritur, quando vero non ſolum amplos & latos, ſed exiguos & arctos, ut nulla reſtet via, aut ſpiritibus tranſitus, tunc paralyſis, ſive reſolutio membri fit. Hoc autem noſtrum reſponſum præſupponit, nervos, vias, & expiramenta habere,
H id quod Gale. de viſoriis non negat, de reliquis vero, anceps & dubius eſt. Tertium dubium occurrit, quod Averrois proponit, & eſt, cur in convulſione & plenitudine, nervi ſecundum latitudinem extēdantur, ſecundum vero longitudinem contrahantur, ac non aliā ſuſcipiant figuram, & alterationem: reſponſum eſt quòd ſpiramenta pori dicti, ad latus, id eſt, ſecundum latitudinem jacent, id quod in ſpongiis quoque cernitur, quæ cùm ſint aqua plenæ, & farcitæ, ſecundum latitudinem

exten-

extenduntur, & curtę evadunt. Sed quæret curiosus iuvenis, cur natura secundum latitudinem spiramenta constituit, quam secundum aliam dimensionem magis? nos huic dubio per amplam respondendi licentiam Cardano mediolanensi virò sapientissimo, & subtilissimo, hodie cum subtilitatibus damus, nobis verò satis est dubium proposuisse. Cæterum in tetano, & eius speciebus, cucurbitulas secta cute, abnegare, hominis est ineptissimi, & medicam artem in totum ignorantis; iubent nanq. docti Greciæ medici omnes hoc in casu, cucurbitæ affigantur cervici, & lumbis iuxta spinam, & alijs locis, & ut Paulus ait, cum lancinatu, hoc est, ut Oribasius antea in suo Compendio dixerat, incisa cute. Nam leves, absque cutis incisione, dictæ cucurbitulæ noxam, & damnum inferre solent, ut experientia deprehensum est in Abrahamo, à nobis citato: quum nanque consultum erat ut cucurbitulæ affigerentur, cute secta, ille medici cuiusdam monitis absque scarificatione eas adfigi iussit, unde peius postea habuit: sed medicus hic, ut minus instructus in doctorum medicorum doctrina, relinquendus est: Avicenna nanque capite 10. prædicti libri, ita inquit, tetano eadem debetur curatio, quę spasmo fieri solet. Verumtamen cucurbitularum usus magis requiritur in tetano quam in spasmo, quia earum beneficio reviviscit calor, sinęque incisa cute præsertim super cervices, & lumbos, ab utraque parte spinæ, & pectus, & pręcordia. Ex ijs nanq. Avicennæ verbis satis constat, quam inepte medicus ille loquebatur. Sed & Gentilis, cui ille multum tribuębat, cum Grecis sapientibus, cucurbitularum siccarum nocumentum maius facit, quam id quod ex secta cute, admotis oriri poterat. Reliquum est dicere, nos frigidæ affusionem, pro convulsionis curatione, ut maxime temerariam prætermittimus; qua de causa, Marco Catinario nullam fidem hoc in casu tribuimus qui per eius affusionem, curationem moliri suadet. Sed iam convulsionem vacuationem sequentem, miram audiamus, quæ ab hinc quindecim annis curationem non recipit.

Curatio II. de convulsione inanitionem sequente, habita in cruribus.

Isaacus Lumbrosus, vir annos natus triginta, temperatura cum sanguineus, & optimi habitus esset, crura tamen gracilia, plusquam tanto habitui convenirent habebat. Is forte cum plus iusto coiret, in utriusque cruris convulsionem lapsus est, quæ dubio procul ab inanitione ortum traxerat, nimia nanque siccitate, contracta à coitu, nervi qui in crura divaricantur, male affecti sunt, quam malam affectionē, sive nervorum siccissimam intemperiem, convulsio, sive spasmus de inanitione, symptoma grave, & fere immedicabile, cōsequutum est, pro quo curando, guayaci decocto, tenuissima victus ratione proposita, tunc sinistre ad multos dies usus est, quo, ut consequens erat, peius habuit, & eo peius, post usum balneorum Patavorum, & exuberantem crurium sudorem, inibi per foramen conquisitum, quibus omnibus, nervi magis assicati sunt, & crura ipsa, graciliora reddita, & impensius contracta, neque pro hoc iuvando viro, nobili, & divite, defuerunt remedia multa, & varia, longo tempore, per Brasavolum virum longiori vita dignum exercita, veluti per varios plerosque alios doctos homines, & nonnullos empiricos, sed absque fructu ullo: agitur nanq. decimus quintus annus, ex quo vir hic hoc consenescit morbo, nunc vero postquam Thessalonicę venit, ab eo rogatus, morbum tentare cœpi, qui cum siccitas ingens sit, caliditati complicata, pro eo domando, vincendove, curationis scopus erit, vitiatas particulas humectare, idque citra calorem. At cum frigiditas nervis sit (docente Hippocrate) inimica, contra caliditas amica, in actuosis ijs qualitatibus medium tenere, cōsultum erat. Victus igitur ratio, aliquantulum copiosa, pro virium robore, offerebatur, quæ prædictas sortiebatur qualitates, & optimum adgenerabat succum, & hac de causa, singulis auroris, ieiuno ventriculo, singulas lactis caprini recens mulcti, gabatas, adiecto sacchario, exhauriebat, vel eius vicem ius capi, luteo recentis ovi confuso, pensabat: dein vero leviori pharmaco subducta alvo, balneo ex capite veruecis apparato, adiectis althææ

radicibus,

radicibus, lini semine, malvis, & non- E
nullis lilij albi radicibus, crura foveban
tur, neque eo impense sudarent permit
tebam: timor autem erat, proprium
eorum humidum exhaurini, immo
tunc veteri oleo affricari leniter per-
suadebam: asservabatur autem vetus
oleum hoc hydria quadam à tempore
Antonini Imperatoris, ut ex Græcula
inscriptione affixa lapidi, hydriam con
tegente percipiebatur, quæ fundamen-
tis, Christianorum sacelli cuiusdam,
reposita, superioribus diebus per Tur-
cas vastati, inventa fuit: antiquissimum
igitur oleum hoc satius dixerimus un- F
guentum & figura, & forma, respon-
dens, quo ut dixi, hic sæpe crura inun-
gebat. Sed & renes huius, à nobis obli-
vioni non tradebantur, ut qui natura
calidissimi erant, & ex eis, per partium
continuitatem, nervi, arteriæ, & venæ,
quæ ad inferiores partes deducuntur,
sicciores evadebant: qua de re pro eis
contemperandis, alterandisve, unguen
to rosaceo, vel Galeni refrigerante di-
cto, sæpe utebamur, veluti infusis, ex la-
cte ovillo, caprinove, aut malvæ deco-
cto, rosaceo, aut violaceo, amygdalino-
ve dulci oleo iniecto, compositis, non G
relicto sacharo, luteove ovi recentis:
quibus omnibus, & varijs alijs simili-
bus, longo tempore usus est, ac tandem
ferreo instrumento ad id à nobis ma-
chinato crus dextrum quod magis affli
git, & gracilius habetur, & sæpius retra
hitur dextre, & paulatim successivis ho
ris, extendebatur, immo postea, ad ther
mas quasdam, non procul à Thessaloni
censi agro habitas, sulphure, & bitumi-
ne compositas ivit, ubi & luto quodam, H
à Græcis satis commendato, se non se-
mel lutavit, proluitve, sed ut paucis ab-
solvam, absq. profectu ullo, crediderim
autem ipse, iam nunc horum mem-
brorum intemperiem factam es-
se, atque inde hunc in prio-
rem statum nunquam
rediturum.

(.§.)

Curatio 12. De fluxu ventris ab atra bile orto.

SAmaya Constantinopolitanus, qui regios reditus apud civitatem Xeres procurabat, fluxu ventris repente correptus fuit, ad quem vocatus, cum intestinorum tormina sive dysenteriā à nigra bile ortam pati deprehendo. Erat enim vir hic natura robustus, ætatis quadraginta annorum, qui cum graviter corriperetur, & male haberet, à præsagio habito, quod brevi moriturus esset, discessimus obijt autem 14. morbi die, porrò Abrahamus Pintus puer undecim annorum, ex iecoraria, sive cruenta dysenteria, è vivis decessit.

SCHOLIA.

QVantum autem intersit inter dysenteriā cruentam, sive hepaticam iecoratiam dictam, & eam, quę à nigra sive atramentaria bile venit, ex libris superioribus docti estis.

Curatio 13. De pleuritide.

SArcinator Sanctaranensis, vir sexaginta natus annos, sæva corripiebatur pleuritide, ad quem vocatus, elapsis sex iam diebus, cum maximo dolore affici inveni, qua de re ille ut sanguinē illi ex brachio demere iuberem à me enixe flagitabat: ego vero hominis senis vires imbecilles considerans, & humorum obedientiam (multa nanq. excreabat, & cocta) sanguinis missionem respui: celebratis nanque cæteris pleuritidi pernecessarijs, rectius habebat, tandem ebibito Aegyptiæ siliquæ atramēto decocto pectorali excepto, recte intra viginti dies habuit, eo modo à pleuritide curata fuit uxor doctoris Aragonensium, quæ & ipsa sexagenaria cum esset, absque sanguinis extractione libera evasit.

Curatio

Curatio 14. de intensissimo dolore mediastinum infestante.

DAvid Galaicus, sive Galecus, quũ sæpe podagra graviter tentari soleat, & tunc ex ea lecto decumberet, in tensissimo & miserando dolore, in medio pectoris affligi cœpit, adeo ut ex eo miserrime vociferaretur, nec ad latus volvi posset, immo se mori, si modo tãto malo remedium brevi non daretur, alta mente clamabat. ad quem accersitus ego, internam brachij dextri venã aperire, sanguinisq. uncias octo fluere, ac apponeretur sacculus furfure & sale semiplenus iubeo, quibus peractis, febricula detecta est, & dolor eodem modo perseverabat, affligebatve, unde à clysteri iniecto, quo multa & varia egessit, iterum eadem vena sinistro tamen in brachio secta est, & sanguinis unciæ decem extractæ, & loco dolenti topicum remedium appositum, hoc est, vesica sequenti decocto semiplena, habet decoctum sic. R. parietariæ, chamæmeli, meliloti, anethi, radicum althææ, foliorum malvarum, seminis lini, ana pug. unum, libris octo aquæ excipiantur, & fiat decoctio sufficiẽs, & coletur, ex quo decocto, adiecto pauco oleo chamæmelino, anethino, & rosaceo, vesica calida loco affecto applicita fuit, quod si ægrotus dolore eo modo infestaretur, potionem hanc ebiberet, suasi. R. syrupi violacei recentis uncias duas, decoctionis chamæmeli, anethi uncias quinque thripheræ magnæ cum opio drac. duas, misce, & bis totam absolvat, cæterum omnibus peractis, ac potione dicta ebibita, liber, & sanus à tanto dolore, & malo evasit.

SCHOLIA.

NIsi enim ita huius morbi initio succurrerem, in phlegmonem dubio procul ægrotus hic perveniret, quam practici in mediastino pleuritin appellare solent. Est autem mediastinus, ut ex hominis fabrica percipitur, & Ga-

A *lenus recte depingit, libro sexto de usu part. non una membrana, sed duo interstitia, quę veteres Gręci, διαφράττοντας, id est, membranas intersepientes appellaverunt, neotericum nanq. & recens, mediastini nomen est: dicamus igitur, Mediastinus gemini panniculi sunt, versus dorsum contigui, distantes vero anteriori parte: qui, pectus secundum longitudinem dividunt, hoc est per medium, in dextram & sinistram partem & intra hos duos parietes sunt, capsula cordis, & ipsum cor, & venæ cavæ pars sive alveus in dextrum sinum cordis insertus, dividunt & pulmonem, ut gemina sit spirationis copia, ut altera parte læsa, altera* B *tamen in officio sit.*

Curatio 15. De utraque dysenteria, & quod in eis sanguinis extractio multum iuvit, simulq. de fluxu stercorario.

AD virum illum, qui dysenteriam diuturnam, & forte triginta dierũ C ingenti cum febre patiebatur, & post multa & varia adhibita remedia, imbecillis, & gracilis est factus, perseverante etiam fluxu ventris, multo cum sanguine, medicus cordatus ingressus est, cui sanguinem ex basilica dextri brachij extraxit, sed quanto iuvamento, audite: illico (mirum dictu) sanguis cohibitus fuit, perseverante adhuc fluxu ventris. Cæterum saccharo rosaceo ad aliquot dies ingesto, & nonnullis iniectis clysteribus, & topicis constringẽtibus, remedijs applicitis, alvus in totum restricta est, adeo ut ab eo postea eiecta stercora, dura, multa, magna, & ferè asi- D norum essent. Cæterum fuit dysenteria hæc primo iecoraria, sive cruenta, ex qua, intestina temporis successu exulcerata sunt, unde factum est, quod sanguis post sectam basilicam, restrictus sit, advertant igitur medici, qui ob unum Galeni verbulum, non satis forte intellectum, in torminibus intestinorum dysenteria dicta, sanguinis extractionem formidant, ut uberius libris prioribus dixi. Consonum est hic annectere sequentem

quentem casum, Solomon Machorrus
vir annos natus quadraginta, tempera-
tura atrabiliarius, inchoante autumno
febre continua corripi cœpit, & nihil
sua sponte nisi clysteribus adiutus ege-
rebat, cæterum à dato pharmaco, mul-
ta liquida egesit, inter quæ, prædura
quædam cernebantur, quo influxu hic
multos dies perseveravit, & cum nul-
lis clysmis, aut restringendi vim haben
tibus medicinis cõstringere voluimus:
ventriculi tamen os, & iecur roboraba
mus, suadente sic Avicenna, quum de
fluxu melancholico, & splenetico, fen.
16. libri tertij cap. quinto agit, sæpe
nanque in hoc fluxu, ut dixi, stercora
duriuscula notabamus: elapsis tamen
vigintiquinque diebus, febris desijt, &
tunc stercora prædura, multa, & mag-
na singulis diebus hic egerebat, neque
quiescebat quousque foras ea mittebat;
persentiebat nanque ægrotus intra in-
testina, quum ad exitum parabantur
stercora hæc prædura, sicca, magna, asi
norum modo, pro quibus facile depo-
nendis præpinguia iuscula meis moni-
tis bibebat, & tandem, Dei misericor-
dia, post difficilem convalescentiam, sa
natus est.

SCHOLIA.

*IVstum erit inquirere, an de novo stercora
prædura hoc in fluxu conspecta gigneban-
tur, an vero ante morbum iam erant, & indies
excernebantur, vescebatur nanq. ægrotus hic
ptisana farris, & postea gallinaceorum iuscu-
lis, ovi recentis luteo confuso, & eorum carni-
bus, ex quibus egestiones non solum humora-
les, sed cibum referentes, cibales medici ap-
pellamus, gigni poterant: ad hæc siccæ, & præ
duræ, quia temperatura sua vir hic atrabilia-
rus est, exustus, coloris nigelli, intestina sicca
natura habens: unde sanitatis tempore, ut ait,
etiam prædura deijcit, faciunt ijs, quod iecur
per meseraicas venas, ex gracilioribus intestĩ
nis multas, & subtiles chyli partes exugebat,
unde materia stercori parata, arida, & sicca
manebat, adeo ut dicendum videatur, prædura
hæc stercora de novo gigni. In contrarium al-
ter opponitur, dicendo, de novo hæc fieri non
posse, quia pauca, & liquida ægrotus comede-
bat, ex quibus fieri tantam molem & sterco-*
E *ris duritiem impossibile videtur: proinde ante
morbum, materiam aliquam intestinis affixam
esse, ascititio calore putrefactam, ex qua ster-
cora successivis diebus sic prædura exibant,
pro firmo tenebat, addebatq. cœco in intestino
hæc tam longo tempore asservari posse, quia
experientia deprehensum est, quidam Maio
mense cerasa comedit, & Ianuario ea egessit,
ut practici omnes assentiuntur, & nos illis
subscribimus. Secundum dubium hic præteri-
re non est, in longo intestinorum fluxu, ubi tan-
ta materia asservabatur, quia sæpe centies, ma
gis quam in intestinis contineri poterat, deijci-
tur: responsum est, non solum materiam ab in-
testinis contentam, sed à cibis, & potu contra-
F ctam egeri, veluti totius corporis humiditates
non tam communes, quam membrorum sub-
stantificas quæ ad intestina corrivant debilia,
& forte caliditate, & pessima qualitate affe-
cta, ex quibus, utpote imbecillibus & laxis
retineri non possunt, & sic corruunt & foras
veniunt, quo fit, ut corpus in dies gracilius eva
dat, & tabescat. ANDRONIVS. Si ita res ha
bet, non absurdum esset, primo proposito dubio
respondere, aridum stercus ab humore atra-
biliario crasso & multo, sæpe ab splene, vel
alijs membris deciso, fieri. AMATVS. Hoc
fieri posse non nego, sed dicta mihi magis
arrident.*

G
Curatio 16. De sanguinis re-iectione.

MVlier iuvenis annos nata vigin-
ti, temperatura sanguinea, absq.
oculorum & capitis, vel membri alte-
rius, totius corporis dolore repente in
sanguinis reiectionem cum tussicula
incidit, & eam quidem ob venam rup-
tam, non vero erosam, à multitudine,
& humorum acutie venientem, multus
nanque biliosus sanguis in huius cor-
H pore vigebat, qui ob potum vini gingi
bere & caryophyllis confecti, magis
fuit subtiliatus, ex quo vena plus iusto
dilatata, disrupta est, & tandem ægro-
tans multum sanguinis vividi, absque
sputo reiectabat, nullum sentiebat in
pectore dolorem, nullam anxietudinẽ,
aut animi turbationem: quando tamen
sanguis foras venire parabatur, in colli
parte inferiori læva, vellicationem per
sentiebat

ſentiebat quandam, quam non pauci alij hac affectione peſsima detenti, ita quoque ſenſerant, ſed præter hæc dicta coniecto, huic biduum, triduumve tantum remorari ſuos ſolitos menſes, ac ea de cauſa, à ſanguinis miſsione ex ſaphena initium facere, optimum eſſe conſilium. Cæterum quum pedis vena non apparuit, ex baſilica, primo ex infuſo exonerata alvo, ſanguis extractus fuit, & potio hæc deſcripta. Recip. rob myrtillorum, ſyrupi papaveris compoſiti, an. unc. j. aquæ calybeatæ unc. iij. pulveris trochiſcorum de carabo cum opio drach. j. miſce, fiat potio, quam mane & veſperi abſolvebat; item ut lingeret, eclegma hoc paratum fuit. R. radicis ſymphiti unc. ſ. ſeminis papaveris, lactucæ, portulacæ, plantaginis ana drach. ij. gummi arabici, gummi tragacanthi ana drach. ſ. lapidis hæmathitis, optimi, & veri drach. j. omnia ſyrupo roſaceo ex roſis ſiccis, vel miva cydoniorum ſimplici, vel myrtillorum robo, excipiatur, & miſceto, & facito lambetivum, quod ore per intervalla teneat, quouſq. calore ipſo oris liqueſcat, & aſperam arteriam intret. At pro cibo hic panatellam ex amylo, vel ſimilagine ſumachiorum ſemine apparatam habebat, pro potu vero aquam chalybeatam, quæ & pro cõdicendis tibarijs deſerviebat. Sequenti nocte & ſanguinem reiecit, non tam magna tamen quantitate, unde de ſaphena aperienda ſoliciti admodum fuimus, ex qua ſecta, ſanguis large fuit extractus, & cætera dicta celebrata: tunc ſanguis reſtrictus eſt, & febricula, quæ antea infeſtabat, deſijt: immo ipſa ſe bene habere incuſabat: nec enim opus fuit, poſcam dilutam, aut coagulum leporinum, aut thymum, aut ſatureiam, aut aloen aceto diſſolutam, in potu tribuere, quoniam grumi nulli ſanguinei ſtomachum occuparunt, qui plerunque ſæva ſymptomata ſecum afferre ſolent, & eo magis, quoties ſanguinis extra venas habiti, excreatio cohibetur, & ipſi grumi retinentur, qui venenoſam quandam qualitatem acquirunt, ut experientia alias à nobis compertum fuit, cæterum cum recte hæc valeret, ſanitati tamen menſtrua purgatio, quæ tunc apparuit, ſigillum dedit. Porrò ad aliquot dies hæc in eodem perſeveraret ordine, ſuaſi, & gallinaceorum, aut vervecis, vitulive carnibus iurulentis, unum vel alterum vervecis, vel vituli pedem miſceret, nõ niſi ſumachiorum ſemine, aromatum vice reſperſo, commendavi, nec oryzã, aut lentes depoſito cortice in hoc caſu præteriret, veluti caſtaneas virides, aut fumo exiccatas, glandeſve, ſed præ omnibus caveret à balneo, ira, venere, potu vini, & aromatibus, ac rebus acribus, & acutis ſuaſi. Proximum eſt hic referre ea, quæ Abrahamo Aſeyo mercatori, nunc quoq. contigere: laborabat autem hic, cum eſſet iuvenis, temperatura ſanguineus, ſynocha febre, qui poſt largam ſanguinis miſsionem, & exactam ac cõvenientem per pharmacum purgatorium vacuationem, bene recteq. habuit, cæterum cum primum domo exiret, multum ſanguinem per os, cum tuſsicula repente & acervatim reiectavit, cui occurrens ego, poſt diverſiones & membrorum ligaturas, hoc illi bibendum dedimus medicamẽtum. R. trochiſcorum de carabo cum opio, drac. mediam, opij grana duo, rob myrtillorum unciam unam, aquæ portulacæ, vel plantaginis, vel ſtipitum roſarũ uncias duas, miſce, & bibat, & ad quatuor ſequẽtes horas nihil comedat, aut bibat, nec quicquã loquatur, ſed quieſcat, & ſomnum captet, quo remedio, ſanguis cohibitus illico fuit, ſed cum per intervalla ſcreatu ſanguis compareret, iterum in nocte medicamentum repetivit, & ex integro ſanatus eſt; abſtemius autem erat, & gallinaceorum carnes, pedes vituli incoctos reſperſo ſumachiorum ſemine comedit: bibebat autem, aut fontanam, aut coriandro præparato, incoctam aquam.

(o)

Curatio

Curatio 17. *De muliere non concipiente, & lancinationes in ventre percipiente.*

MVlier iuvenis, optima prædita tẽperatura, sed quæ nunquam conceperat, id quod multum appetebat, desiderabatve, lancinationes in vẽtre sentiebat, de quibus multum conquerebatur, quibus solitos & regulatos menses statutis temporibus semper habebat: cæterum unde lancinationes illæ, ventrisve dolores procederent, cum coniecto, deprehendo, hanc aliquam intra uterum rem malam habere, quam medici molã matricis appellare solemus, huic autem meæ cõiecturæ, accedebat, quod non raro utero gerere, putaret, falso tamen, qua de re, illico electuariũ hoc parare feci, quod mensibus fluentibus accipiebat, & ita habet. R. seminis sancti Alexandrini, sanctonici dicti, optime triturati, & aceto acerrimo per horam iam infusi unciam mediam, seminis porri unciam unam, seminis caulium, seminis cæpæ an. drach. duas, radicis rubeæ tinctorum unciam mediã, rhabarbari optimi scriptulos quatuor, radicis dracũtij maioris, radicis utriusque aristolochiæ, radicis ciclaminis ana drach. unam, seminis rusci, seminis asparagorum, ana drac. unam & alterius mediam, omnia syrupo de matricaria, vel de artemisia excipiantur, & fiat electarium, ex quo unciam mediam pro vice, ieiuno stomacho, deglutiat, & supra bibat decocti savinæ unciam unã, duabus meraci vini admistam; hoc vero bis epoto, vermes oblõgos quatuor, vel quinque, non sine admiratione, & timore ingenti, egessit: prædixeram nanque ego, non solum ex intestinis vermes prodituros, sed ex utero eius carnis frustula informia exitura, id quod verum, tibi lector candide, esse, per nostrum iusiurandum adiuramus. Cæterum cum hæc ob timorem ab inceptis desisteret, ab eius utero nihil E quidquam detrusum fuit; tantum admirata de vermibus illis eiectis permanens.

Curatio 18. *In qua mirum quoddam, sed verum tractatur, quod mulier à muliere, prægnans fuit facta.*

MIrum, sed verum casum describo Thessalonicæ evenientem, duæ F mulieres Turcæ vicinæ, multis coitibus, incubis & subcubis, sese contaminabant, polluebantve, quarum altera vidua erat: altera vero maritum habebat. Cæterum quum semel vidua ad coitum irritata, alteram coniugatam ad coitum incitaret, & forte ea hora, à marito, cum quo rem habuerat, discedentem, incuba est facta, quo in coitu amplexuve, post multam frictionem attrectationemve, ac seminis eiaculationem, uterus subcubæ viduæ ingenti appetentia semen non solum mulieris G incubantis, sed virile non multum antea in eius utero relictum, suxit, à quo semine prægnans facta est, firmante ipsa, varijs iuramentis habitis, cui fidem præstare debemus, cum illi minus ignominiosum erat, à viro concepisse fateri, quam à muliere eo modo habita.

SCHOLIA.

ANnectenda historia hæc est Averrois historia de matrona pudica vicina sua, in H *balneo prægnante, veluti alteri Abensciræ, quas superiorioribus libris attigi.*

Curatio 19. *De intensissimo dolore circa mamillam.*

SOror Manuelis Habibij, mulier vidua, & potens, sub sinistra mamilla dolore intensissimo, & sævissimo repente cruciari cœpit, non febriebat, non tussibat,

tussibat, sed prædicto dolore valde cõquerebatur, ad quam accitus ego, cucurbitam magnam, multa ignitam flamma, dolenti loco apponi iussi, ex qua ita recte valuit, ut brevi se sanam acclamaret, & assistentes rem miram, & incantationi similem publice dicerent, firmarentve.

Curatio 20. de lichenibus sive impetiginibus.

QVI lichenas, hoc est, impetigines contumaces, & feras, ac curatu difficiles, patiebantur, post tentata varia, & fere infinita remedia, omnes hoc uno divino, & admirando paratu facili remedio, sanati sunt. Ricini nanque infestantis canes, & capras, satis vulgati animalculi sanguine, ichoreve infectiones illæ illinebantur, & intra octo dies, ita domabantur, ut nihil fœdationis, aut morbi eo in loco fuisse, homo sanæ mentis diceret, & quod magis est, nunquam postea recruduerunt.

Curatio 21. de coli dolore.

VIR qui in circulo Basse habitat, colico dolore affligebatur, ad quem accedens medicus, multa contra dolorem machinatur, cum calfaciendi & flatus dissolvendi facultatem habentibus clysterijs, tum remedijs tam foris admotis, quam intus ebibitis, quibus omnibus peius habuit. Ego vero tribus diebus a morbo vocatus, noto, ex dolore ad inguem respondente, hũc valde conqueri, sitiebat nanque, & gelidam valde appetebat, & febriebat: proinde illi frigidam lubenter concedo, ex cuius potu illico dolor ex loco ad renum regionem, non contemnendo iuvamento, mutatus est, tunc vero clysterem oleo seminis lini constantem tantum injici curavi, quo nihil

A egessit, sed omento vervecino recens calido supra posito, melius habere dixit, tunc nanque electarium hoc gustabat. Reci. triphar æ magnæ cum opio, unciam mediam, theriaces diatessarõ drach. quinque, specierum diacinnamomi, diacymini ana drach. duas, melle rosaceo colatitio excipiantur, & electarium forma opiata para, cuius tertiam partem, vino meraco, & generoso exceptam, bibendam pro vice dato: hoc enim potu ventris flatus ita crepi-
B tarunt, ut ille verecundaretur, & melius sensit, dolor nanque è renum regione, ad primum suum locum reversus est, tunc glande magna, ex melle & trochiscis alaandal concinnata, ano intromissa, stercora prædura, & magna, quæ antea non viderat, egessit, & recte habuit, ita ut absynthium & parietaria herbę, oleo laurino in frixorio calfactæ, & dolenti loco admotæ, curationem clauserint: fuerũt autem ij dies tres, in quibus, cibus huic, ius gallinaceum aromate conditum erat; potus
C vero vinum meracum, & generosum, sed pauxillum, quibus recte valuit, velut Sarranus senex natus annos sexaginta.

SCHOLIA.

AQuam colica affectione laboranti dare, non cuiusvis trivialis medici est, proinde caveant artem medicam exercentes: dare etenim frigidam copiose coli dolorem patientibus, qui iamdiu multis & calidis remedijs, sed frustra usi sunt, ut non periculosum, præsertim valde sitientibus, ita memoria hic relinquo.

D 

Curatio 22. de gravi coli affectione.

SAmuel Albaharim, vir honoratus, ex Algarbiorum regno, colico affectu correptus est, pro quo propulsando, abigendove, multis usus est clysteribus, fomentis, & conditis, non nisi frigiditatem, & flatus discutientibus,

propellentibusve, quibus intra quinque vel sex dies, peius semper habuit: ad quem, post dies hos, accitus ego; considerans virum hunc temperatura sanguineum, ętate fere sexagenarium; varijs calidis, & flatus dissolventibus remedijs usum: nihil tamen proficientibus, illico nulla interposita mora, sic descripsi. Rec. philonij Romani drac. unam, & alterius mediam, stomacho vacuo, cum vino exiguo bibat, & ad quatuor horas sequentes nihil gustet. Cæterum hoc remedio ita recte sensit, ut miris laudibus artem medicam extulerit, affeceritve: per intervalla tamen dolor levis repullulavit, quem in totum potu stillatidiæ chamæmeli superavit, vicitve, huic victus ius gallinãceorum erat, potus vero aqua cinnamomo incocta. Porrò uxor Benjamin Calderon, mulier vidua de ore ventriculi inf. stitsime cruciari solebat, ad quam cum aliquando vocarer, & eam paroxysmo cruciari invenirem, post multa & varia per alium medicũ concessa calida medicamenta, immo tunc datum philonium, absque tamen profectu ullo, illico agarici albi in pulverem redacti, drachmam ex oxymellite ebibendã illi dedi, & brevi à paroxysmo libera evasit, postea vero ad uterũ male affectum, ex quo ad os ventriculi, pessima, & veneni naturam habens materia derivabatur, curationem direximus. Acidum nanque sæpe ipso in vẽtriculo percipiebat, & ut veritatem noscas, mulier hæc annos nata quinque supra quadraginta, temporis successu, catapotia ex hiera Galeni, adiecto agarico, sibi familiaria fecit, quibus per intervalla utebatur, & nunc recte valet, utebatur autem singulis vicibus singulis drachmis. Vxor tamen Mordohai Cavallerij, elapsis quinquaginta diebus, post felicem partum, de oris ventriculi dolore conquerebatur, ex quo per intervalla corripiebatur torquebaturve, ad quam cũ semel pervenerim, sic accessione correptam, bolum ex electario de dactylis illico illi obtulimus, quo nihil egessit neque dolor levatus fuit, immo clysteria potentia parata sunt, & nihil iuverũt, tũc vesperi, philonij drach. unã & alterius mediam illi dedimus, quo sopore affecta recte habuit, & sequenti die curationem necessariam orsi sumus, de iecore nanque affectionem malam ortũ traxisse invenimus.

Curatio 23. de carnea excrescentia, ab ore ventriculi pendente.

MVlier iuvenis, ex Nobriga argẽti nõ infelici fodina nata annos quinq. supra viginti, optimi sanè habitus, inter os vẽtriculi, & umbilicum duritiem quandam ab hinc tres annos persentire cœpit, quę temporis successu, & lienem, & iecoris dextram partem occupabat; & ex ea, ab humeris retractionem pati lamentabatur, & cũ deambularet, respirationis difficultatem incurrebat, & ventriculum nõ recte concoquere conquerebatur, & alvum prætumidam habebat, ut in ea, & aquam, & flatum nimium occludi certum esset: quibus omnibus hucusque facies illi elegans cernebatur, & bis vigente hac mala affectione, peperit. Ad quam vocatus ipse, post variam adhibitã per varios alios medicos curationem, primum iudicavi, huic scirrhum prædurum universam illam partem præoccupantem inesse, & consortij ratione cum septo transverso, & iocinore, duo illa evenire, alterum respirationis difficultatem, alterum vero ventriculi & iocinoris imbecillitatem, unde aquosa & ventosa hydrops orta est, pro quibus propulsandis morbis, nos multa & varia machinati sumus, sed frustra. Qua de re, cũ tã multa & varia non profuere, iudicavimus, carunculam ob ortam à fundo vẽtriculi, pyloro dicto, esse; cui ratiocinio suffragatur sensus tactus: manibus nanque tanquam carneum frustum attrectabamus elevabamusque,

musque, proinde morbum ex ijs esse, quos ars medica incuratos relinquit, ingenue fassi sumus. Cęterum cum ars medica omnibus in aperto sit, non defuit subulcus, qui falsam salutem, vel intra octo dies, polliceretur, cui desperata muliercula, salutis avida, facile fidem tribuit, & nebulo curationem ita adoritur, fistulam parat, cuius alteram partem ori ægrotantis adaptat, ex altera vero furcifer ille, suo ore sufflat, flatumque ita impellit, ut misellam, ac utrem vento impleverit, unde assistentes, eam simillimam victimæ mactatæ, excoriationi paratæ dicerēt, sed misella brevi emortua cecidit, quod facinus advertens furcifer, fugam parabat. Vt tamen tantæ audaciæ pœnas lueret, vociferantibus omnibus miserum spectaculum cernentibus, retētus fuit, cuius bona fortuna, revocata muliercula, viridia quædam vomuit, & multa eminxit, & tūc ut antea habuit, cæterum elapsis postea paucis mensibus, hæc diem suum obijt.

SCHOLIA.

IN desperatis coli affectionibus per follem ano admotum sufflare, memini me ijs in curationibus Hippocratem iussisse, per os autem huc usque non legi.

Curatio 24. *in qua docetur, septum transversum risus sedem esse, ad doctorem Affium Philosophum peripateticum.*

SAepe in dubium verti, docte Affi, an Plinius recte senserit, cum præcordia, hoc est, septum transversum, Gręci, phrenas, vel diaphragma, & ano coilian, appellare solent, risus sedem interiorem fecerit. AFFIVS. Absit ut verum hoc credamus, immo peripatetici magistri nostri in corde facultatē hāc, velut plures alias, collocari, nos docuerunt, missos hic facio sordidulos magistelos, quorum doctrinam explosam, diu est, habeo, qui Salmanticæ carminibus quibusdam, suo iure compositis, lienem risus fontem statuebāt. Sed ubi nam Plinius hæc tradit, aut quibus rationibus fulciatur, aperiri rogo. AMATVS. Hæc cū non omnibus prævia sint, lubenter faciā, audi igitur: Plinius libro xj. nat. suæ Hist. c. 37. inquit. Præcordia (quod illi septum trāsversum, ut dixi, est) risus & hilaritatis sedes sunt, quod rationibus, & experimento probat, quia ita nervosa hæc cernitur pars, ut ei merito debeat referri, non solū mentis subtilitas, sed ingenij acuitas: unde forte Græci, phrenas appellaverūt. Sed risus sedes, quia risus est dilatatio orta ex acriore sensu nervorum, ut latius dicemus. Secunda, quia homo cum circa præcordia hæc, subtili cute contecta, manibus molliter tractatur, illico in risum allabitur, indicium sane non contemnendum, ut ea hilaritatis sedes dicamus. Sed rationes has experientia approbat quotidiana, in gladiatoribus sauciatis, ipsis in præcordijs, qui omnes, ad unum risu exoluti expirabant, sic enim Plinius, ut rectius teneas, citato loco, ait, exta homini ab inferiore viscerum parte separātur membranis, quæ præcordia appellant, quia cordi prætenduntur, quod Græci appellaverunt phrenas, omnia quidem principalia viscera mēbranis proprijs, ac veluti vaginis inclusit providens natura, in hac fuit, & peculiaris causa, vicinitas alui, ne cibis supprimeretur animus, hinc certe refertur accepta subtilitas mentis, idem nulla est ei caro, sed nervosa exilitas, in eadem præcipua hilaritatis sedes, quod titillatu maxime intelligitur alarum, quas subit, non albi tenuiore cute humano, ideo scabendi dulcedine ibi proxima; ob hoc in prælijs gladiatorum spectaculis mortem cum risu traiecta præcordia attulerunt. AFFIVS. Vt explanasti, ita certe Plinius ait, sed Plinio, si recte teneo, Hippocrates,

crates, aut memorabilis vir alius, quiſ-
que ille eſt author libri de ſacro mor-
bo, prope finem, in totum contradicit,
& ita illi contradicit, & adverſatur, ac
ſi Pliniana verba primo percurrerat,
& legerat, ita enim ille. Cęterũ pręcor
dia, aliàs fortuitum nomen apud Græ
cos per conſuetudinem habent, quum
phrenes, à ſapientia dicta videantur, re
vera autẽ non, nec ex natura. Nec ego
ſane novi, quam vim habeant præcor
dia, ut ſapiant, & intelligant, præter-
quam ſi homo ex improviſo, nimio
gaudio perfundatur, aut triſtitia affi-
ciatur, tunc ſane exiliunt, & anxietatẽ
exhibent, præ tenuitate, & quod di-
ſtenta ſunt maxime in corpore, & ven
triculum non habent, ad quem ſuſci-
piant, aut bonum, aut malum allabẽs,
ſed ab utriuſque his turbãtur, propter
naturæ debilitatem. Nam nullo ſane
prius ſentiunt ex his quæ in corpore
inſunt, ſed fruſtra hoc nomẽ & cauſam
habent, quemadmodum, quæ ad cor
ſitæ ſunt aures appellantur, quum ni-
hil cõferant ad auditum. AMATVS.
Ita Plinij ſentẽtia ab authore iſto ſug-
gillatur, ut nihil ſupra dici poſsit, non
eſt tamen quod Plinium ſic hac in par
te deſeram, quando ille ex Hippocrate
hiſtoriam ſuam texuit, libris, ſi non ge
nuinis & veris, magni tamen viri. AF
FIVS. Quibus nã? AMATVS. Libris
quinto & 7. de popularibus morbis, in
quibus ita tradit, Tychon in obſidio-
ne circundatum, à catapulta percuſſus
eſt in pectus, & paulo poſt, riſus erat
circa ipſum tumultuoſus, videbatur au
tem mihi, medicus eximens lignum,
reliquiſſe aliquid de ſpiculo in ſepto
tranſverſo: hactenus Hippocrates, quin
to libro. Quam Hiſtoriam, ut memo-
ratu dignam 7. libro eiuſdem volumi
nis, repetivit, ex qua facile elicitur
ſepto tranſverſo confoſſo, & vulnera-
to, riſum oriri, id quod Plinius dixit,
& inde hilaritatis ſedem eſſe, memo-
riæ commendavit. PHILIPPVS. Nõ
citra rationem Plinius diaphragma
ſedem eſſe riſus, arbitratur, ut qui ab
Ariſtotele quoque id acceperit: quia
E enim multum habet nervorum, titil-
latio ciet ibi ſenſum actiorem: quia
riſus nihil eſt aliud, quam dilatatio
orta ex actiore ſenſu nervorum. AF-
FIVS. Nos peripateticis, ſi credimus,
ut qui iure eis credere debemus: quia
veritati magis accedunt: cor riſus ſedẽ
eſſe ſtatuemus, quia riſus ex lætitia, &
delectatione oritur, qui affectus non
eſt, ſed actio exterior, ab interiore ma-
nans: ex lætitia nanque vel delectatio
ne cor dilatatur: ad cuius motum, &
facies extenditur, potiſsimum ea pars,
quæ eſt circa os, & rictus nominatur,
F unde riſus: habet itaque riſus exterio-
rem ſedem in rictu primum, hinc in
oculis, & cuncto vultu, interiorem ve-
ro, ut Ariſtoteli placet, in corde. Hinc
manifeſtum evadit, riſus cum fiat ob
cordis dilatationem: quod bilioſi, &
ſanguinei, proniores erunt ad riſum,
quia in eis, immodico calore cor ex-
porrigitur, id quod pituitoſis, & atra-
biliarijs contrarium evenit. Cæterum
ſplenem cauſam riſus eſſe, & nos non
negamus, ut qui atram bilem, hilarita
ti, & lætitiæ contrariam colligat, &
G retineat, & quo liberius hoc fungitur
officio, eo alacrius & expeditius, cor,
vel ut Plinio placet, ſeptum tranſver-
ſum, ad riſum evocandũ allicit. AMA
TVS Vt ſeptum tranſverſum hilarita
tis, ſive riſus ſedes habetur, ita cere-
brum rationis, cor iracundiæ, iecur ve
rò amatoriæ appetentiæ, ut Galenus
libris de placitis Hipp. & Platonis, fu-
ſius proſequitur. AFFIVS. Ariſtoteles
facultates has non varijs viſceribus:
H ſed in corde tantum eas eſſe ſtatuit.
AMATVS. Novi, & Galenus libr. 4.
prædicti voluminis, de placitis Hipp.
& Plato. Ariſtotelis hanc eſſe ſenten-
tiam firmat. AFFIVS. Quænam harũ
opinionum tibi ò Amate magis arri-
det? de riſus ſede dico. AMATVS. Per
inde una ac altera, utraque enim falſa
mihi videtur, & ſi nanque libere loqui
deberem, cerebrum riſus ſedem eſſe
inſtituerem, eo modo cordi attributo:
ſed hæc maiori indigẽt otio, & hæc ad
præſens ſufficiant: ſi modo dixerimus,
ſeptum

septum transversum præter citatas à A nostris medicis dotes, hodie cum Plinio hilaritatis sedes obtinet. AFFIVS. Quasnam septo transverso medici dotes, & officia designant? AMATVS. Eius etymon diaphragma primò indicat, dividere membra spiritualia, à naturalibus: item naturalis respirationis, hoc est, cum homo in quiete est, respirationis septum transversum, aut hoc est, id quod Aristoteles non novit, item ad propellenda ventris excrementa, maxime conducit, item, referente Galeno libro 10. Metho. meden. membrum hoc, in hecticam labi poterit, sed B non marasmum, ob eius excellentiam & dignitatem, quia primo deficit, & moritur, & nõ tantam fert siccitatem, quod phrenas appellari novimus, quia cum primum inflammari tentatur, illico consortij ratione, phrenas, hoc est, mentem, sive cerebrum, phrenitide illico corripi, certum sit. Cæterum de risu, multa & pulchra à philosophis petite. Libris de anima, quos nostro hoc tempore Vives Valentinus acutissime absolvit.

C

Curatio 25. de carcinomate, mammam infestante & mortem accelerante.

MVLIER Larissæa, ex Larissa oppido, non procul à Thessalonica distante, in quo olim Hippocrates artem diu exercuit, & eius non raro mentionem facit, utpote morbidi, ob D pessimas quas habet aquas, & cœlum propter lacus varios circunstantes, nebulosum, caliginosumve, ac pestiferum ad me venit, & sinistra in mamilla cancrum patiebatur, ex cuius papilla sanies subcruenta fluebat, à quo conspecto, prædiximus hanc brevi morituram, & eo citius, quo intercepta fluxio brevior fuerit, quemadmodum alteri contigit, de qua Hipp. dixit, lib. 7. de morb. vulg. ad hunc modum, Mulieri in Abderis carcinona factum est circa pectus: erat autem tale, per papillam sanies subcruenta fluebat, intercepta autem fluxione, mortua est: agebat autem mulier hæc, quãdo eam invisimus apud Iosephum Hodaram, temperatura atrabiliaria, annorum circiter quadraginta: sed mensibus suis diu iam destituta.

SCHOLIA.

LArissam civitatem prope Cranonem, sæpe ab Hippo. illustratam, in Thessalia late patente in hoc Macedonico regno, non ignoramus, quæ vulgo hodie Larsa dicitur, hoc vero de quo agimus, oppidum Larso vocatur.

Curatio 26. in qua docetur, pus per os cum tussi reiectum, quod thoracis vel pulmonis ulcus attestatur, aquæ imam partem petere, ex Hippo. & Avicenna, contra Alexandrum Trallianum.

QVVM ad Sembrani viri probi uxorem invisendã accederemus, eam iamdiu morbis gravioribus afflictam invenimus, diu nanq. erat quod inordinate febricitabat, & graviter & frequenter tussiebat, & putida & horrenda spuebat. Quarum affectionum causam quærens ego, ab eaque nonnulla scitcitans, respondet, ingenueque fatur, cum chartulas quasdam, conceptionis gratia biberet, devoraretve: illico illi menstrua suppressa esse, post quæ, nunquam amplius ab ea visa, in tam sæva graviaque mala, vel intra annum, ingenti sui corporis iactura, imbecillitatemve lapsa est. Cæterum quum multæ variæq. de phthisi notæ sese offerrent, in ipsa nata annos 45. temperatura biliosa, iussimus screatũ in scutula aquæ plena asservaret, ut sequenti aurora de eo indicium acciperemus, de totoque morbo sententiam præberemus: adducta igitur sequenti

die coram nobis, aqua plena sputum continens pelvicula, notavimus totum ferè sputum subsidere, & imam partē petere, coloris sævi flavi, & fumo infecti quo conspecto, ac pauxillo natante, leviori quadam assula disrupto, dissolutove, iudicavimus sputum attestari pulmonis vel thoracis ulcus, grave & periculosum, ut quoque Avicenna scriptum reliquit: fen. 10. libri tertij, cap. 17. tract. 4. de pure, & sanie intra thoracem contenta, hoc est, de empyemate, hunc in modum dicens. Signa autem differentiæ inter saniem, & phlegma, in sputo, sunt descensus saniei sputi in aqua, & fœtor ipsius super ignem, & phlegma quidem natat in aqua, neque fœtet in igne, & subdit, & iam feci te scire differentiam inter saniem, & inter humiditates: nam sanies discernitur fœtore, apud sputum, præcipue quando super ignem projicitur, & submergitur in aqua, & nō natat, hæc Avicenna. Ex quibus sane verbis, satis percipitur præter reliqua, pus sive sputum saniosum, quod attestari solet empyema, & phthisim, in aqua descendere, pituitam vero, sive humorem crudum enatare. At huic sententiæ in universum contradicit Alexander Trallianus libro quinto suæ rei medicæ, cap. 2. in quo indicia inflammationis in pulmone prosequitur, & ita habet. Pus sane deprehenditur, & ex ipso solo colore, & ex alijs indicijs, unde nos illud internoscere didicimus, ab odore, si concremetur, & quod dissolvitur, si in aquam mittatur: item, quod non subsidit, quemadmodum pituita, crudusque humor. Hactenus Alexander, qui in totum contradicit Avicennæ: ait enim, ut audistis, pus enatare, pituitam verò, & crudum humorem inferiora petere: mea tamen sententia, Alexander hac in re, veluti pluribus alijs, errat, quoniam Avicēna suū hoc axioma, pus subsidens in aqua, ulcus in pulmone, & thorace, attestatur, ex Hippocrate decerpsit, libro præcipue illo, cui titulus est, Coacæ prænotiones: ita enim Hippocrates libro illo ait. Quibus tabidis in mare expuentibus, pus ad fundum sidit, brevi pereunt: sit autē mare in æneo vase, hæc etenim cordati senis, præclara est sentētia, quam Avicen. docte admodum suo inseruit canoni, cui & ratio non deest, quia nimia caliditate exusta sanies terrea evadit, & inferiorem partem petit, & subsidit, ut experientia quotidiana, ita esse attestatur. Parcat igitur Alexander, qui & si aliquando recte Galenum sugillat, nunc tamen, ut aiunt, toto aberrat cœlo, veluti non raro, ut ex à nobis dicendis manifeste evadet. Porrò reliquam sputi partem supra carbones ignitos iniectam, ne in Iacobi de partibus historiam sinistre incideremus, servum quendam olfacere fecimus, qui multum & graviter fœtere, testatus est: est sane nota hæc mortifera, & lethalis, ut ex dictis liquido evadit, & Hippocrate libro à nobis citato, & quinto aphoris. 11. veluti sexcentis alijs locis.

Curatio 27. de causa pestis Scopium invadentis.

SAeva invasit pestis Scopium, sive Scopiam habitantes, anno 1559. habuit autem, autumnali tempore suam solitam intemperiem servāte, initium crudelis hæc & immanis bestia, hoc modo: Rugitum nanq. veluti gemitū ex se terra ferebat, & brevi in motum & concussionē tota ipsa veniebat: non admodum tamen: ut ex hoc terræmotu, domus aut ædificia caderent, ruerentve, & homines periclitarentur, sed brevi postea invadere lues pestica hæc mortales cœpit, ut singulis diebus tercenti misere, nō nisi bubonibus & carbunculis confossi, morerentur occubuerintve, unde vero tantum malum, ortum, & causam traxerit dicam. Deū nanque, & cœlos, suis cum astris, à quibus non raro pestem pendere, divini libri, & Astrologi testantur, pro nunc missos

missos facimus, naturalia nanq. scrutamur. Quacunq. de causa pestis contingat, aer inficiatur oportet, ut pestis communis causa quædam aer, quem inspiramus, dicatur, sive enim ab ira Dei, sive ab erraticorum conjunctionibus, & eorum aspectibus, aut colluvie ferarum, aut cadaverum multitudine, aut bestiis vastis, ingentibusq. in mari emortuis, aut lacubus fœdisque paludibus, vel specubus, & antris, cavernisve pestiferam auram expirantibus, pestis eveniat: aer inficiatur corrumpaturve decet. Hæc vero qua de agimus pestis (ut reor) ab inclusis in cavernis flatibus, exalationibusve exitialibus, & mortiferis, causam traxit, cum nanque terra cavernosa sit, & cavitatibus plena, fit ut exhalationes temporis diuturnitate occlusæ ex se putrescant, aut aliunde contagium trahant, unde mortalibus ex directo, perniciosæ & contrariæ evadunt. Cæterũ, cum contingat exalationes has incumbere sua levitate ad locum superiorẽ pervenire & ascendere, quibus fortè exitus præ viarum angustia, & obliquitate, impeditur, multus & varius sequitur conatus, & reluctatio, actio & reactio, unde terræmotus fit, & ex prodeuntibus mortiferis, & corruptricibus exhalationibus illis, aer corrumpitur coinquinaturve, quem mortales, vel inuite inspirantes, male eo afficiuntur, & eo peius, quo imbecilliores sũt, & corpora excrementis abũdaverint: ut Athenienlibus in ea pestilentia cõtigit, quam Thucidides describit, & Gal. eius non raro meminit. Quæ si ex Æthiopia contagium, aut femina, per aeris quandam continuitatem cõtraxit, Atheniensium tamẽ hominum succi ex victus pravitate (forte ob anhonæ penuriam) ita putredini erant obnoxii, ut omnes fere pestilenti lue affecti, mortui sint. Novistis autem, agens pro patientis aptitudine agere, ut recte noster Hippocrates meminit, libro de flatibus, cum de peste agit, inquiens: communis ergo, sive pestilens febris, propterea omnibus accidit, quòd eundem spiritum omnes attrahunt, fitque ut simili corpori, similes spiritus similiter permixti, similes gignant febres, sed est fortasse qui dicat. Vt quid ergo non omnibus animantibus, sed alicui eorum generi incidunt hi morbi? Cui ego sic responderim, differt corpus à corpore, natura à natura, & nutrimentum à nutrimento. Non enim omni animantium generi, eadẽ aut non cõferunt, aut commoda sunt, sed sunt alia aliis magis convenientia. Quando igitur aer plenus est huiusmodi inquinamentis, quibus humana natura offenditur, homines ægrotant: quando verò alteri cuipiam animantium generi aer incõveniens est, tum morbus illud genus corripit, & cætera, ex Hippocrate, quæ huic rei multum faciunt. Quibus Gal. lib. primo de differen. febr. cap. 4. favet, cum dicat. Oportet enim hoc in toto sermone, memoria repetere, quòd nulla causarum sine patientis aptitudine agere potest: alioquin omnes qui sub æstivo sole commorãtur, febricitarẽt, aut, qui nimio motu exercentur, aut vini potu gravantur, aut ira excandescentes, aut tristitia affl cti, febricitarent, alioquin etiam ut arbitror, circa canis ortum omnes ægrotarent, ac in pestilentiis morerentur. At, ut diximus, magnam in generatione ægritudinum partem habet, eius qui passurus est, habilitas corporis. Hæc Galenus, qui prope calcem capitis, ita quoque de hoc negotio ait: quum enim corporũ dispositiones dissimiles sint, ac multiformes, quædam facile alterantur, ac patiuntur, à causa in ipsa operante, quædam insuperabiles, ac impassibiles omnino existunt, quædã cum difficultate patiuntur, & cætera, quæ tam cum iis, quæ ab Hippocrate sunt dicta, quàm cum eis quæ ab ipso Galeno jam sunt prodita, & per nos citata, omnino conveniunt. Vt recepti igitur canamus, causa huius pestis exhalationes, sive inclusi in antris flatus venenosi, & humanæ naturæ alieni, sunt, qui ut terra moveretur, in causa

sa erant: habebunt igitur hinc rerum naturalium contemplatores, cùm terræ motus fit, & pestis scintillat, aut grassatur, talis lues pestica ex venenosis flatibus, & pestiferis ac deleteriis exhalationibus subterraneis, provenit, ut pestis hæc de qua agimus, & illi alia similis, quæ ab hinc multos annos, Olisiponem, & Sanctœrenam, suis cũ fertilissimis agris apud Lusitanos, ingenti terræmotu, & ruina sæviit, veluti universum fere orbem, anno 1527. 1528. & 1529. Fieri tamen potest, quod ex eisdem putidis, & corruptricibus exhalationibus, pestis absque alicuius terræ motu fiat, & grassetur: quia ita terra moveri leviter, passim & lente poterit, ut ab hominibus non percipiatur, aut exhalationum corruptricum exitus, ita facilis esse potest, ut aer absque terræmotu inficiatur, ut sæpe contingit variis in locis huius Græciæ, Turciæ dictæ, & non raro alibi, ut liceat mihi admirari divinum Galenũ, qui cum pestis multas causas descripserit: hanc tamen famigeratissimam & vulgatem subticuit, aut saltem non ita magnifecit, quam nos variis exemplis, & multis doctorum hominũ placitis, ac experimentis, ut præcipuam, & frequentiorem pestis causam indicare poteramus: sed eius forte magis admirari licebit, qui cum de peste libro de differ. febrium, se scripturum pollicitus sit, præcipue eo in libro, qui Ars curandi, sive Methodus med. inscribitur, eius tamen ne verbum quidem fecit. ANGELVS. An forte quia noverat, pestem non superari à medicis remediis? AMATVS. Minime gẽtium, extant proculdubio, tam simplicia, quàm composita, antidota dicta, quæ immani huic hydræ contrariantur, & eam non raro superant, vincũt, & domant. ANGELVS. Dignare igitur ô Amate, contra hanc immanem & atrocem bestiam, remedium aliquod ex multis, quæ nosti, nobis insinuare. AMATVS. Contra hanc de qua agimus, quæ causam putrificam & venenosam exhalationem habet,

E nullum excellentius aut divinius remedium expertus sum, quàm luculentium focum, tam privatim, quàm publice instruere, prout Hippocratem, & Acronem Agrigentinum fecisse legimus, præcipue Athenis, Thessaliæ, & in hac Macedonia terrarum imperio quondam potita, præsertim ex lignis, fruticibus, stirpibus & herbis suavibus, & bene olentibus, ut cedro arbore larice dicta, junipero, citro, cupresso, pino, terebintho, variis in locis nascente, lentisco, myrto, ladanifero frutice, quo universa scatet Hispania,

F præcipuæ Lusitania, rore marino, stœchade, pulegio, origano, dictamo, & variis aliis, quarum fumus pestiferarum exhalationum humiditatem putrificam, non solum exiccat, rectificatque, sed ipsas proprias absumit, destruit, & annihilat exhalationes. Secundo conandum, ut corpora quàm maximè superfluitatibus vacent, & spirent optime. ANGELVS. Ego hanc prævisivam, aut prævisoriam, vel præservatricem curationem appellarem, & non curatoriam debitam ægrotantibus. AMATVS. De hac veró, veluti

G de illa, pro nunc consule excellentes Medicos Venetos, qui non paucos de hac re libellos superioribus annis ediderunt, & in lucem miserunt, cum pestis, toto orbe dignam illam, & admirandam Venetiarum urbem, per contagium invasit, quorum sapientia, & patrum illustrium gubernantium mira prudentia, diligentiave, brevi extincta fuit. Scopium tamen sæviens pestis, accelerante frigore, ex se delituit,

H quæ & si Monasterium oppidum per contagium infecit: in eo tamen diutius, ob crassum & densum aerem perduravit, Thessalonicæ vero brevi evanuit. Cæterum, febris pestilentialis sæpe absq. peste comperitur, ut Olisiponæ, Antuerpiæ, Ferrariæ, Venetiis, Romæ, Anconæ, & in hac Thessalonicensi civitate, non raro notavi, & expertus sum, quæ quandoque miti cum calore invadit, ut Galenus meminit, quãdoq. vero ardẽtissimo cum calore,

vomitu,& syncopi, ac pulicari symptomate, prout cordis partes occupat, afficitve, ut aliàs dixi, & docti laudarunt. Appollonius tamen, ne sic illotis, quod aiunt, manibus, discedamus, inquit, pestilentia afflictis crurium scarificationem summum esse remediū: ita enim ille, referente Oribasio, libro 7. suorum collectorum, cap. 20. ait: cumque pestilentia vehemēs per Asiā vagaretur, multisque ob eam causam obirent, egoque in morbum itidem incidissem, secundo die cum remissio fieret, crus scarificavi, & ad duas libras sanguinis detraxi, atq. hac ratione vitavi periculum: quo sane auxilio cum multi quoque usi essent, sunt servati. Sed de iis aliquando plura. Quum Græcia hæc olim idolatriæ, & mendaciorum plena, veluti optimorum divinorumque ingeniorum, ac optimarum omnium artium alumna, & mater: nunc passim ut antea, peste corripi soleat, de qua sequens audire ne pigeat, id quod Thessalonicenses mortales ab hinc ducentos annos, servatum haberē, & forte antea semper, post Iulium mēsem, usq. Decembrem, Thessalonicæ nulla pestis est; quæ si etiam aliunde hoc medio tempore, semina cōtrahat, & scintillet, adeo imbecillis est, ut de ea homines curam non habeant: plerunque igitur pestis à Decembri mēse Thessalonicenses invadere solet, quæ etiam si gravissima & horrida crudeliter sæviat: adventante tamen Iulii mēsis fine, illico delitescit, & hoc ita apud eos pro certo habetur, ut qui ad pagos, & villas ob pestem aufugerunt, etiam si medio Iulii mense, singulis diebus, singulos tercentos, & plures peste emortuos noscant, nō timeāt domum in fine mensis reverti; quum certo sciant, hoc tempore feram illam domari, & ad mensem usque Decembris latitare. Sed iis contrarium forte evenit Constantinopoli, à medio nāq; Maio pestis grassari incipit; quæ ad finem Novembris cruciare & sævire solet, inde vero nulla est notatu digna pestis ad medium Maii: causas vero tu, qui abditarum rerum contemplationem profiteris, inquire. Ego vero ad Thraciæ ingens frigus forte confugiam, quod hibernis illis mensibus viget: nosti autē vere & autumno, molliculis temporibus pestilentiam pullescere, acri vero æstate, & rigida hyeme, domari, & vinci. ANGELVS. Tecum omnes docti scriptores sentiunt, sed quid precor, de peste Thessalonicen, & Monasterium oppidum infestante, dicemus, quæ vigente hyberno inclementi, & frigore intēsissimo, grassatur, & trucidat? AMATVS. Tu ipse contemplare.

Curatio 28. *De quodam, qui sævam pleuritin passus fuit, & absque sanguinis missione ab ea liber evasit.*

ROmanus, qui prope Liviathen, hoc est, synagogam, sive congregationem à gratia habitat: vir triginta natus annos, temperatura sanguineus, quum ex paviculo, hyberno tempore, borea flāte, domum se reciperet, febri ingenti cum rigore apprehensus fuit, & sequenti die, pleuritis dextras eius thoracis altas partes occupavit, in quo die ex nare sinistra illi multū sāguinis effluxit, & tunc pleuritis acerbior facta est, & eā gravius affligebatur: ad quem septimo die accitus ego, eum pessime habere inveni: pulsus nanque imbecilles, varii, inæquales, duri, & tremuli illi erant, lotium verò jumentorum modo, crassum & turbatū valde, ut eum prope obitum esse, omnes dicerent: parum loquebatur, sed cum ijs, à medicis efflagitabat, rogabatve, ut sanguinem per venæ sectionem illi mitterent, valde nanque dolore torquebatur, & intense febriebat: ad hæc, tussiebat, & varia & multa facilitate quadam excreabat, quibus omnibus

nibus consideratis, ac æquilibrio positis: sanguinis missionem prætermisimus, & ægypciacæ cassiæ atramẽtum decocto pectorali exceptum illi ebibẽdum dedimus, quo nonnulla biliosa leviter egessit, & liberius expuebat: sequẽtibus diebus locus dolore affectus, hoc linimento illinebatur, Rec. pinguedinis gallinæ, butyri recenti ana unc. j. olei amygdalarum dulciũ unc. j. olei violacei. vnc. s. cineris radicum brassicæ unc. s. ad ignem cum pauca alba ceramisce, fiat unguentum molle: quo in die bis inungebatur, & tunc per intervalla, syrupum capillorum Veneris, & lyquiritiæ simul mistos cochleario lambebat, & ptisanæ cremorem, mistum portiunculæ iuris pulli, pro victu accipiebat, cui quandoq. sacchari aut penidiatum parum assistentes miscebant, pro potu verò hordeaceam aquam, quibus alvum lubricam semper habuit: ut meritò juxta Hippocratis mandata, libro de ratione victus in morb. acut. 1. integram ptisanam sorbendam dare poteramus: die verò 14. in copiosum devenit sudorẽ, & tunc rectius habuit, nihil fere dolebat, & parum febriebat, sed valenter quoque tussiebat, & expuebat, & tunc ex pingui gallina juscula crassa lubenter concedebamus, quibus multum & placide spuebat, & venter mollis evadebat. 18. pulli carnes gustare cœpit, & parum vini pitissare, & per consequens valẽter habuit, & tauricè vivit.

SCHOLIA.

Ii qui pleuritim patiuntur contrario modo cibari debent, quàm reliqui acutis morbis correpti, de quibus ait Hippocrates: quando in statu est morbus, tenuissimo victu uti debemus, pleuriticis autem illico in morbi initio, parum alimonia dare debemus: dein verò eã sensim augere ad statum usque, & eo magis, quo purgatio maior fuerit, juxta Hippoc. lib. primo de rat. victus in morbis acutis, aphor. 21. 23. & 25. Sic dicente: & quanto maior fuerit expurgatio pleuriticis, tanto magis ad judicationem usque dare oportet. Sic enim ij victum accipiendo, facilius liberantur, & minus purulenti fiunt, ut aphor. sequenti 27.

E *Hippocrates docet, & 33. & 34. veluti Galenus enarratione 9. commentarii tertii eiusdem voluminis. At, quanquam Hippocratis hoc sit sacrum documentum, caute tamen optimus medicus pleuriticis sorbitiones concedere debet, ut qui necessum est consideret, pleuritim morbum non raro unica absolvi crisi, etiam si ab initio morbus siccus non fuerit, sed in eo multum expuitur, & alvus lubrica evadit, ut huic contigit ægrotanti, qui ab initio multum, & libere expuit, & ex intestinis multa excrevit: & tamen quartodecimo die sudore copiosissimo absolutus fuit. Cæterum, post absolutam crisim, dies duos, eodem modo, quo antea ægroto victum concessimus, dare debemus jubente sic Galeno enar-* F *ratione 25. Commentarij primi, in librum de rat. victus in morb. acut. ad hunc modum. Tutum igitur est, etiam si morbus judicatus fuerit, ad duos usque dies diligentem victus rationem qua æger usus fuit, servare: præteritis autem ab judicatione diebus duobus, jam securum est plenius cibare, & cætera. Fugimus autem (Galeno in enarratione, docente) ciborum repentinas oblationes, qua in enarratione adnotandum duximus, Galenum adnotasse, quod Hippocrates ante judicationem, & duos postea dies neque pleuriticis, neque reliquis, qui potu, aut sorbitionibus tractari solent, dederit panem, neque quippiam aliud, præter ptisanam, advertant igitur hodie artem medicam exercentes.*

G

Curatio 29. De somno supravenientе à causa non vulgari, ægroto febri ardentissima detento.

H IVVENIS, qui ardentissima febre, aut, ut Hippocratis modo loquar, igne, variis cum symptomatis, vigente hyeme affligebatur, capite dolebat, in cubili non quiescebat, sitiebat valde lingua cum nigra, & scabra, & bibebat sæpe, & multum; non dormiebat, sed semper ingenti afflictione vigil manebat: ad hæc, excrementa illi pecudis pilularum modo, torrida erãt, lotium prælucidum, citrinum, quod calidissimum erat, vias nanque per quas currebat, pungebat, septimo deliravit,

A liravit, & octavo, omnia etiam circa ignem versabantur, nono, sopor huic supervenit, ut à somno eum expergiscere perdifficile esset. Cuius rei mirabantur medici, hæsitantesq. causam, unde somnus tanto cum foco evenire posset investigabat, de qua re in scholio pulchra legito. 14. post copiosum sudorem calidum universum eius irrigantem corpus, melius habuit, adeo, ut vigesimo sequenti, à febri liber, & immunis evaserit.

SCHOLIA.

INquirebant medici, unde sopor huic juveni evenire poterat. Quum ardenti febri variis cum symptomatis, ingentem caliditatem arguentibus laboraret, tandem post multa adducta, & post longam de somno investigationem cum Galeno commentario primo in librum Hippocratis, tertium de morbis vulg. conclusum fuit, quòd humores plus justo calidi sua caliditate, & forte pessima qualitate, calidum innatum lancinant, confodiut, & extingunt, unde frigiditas somnus causa oritur, juxta Galeni placita, irremediabilis, & ut qualitatibus humores hoc facere solēt; ita non raro sua quantitate calidum innatum sopiente, suffocanteve, & per consequens extinguente. Cæterum frigus hoc ex calidis siccisq. morbis eveniens, curationem vix recipit, quia ingentem imbecillitatem, hoc est calidi innati extinctionem cōsequitur: ita enim Gal. citato libro, in curatione Hermocratis, enarratione 7. nobiscum sentit. Quum nanq. Hermocrates febri ardentissima putrida, correptus esset, & omnia symptomata ignem attestarentur, ut lingua adusta, vigilia, febris ardens, delirium, auriginosa perfusio, alui torrida excrementa, & similia, quæ corporis statum in universum igneum esse attestantur, tamen undecimo die sopor illi supervenit, quem non evenisse à pituita caput ascendente credit Galen. quia tanto cum igne humorem frigidam non reperiri putat, & hac de causa concludit soporem Hermocrati evenisse, non ob humorem frigidum actu operatem, sed ob frigiditatem insignem cerebri, aut imbecillitatem facultatis, introductam ab humoribus calidum innatum extinguentibus, ut juveni huic, de quo agimus, contigit, & uxori Iosephi à Crasto optimi chirurgi, sed hæc juvenis cum esset, post varios morbi labores suum diem obijt.

Curatio 30. de erysipelate mortem accelerante.

VXOR Heliau Vzielis, & nata Iosephi Benuenisti, post liberam à quartana, quam passa est menses sexdecim, in quibus menstruam purgationem nunquam vidit, febri continua correpta est, cum qua simul erysipelas phlegmonosum eius caput totum fere cum cervice invasit, & delitabat, & sopor quoque per intervalla eam tenebat, B cum quibus lotium crassum, subnigrum, infima in parte sedimentum habens erat: nam & biliosa vomebat, præcipuè cum liquidum, aut ius aliquod gustaret, & ventrem lubricum habebat, ex quo mera, biliosaque excernebat: casus nanque difficilis, & cōsideratione dignus, hic est; pro quo abigendo, ad salutemque revocanda nobili muliere ista accersitus medicus, illico ex brachii sinistri vena exteriori, respiciente phlegmonem, sex sanguinis uncias rectè extraxit, & remedium locale (topicum dixerim) quale ex aqua C decoctionis furfurum, malvarum, hordei, & violarum paratur, apponi jussit, sæpeque innovari. Sequenti die, hoc est, secundo ægritudinis, vocatus & ipse, omnia contemplor prædicta, quæ à sanguine male affecto, & longo tempore retento, ac in partes disgregato, evenire comperio: quum nanque sanguis menstruus tam diu retentus esset, ob morbum forte, eius partes auctæ, variæ sunt redditæ: nam subtilio- D res in bilem sunt versæ, quæ corporis superiores partes repentes erysipelas phlegmonosum generarunt: à largiori nanque bile, pauculo sanguini mista, erysipelas phlegmonosum ortū trahit; cuius portiuncula cerebrum occupans, delirium parebat, veluti & soporem citato à nobis modo, hoc est, per quandam scilicet in spiritus, & calidum innatum lancinationem, eorumque mortificationem. Nam & bilis pars altera, in ventriculum ruens,

per vomitum excernebatur, veluti al-
tera per intestina corruens per ven-
tris excrementa, quæ non raro ventri-
culo lãcinationes, nauseam, anxietudi
nes, & leves quasdam syncopas indu-
cebat, crassior nanque pars atrabilia-
ria locum suum tenens, jecinoris gib-
bam partem obsidet, quæ per renes de
lata, cum urina transmittitur, & nigra
apparet: iis igitur consideratis adver-
to, mulierem hanc viginti ætatis suæ
habere annos, temperaturã vero æqua
lem, cuius virium robur non adeo con
stabat. Vnde cum alii medici de reper-
tenda sanguinis missione contende-
rent, ego illis contradixi, & scapulis, cu
te incisa, cucurbitulas quatuor affigi
jussi, per quas sanguinis uncias tres
chyrurgus extraxit, & tunc ægrotans
resipuit, & erysipelas magis serpsit: sed
in phlegmone diminutum est, qua de
re jussimus lactucam prædicto fomen
to misceri, & ægrotantem jure pul-
li ptisanæ cremori misto cibari: no-
ctu verò, clysmus ex hordeacea, oleo
violaceo, & unciola una atramenti cas
siæ compositus fuit injectus, in aurora
verò pharmacum sequens ebibit, R.
Tamarindorum salis expertium unc.
v. prunorum pinguium, numero 10.
hordei pug. unum, florum cordialium
pug. medium: in aqua fiat decoctio se-
cundum artem, & coletur. Rec. prædi
cti decocti unc. iij. floris tamarindo-
rum optimorum drac. tres, rhabarba
ri optimi drach. unam, cassiæ recèns
extractæ unciam mediam, syrupi ro-
sati solutivi uncias duas, misce, fiat hau
stus unus, quem jejuno stomacho bi-
bat, & parum supra dormiat. Cæterũ,
cum in nocte septies, vel octies multa
excrevisset, pharmacum non bibit, &
inde melius habuit. Nam post cucur-
bitulas exercitas, non amplius delira-
vit, sed quæ illi offerebantur rectius
accipiebat, & hac aurora pulsus vali-
diores apparuerunt: digitorum nanq.
tactui magis resistebant, erysipelas ta-
men, ut antea ita habebat, & ea de cau
sa, prædicto remedio, parum aizooi, id
est, sempervivi adjungi fecimus, quo

E postquam locus fovebatur, rosaceo un
guento cum illini faciebamus, supra-
posita spongia imbuta fomento. At,
quia alvus lubrica erat, & excrementa
acria excernebantur, ne forte intestina
ipsa exulcerarẽtur, jussimus clysmum
repeti, absque tamen Ægypciacæ cas-
siæ atramento, & syrupum rosaceum,
tam jejuno stomacho, quàm interdiu
cochleari acciperet, veluti granatorũ
succum, immo & ipsa poma granata
medii saporis gustabat: gargarizabat
nanque non raro, hordei decocto, mis-
to prædicto succo acido granatorum,
F aut syrupo acetoso, ad præcavendas,
minuendasque gutturis, fauciumque
partes. Quinto die, febris mitior est fa
cta, & urina clarior, & ad cibum appe-
titus pronior, erysipelas tamen ma-
gis tunc tumuit, sed minus infestabat;
optimum sane indicium, usque à par-
tibus internis ad exteriores, pessimus
humor expulsus videtur, id quod palã
fecit aurium dolor, quem ea nocte pas-
sa est, & illico delituit. Sexto die erysi-
pelas dextram partem capitis cum o-
culo & fronte, occupavit, & noctu an-
G tea sexies excreverat, ingenti ventris
dolore, mera biliosa, qua de re, præ-
misso clysteri anteacto, etiam cum al-
bo ovi, timor etenim est de dysenteria;
cucurbitæ iterum scapulis, incisa cute,
sunt affixæ, & topicum remedium sini
stræ parti, hoc est, ubi primum erysipe
las invaserat, quod fere in declinatio-
ne jam erat, hoc applicitum fuit, Rec.
furfurum malvarum, hordei integri
an. pug. unum in aqua bulliant, secun
dum artis ministerium, ex quo deco-
H cto linteum imbutum sæpe dolenti lo
co applicabatur: dextra vero pars, ad
quã erysipelas serpserat invaseratve;
& adhuc in augmento est, sic præmuni
ta fuit. Rec. malvarum furfurum hor-
dei integri, lactucæ, sempervivi, plan-
taginis an. pug. unum: In libris sex a-
quæ fiat decoctio sufficiens, & coletur,
& manibus recte exprimatur: cui fo-
mento adde succi sempervivi, lactucæ
pauco aceto extracti an. unc. ij. misce,
fac fomentum: & linteis eo imbutis,
sæpeque

sæpeq. innovatis locus foveatur. Septimo perinde sunt omnia, octavi nocte decies egessit biliosa, spumea, sed non multa, parum dormivit, & inquieta tota nocte mansit, cui ea nocte menses tunc erumpere cœperunt, quos, ut dixi, sexdecim antea mensibus, non viderat: & tunc erysipelas non ita inflãmatum apparebat, cæterum ut mẽses fluerent, cicera, & petroselinum vulgare juribus inderentur, & parum vini albi diluti, ut vires reficeret, ebiberet jussimus, sed hoc die pessime habuit: pulsus nanq. deficiebant per intervalla, & ipsa angustiabatur, qua de re epythema refrigerans exceptum panno infecto cocco, cordi applicitum fuit, & ex cõdito cordiali optimo, per intervalla gustabat, & frictiones cruribus fiebant, femoribus cucurbitæ applicitæ sunt, & pessus ori uteri inditus, ex Mercuriali, carica, & pauculo oleo lilino consitus. Nono ter egessit, & circa fauces ulcuscula ingenti inflammatione apparuere, & melius dormivit, & vires constabant: digitorum nanque tactui pulsus validius resistebant, & lotium fere subjugale tunc exivit. Sed tunc frictiones consuetæ exercebantur, & gargarismo utebatur & amylum jure pulli deglutiebat, in quo & semina melonum, aut eorum extractus succus illi miscebatur, & hordeaceam bibebat. Cæterùm, decimo die erysipelas caput, & faciem infestare desiit, & brachium dextrum, cum scapula, & thoracis parte dextra occupavit, & renes ægrotans tunc dolebat, eruperant nanque menses, sed nihil ex eis consideratione dignum fluxit, & circa podicem ingentem caliditatem acredinemve sentiebat, & pulsus ingenti caliditate varias mutationes præ se ferebant; forte pro varia humoris actis, & pessimi invasione. Tunc demum, cum per omnia discurro indicia, hanc pessime habere, ut nulla salutis spes sit, deprehendi: & re vera undecimi initio, diem suum obiit, non sine parentum ingẽti dolore. Iuvenis nanque venusta, & opulens satis erat, quæ quùm puerum peperit, illico in quartanam incidit, quam passa fuerat plures menses, pro qua propulsanda, varia calida, & acria medicamenta ingessit, ex quib. creditur, morbum hunc ortum traxisse, & per consequens obitum. Obiit autem mense Ianuario 1560.

SCHOLIA.

HVIVS miserandæ juvenis curationem præscripsimus, ut casum difficilem indicaremus, simulq. ut memoriæ evocaremus, tãta cum acri bile, ex qua febris continua, erysipelas, mentis delirium, ventris dolores, excrementa biliosa omnia, & sitis ingens procedebant, humorem pituitosum conjungi non posse, ex quo forte caput occupante, vulgares medici somnum evenisse crederent, quum re vera, somnus huic mulieri, ab humore acri, extinguente calidum innatum, ex quo frigiditas vix remediabilis oritur, evenerit, ut Hermocrati, & aliis à nobis citatis ægrotantibus contigit, & eventus ipse indicavit.

Curatio 31. de phlebotomia die in critica facta.

HOC eodem tempore nata Secundi qui pileos cõficit, mulier annorum circiter viginti quinque temperaturæ biliosæ, cum puerum recte peperit, forte non exacte purgata est, unde postea cum ad aerem frigidum pervenisset, & aquam frigidam tractasset, eius corporis expiramenta sunt constricta, coarctatave: unde succorum prohibita transpiratio est facta, & putrefactio ingens, & consequens febris continua putrida illico cum delirio oborta est, quibus postea successit pleuritis, latus sinistrum occupans. Pro quibus levandis morbis, & muliere ipsa ad sanitatem restituenda, vocatus ego die septimo, eam prædicta pati, & cum delirio febrire inveni; ad hæc pulsum prædurũ & parvum, sed per intervalla sublevatum

tum habebat, tussiebat, & nonnulla screabat, unde cerebri meninges, & succingentem costas membranã, cum plethora male affectas esse judicavi. Pro quibus extirpãdis malis affectionibus, cum periculum esset vacuationem tardare, illico eodem septimo die ex saphena pedis sinistri sanguinis uncias quinq. extrahere feci, quæ quidẽ sanguinis missio optime contulit, & mulier ipsa eam recte tulit, unde ab applicito oxyrrhodino sincipiti, & sequentibus diebus cucurbitulis, incisa cute, scapulis admotis, ac propinato levi pharmaco purgatorio, & lambetivo sæpe gustato, melius habuit, adeo ut intra decem dies, sanitati fuerit restituta. Cæterum casus hic à nobis descriptus ferè respondet alteri ab Hippoc. citato lib. 2. Prorrhetici, aphor. 47. in hunc modum initium habere: si mulieri à partu, & cætera.

SCHOLIA.

Nisi illico huic septimo die, succurrissemus, proculdubio, in cerebri inflãmationem hæc devenisset, & per consequens in obitum: proinde recte à Gal. consultum est, etiã in diebus criticis, cũ urget necessitas, & natura segnior est, nos secure vacuationes quascunq. necessarias moliri posse, ut alias iis in Centuriis patefecimus, & docti laudarunt.

Curatio 32. de miris quibusdam capitis vulneribus, ex quibus, & memoriæ, & visus facultates amissæ sunt.

ILLE, cui in occipitio vulnus ingẽs inflictum fuit, utriusq. membranæ, duræ, & subtilis, portiunculam aliquali cum substantia medullari perdidit, & sanatus est: memoriam tamen in totum amisit. Alter vero, qui vulnus mirum in sincipite habuit, ex quo ipsum moriturum omnes prædicebant, sanitati fuit restitutus: oculi tamen visionem, eius maxime, qui vulnus respi-

E ciebat, in totum perdidit, forte quia nervus visorius læsus erat: puer vero Isaiæ sacerdotis, ex ingenti in capite vulnere accepto, utriusque oculi lumẽ amisit: tamen ipse, recte valenterque hodie habet: absque tamen utriusque oculi visione.

Curatio 33. de nonnullis, qui ex quodam carbonum odore, noctu perierunt.

F AD viam absque exitu, Romanis fundulam dictam, in fornice, sine testudinea camera, tres viri noctu dormiebant. Qui simul eadem nocte, ob semiaccensos in prunario relictos carbones, omnes mortui sunt.

SCHOLIA.

Ob fumum carbonum pessimum, & vitã humana alienum, non eventillatum ab aere, in obitum & exitum ij pervenere: non verò, ut Erasistratus putat, propter spirituum tenuitatem ob quam contineri spiritus ipsi in
G *corpore & arteriis nequeunt, ut memoriæ cõmendavit Gal. lib. 7. de Vsu partium, cum Erasistratum hunc in modum suggillat, dicens, Erasistratum porrò, cum hic quoque causam in qualitatem familiarem, atq. alienam conferre docuisset, confert nescio quo pacto, in spiritus tenuitatem, ac crassitiem: existimat enim propterea perire eos, qui in Charonis sunt baratro, tum eos qui domos incolunt calce nuper illitas, aut qui ex quodã carbonum odore, & aliis generis eiusdem extinguntur: quod spiritus præ tenuitate contineri corpore*
H *nequeant. Satius autem fuisset, ut in alimentis, familiaris quidã leguminum, olerũ, panis, atq. id genus aliorũ nobis est qualitas: aliena verò, cãtharidis, & leporis marini, atq. aliorũ eiusmodi, ità putare, aeris qualitatem quãdam aliam quidem familiarem, & amicam spiritui ipsius animalis, aliam verò alienam ac corruptricem: si enim semel id intelligere potuisset, haudquaquam carbonum fumum, puro aere tenuiorem pronunciare ausus fuisset, cum ille, omnibus crassior plane appareat: hæc Galenus, quæ libro de utilitate respirationis, capite quarto, idem repetit.*

Curatio 34. *de tertiana continua, cum erysipelate de phlegmonoso, & lacte in caseum concreto in mammis, ac papillarũ ingenti dolore.*

FIlia Mysis à Botone, juvenis decẽ octo nata annos, temperatura sanguinea vigente hyberno, postquam puerũ recte peperit, parum expurgata est, ac inde cõtinua tertiana febri correpta est, quã comitabatur erysipelas phlegmonosum, à podice inchoans, quod femora, & eius corporis altas par tes, ab utroq. latere occupabat, & fortes, ab utroq. latere occupabat, & forte ad brachiorũ alas serpsit, cũ quibus papillas dolebat, & mãmas tumentes, & graues habebat, præcipue sinistram, in qua lac in caseũ ingenti caliditate concretum contineri percipiebamus: ad hæc graviter, & tumultuose dormiebat, & non recte ad oblata se habebat: parũ tamen sitiebat, & linguã humentẽ tenebat. Ad hanc igitur vocatus ego, ab injecto ex mercuriali confecto clysmo, & exonerata alvo, illico ex pedis vena, saphena dicta sanguinis uncias octo extrahi, & succis herbarũ frigidarum sæpe repetitis erysipelas infringi domarive fecimus, & supra ma millas fomentum sæpe apponi hoc, quod haber, constatq. malva, hordeo, solano domestico, adjecto aceto, ex quibus mamillis muliercula dextra peritaq. exugebat, sed parũ extrahebat, quia in grumos conversũ lac erat, sed tunc syrupum refrigerãdi vim ha bentẽ, hæc singulis auroris stomacho jejuno bibebat, & ptisanã in victu, & hordeaceã aquã ꝓ potu habebat, quo in ordine quatuor dies perseveravit, in quib. erysipelas domatum evictũq. fuit, sed febris vigebat continua, singu lo tertio die magis affligens, & læva mamma tumentior evasit, ex qua val de querebatur: inde enim pectora gravia & dolentia erant omnia; qui-

A bus de causis internam cubiti sinistri vena secuimus, & ex ea sanguinis uncias quinque extraximus, & supra lævam mammam male affectam cataplasma efficaxq. remedium & approbatum ex incocta faba, adjecto aceto, imponi, sæpeq. innovari jussimus, quibus brevi mamma melius habuit. Cæterum sequenti die huic rigor ingens suptavenit, quem subsequuta fuit febris: lõgo tamẽ sudore profundo cum somno exoluta, unde libera à tãto malo juvenis hæc mansit, juxta Hippocratis dicteriũ, à causone habito, rigore supraveniente, solutio fit morbi. Cæterum hæc post judicationẽ elapsis duo-
B bus diebus plenius cibari nostris mandatis cœpit, ut ita agendum nos docuit Galenus.

Curatio 35. *in qua proponitur fœtum intra uterum maternum, per umbilicum nutrimentum recipere, contra Authorem libri de carnibus & quòd fœtus per umbilicum lotium remittit, non vero per virgam, ad Simpsonem Habillium medicum doctum, & multarum linguarum peritissimum.*

C

QVasi admiratus non contẽnendo dubio ad me venisti, Simpson omniũ fortissime, ut qui apud Hippocratẽ legeres, puerum intra uterum maternum per os nutriti, non vero per umbilicum, ut omnes medici cum Gale. hucusque credunt: ut autem
D dubio tuo fidẽ præstares Hipp. opuscula enchiridii formulis excussa, in medium attulisti, & locum libello de carnibus indicasti, in quo hæc leguntur: Puer labra cõprimendo ex utero materno sugit, per osq. alimentum, & spiritum, omniũ quæ in corpore sunt, calidissimũ, attrahit, id quod verissimi

le esse probatur, quia pueri nascuntur, in intestinis habentes stercus, quod illico cum in lucem veniunt, egerunt: indicium maximum sane, quod per os sugunt, aliter stercus non haberẽt. Itẽ videmus, quod puer statim ubi natus est, mammam sugit, id quod nesciret, si intus sugere assuetus non esset. Hæc ex Hippocrate, cuius verba, ne lector desideret, ita habent. Cæterum puer in utero cõprimens labra ex utero matris sugit, & tum alimentum, tum spiritum cordi intro trahit, ubi sane mater respirarit, est enim hoc calidissimũ in pueros, & hoc calidũ etiam reliquo corpori, & aliis omnib. partib. motum præbet. Si vero quis interroget, quomodo hoc quis sciat, quòd puer in utero trahit, & sugit, illi sic respondendũ est, pueri nascuntur stercus in intestinis habentes, & ubi nati fuerint, celerrime ventrem, tum homines, tum pecora exonerant. Atqui non haberent stercus, nisi in utero suxissent, immo neq. mammam statim, ut natum est, sugere nosset, si non in utero suxisset. Hæc enim Hippocratis eadem cum à nobis dictis habentur verba, in quibus puerum per os nutriri, non vero per umbilicum, legitur. Cæterum ego tùnc libellum illum de carnibus, medicorum primi parẽtis Hippocratis Heraclidæ filii non esse, tibi pro responso dedi, id quod ad præsens firmo, sed potius eius avi, Hippocratis, Gnosidici filii, aut Polybi, eius generi, aut filiorum Thessali, vel Draconis, aut potius Euriphontis, vel Phaontis, vel Philistionis, vel Aristionis, aut alterius cuiusquam prisci, quorum nonnulli tempore Hippocratis vixerunt, alii vero parum antea, veluti alii, parũ postea, qui Hippocratis propriis, & genuinis libris multa interseruetũt, multa addiderunt, veluti ex eis non pauca expunxerunt, & alia obliterarunt, ut propria Hippocratis opera Hippocratis non esse, quivis dicere audeat: nostrum vero hoc judicium firmum, ratum, & verum esse, vel ex hoc convincitur, quia germano, & proprio suo Hippocratis libro de natura pueri, legimus, per vmbilicum puerum, & alimentum, & incrementum suscipere; quem librum Hippocratis esse, non est qui ambigat: nam etsi Galenus, libro de fœtuum formatione, eũ Hippocratis esse, vel Polybi dubitet: eius tamen sententias ut veridicas recipit, immo Epicheremata, ac ratiocinationes à magno Hippocrate, eo in libro inscriptas esse nõ diffitetur per umbilicũ alimentũ puerũ recipere. Ita enim Hipp. hæc sunt verba: juxta mediam autem carnem, umbilicus distat, per quẽ spirat, & alimentũ ac incrementũ puer capit. quam sententiam Galen⁹, ut Hippocratis verã & germanã recipit, suisq. dogmatis non raro inserit, cui postea cæteri medici fidẽ præstarunt, & in suis monumẽtis ita habẽt, Puer per umbilicum alimẽtum capit, ab umbilico nanq. ad jecur, venæ derivãtur duæ, & arteriæ totidẽ, per quas, alimentum, & spiritum fœtus attrahit, ut sequenti alio dubio latius enarrabimus, quod habet. An per virgam fœtus lotium remittat, anve per umbilicum potius. Cui absque gyris more nostro brevi respondemus, Puero intra uterum maternum mitti per umbilicum urinam, ut Galenus late probat libro decimoquinto de usu partium, ad præsens tamen scire decet, fœtum tribus involucris seu membranis obvolvi alligarive, prima tenuissima, & alba mollique, & tenella, quæ Græcis amnios appellatur, inter quam & fœtus cutem, humor copiosius, quem fœtus sudorem recrementumve appellamus, cõtinetur, cuius juvamenta nõ contẽnenda hæc habentur: fœtus etenim in eo quasi innatans, sursum tollitur, ac vehitur, ut minus sit gravis iis vinculis, per quæ matrici cohærescit. Item, cum puer maturus exitum parat, calcitrat, & hãc disrumpit, farciminalem membranam dictam, in qua lotium retinetur, ex quibus tunc sudor, & lotium profluit, qua irrigatione uteri cervix laxatur, emolliturve, & per consequens facilior fœtui exitus paratur,

ratur, hinc enim obstetrices concinne assuescunt dicere, primam esse disruptam, scilicet, membranam, sive tunicam, cum sudoris huius, & lotii profluvium, parturientes incurrere incipiunt. Cæterum membrana hæc non aliunde nascitur, quam venarum arteriarumque umbilicum petētium interventu: secunda vero membrana prima amplior est, Græcis allantoeidis, farciminalis, sive intestinalis dicta. Nā alias, olim farcimen erat, quod ex carne, & farina subacta in crassius intestinum conjecta fiebat, intra nanque primam membranam, & secundam hanc farciminalem dictam, urina ad tempus usque partus excipitur, quæ per meatum urachum, ex fundo vesicę exortum, juxta umbilici medium prodeuntem, inter farciminalem, & primā agniculam dictā, derivatur. Est enim humor hic inter duas has mēbranas contentus, tenuior, tū flavior, tum acrior ea sudore, qui est intra agniculā, adeo ut dissecantium olfactū, teterrimus huius humoris odor male afficiat, seorsum autem humor hic, sive urina à fœtu est adducta ac sejuncta, neq. dutim, neq. venas, quæ secundis insunt, attingens, ne ab eius acrimonia partes vicinæ læderentur. Cæterum ut res, qua de agimus, clarior evadat, scire decet, quatuor in umbilico esse vasa, duas scilicet arterias, & totidem venas, in medio sui urachum, hoc est, urinariū meatum habentes, qui quidē meatus urinarius ex fundo vesicæ exortus, lotium in farciminalem membranam derivat. At huius superioribus meatus partibus venæ, inferioribus arteriæ adhærescunt, per quæ vasa, veluti per truncos, & canaliculos quosdam ex matrice fœtus sanguinem & spiritum trahit, ut priori absolvimus quæsito. Sed restat non contemnendum dubium, quod Galenus ex priscorum quarundam placitis proponit, & sic habet. Si verum est quòd puer ex collo vesicæ urinarium meatum usque adapicem virgæ apertum habet, cur magis lotium per urachum transmit-

A titur, quàm per illū? Item detur quòd per urachum urina ad farciminalem membranam derivatur, cur non pars eius aliqua saltē ab ipsa vesica per virgam ejaculatur? quia natura nihil frustra facit. Respondet Galenus, id in causa esse, totum lotium per urachum, sive urinaculum remitti, & nihil per collum vesicæ, quia latitudo urinaculi multis numeris maior est ea, quæ vesicæ collo inest: item rectitudo eius maior, quæ ad educendam urinam colli obliquitate est præstantior, quibus addit, nullum musculum esse extrinsecus B urinaculo appositum, qui effluxum excrementorū prohibeat, cuiusmodi reperitur ad collum vesicæ, pro quo laxando aut constringendo, voluntaria actione fœtus indiget, qua, referente Galeno libro de fœtuum formatione, caret, ubi præcipue cerebrum, post jecur, & cor gigni probat. Cæterum rem hanc ita haberi, cum Galeno, hodierna Anatomia approbat. Divisa etenim ea peritonei parte, quæ vesicæ est præposita, utrunque simul facito, umbilicum quidem attollito, & quod in vesica continetur, comprimito, ma- C nu ipsam comprehendens: cernes autem lotium per meatum, qui est ad umbilicum, urachum dictum, in farciminalem effluere, quin etiā si ipsam rursum farciminalem cōpresseris, vesicā impleveris, sin contra vesicā, membranam ipsam farciminalem impleveris. Quæ omnia accidunt propter ea, quæ à nobis dicta sunt, scilicet propter rectitudinem meatus urinaculi, & eiusdem latitudinem, & cætera. Huic sen- D tentiæ subscribit Avicenna fen 21. libri tertii, cap. 2. quanquam interpres inibi omnia pervertat, & confundat, veluti fen 14. eiusdem libri, eo capite, in quo agit de causis propriis ascitis, ubi puerum intra uterum matris per sumen mingere ait, immo post natum anteaquam fasciatur, etiam per sumen lotium mittere fatetur: quid vero interpres per sumen intelligat, non satis constat. Ego veró per sumen, meatum urachum Avicēnam intelligere cum Gale-

Galeno crediderim,& eo magis,quia citato à nobis loco,fen 21.ubi de generatione fœtus agit,puerum per umbilici infusorium, lotium transmittere dicat:vocat autem interpres umbilici infusorium, meatum urinaculum dictum,sive urinæ ductorem,per quem, postquam infans in lucem est editus, ab obstetricibus incisum, aquositas exit,& hoc forte est, quod Avicenna ait, post natum puerum, ante fasciatum, etiam per sumen lotium mittere. His jam colophonem imponebamus, ut qui eis institutum nostrum absolveramus, nisi tertia membranula describẽda occurrisset, Græcis chorion dicta, quam Latini secundam appellant:barbari vero secundinam,nõnulli etiam loculos vocant, quæ nihil est aliud quàm multarum venarum, & arteriarum quidam plexus, intervalla membrana obducta continens, in quam omnes venæ & arteriæ ab utero fœtum petentes,tanquam in trũcorum radicem quandam pertingunt, & finiunt:cæterum cum prædictæ mẽbranæ duæ tenues,ut aranearum telis similes sint,ita chorion hæc,sive secũda,in parte pollicaris crassitudinis cernitur,substantia vero lienis modo nigricans, friabilis, fungosa,& ut dixi, multiplici vasorum serie implicita, quæ fœtum neque ambit, neque contegit totum, ut reliquæ aliæ membranæ duæ dictæ,aut ut putamen nucleũ, sed ab inferiori pectoris parte ad ilia usque, ipsum tanquam circulus cuppam cingens obvoluit, ut latius Gale. prædicto decimoquinto de usu partiũ libro,& de fœtuum formatione, velut de uteri resectione docet: & hodierni de Anatomia scribentes, viri multa laude digni,enarrant.Scire tamen decet,quòd cum primum infans in lucẽ venit,vasa umbilicum componentia, cum urinaculo, obstetrices juxta ventrem præscindunt,sed animantia bruta ea dentibus abrumpunt, involucra fœtus plerunq. deglutiendo. Novisti tu autem docte Simpson, umbilicum nihil esse aliud,quàm conflatum cor-

E pusculum ex duabus venis,& totidem arteriis,in medio urachum habentib., quarum portiuncula intra puerum relinquens, temporis successu exarescit, ut memoriæ commendavit Gal. quoque non semel. Bene vale vir docte, & rationibus Authoris libri de carnib., pro primo absolvendo dubio, quæ tua est ingenii acuties, & liberalitas, meo nomine respondebis.

F

Curatio 36. in qua docetur, gemellos unica contineri, obvolui-ve secunda, non verò duabus, aut pluribus. Explicatur Hippocrates.

VIcturus genium debet habere liber, ait poeta. Sed quodnam geniũ medicus liber præ se ferre debeat, ut optimus habeatur, & in perpetuum vivat,nullum aliud me hercle melius putare,quàm si Hippocratis axiomata,dicteria,ac documenta, summa cura,& vigilia apprehensa, rectèque intellecta,& enarrata contineat,posteri-
G tatiq. asservata habeat: hac enim via, ut ego puto, medici libri æternitati consecrabũtur, quemadmodũ Galeni libri antiqui perampli & immortales Hippocraticam doctrinam longe claram & patentem continentes, in qua amplianda Gal. ita se gessit,ut ipse ait, quemadmodum Traianus Imperator in restituendis ampliãdisve totius Italiæ senticosis,strictis, & inviis itineri-
H bus,quæ summo studio ampla,pervia, & lata reddidit. Non ab re igitur erit, si nos,ac si libri hi nostri victuri sint, Hippocratem ad præsens, ut sæpe facimus,interpretemur hac in sententia, quæ libro de superfetatione ita habet, quæ gemellos gestat,eadem die parit, veluti concepit: habet autem utrosq. pueros in una secunda.Quibus in verbis Hippocrates ait gemellos contineri unica tantum secunda,chorio dicta. nõ vero duabus,aut pluribus: id quod

verum

verum esse experientia attestatur quo tidiana. EZRA. Mirum id mihi videtur, si nanq. verum est, ut superiori cu ratione innuisti, puerum in utero matris, tribus obvolui membranis, agnina, farciminali, & chorio, sive secunda, consequens est, etiam si gemelli sint, unusquisque sua obvolvatur secunda. AMATVS. Plura & quæ veritatem continere appareant argumenta addu cere poteris. EZRA. Vicini, docte & amice, sed omnia falsa, & cavillorum plena: sunt nanque hæc de quibus agimus, solida, & quæ non nisi veritatis scopum desiderant, proinde ut Hippo cratem medicum experientissimum, divinissimumque intelligamus, audi, quæ duos gestat fœtus mulier nunquã chorion, sive secundam cum primo re mittit, nisi post secundi fœtus exitum. EZRA. Paulisper rogo: ais, si recte te neo, verbi gratia, mulier gemellos ute ro gerens, hodie alterum peperit, crastina vero die alterum in lucem datu ra est, ex qua secunda primo partu fo ras nõ veniet, sed in fine secũdi. AMA TVS. Recte. EZRA. Audi rogo, quia dubito, & anceps sum, si post primum fœtum in lucem editum, alter multos dies intra uterum manserit, ut superfœ tatio ad duos & tres menses sit, ut ali quando fieri videmus, & Aristoteles libris de animalibus, differit, mulierẽ utero gerentem, post tertium mensem gestationis, ab adultero suprafœtatam esse, etiam secunda semper intus mane bit, quoad suprafœtatio hæc absolva tur? AMATVS. Maxime. EZRA. Mi ra audio, quomodo igitur obstetrices se habent in primo gubernãdo puero, & eius abscindendo urinaculo? AMATVS. Dicam. Nosti iam, ut arbitror ex dictis, quod per umbilicum fœtus nutrimentum recipit, & per eundem lotium remittit. Sed iam ad proposi tum. Quum infans in lucem venit: ad eius umbilicum iuxta ventrem, obstetrices parturientibus assistentes, urina culum præscindũt, quod & earum pru dentiores, post abscissum, leviter exu gunt. Porrò ipsius urinaculi residuum,

A cuius alta pars secundæ intra uterum hæret, parturientis femori alligant, sæ pe ex eo sanguinem fluere procurantes, quoad forte ex se exarescat, aut saltem si modo diu ita manet; altiori in parte scindunt, gemellis igitur unica tantum inest secunda, ut recte Hippocrates nos docuit, sed illi urinacula duo affixa sunt. Nostis autem, ut dictũ est, per umbilicum fœtum nutrimentum recipere, & per eundem lotium remittere: unicuiq. nanq. puero suum proprium urinaculum est. Cæterum masculorum secunda, ab ea, quæ obvo luit fœmellas, ut expertæ aiunt obstetrices, variat: masculorum nanque extracta secunda, in orbem redigitur, fœ

B mellarum vero, ut ipse obstetrices asstruunt, tanquam sinus duo, aut manticulæ duæ cernuntur, quæ si multum hæreat, & non facile excidat, leviori ungue ab obstetrice feriatur oportet: quia cum primum sanguis ex ea effluxerit, brevi decidet: aliter ad medicamenta confugiendum est, præsertim castorium, una cum pulegio, aut calamintha, melicrato exceptum, ut docet Galen. lib. x. de simp. med. facul. Cæterum unum præterire non est, quod sæpe evenit, & ita habet: fœtus caput

C non raro ab obstetricibus aqua plenum, iuxta os uteri, tẽpore partus percipitur, quæ nihil est aliud, quam lotiũ intra agninam membranulam conten tum, nondum autem membranula illa disrupta est, qua de causa, ut brevi disrumpatur, & pueri caput liberum maneat, supra membranulam illam, micam salis apponi iubemus, ex qua brevi disrumpitur, & voti compotes obstetrices evadunt. De ijs autem hæc pauca nõ contemnenda sufficiant, quæ pro libro de superfœtatione intelligen

D do non parum faciunt, & ea ut non ra ro, ita nunc, nunc in uxore Benedicti Appuli experti sumus, quæ gemellos peperit, masculum & fœminam, masculum primo, & optime ac vivum, fœminam vero post biduum, quæ brachium primo extra cunnum misit, sed postea ex se intromissum est, & tunc adiuta

adiuta mulier, eam peperit, sed emortuam, & ultimo secũdam, bona autem fortuna, ex se brachium fœtus, retractum, intromissumque est, quum pueri fere omnes, quibus brachium, aut mẽbrum aliud præscinditur, unacum matribus pereunt, ut filiæ Malameti medici, & alijs evenisse observatum habemus.

Curatio 37. de melãcholiæ quodam genere, ingenti cum fame eveniente.

VXor Sanctes Sartoris hebræi, mulier honestissima, & honoratissima, temperatura optima prædita, & quæ cum recte valeret, parum loquebatur, & parcissima in victu erat: post multum, & longum mœrorem, cum ætatis suæ annum quadragesimũ ageret: hæc, sed quæ ridiculosa forte videbuntur, patiebatur, nunquam stabat, sed semper deambulando loquebatur, & garrula erat, & continuo comedebat, & nunquam satura evadebat, immo cibum semper appetebat, ut à pueris domesticis panem etiam è manibus arriperet: qua de causa, cum antea gracilis, & macie affecta erat, carnosa est reddita, cum quibus parum bibebat, & de vẽtriculi ore querebatur, & parum vel nihil dormiebat: post primum vero fere duarum horarum somnum, insomnis postea semper manebat, sed tunc vigil varia loquebatur, ut vix ab alijs perciperetur. Ad hanc igitur vocatus ego, omnia ut dixi, eam pati deprehendendo, quæ non nisi ab humore melancholico, originem trahere certum est, perinde eam tanquam melancholia affectam, habita ventriculi consideratione tractavimus, curavimusve.

SCHOLIA.

Morbus hic melancholia dici meretur, canino appetitui complicatus. Qui am- E *bo à succo atro originem trahunt, ab acido autem succo, hoc est, pituita acida, veluti atra bile, aut verius succo dicto melãcholico, acerbo, frigido, adstringente, comprimenteve, caninum appetitum etiam incitari, non raro Galenus inculcat, ut apud eum legimus, lib. de symp. causis, quarto cap. 7. & 2. aphor. enarratione 21. non ob hoc tamen cum Avicenna, & cum sequentibus, in errorem labamur, credentes, quod succus melancholicus à liene ad ventriculum derivatus, famem, & appetentiam naturalem excitat, quum hoc falsissimum sit, & contra Galeni veram doctrinã. Ait nanque Gale. lib. de usu part. 4. cap. 15. & eiusdem voluminis libro 5 cap 4. Per venosum quendam meatum, aut breve quoddam* F *vas, lien in ventriculum succum melancholicum eructat, transfunditve, ut ventriculi omnes functiones, quæ constrictione quadam conficiuntur, sua saporis qualitate, acerba, & acida, ac adstringente, roboret, ac inde ne cibum ante exacte confectum, concoctumve, el abi sinat. Cæterum cum hæc appetentiam caninam patitur, non ab re est si de ore ventriculi conqueratur, circa quem morsus & rosiones continuas sentire tradit: refert nanque Galenus libro quarto de symp. causis, capite 7. simili in casu, circa os ventriculi, in quo appetentia fit, dolores, & animi defectus, cardialgiamque fieri, veluti per consensum, in capite morbum comitialem, & gravem soporem, & non raro delirium.*

G

Curatio 38. de ictero affecto ægroto, qui non raro gravi torquetur dolore circa intestinum duodenum, alijs cum symptomatis.

H IVvenis, qui ab hinc triennium ictero morbo, lienis cum duritie laborat, sæpe per intervalla prope os ventriculi ingentem percipit dolorem, ut ego coniecto, in duodeno, & ieiuno intestino: sed tunc dolore cum corripitur, horrore afficitur, quem postea sequitur febris, quanquam aliquando horrore ingẽti cum febre corripiatur, absque dolore aliquo: cæterum quod dolor hic duodenum & ieiunum intestinum occupet, vel ex hoc patet, quia infima

infima in parte oris ventriculi eum percipiat, sentiatve, quo in loco duodenum intestinum sedem habere, nemo est qui dubitet. Secundo, quia meatus bilem deferēs huic inseritur duodeno, ut ex Galeno docti evadimus, libro 2. de temp. cap. 8. & 5. de usu partiū, cap. 3. & 13 Metho. med. lib. cap. item 13. quanquam interpres Linacer infeliciter locum illum interpretatur, cum dicat, & meatus qui ad ieiunum pertinet, sit apertus; cum rectius locus ita legendus sit, & meatus, qui in ieiunum bilem demittit, sit apertus: non enim Galenus vult meatum hunc ad ieiunū pertinere, ut ei inseratur: sed tantum, ut per eum bilis suggeratur, immitaturve: à duodeno enim intestino in ieiunum per eum meatum bilis cadit: quia duodenum intestinum in orbes & anfractus non convolvitur; qua ratione multi duodenum inter intestina non connumerant, ut meminit Gale. lib. 6. de locis affectis, cap. 2. & latius lib. 6. Anatomicarum administ. ut liquido evadat, bilis hunc meatum non ieiuno: sed duodeno, aut exorto inferi intestino, unde Avicennam in hoc errare, qui fen. 13. libri tertij contrarium dicit, manifestum est, ut ante nos viri doctrina, & eloquentia eminentes literis mandarunt. Receptui igitur canentes, dicimus, consequens esse cum tāto bilis fluore per meatum hunc, magna eius copia per intervalla defluat, ex qua dolor ipso in intestino duodeno consequatur, ob quem dolorem spiritus contristantem, & bilem putrescentem, horror cum febre consurgit, pletunque viginti quatuor horas non excedens, aliquando tamen bilis confertim, ac subito extra propellitur, unde horror cum ipsa febre absque dolore ullo evadit, & tūc accessionis die, cum dolore vel sine dolore, lotium biliosissimum apparebat, & oculi crocei, quāquam toto morbi cursu etiam eiusdem coloris essent. Cæterum ut hunc iuvenem à tanto morbo, fœdationeve liberaremus, postposita bilis illa per universum corpus effusione, quod sympto-

A ma appellamus, in mētem venit, huic omnia hæc mala evenisse, ob expultricis vesicæ bilis receptricis imbecillitatem: ad intestina nanque expultrix facultas bilem propellebat, unde dolores illi gravissimi, & symptomata citata consequebantur, testabatur hoc urina biliosissima, stercus album, nulla ad dextrum hypochondrium gravitas, & alia: proinde universus noster conatus, eo dirigebatur, in excretrice roboranda facultate vesicæ bilis receptri-
B cis, tam medicamētis intus assumptis, quam foris applicitis, quibus nihil memoratu dignum consecuti sumus, sed perinde ut primo, ægrotus mansit. Tractaverant namque ante nos, medici ægrotum hunc, quem tanquam ab obstructione laborantem curarunt, sed absque fructu ullo, putabant namq. ij meatum, quem diximus, ad intestina derivatum, obstructum esse, quum re vera laxior, quam oporteat sit.

C *Curatio 39. de quadam gravi pleuritide, simulque de morborum temporibus, & in eis vario præbendo victu.*

RODostan Chilibi, Turca nobilis, robustus, & optimi habitus, annos natus quadraginta, temperaturæ optimæ, vigente hyeme, & flante borea, pleuritide male affectus fuit, graviter nanq. superiores costas dolebat, dolore quidem non admodum acuto, punctilive, sed brachium dextra cum
D manu prælendente, gravanteve, quibus difficulter spirabat, & continuo febriebat, & tussiebat, sed nihil excreabat: ad quem vocatus quarto die, eum ita ut dixi pati inveni, non egerebat, non expuebat, neq. vacuationem aliquam habebat, totus constrictus erat, & nihil fere gustabat: intensissime tamen sitiebat, cum quibus vires utcunque constabant, indicia sane attestātia humorem peccantem crassiusculum esse,

esse,& coctioni ineptum,& rebellem,
proinde excretis intestinorum excre-
mentis ab iniecto clysmo,illico dolen
ti loco vesica bovina anodyno fomen
to semiplena applicita fuit,quo perin-
de dolor erat, & ut antea persevera-
bat:tunc vero eiusdem dolentis lateris
anxillaris cubiti vena secta fuit,& san-
guis missus ad uncias decem,à qua san
guinis missione, dolenti loco sacculus
ex furfuribus aceto primo irroratis,&
in sartagine ad focum exiccatis,modi-
co cum sale admotus fuit, & pro victu
ptisanæ cremor saccharo apparatus
oblatus,qui & per intervalla syrupum
de glycyrrhiza modico cum oxymelli
te lambebat:hoc etenim ordine septi-
mo die excreare cœpit, sed parum, &
consideratione indignum, quo in die
iterum ex cubiti secta vena totidem
sanguinis unciæ extractæ sunt, cuius
beneficio liberalius excreare cœpit,
viscida & sanguinolenta,& tunc ex un
guento anodyno pectorali locus dolo-
ris fovebatur;pro quo propulsando do
lore omnia,quæ illi offerebantur, tepi
da erant: nam in potu hordeaceam a-
quam incoctam pauca glycyrrhiza ha
bebat:sic enim gravibus cum sympto
matis, ad nonum usque incessit, post
quem, sputum multum substantia &
colore meliorem remittebat: instabat
autem iam tunc morbi incremētum,
tunc vero die duodecimo Ægyptiacæ
cassiæ atramentum exceptum decocto
pectorali illi dedimus, quo recte purga
tus fuit,à quo die liberalius ex ptisana
illi elargiebamur, mitiora nanq. symp
tomata erant reddita: sic enim hoc or-
dine ad 27. diem progressus,paulatim
mellicratum bibendo, quandoque ve-
ro lambetivum de pino,aut sanum ex
pertumque dictum,ex toto liber & sa-
nus evasit.

SCHOLIA.

Qvum Turcam nobilem hunc tractarem,
curaremve, memoria occurrit Abderi-
tanus Anaxion pleuriticus, cuius Hippocra-
tes morbum describit, lib. 3. de Morbis vulg.
E *& alibi, qui ad 34. diem perduravit, huic*
vero, de quo agimus Turca, pleuritis prorro-
gata fuit ad 27. diem, pro quo scire licet, quod
omnis morbus quatuor habet tempora princi
pium, augmentum, statum, & declinationem,
modo morbus materialis sit, salubris, & qui
per concoctionem maxime terminatur. Nam
morbus lethalis, quovis tempore interficere
poterit, scilicet vel initio morbi, vel eius in-
cremento, vel vigore: salubris nanq. morbus,
tametsi natura sua quatuor sit natus habere
tempora: aliquando tamen evacuatione ali-
qua excreta intercipi poterit, & mutilari,
vel in ipso initio vel augmento, vel statu, ut
meminit Gal. libro de optima secta ad Thra-
F *sibulum. Advertendum tamen, quod morbi*
ij, qui in suo vigore crisim unicam exactam,
& completam habent, declinatione carent,
ut memoriæ commendavit Gal prędicto libro
ad Thras. & ratio ita esse quoque suffraga-
tur, quoniam si vacuatione ab artifice facta,
morborum tempora intercipiuntur: á fortio-
ri, ea quoque intercipientur quando materie-
rum excretio completa, & ut decet, necessa-
ria, à natura facta fuerit. Fiunt autem crises
exactæ, & perfectæ in morborum statu, unde
quoties morbi humores vitiati, ex toto depul
si & vacuati fuerint, æger in statu liberatur,
& tandem morbus declinatione carebit, ut
quoque Aetius sermone quarto suę medicinæ
cap. 19. non præterivit, & nos cum de Crisi
verbum fecimus, memoria commendavimus:
G *intelligi igitur debet axioma hoc. Morbus*
quatuor habet tempora, modo materialis sit,
salubris, & qui per concoctionem maxime
terminatur: morbus nanque, qui unica absol-
vitur crisi, exacta, & perfecta declinatione
caret. Cęterum in declinatione universali,
ęgrum mori, impossibile est, in declinatione
tamen particulari, hoc est, alicuius paroxys-
mi ægrotos mori sępe contingit, ut memoriæ
commendavit Gal. libro 3. de Crisibus, & ali
bi. In universalibus nanq. morborũ declina-
tionibus neminem morbi ratione mori, vel ex
hoc clarum evadit, quia natura in morbi sta-
tu, & vigore, victrix evasit, quia non solum
restitit vehemētiori morbi conatui, sed ipsum
H *quoque superavit, & oppressit, unde fieri non*
potest, ut deinceps succumbat, si modo error
non committatur aliquis, in accessionum ve-
rò particularium declinationibus multi mo-
ri sæpe visi sunt, quia naturæ vis imbecilla
erat, quæ in principio accessionis, augmento,
& statu perdurare valuit, quum scilicet, ad-
huc habitus ipse in unum collectus contineba
tur; tempore verò ipsius declinationis à cen-
tro ad extrema, calore retrocedente, spargi-
tur,

tur, atq; dissolvitur. Cæterum scire licet apud Galenum morborum hæc citata tempora tripliciter accipi, & distingui, uno modo penes cõcoctionem, & cruditatem succorum, de quo libro de Crisibus, & de totius morbi tempori bus, & alibi non raro loquitur. Alio modo penes symptomatum magnitudinem, & sævitiē, de quo, libro aphoris. dixit, præcipue enarratione illius aphor. circa principia, & finem omnia imbecilliora, circa statum omnia fortiora. Tertiò modo, pro dispositione, sive essentia ipsius morbi, de quo tertio libro de ratione victus in morb. acut. ut paulo inferius indicabibus, locutus fuit. Distinguitur igitur morborum tempora penes tria, videlicet, causam morbi, ipsius symptomata, & morbum ipsum, sive dispositionem morbi, quæ tempora sæpe coincidunt. Nam in pleuritide antea quam ægrotus spuere incipiat, status quo ad dispositionem, & quo ad symptomata, conveniunt, & simul fiunt, quia eo tempore maxima vigent symptomata, & inflammationis tumor maximus, quæ cum ægrotus ipse spuere cœperit, & symptomata, & tumor imminuuntur, ut docuit Gal. enarratione 62. commentarij tertij, in lib. de ratione victus, in morb. acut. ad hunc modum inquiens: coctis siquidem qui affectum progignunt humoribus, confestim ægroti excreabunt, quod si qualia oportet solum expuere cœperint, in neutro adhuc modorum, neq; affectu, neq; in symptomatis morbus augebitur, & paulo inferius ita quoq; prædicta firmat, cum ait. Sæpius autē mutuis exultant incrementis, & decrementis symptomatum magnitudines, & ea quæ affectionis est, fitq; id in his phlegmonis, in quibus pus effluit, quod iam est confectum, ut in vulneribus quibusdam fieri consuevit, & in peripneumonijs, pleuritidibusque. In quibus verbis, ea quæ diximus clarè Gal. exponit, quæ in enarratione statum affectionis sive dispositionis, & symptomatum varijs contingi temporibus dixit, hoc sequenti modo. Nam sæpius affectio ipsa, qua laborant, mitior quidem existit, sed symptomata augentur, ut in phlegmone obsessis particulis, quo ipse Hippocrates inquit modo, cum pus conficitur, tunc dolores & febres fiunt magis, quàm cum factum fuerit. In quibus verbis Gal. tradit, circa generationem saniei augmentum fieri quo ad symptomata, quo ad affectionem vero imminutionem. Est autē affectio, quam tunc ægrotus patitur, phlegmone, sive tumor præter naturam, quem apud saniei generationem imminui tradit. Cuius contrarium videtur asserere libro illo, cui titulus est, de totius morbi tempore, cum de inflammationis tēporibus agit. Pro qua diluen-

A da dubitatione simulque pro hac alia, an quatuor morborum salubrium universalia tempora coincidant cum quatuor symptomatum temporibus, an aliqua ex parte differant, scire licet, quod symptomatum, quædam sunt propria, & inseparabilia, Græcis, pathognomonica dicta, quæ vera & indubitata morborum signa sunt: alia vero communia sunt propria autem sine inseparabilia, verbi gratia, in pleuritide, sive phlegmone occupante succingentem costas membranam, sunt tumor, rubor, dolor, febris continua, pulsus serrinus, tussis, & respirationis difficultas. Communia vero prædicto in morbo erunt sitis ingens, vigiliæ, capitis dolor, delirium, phrenitis inquietudo, fluxus ventris, & huiusmodi alia. His

B præscitis, dicamus, quod tempora symptomatum propriorum, & inseparabilium, semper coincidunt, cum temporibus desumptis à morborum salubrium dispositione, & ratio est, quia symptomata hæc pathognomonica dicta, morbum concomitantur ut umbra corpus sequitur, & si morbus bene habet, & ipsa mitia, & levia evadant necesse est: unde fit, quod morbus salubris quo ad suam essentiam sive dispositionem, mitior sit in augmento, quam suo principio, & in statu longe mitior & securior, quàm principio & augmento. Porrò si contingat in statu propria hæc symptomata plusquam in principio invalescat, & graviora fiant, quod sæpe evenire observamus, &

C Gal. innuere videtur enarratione illius aph. circa principia, & finem omnia imbecilliora, circa statum omnia fortiora; dicamus id non proprie, & per se, sed per accidens contingere, ut ab eodem Galeno quoque percipitur aphorismo illo. Dum pus conficitur, dolores & febres magis accidunt, quam eo facto: ob commotionem enim & agitationem à calore factam, in phlegmonis materiam spiritus, sive flatus gignitur ex quo particula magis distenditur, & solutio continui maior evadit, ex qua quoque ebullitione, præcedenteque agitatione, cor magis convalescit, & consequenter

D universum corpus: unde febres, & symptomata reliqua graviora evadūt, quæ cum propria antea dicebantur, iam communia & tempore fiunt, & talia dici merentur, quia in communium symptomatum naturam transfugerunt, & hoc modo dixit Gal. libro de totius morbi temp. tumorem in statu maiorem esse, cum tamen re vera, minor sit, ut ex eius citatis à nobis verbis, è libro de Ratione victus in morb. acutis, clarum evadit. De symptomatis vero communibus nunc sententiam feramus, dicentes, quatuor tempora, secundum symptomata, quandoque cum quatuor morborum temporibus

poribus coincidere, quandoque vero non: coincidunt autem quoties morbus crisi absolvitur unica, ut in causone, tertiana continua synocho & quandoque pleuritide, quæ non raro quoque unica absolvitur crisi, ut sudore, fluxu ventris sanguinis per nares fluore, & aliquando per urinam, ut ijs in Centurijs, me dixisse memini. Cæterum non coincidunt horum symptomatum tempora, cum morborum temporibus, quoties morbi non habent crises subitas, sed in ipsis potius morbis materia paulatim coquitur, & paulatim excernitur, ut quotidie in pleuritide fieri percipimus, veluti peripneumonia, lippitudine, & alijs varijs morbis in quibus tunc status cum declinatione coincidit, & principium morbi cum statu, quia status morbi coincidit cum levi declinatione, & principium morbi sævum coincidit cum statu symptomatis. Hæc autem ita esse percipitur ex ijs, quæ à nobis sunt dicta, curatione 28. de quodam Romano habita, in qua diximus, Hippocratem pleuritide affectos uberius in statu cibare, quam principio vel augmento: unde temporum divisionem à symptomatis diversam haberi ab ea, quam à morbi temporibus desumimus, certum est, & per consequens triplicem illam temporum considerationem necessariam esse, liquido evadit, quam fusius, commentarijs nostris, quos in Avicennæ fen. quartam libri primi scriptos reliquimus, enarravimus, & eos in Anconitana direptione nostra amisimus, ob quos tãtum deperditos commentarios parum absuit mihi evenire id quod duobus medicis evenit, quorum Galen. lib. 2. de comp. med. per gen. meminit, ex quibus unus ob scriptorum suorum amissionem interitumve, contabescens perijt. Alter vero desperatus, propter similem causam à rebus medicis destitit.

Curatio 40. de febre tertiana, quæ postea degeneravit in continuam malignam, & male morigeratam febrem.

DAVID Naamias ex Monasterio oriundus, juvenis annos natus viginti, optimo habitu, & temperatura biliosa præditus, post longum confectum iter, in febrem biliosam lapsus est; prioribus nanque duobus

E diebus, duplex tertiana cum invasit, singulo nanque die singula accessione corripiebatur, à qua ut medicus assistens refferebat, mundus evadebat, dein vero, ab epoto Ægyptiacæ cassiæ attramento febris in continuã degeneravit, continuo nanque à febri ægrotus affligebatur: ad quem vocatus ipse, septimo ægritudinis die, ut qui pessime haberet, ipsum continuo febriẽtem, & soporosum inveni, ad hæc lotium crassum, rubrum, sed turbatum valde, pulsum vero utcunque constantem. Cæterum ad ea quæ illi offerebantur

F mediocriter se habebat; porro hic prioribus quatuor diebus vigil erat, sequentibus vero caro, subet Arabis dicto, detinebatur, quibus multa effutiebat, & delirabat, quorum causa illi sanguinem ex brachij curvatura extrahere proposueram: Sed ecce, natura ex se provida, tanquam artis invida, eodem septimo die multum sanguinis per nares transmisit, & forte ad uncias quatuor, quæ sanguinis quantitas sufficiẽs cum non esset, pro tanto amolliendo, domandove morbo, accersito chirur-

G go, basilicam aut communem venam aperire decreveram. Cæterum cum sinistre chirurgus basilicam tunderet, in sequentem diem sanguinis missio procrastinata est, quo in die cum basilica, & communis vena minus bene apparerent, & exterior, cephalica dicta, tumens esset, ex ea secta sanguinis uncias octo fluere permisi. Erat autem sanguis floridus, rubicũdus, siccus, absque serosa humiditate aliqua, tunc nanque ut dixi, plus iusto dormiebat hic,

H & omnes ferè, qui tunc simili morbo corripiebantur, profundiori somno oppressi, moriebantur: vesperi vero universum eius corpus pulicari symptomate plenum conspeximus: erant autẽ exanthemata rubricantia, tunc scapulis, & cervici quatuor cucurbitulæ cute primo secta affixæ sunt, & octo aliæ absq. scarificatione paulo inferius iuxtà spinam, & nates admotæ, quibus melius habere visus est, sed brevi pulsus imminuti sunt, immo sinistro in

brachiali,

brachiali, arteriarum pulsus non perci A
piebantur, & urina subiugalis turbida,
& crassa perseverabat, quo in tempo-
re, infuso uno, vel altero, levi tamen,
alvus irritabatur, & decoctum cōfectū
ex tamarindis, hordeo, floribus cordia
libus, cichoreo, endivia, buglosso, pru-
nis pinguibus, ac seminibus melonis
bibebat, & eius capiti oxyrrhodinum
exiguo oleo constans admovebatur, sæ
peque innovabatur, & frictiones cruri
bus, & brachijs exercebantur, ab assi-
stentibusq. irritabatur, & naribus spon
giola aceto imbuta applicabatur, unde
cimo vero pessime habuit, ut tūc eum
mori omnes crediderint, duodecimo,
urina sequestrationem præ se tulit nō-
nullam, & arteria metacarpij sinistri à
digitis nostris percipiebatur; tūc illico
hoc die sequens pharmacum illi dan-
dum properavimus, quod habet. R. flo
ris cassiæ noviter extracti, drach. quin
que, rhabarbari optimi drac. unam, &
alterius mediā, diacatholiconis drach.
tres. Excipiātur omnia decocto supra-
dicto, & fiat haustus unus, quem bibat,
& supra dormiat; hoc etenim pharma C
cū contulit, & ipse ægrotus recte tulit,
ut qui in dies melius semper habuit,
multa nanq. excrevit. Cæterum quum
iam resipisceret, de gutture cōquestus
est, quod cum introspicio, tonsillas ul-
ceribus male affectas comperio: ingēs
autem error fuit, usq. ad id tempus, hu
ius fauces non conspicere, proinde so-
licitus sit medicus oportet, ut in mul-
tis, ita circa duo hæc, præcipue: quādo
ægrotum maligna & male morigera-
ta febre laborantem tractaverit, pri-
mum ut fauces ægrotantis sæpe adver
tat, perspiciatve; secūdum, ut scapulas D
thoracemq. consideret, quum ut in il-
lis ulcuscula sæpe contingant, ita in ijs
non raro exanthemata pullulent, por-
rò huius ulcuscula, per dextrum chi-
rurgum Isachū Calvum tractata, bre-
vi sanata sunt, & ægrotus ipse ex toto
liber, nobiscum autem in hac cura-
tione fuit Simeon Biton Medicus
doctus, & Mathematicus
non vulgaris.

SCHOLIA.

IIS in febribus pestilentibus malignis, & male morigeratis, vigilia sæpe evenit quā postea consequi solet sopor, forte partium re- pertarum in humoribus varietate, ab ignea nanq. subtili, squalidaque humorum particu- la, vigilia fit, quæ cum resolvitur, crassiuscu- la frigidiusculaque evadit, & consequenter somnum conciliat, quanquam ijs in febribus non raro aliter somnum introduci dixerimus, ob frigiditatem scilicet introductam, à calidi- tate ingenti, innatum calidum lancinante ex- tinguenteve; quæ frigiditas difficulter cura- B tionem recipit, admittitve, ut Gal. docuit, li- bris Epid. & nos curationibus in hac Centu- ria citatis, fusius patefecimus.

Curatio 41. de morsu canis rabidi inflicto, & post tertium elapsum mensem, pullulante, dirisve symptomatis affligente.

VXOR Samuelis Capuani, mulier
virago, quum ex cubili quandoq.
surgeret, à cane domestico, sub lecto
abscōdito, in pede sinistro commorsa
fuit, abscondiderat se autem canis hic,
quia commorsus ab alio cane fuerat,
cæterū hæc canis morsum parvifaciēs,
vulnus accersita muliercula una vel al
tera, brevi curavit, clausit, & ad cicatrī
cem traxit: porrò elapso tertio mense,
hæc cū extra domum exiret, pes in quo
inflictus morsus erat, inflatus est, &
noctu cum dormiret, forte marito præ
sente, ingenti pavore tremoreve perci
tā se polluit; à qua hora rabidi canis
venenū deoccultari cœpit, & ipsa gra-
vissimis symptomatis tētari: tremebat
autem, & angustiabatur, & quod magis
mirari est, satyriasi, & ingenti coeundi
desiderio premebatur, sed tertio die in
aquæ metum ingenti cū siti incidit, ad
quā quarto die vocatus ipse, noto hanc
vere viraginē, hac lugubri, tristi, & mi
seranda affectione tentari; corripive:
nam cū antea sæpe de cane rabido, &
ab eo commorsis, multa & varia lege-

ram, nunquam tamen, ut ingenue fa-
tear, à cane rabioso demorsum homi-
nem curaveram, tractaverâve, magna
diligentia, immo admiratione ingenti
apud eam manebã, persistebâmve: cog
noverat autẽ vulgus, ob symptomata,
præcipue ob aquæ metum, miserrimũ
morbi genus, à morsu canis rabidi or-
tum traxisse, quẽ rabiosum esse, antea
non noverant. Cum igitur experiri de
morbo deq. ipsa ægrotante ego cœpis-
sem, omnia prædicta noto: cæterum cũ
aquam afferre coram jussissem, Deus
bone, Deus sancte, quanto tremore,
quanto eiulatu, & quantis angustijs op
primebatur, & toties, quoties illi aqua,
aut liquor aliquis offerebatur, aut ex
accidenti eam videbat, & forte hac de
causa, omnes è cubiculo, ingenti tre-
more, torvo quodã visu, levatis mani-
bus, rejiciendos curabat, me autẽ inter
cæteros accersibat; quæ mente semper
constans cum fuit, & iudicio singulari
prædita, morbum & eius originẽ cita-
bat, narrabatve, sed inter cætera, ingen
tem tentiginem, cũ seminis emissione
pati inculcabat, adeo ut intra diem tri
gesies semen cũ titillatione emitteret,
indicium sane miserãdum, & lethale,
convulsionem arguens, quod Avicen-
na præ cæteris memoriæ commenda-
vit, ob quod simulq. ob aquæ metum,
prædiximus hanc brevi morituram.
Obijt autem post aquæ metum tertio
sequenti die, ita ut sex vel septem, om-
nes fuerint dies post morbum deoccul
tatum: obijt autem tota algida, gelido
sudore respersa. Cæterum & si morbũ
insanabilem cognorimus, non desti-
timus tamen, à remediorum exhibi-
tione necessaria, convenienteve, iuxta
illud Vergilij.

Ne quid intentatũ frustra moritura relinquat.

Qua de causa, primo ex saphena pedis
à cane morsi, sanguis juxta Pauli, &
Avicennæ doctrinam, extractus fuit,
& clysteres iniecti, & electaria cordia-
lia propinata, & cantharides uni vel al
teri electario immixti, quibus multum
meiebat, immo, bis vel ter, per vas stri
cti orificij aquã ebibit. At quum mor-
E bus superaverat naturam, & cordis ar-
cem iam occupaverat, brevi eam interf
fecit, si autem morsus initio hæc cura-
ta esset, & ex cancris antidotum acce-
pisset, proculdubio, in obitum non ve-
nisset. Advertant igitur, qui canũ mor
sus curare aggrediuntur. Porrò ex can
cris antidotum, & eius veram, exquisi
tamve præparationem, ex nostro pete
Dioscoride, cuius racemationes, octa-
vam, nonam, & decimam centuriam,
complebunt, ut magno radicisecæ Se-
nensi satisfaciamus.

F SCHOLIA.

*ICTA fuit mulier hæc à cane rabido, illi ob-
viam non veniente, sed ex occulto eam mor
dente, ferienteve, quæ postea elapso trimestri,
aquam & humidi omne genus abhorrebat,
timebatve, unde mea sententia, argumentum
efficax desumitur, hydrophobiam sive aquæ
metum non fieri, quia cum sic rabie affecti, a-
quam intuentur, spumæ ex ore canis rabidi cæ
dentis recordantur, quum in hoc cane nulla ap
paruit spuma, nec læsa mulier, ullam vidit, sed
ex occulto canis rabidus eam ferivit, momor
ditve, proinde efficaciorem causam quærant
oportet, qui tali responsione contenti, evase-
runt. STOPIVS. Quam igitur ô Amate, cau-*
G *sam aquæ metus putas? AMATVS. Ego cum
Paulo, & Ruso, viro in arte medica longe
exercitatissimo, experientissimoq. & cui Ga-
lenus multum tribuit, dicam, neque amplius
inquirendo, fatigabor: ita enim Paulus libro
quinto suæ medicinę, capite tertio ait, metum
aquæ nonnulli ex immodica fieri siccitate di-
xerunt, quasi humida ipsorum substantia, in
contrarium penitus habitum mutata. Verum
Rufus talem melancholię speciem, ipsis obori-
ri pronunciavit, veneno humorem illum imi-
tato, quemadmodum alios melancholicos no-*
H *vimus alia timere, quæ causa supervenit etiã
ijs qui dicunt, canis qui momorderit imagi-
nem in aquis opinari se videre. STOPIVS.
Arrident sane hæc, nec ut puto prolixiori
investigatione inquirenda sunt, ut qui Avi-
cenna eis quoque subscribat, & ex Galeno
decerpta sint libro de Theriaca ad Pisonem
folio Trincaveliano, 1081. in quo theriaces
juvamenta prosequitur, & ita habet. Aquæ
pavorem, morbum pessimum, hoc medicamen
tum sæpe tollere consuevit, & mirabiliter tã-
torum malorum concursui resistere: non enim
corpus duntaxat ipsis marescit, & cõvellitur
interdum,*

interdum, febrique acri intus uritur, sed ani-
mus etiam delirat, & gravissimum ipsis af-
fert symptoma. Quippe aquam timent, ac prop
ter multam siccitatem humidi tenentur desi-
derio, & potu abstinent, quia mente alienati,
id quod auxiliari possit, non considerant, fu-
gientes enim aquam paventesque miserrimo
mortis genere intereunt. AMATVS. Corda-
tè hæc a te, ò Stopi, Galeniana sunt adducta,
Cum ex eis Paulus, & Avicenna, cæterique
posteriores, suos in hoc negotio impleverint
cantharos, immò si rectè teneo, Galenus ci-
tato a te loco postquam methodicos carpit, ut
qui morborum causas negligant, medicum ra-
tionalem philosophum causarum investiga-
torem laudat, & fœlicem ægrotum dicit,
qui ad eius pervenerit manus, hoc modo.
Nam huiusmodi medicus rationalis, eo qui
commorsus est, suscepto ægroto statim accu-
rate perquiret, qualis nam canis fuerit, qui
ipsum momordit. Si enim audieris gracilem
corpore, siccum, oculis rubentibus, cauda de-
missa, spuma ex ore fluente, præterea lingua
foras porrecta, & tanquam bile colorata, ob-
vium quemque insiliisse, citraq. rationem cu-
currisse, dein rursus subito consistentem, cũ ira
quadam magis furenti, non ipsi prævisos mo
mordisse: hæc inquam si in eo sic habere audie-
ris, statim rabiosum canem fuisse intelliges;
itaque vulnus haud simpliciter, quemadmo-
dum Methodicus curabis, sed confestim ipsum
etiam amplius efficiejs, carne multo interval-
lo orbiculatim præcisa: ne facile ad cicatricẽ
perveniat, sed foramen, diu, minimum quadra
ginta diebus patescat, ut per hoc canis virus
emanet. Cauteriis igitur admodum candenti-
bus locum adurere solemus, & aliis uti medi
camentis, quæ extrahendi vim obtinent, nec
virus intra carnem manere sinunt, & cetera
quæ huic rei multum favent. STOPIVS.
Percepisti ne ò Amate, mulierem hanc, ca-
nis imaginem, aut catulorum effigiem in aqua
vidisse? AMATVS. Nequaquam, aquam
tantum, forte prædictis de causis metuebat,
siti nanque ingenti, & aquæ metu cruciaba-
tur. Quibus oppressa, in angusto spes erat, ut
brevi postea diem suum obierit. STOPIVS. In
huius lotio comparebant ne corpuscula cani-
culos referentia? AMATVS. Non, immo hu-
ius lotiũ optimi coloris erat, in quo subsistens
pseudonebula conspiciebatur, sed cum prope
obitum esset, in eo tanquam atomi in radio so-
lis conspecti, à me sunt notata corpuscula, quæ
ego renum & corporis substantiam dicebam.
STOPIVS. Miserandam tentiginem, & semi-
nis multam illam emissionem, in hoc casu ad-
miror, contemplorve. AMATVS Meritò, ut

A quæ rarò eveniat: si quandò tamen evenire
contingit, eam ex cõvulsione seminalium vas-
culorum evenisse, credendum est, quam Avi-
cenna quandoque vidit, & notavit, sed ex
Galeno scriptis mandavit: utcunque tamen
sit, indicium hoc lethale est, & mortiferum,
veluti aquæ metus, ut dixerint sapientes. Is
cui aquæ metus ex morsu canis rabidi conti-
gerit, nunquam superstes evadet, ex quibus
unus Apollonius Pergamenus appellitatur:
si tamen aliquando unus vel alter aquam ti-
mens supervixit, talis non à cane rabido hy-
drophobiam contraxit, sed ab homine lympha
to quodam modo vitium adeptus est, ut Pau-
lus memoriæ tradit. STOPIVS. Quid audio,
homo ictus à cane rabido rabidus factus, a-
lios si momorderit, rabire facit? AMATVS.
Immo. STOPIVS. Audieram aliquando, ani-
B mantes ictos morsu canis rabidi, in rabiem agi
omnes, præter hominem. AMATVS. Hoc
falsum esse, Leonicenus priscæ medicinæ in-
staurator acerrimus, libro illo, cui titulum
fecit, de Plinij & aliorum medicorum erro-
ribus, iamdiu patefecit, parum advertente
Camotio, viro alioquin docto, in eis marginali
bus annotatiunculis, quas Paulo Aegineta
Venetiis Aldi formulis excuso, anno 1554.
affixit, ictum nanque quodcunque sit animal
morsu canis rabidi, rabidum evadit, sed homo
præ cæteris animantibus tardius in rabiem
venit, ut aliquando post septennium visus sit
homo à cane rabioso ictus rabire, ut testatur
Dioscorides, & alij non negant, post tertium
autem annum, hic Thessalonice hominem à
C cane rabido morsum in rabiem agi, vulgus vi
dit, & testatur. STOPIVS. Præter canem,
alia ne animantia in rabiem veniunt? AMA
TVS. Maxime, lupus, Adib, á lupo, animal
diversum, ut nobiscum quoque Avicenna
innuere videtur, cap. 5. fen. 6. libri quarti, in
quo agit de morsu canis rabiosi: cattus, vul-
pes, mustela, leo, simia, equus, mulus, & came-
lus, quem ego hic Thessalonicæ rabire vidi, &
varia alia animantia, quæ non raro rabiunt,
ut Galenum non parum admiremur, qui li-
bro sexto de locis affectis, cap. quinto dicat, rè
liquorum animantium nullum rabie affici,
D præter canem, quod falsum esse omnes norunt,
non minus quam sequens ab eo dictum, vide-
licet canis rabidi sputum si humanum corpus
contigerit, rabiem excitare posse: nos verò sci
mus sputum rabiosi canis, si sanguinem non at
tigerit, exterius applicitum nihil obnoxij in-
ducere posse. Cæterum miserrimi huius morbi
curationem, utpote paratu facillimam. Corne.
Celsus prosequitur libro quinto suę medicinæ
cap. 27. Qui huiuscemodi affectos, in aquas

immergendos iubeat. Ex Antidotis vero præstantissimis, quod ex cancris conficitur, & nos proprio capite in nostro descripsimus Dioscoride, primatum obtinet. Porrò mulier hæc quum liquidum omne metueret, solidum comedebat Sed iam nunc, nunc, cum hæc commentamur, elapso mense, ab obitu huius mulieris, eius ancilla quadragenaria, ab eodem cane commorsa, in obitum venit, eisdem symptomatis, eodem eiaculatu & eadem miseranda rabie, ut etiam ultimo homines persequeretur, obijt autem ut hera sua, post morsus elapsum tertium mensem, sexto die, post discoopertum morbum, & symptomata flagrantia. Cæterum paucos dies postea iuvenis robustus à cane demorsus brevi suum diem obijt, ut iam omnes hic de canibus conquerantur, & omnes rabidos esse dicant: Alamanus tamen, qui per urbem libros venditat, à cane ictus in crure fuit: sed meo consilio cum vulnus ad multos dies adapertum habuit, supra posito medicamento. quod linteolis concerptis excipitur, emmoton Græci vocant, & vim ex alto attrahendi habebat, evasit.

Curatio 42. de duobus pleuritide laborantibus, in quibus febres prius defecerunt, quam dolores, & quod materia, quæ per excreatum reijci deberet, per secessum vacuata fuit.

NEpos Eben portæ, & socrus Iacobi Navarri, pleuritide gravissima epidemiali laborarunt, quibus febres prius defecerunt, dolore adhuc manente perseverãteve; an forte quia crassior spiritus locum inflammationis debilẽ occupavit, unde distensio, & continui solutio fit, & consequens dolor, brevi tamen exoletus: cæterum huic mulieri ea, quæ per os rejicienda erant, per secessum eiecta sunt, sanguinolenta, viscosa, & nonnulla citrina, forte quia ad iuta potu attramẽti ægyptiacæ cassiæ, natura ad intestina materiam derivavit, unde postea per secessum eiecta est, unde factum est, ut mulier hęc sexaginta fere annos nata, quinto die, plus solito gravata sudare cœperit, & septimo E tandem per sudorem copiosissimũ ex toto liberata.

SCHOLIA.

QVomodo ea, quæ sunt in thorace per secessum, & quę in pulmonibus continentur, per lotium, aliquando remitti contingat, brevi sed docte explicuit Gal. cum alibi, tum libro de locis affectis 6. cap. 3. prope finem, ut nos quoq. litteris quandoq. mandavimus, porrò febrem in pleuritide prius deficere manente adhuc dolore, minus malũ esse, quam si contrario contingat, aliàs dixi: id quod & nunc ita rem haberi, experientia attestatur.

F *Curatio 43 in qua agitur in tertiana exquisita, absynthij infusum, recte dari posse, cum Galeno, adversus Alexandrum Trallianum.*

DEmetrius vir Nobilis Græcus, & ex ijs, quos Græci vulgo κυρίους, id est, dominos appellãt, exquisita tertiana, ventriculi cum imbecillitate, laborabat, pro qua propulsanda, cum omnia frigida G humentiave huic daretur, admoverenturve: ecce concoctione apparente, medicus quidam infusum absynthij syrupo acetoso mixtum, ebibẽdum ægroto proposuit, eo nanq. morbum facile absolui contestabatur, adducebatque Galenum ita huiuscemodi tertianas curare, libro Artis curat. ad Glau. qui hunc in modum docet; Vrina vero potionibus, in quibus apium, aut anethum maduerunt provocanda, H & si tibi coctionis signa monstrantur, iam cum fiducia aliquid absynthij potes exhibere, quod alioquin summum est stomachi remedium, ubi bilis infestaverit, si præsertim ex ipsius coma quantum sufficiat, accipiens mel licrato intinxeris. Quibus Galeni verbis favent ea, quæ Oribasius libro 14. suorum collectorũ, cap. 49. scripta reliquit, in quo, de ijs quæ urinam cient, agit, & ita habent. Absynthium per lotium expurgat, & maxime id quod in venis biliosum est, & cætera, quibus faciunt

faciunt hæc: ut enim scammoniũ, medicamentum apprime calidum, bilem purgando corpus refrigerat, ita absynthium per lotium bilem quoq. vacuando corpus refrigerat, & per consequẽs, ut scammonium exquisita in tertiana conceditur, ita & absynthium concedi poterit: ijs verò oppositum alter medicus contendebat, dicens, nullatenus exquisita in tertiana absynthij dilutum esse dandum, quia absynthium calidũ siccumque nimium cum sit, calida intemperie hominem detentum magis concalefaciet, exiccabitve, & sic ipsum colliquabit, & in marasmum trahet. Quam partem tuetur Alexander Trallianus lib. 12. suæ medicinæ cap. 6. in quo Galenum ita suggillat, inquiens: Miror autem quomodo Galenus, qui artem legitime si quis etiam aliorum medicorum exercuit, adeo indistinctè scripserit, ut dicat, exquisita tertiana correptis absynthij dilutum à septimo die propinandum esse: ego verò falsis tertianis potius dedi, mixto ei oxymellitis momento. Sic enim pituitæ miscellam, & citra noxã magis extenuat, & leviter purgat, ut non usus veniat origani, aut hyssopi, aut calaminthæ, aut pulegij, quæ omnia acriora sunt, & cum periculo, crebroq. febrim iam magis accendunt, & cætera. Nos verò more nostro, hoc est, brevi, dicamus, exquisitis febribus tertianis afflictis, absynthij dilutum, aut infusum, aut ex eo syrupum, etiam apparente concoctione, nullatenus esse dandum, libere cum Tralliano pronunciamus, & ut autem de absynthio, ita & de anetho, aut similibus calidis intelligi volumus, quũ horum vice, cichoreæ, endiviæ, cicerbitæ, melonis, cucurbitæ, acetosæ, nenupharis, aut similium lotium provocantium stillatitium securius, & rectius cõcedere possumus, aut melius, ut Avicenna docet, seminum frigidorum cremorem succumve, aut hordei, aut apij unius vel alterius radiculæ decoctũ, aut ex ijs, & seminibus prædictis, adiectis acidis prunis, & radice nymphææ, aut eius floribus, vel reliquis cor-

A dialibus dictis, decoctulum paratum, & immixtũ syrupis refrigerandi vim habentibus, quibus & lotium & sudores evocentur. Si verò exquisita non adeo tertiana febris fuerit, & ægroti ventriculus imbecillis, & frigidus est, ut huic Demetrio evenit, tunc mea sententia Galeni dogma veritatem continet, quod Avicenna, ut solet, enarrat. Nam hoc in casu & apij radicem, & piper hordei aquæ immiscere iubet, ut proprio capite, de exquisitæ tertianæ curatione apud eum qui hæc legerit, si modo quis legerit, inveniet, ho-

B rum igitur uterq. medicus veritatem astruebat. Cæterum qui Demetrio tertiana exquisita laboranti, frigido cum ventriculo, verno etiam tempore frigidiusculo, dilutum absynthij propinandum cõtestabatur, rationalibus loquebatur: levissima nanque absynthij coma, aqua hordei macerata, brevi postea excolata fuit, ex qua syrupus acetosus multæ acetositatis dilutus, ab ægroto non semel fuit ebibitus, & eo ipso bene habebat, adeo ut postea ebibito pharmaco levi, brevi sanatus fuerit, & optima fruatur valetudine.

C

Curatio 44. de amissione visionis, subito post colaphum datum contingente.

MVlier, cui maritus in facie colaphum impegit, illico eodem die, utriusque oculi visionem amisit, cœca

D nanque evasit, nulla in oculis habita macula, aut nubecula, læsioneve aliqua, puri nanq. cernebantur oculi. Quæ nõ diu, postea surdastra quoq. est facta, & fatua, cũ quibus, lunaris purgatio huic deperdita est. Agitur iam annus, quod mulier hæc nata annos viginti septẽ, malum & infortunium hoc patitur, cuius causas intimas cum curatione, ad præsens subticemus. Tu vero docte lector considera.

Curatio 45. de morbis verno tempore contingentibus.

VErno tempore temperato, anni 1560. morbi sanguinei omnes fuerunt quales synochi, & pleuritides epidemicæ, quibus laborabant pueri, & iuvenes, ac maiores natu, viri fœminæque, à quibus misso sanguine pro ratione medica, etiam pures, omnes sani evaserunt.

Curatio 46. de inflammatione uteri, quæ postea in ulcus abijt, & ob eius sævitiem, extra ipsum uterum phlegmone alia oborta est, & ad femoris altam partem adaperta.

VXOR Moysis Aednæ pharmacopolæ experientissimi, & trium linguarum peritissimi, quum puellam optime peperit, intus ad sedes uteri cum inguine multum dolebat, & continuo febriebat, gemebat, & diu in hoc infortunio perseverabat, inflammationem nanque intra uterum patiebatur, pro qua levanda, celebratæ sunt vacuationes necessariæ & remedia omnia convenientia sunt applicita, & demum disrupta inflammatione ipsa, ex qua puris multum fluxit, in ulcus abijt, ex quo ulcere sanies per os uteri ad sex vel octo menses cõtinuo emittebatur, & pro eo curando, syphone fomenta & lavacra varia eiaculabantur, quibus pus tunc non respondebat, quum tamẽ aliàs continuo fluebat, indicium sane quod ulcus uteri supremas altasve partes occupabat, quas medicamenta non attingebãt, unde ob inveteratum morbum, & ingentes dolores, extra uterum phlegmone alia exorta est, febres, & gravissimos dolores secum afferẽs, quæ & ipsa ad suppurationem ducta

E est, & candente ferro, ubi conjectura assecuti sumus, hoc est, infra ancham, adaperuimus, ex qua puris ingens copia effluxit, & tandem ut decet tractata ægrotãs sana & libera evasit, quum tamen in tantam maciem & corporis extenuationem pervenerit, ut eam in marasmum venturam medici omnes crediderint.

SCHOLIA.

QVVM primum inflammatio exterior ad aperta fuit, illico ab interno ulcere uterum obsidente, sanies effluere destitit, unde
F *multi credebant uterum perforatum esse, id quod fieri posse non inficitur quum non solum hoc, sed in totum uteros deperditos, mulieribus incolumibus manentibus, cum sapientibus priscis evenire novimus: sed non ita res habet, nulla enim uteri perforatio erat, sed ingentibus doloribus vigentibus, & quia uteri collum distortum ad inguem manebat, factumest, ut directe puris colluvies coxam obsederit, unde inflammatio exterior oborta est, cæterum remedia, & ad uteri ulcera collutiones, Hippocrates pre cæteris melius attigit, libro de superfœtatione, tum de morbis muliebribus. Porrò huic similem casum memini me Ragusij vidisse in quadam nobili Bubaliorum primipara. Sed cum hæc literis da-*
G *mus, mulier alia nobilis occurrit, cui partus tempore uterus simul cum fœtu foras prolabitur: sed postea, auxiliaribus manibus, remittitur uterus, & retinetur, & clauditur, eo quo fieri solet modo, ut ad unguem conniveat, ne specilli apex intrare possit, & postea iterum partus tempore allabitur, & foras manet, præcipue quando mulier ambulat, cubans autem, intus eum remittit, & coit, & hoc modo sexies, vel octies, prægnas facta est, & recte parit. Quem casum Galenus, aliquando forte vidit ut libro tertio de facultatibus naturalibus nõ longe à principio innuere videtur, cum dicat, mulieribus ijs ita evenire, quemadmodum eis, qui cum in lucta & cõtentione, alios*
H *evertere deijcereque nituntur, una quoq. ipsi concidunt: ita nanque uterus dum fœtum extrudit, ipse aliquando simul excidit, potissimum cum eius ad spinam ligamenta naturaliter sunt laxa. Hæc Gal. Porrò, uteris extra cunnum elapsis, quomodo medendum sit, docet Hippocr. in fine libri de sterilibus.*

Curatio

Curatio 47. de scirrhoso, quodam tumore interno, sub umbilico infestante, qui postea suppuratus, in umbilico fuit apertus.

PVELLA optimi habitus, nata annos undecim, absque exteriori causa, scihrrum prædurum inter abdomen & peritoneum, sub umbilicum patiebatur, ex quo parum dolebat, sed difficulter per intervalla meiebat, qui quidem scirrhus, temporis diuturnitate, & remediorum beneficio suppuratus, in medio umbilici, nostris mandatis à chirurgo, vigente hyberno, est apertus; per quod emissarium pus album & multum illico exivit, & tunc turunda intincta albo, & rubro ovi simul confusis, intromissa est, supraposito etiam panniculo eodem ovo illito; ad multos tamen dies, postea turunda ovi luteo, pauculo oleo rosaceo misto ungebatur, veluti panniculus qui supra ponebatur, & tadem iis terebinthina adjuncta, digestivum dictum medicamentum, turundæ immittendæ deserviens parabatur: supra nanq. undeserviens basilicon, applicabatur, & viguentum basilicon, applicabatur, & vinum stypticum dictum, exceptum linteo apprime calidum; expressumque supraponebatur: raro febriebat, rectéq. habebat; sed multum puris illi, ex plaga albi, semper fluebat. Cæterũ ut puri facilis exitus daretur, ex spongia turunda parata est, quæ per emissarium ducta, latius reddebat: tandem post octimestre, in quo multa machinata sunt, tam prædictis, quàm fasciis constringentibus, quàm pus in altam partem impellentibus, & lavacris syphone ejaculatis, exiccandi & abstergendi vim habentibus, nihil tamẽ proficientibus, ad apertionẽ, parte in inferiori, ubi morbi erat radix, devenim⁹. Sed quo ordine apertio hæc difficilis, ob aqualiculi, sive abdominis crassitiem facta fuit, audi: per umbilici au-

A tem foramen, curva tentoria stilla intromittebatur, quæ ad pectinis imam partem, intra scilicet abdomen, & peritoneum penetrabat, nondum autem peritoneum disruptum, aut lacerum erat, ad cuius tentoriæ stillæ longitudinem, ferrum calybeum, firmum, curvum, cuspide acutissima; incisoria, Gamaudis modo, fabrefactum est, in cuius medio cuspidis foramen est, per quod linea intromittitur, sed ferri huius manubrium, ligneum erat pro firmanda ad exactam complendam operationem, manu. Intromisso igitur instrumento hoc, eo modo, quo tentoria stilla, ima in parte ea, ubi foris signa-

B tum erat, fortiter impulso instrumento, ad exteriora incisio facta est, cuius cuspis, aciesve, cum suo foramine extrà missa fuit: in quo, ut dixi, linea quædam erat, cui fasciola lintea, duorũ digitorum latitudinis, longitudinis vero duorum palmorum, albo ovi confuso intincta, ligatur, ut extracto instrumento, per novam incisionem altera eius fasciolæ pars introducta, foras per umbilici emissarium pellatur, ut laquei modo restet, & indies innovari possit. Cæterum per hãc novam aperturam sanies nulla fluxit, & ea de cau-

C sa amota fasciola, brevi, ex se vulnus occlusum est, fluente adhuc hodie per umbilicum sanie. Igitur fortè jam bienium, ex quo puella hæc ita habet, cũ quo fluxu, rectius & valentius quàm antea habet, immo crassiuscula quàm unquam antea videtur, proinde credimus nos, cum primùm puella hæc lunarem purgationem experta fuerit, ab hac fœda affectione liberabitur, aliter cum ea consenescet.

D

Curatio 48. de muliere utero gerente, cui prope calcem noni mensis sanguis per alteram papillam multus fluebat.

MVLIER in Circulo Basæ, ter jã peperit, & nunc utero gerit, & prope

propè partum agit; cui ex mamma dextra sanguis multus flui, reliqua læva lacte novo, colostro dicto, plena. Cæterum hæc puerum peperit, & valet, absque furore, vel insania ulla.

Curatio 49. de exanthematis, sive morbillis universum corpus occupantibus fœdantibusve.

PVELLA pulchra, & filia Formosæ à Saqua, nata annos octo, biduo continuo febriebat, & caput dolebat, huic secta communi in brachio vena, sanguis ad uncias quatuor fuit extractus, tunc exanthemata, velut culicum morsus, erumpere, sed postea perextẽsa, universam fere cutem occuparunt, & per nares illi multus sanguis fluebat, & fluxus ventris quoque illi supervenit, sed recte gubernata, & per intervalla cochleari ebibito syrupo violaceo recenti, libera & immunis evasit.

SCHOLIA.

ADVERTANT, qui Galeni præceptis adstricti, ante quartumdecimum annum, sanguinem per venæ sectionem extrahere timent, quum ex se natura, in hac puella, sanguinem copiosum per nares deposuerit, ut sæpe aliàs à nobis in aliis pueris observatum est.

Curatio 50. de cephalalgia, hoc est, recenti capitis dolore, quem secuta est ascites, & tandem mors.

VIR, qui ex Philippopulo venerat, ingenti capitis dolore corripi cœpit: causam autem doloris ille in humidiorem domunculam quandam, in qua dormiebat, rejiciebat, caput aliquantulum tumidum habebat, & ad

E tempora intense dolebat, sed non febriebat, neque quicquam quàm cum clysteri eius respondebat alvus, post iniecta igitur acria clysteria, cucurbitulæ scapulis, cute secta, sunt adfixæ, & sanguinis unciæ sex extractæ, sequenti verò die, catapotia hæc illi deglutiẽda dedi, Rec. pilularum cocchiarum drach. unam, aurearum, asayaret, ana scrup. j. diagridii grana tria, trochiscorum alaandal grana quatuor, rhodomelite excipiantur, & formentur catapotia sex, & inaurata devoret, qui bus vir hic juvenis, robustus, & fortis,

F parum egesit, & inde pari modo afflictabatur. Tunc repetita sunt acria clysteria, & topicum remedium constans ex nucleis ossium persicorum, lacte muliebri exceptis, fronti, & temporibus applicitum fuit, sed frustra: perinde enim dolebat, qua de re venam frontis illi aperire feci, & sanguinem ad uncias quinque extrahere, à qua sanguinis missione, melius habuit. Sed ecce, intra duas horas ad latus dextrũ thoracis doluit, & tusire tussi humida cœpit, unde illico, tam capiti, quàm pectoris parti dolenti admotum absyn

G thium, & parietaria, herbæ oleo in frixorio exceptę, & calidæ, intra horam, ab omni dolore immunis, & liber evasit; fortè autem, caput regente facultate, secta frontis vena, roborata, peccantis materiæ residuum, ad thoracem detrusum fuit, sed brevi optimi remedii beneficio resolutum, & in halitum versum. Cæterum hic longo tempore, de prædicto morbo conquestus, in ascitem, sive aquosam hydropem lap-

H sus est; & ultimo ventris fluxu resolutus, & exanimis, suum diem obiit.

Curatio 51. de duplici tertiana, & jocinoris abscessu.

VXOR Mordohai Cavalerii, post longam à morbo cõvalescentiã, duplici tertiana correpta est, altero die sæve affligente, altero vero non

adeo

adeo: cæterum hæc, juvenis cum sit, & A boni habitus, cum menses in universo morborum suorum curriculo non viderat, ex vena brachii interiori, sanguinem illi demere jussi, cruciabatur nanque valde iis febribus, & in paroxysmis delirabat, à sanguine vero extracto, syrupum violaceum & oxysaccharum simul bibit, veluti sequentib. diebus, jejuno stomacho; fuit autem sanguis extractus, vividus, floridus, biliosus, & flavus admodum, nulli fere admixtus aquositati serosæ, à quo ex- B tracto (quod mirum, sed verum dixerim) illicò libera ab utraque febri mansit, neque amplius in eam recidit: fuit autem venæ hæc sectio exercita post triduum, die minoris afflictionis. Sed cum nunc hæc commentor, mulier hæc, cum puerum recte peperit, de dolore ventris valde conquesta est: pro quo propulsando dolore, cum consilio obstetricum, tum medicorum consensu, varia calida remedia, & medicamẽta ebibit, & admovit, quibus melius habere visa est, sed brevi in jocinoris abscessum, forte calidorum remedio- C rum frequenti usu, peruenit, non sine febri continua, & angustiis, ac dolore, & biliosorum humorum varia excretione: pro quo abigendo morbo, secta fuit pedis saphena, & sanguis copiose extractus, dein vero sequenti die, ex basilica dextri brachii sanguis quoque pro virium robore fuit extractus, qui quidem sanguis floridus erat, nullæ ad mixtus aquositati: tunc vero emplastrum hoc jecori fuit applicitũ, quod habet, Rec. farinæ hordei uncias duas, farinæ tritici unciam unam, pulveris rosarum unciam mediam, santalorum D rubeorum unc. unam, scœnanthi unciam mediam, omnia decocto absynthii, & chamæmeli excipiantur, & adjecta unciola una vel altera olei rosacei, & chamæmelini, cum pauco aceto fiat emplastrum, quod sæpe jecori applicetur, & tunc syrupum de envidia cum rhabarbari infuso singulis aurorís bibebat, & clysteres refrigerandi & abstergendi vim habentes illi injiciebantur, qui ex hordeacea, oleo violaceo, ovi luteo, & Ægyptiacæ cassiæ attramento: cum pauco saccharo constabant, quibus, & abnegatis omnibus calidis, immo proposito victus ordine, levi, & frigido, brevi recte habuit, neque amplius in dolores recidit.

Curatio 52. de dolore spinæ ad os sacrum infestante.

IOsephus Sason, vir biliosus, siquis alter, circa os sacrum, ita dolebat, ut non nisi supinus cubaret: ad latus autem alterum cum movebatur acriter dolebat, ad quem vocatus ego, eum olim dolorem hunc pati deprehendo: nunc vero, quia pondus grave è terra elevare conatus est, in eũdem recidit, labuitve, non enim luxata, aut subluxata particula ulla fuit, sed humor corrivans ad locum debilem, & dolore affectum, magis dolorem auxit, pro quo levando secta fuit in brachii cubitò vena interna, & abunde sanguis extractus, & loco dolenti, oleum myrtillorum nonnullis pulveribus constringendi facultatem habentibus mistum, & admotum, ut postea ceratum oxycroceum commistum emplastro à meliloto dicto, quibus perinde doluit, qua de re proposueram pedis venam tundere, & ex ea sanguinem demere, cæterum cum primo absynthium & parietaria, herbæ oleo frixæ applicitæ fuerint, & rectius habuerit, ab ea pedis venæ sectione nos retraximus, & ille, optima victus ratione proposita, vino interdicto, brevi sanatus est, nullum nanque per os medicamentum admisit, præter quàm quod cassiam Ægyptiam dentibus atterebat, & deglutiebat: clysteres tamen aliquot injici curavimus, quibus alvus respondebat.

(§)

Curatio 53. in qua restituitur Avicenna ab errore ingenti ad pestem faciente.

VTinam Andreas Belunensis, aut doctus ipse Benedictus Rinus nō nullive alii, hac ætate viri docti, qui pro restituendo Avicenna latine loquente; tam multa moliuntur, & codices Arabicos, ut ipsi aiunt, legunt, percurrunt, & conferunt, ac collationem cum ipsa latina versione faciunt, hunc tanti momenti errorem è medio sustulerint, ut mihi, & aliis doctis viris cruciandi locum non relinquerent. Quum nanque inter pestem versarer, & de peste nonnulla legerem, ecce occurrit mihi, Paterno Italo etiā admonente, Avicennæ locus, fen tertia libri primi Doctr. quint. capi. primo, qui ita habet. Aer vero cum corrūpitur, aut fit pestilentialis, obviandum est, exiccando corpus, & reparando domum, cum rebus, quæ suis virtutibus refrigerant, & humectant, & hoc quidem est, quod magis est faciendum in pestilentia. Iis enim verbis ait Avicenna, reparandam esse domum, rebus quæ suis virtutibus refrigerant, & humectant, quibus oppositum nō solùm Galenus, & universus medicorum chorus, sed Avicenna ipse tradit, & describit: ut autem me verum dixisse noscatis, audite. Avicenna fen primæ libri quarti, tract. 4. cap. item, 4. ita tradit. Rectificationis autem pestilētiæ pars est secundum sanos, qui sunt in ea, & pars eius est secundum sanos, & ægros, in illa verò quæ est secundum sanos, intentio est, ut exiccetur aer, & fiat boni odoris, &c. ex quibus verbis satis constat Avicennam aeris exiccationē in peste desiderare, iubereque ad siccū aer vergat, ut quoque à Galeno acceperat variis in locis suæ doctrinæ. Falso igitur Avicenna ipse tradidit, reparandam esse domum rebus refrigerandi, & humectandi facultatem habenti-

E bus, cum potius rebus refrigerandi & desiccandi vim habentibus dicere debuisset. Contradictio hæc apud me tāti momenti fuit, ut illico plura & varia exemplaria latina versarem, obvolveremve, in quibus prædicta, ut vobis ingenue fatear, eodem modo habebātur, quæ postquā exemplo Hebræo cōferrē, inveni ea latina deducta ac versa ab Hebraicis esse, aut veriusipsa Hebræa à latinis, ita enim in Avicēna hebraicè facto legim⁹. Reb. refrigerantibus, & humectantibus, suis virtutibus.

F Cæterum anxius ego pro veritate invenienda, multa machinor, & forte in Avicenna conciliando, Scotum, aut eius confectorem Hernæum agebam, sed post omnia, ut nihil intentatum relinquerem, exemplar Arabicum tunc ad manus habitum, Hebraicis literis conscriptum, consului, in quo prout veritas exposcit, scriptum invenimus, unde pro tanto beneficio Deo Opt. Max. ingentes gratias egimus. Ita enim ut qui Arabicam linguam callent, nos verum dicere noscant, in lingua Arabica, quæ parum ab Hebræa abest, legitur, quod ita ad verbum verti debet. Rebus quæ refrigerent, & exsiccent suis virtutibus.

G Legitur autem hoc in contextu Arabico, vetayabes, id est, exiccent; quod verbum ab Hebraico abest: Genesis autem primo capite legimus, Vaicra Eloim, layabasa erez, id est, vocavit Deus, siccum terrā; hinc enim Vetayabes Arabicum, à yabasa, Hebræo deductum est, cuius radix sive derivatio, aut fores, à yabes. i. siccum est, sed hæc tantum eduximus, ut noscāt omnes, verbum Arabicum, Vetayabes, id est, quod exiccent, scriptum esse, unde satis cōscius sum, quod

H Belunensis, & Rinus ipse, ac iis aliis similes viri, suas in Avicennam restitutiones, ab Hebraico contextu, vel saltem ab eius enarratoribus, emendicarunt, non vero à puro fonte Arabico eas contraxerunt, quem si recte callerent, Avicennam de novo interpretarentur, & tam ingentem errorem non prætermitterent, ut alios prope infini-

tos silcam: non deerit tamen aliquis, qui brevi Avicennam ex integro nobis latinissimum & sincerum ac purum pro veritate Arabica reddat; sed mea sententia, pro hoc conficiundo opere, non unius viri, sed duorum, & trium labor emergat, decet.



Curatio 54. in qua traditur egregium quoddam documentum, pro mulieribus abortientibus, & parientibus ac molam patientibus.

ID quod non rarò experientia compertum habeo, nunc pro exemplo in muliere quadam contingente, bona fide referam. Peperit mulier geminos, masculum & fœminam, alterum vivum, alterum vero emortuum; inde mulier hæc male habere cœpit, & continuò febriebat, & ingentem sanguinis fluorem patiebatur, adeo ut de eo constringendo, medici valde soliciti essent. Cæterum quò magis constringentia darent, admoverentve, eò magis hæc mulier in sanguinis rivulos deveniebat, ut ad obitum prope jam devenerit, & domestici de funere jam curarent: porro cùm in hoc infortunio & agone esset, ecce molam quandam, carneum scilicet frustulum prædurum emisit, & illico libera, & sana facta fuit. Conatur autem natura tantum malum in utero contentum, hoc est molam, expellere, unde non cessat expultrix facultas sanguinem transmittere, quoad scopum desideratum attingat, sed id aliis mulieribus abortientibus, & quæ pepererunt, evenisse, non rarò observatum habeo. ALPHARINIVS. Quid tunc agendum suades ô Amate, cum sic in has enixas mulieres, à quibus tantus effluit sanguis inciderimus? cum apud Scopium unam vel alterã obiisse notavi. AMATVS. Ego vero, tantum abest, ut constringentibus tunc utar remediis, ut

A potius ad abortum facientia, & molas evocantia medicamenta confugiam, tam per os concessa quàm per inferiora immissa: hic etenim natura juvari vult, quæ per se sola cum propellere molam utero affixam non valet, adjuta tamen potest, & expellit, & opus cõficit. Sic enim hoc modo sanguis reprimitur, & mulier liberatur; ex elaterio tamen pessus oblongus in uterum immissus, primatum hoc in loco tenet, ut ex sabina, & ciclamino petita remedia nunc subticeam.

B

Curatio 55. de pleuritide costas nothas infestante, & quòd ptisana manè, amygdalarum verò cremor in cœna propinari debet.

DVlciarius, cognomento Prophetulus, juvenis viginti annos natus, ad ultimam costã mendosam dextram valde dolebat, & difficulter respirabat immo tanquam stipatus stabat, C continuo febriebat, pulsu quidem præ duro, sed raro tussiebat, nihil screabat, supra idem latus dextrum rectè decũbebat, ad sinistrum vero decubitus nullus erat, gravissime nanque cum ad latus sinistrum volvi cupiebat, torquebatur, indicium sane validum & potens, quòd phlegmone interiorem membranam sepientem costas infestabat, ut ex Galeni doctrina sæpe iis in curatiõnibus inculcavi. Cæterum cũ hic pleu- D ritim ita patiebatur, illico ab excretis per balanum alui fecibus, ex secta interna cubiti vena sanguinis uncias octo fluere duabus in pelviculis permissi, ex quibus prior sanguis corruptione affectus erat, secundus vero ita putidus & corruptus erat, ut meram saniẽ diceres: ab hac vero sanguinis missione, melius habuit, & ea de causa, vespe ri sanguinis missio repetita fuit, & ex eodem foramine totidem sanguinis unciæ extractæ. Inde enim rectius ha-

bere

bere cœpit, ut sequenti die ægypciacæ casiæ atramentum aqua hordei exceptum illi daremus, quo alvus optime respondit, ut intra septimum basilicè valuerit: ex topicis porrò remediis, perdicium, dicta herba muralis, minutim cisa, & oleo frixa, ac calida, dolenti loco illico in principio apposita fuit, inde enim unguento pectorali apparato cinere brasicæ, ex Traliani præcepto locus dolens munitus fuit, per interiora vero penidias lingebat, & quādoque syrupum violaceum per intervalla cochleari accipiebat. Cibus huic ptisanæ cremor mane erat sacchari concinnatus, vesperi vero amygdalarum succus optime apparatus, colatus tamen, cui aliquando roborandi vires gratia, panis assulas miscebamus, semper tamen saccharum, aut penidias adjungendo. Hoc eodem modo laborabat filius Iacobi, qui ad synagogā gratiæ habitabat, puer annos natus decē, qui ad mendosas costas punctorie dolebat, & reliqua ad pleuritim veram facientia patiebatur, cui & axillaris secta quoque vena fuit, & sanguis pro virium tenore extractus, à quo per nares sanguinis fluor multus fuit, & inde nonnulla alia actitata sunt, & evasit. Porro vxor Baruchyelis, mulier juvenis, ad mendosam costam ultimam dolebat, sed non punctorie: nec enim pulsum serrinum, aut durum habebat, sed continuò febriebat, & per intervalla tussiebat, & nihil screabat, sed ad thoracis partem altam dolebat, ex qua retractiones quasdam ad inferiora persentire conquerebatur; hæc revera nō pleuritim, sed jecinoris inflammationem patiebatur, cui brevi occurrens ego proposita optima victus ratione tenui, & secta jecoraria dextri brachii vena, ac ex ea bis multo extracto sanguine, & suprapofito jecori santalino cerato, brevi morbi furorem evasit, sed postea ad multos dies, modo dolendo, modò valēdo, sanitatem obtinuit, non rarò adjuta clysmis, veluti potu atramenti Ægypciacæ casiæ, paucis enim remediis morbi propulsantur, si

E modo dignoscūtur, proinde animum adverte, & differentiam ex scholio, inter pleuritim, & jecinoris inflammationem habitam, deprehende.

SCHOLIA.

Discernitur autē pleuritis ab inflāmatiōne hepatis, primó dolore peculiari, quia pleuritis costas occupat, jecinoris verò inflāmatio sub costas dextras infestat: item dolor pleuriticus punctionem inducit, hepaticus vero distensionem: item jecore affecti, facie pallida sunt, pleuritici vero non: sed à pulsibus
F *longe melius hoc discernimus. Pleuritici nanque pulsum prædurum habent, qui serræ modo tactum secat: hepate vero affecti, talē non habent, sicut nec qui pulmone laborant, forte ob membrorum mollitiem, sed tussi differente hac quoq. deprehenditur: pleuritici nanque vehementiori, tussi premuntur, & illico forte excreant, sed temporis processu, pro humore peccante alterius, & alterius coloris, ruber screatus sanguinem attestatur, flavus bilem, albus viscidus pituitam, atque melancholiam. At jecore affecti, irritantur quidem ad tussim, sed nihil excreant. Sed adverte, quòd non hac de causa, quia forte non excreant, illico jocinoris inflammationem esse*
G *dijudicare debes, quia pleuritide affectos nō raro offendimus, qui nihil quicquam excreāt, præcipue tribus in casibus: primo quādo ægri pleuritide laborant contumace, concoctuque difficili, & tales tunc in maximo sunt periculo. Secundo quando inflammatio costas mendaces, & nothas lācinat, ut iis duobus adulescentulis evenisse percepistis, fortè quia ita subsistit, ut nihil ad thoracem pertingat. Tertio, quando inflammatio externa est, ut juveni ad synagogam Aragonensium habitanti evenisse audistis: nihil enim hoc in casu quoque excreatur, nisi humores externam inflā-*
H *mationem facientes, ita multi & pravi fuerint, ut internam quoque membranam dilacerent. Tunc vero ægri purulenti, ac tabe absumpti moriuntur, ut huic quoque contigit. Cæterum de hac differentia aliàs me dixisse iis in Centuriis memini. Porrò hoc te scire volo, quoties tibi in animo fuerit, ægrotanti eodem die, ptisana cremorē, & amygdalarum succum dare, tutius esse mane ptisanam offerre, vesperi vero amygdalarum succum, jubente sic Alexandro Tralliano, ubi de victu pleuriticorum agit, causam vero non difficilem quærito, in re præsertim non multū cogente.*

Curatio

Curatio 56. de symptomate quodam enixe superveniente.

PRIMIPARA mulier puellam peperit, & illico ut evenit, primo die abunde purgata est, ex ea nanque sanguis multus profluxit, sequenti die, in universum exciccata est, & in ventre ita intense dolebat, ut suis clamoribus, & gemitibus ab studio me averteret, pertubaretve, non longe autem à domo mea habitabat: ad eam igitur sic misere afflictam accitus, cum prædictis, eam quoque febrire inveni, quibus omnibus perpensis, ac examinatis, de inflammatione timetur, unde accersito chirurgo, ex pedis vena sex sanguinis uncias demere feci, & pessum crassiusculum oblongumvè ex gossapio apparatum, succo cucumeris asinini, elaterio dicto, illinitum delibutumve, intra os uteri mittendum, per obstetricem mandavi, simulq. ut ventrem oleo lilino, anethino, & dulcium amygdalarum mistis, inũgeret, iis enim dolor quievit brevi; sanguinis nanque coagulati frustulum, pessi beneficio emisit, & ter ea nocte egessit. In aurora ad eã de more invisum accedens, recte valere inveni, intensius tamen febriebat, fortè lactis causa, sed brevi ex toto sanata est, & basilicè valet.

Curatio 57. de muliere sterili, quæ ut fœcunda fieret, evaderetve, urticæ semen magna quantitate comedit, & inde varia contraxit symptomata, & recto intestino phlegmonem.

MULIER infecunda, ut prægnãs fieret, post multa, & varia piperata, & gingiberata ingesta, urticæ multum semen plurib. diebus comedit, à quib. gravia incurrit symptomata: nam & continuò febriebat, & intẽsissime circa anchas, & renes, ac pectinis anteriorem partem dolebat, cum quib. valde sitiebat, ut intus se uri misere, & sæpe repeteret: quæ omnia comitabantur assidua, & difficilis egerẽdi cupiditas, adhæc anxietudines, continui cruciatus, inquietudo, fastidium, oris amaricatum, pulsum minutiones, & pervigilium: ex quibus non difficile erat, hanc recto intestino inflammationem pati, arguere. Pro qua levanda inflãmatione, symptomatisve gravibus, accitus ipse, illico non comperta pedis vena, jecorariam brachii dextri tũdere curavi, & ex ea sanguinem pro virium tenore demere, dein vero post fotum locum, ex fomento anodyno unguentum ex pinguedinibus, & succo cucurbitæ & portulacæ, ac althææ mucagine, apparatum supraponebatur, cuius non exiguam portiunculam digitis intra anum mittebat. Post quæ, injectis nonnullis lenibus, clysmis refrigerandi vim habentibus, bona sua fortuna quinto die phlegmone aperta fuit, & ipsa ægrotans à tãto infortunio libera, ex qua puris albi ingens quantitas per triduum effluxit, & per egestiones mittebatur: & iteratis ex aqua mellis clysmis, libera & sana brevi evasit. Porrò victus huic parcus admodum erat, refrigerandi facultatem habens, veluti & potus ipse.

Curatio 58. de symptomatis gravissimis, ex acu quadam genu præfixa obortis.

MULIER juvenis, cum multum se domi exercuerat, pro domesticis obeundis negotijs: ecce die sequenti, cum ex cubili surgeret, ita acriter, & sæve circa genu doluit, ut se emortuam alta mente clamaret, ad quam accitus medicus, locum dolentẽ advertit, tangit, & considerat, sed nihil nota-

notatu dignum invenit, præduriusculi tamen nescio quid particulam præ se ferre aiebat, qua de re, cōtra dolorem, anodynis remediis suprapositis, invadit, & sanguinem ex jecoraria brachii male affectum locum respicientis, abūde extraxit: tandem post triduum hujus agonis & infortunii, nō sine ipsius ægrotantis, & omnium assistentium ingenti admiratione, acus cujusdam intus latitantis suprema apex apparere cœpit, quam tunc chyrurgus integram extraxit, merito nanq. huius rei omnes admirabantur assistentes, ut quæ acum totam infigi non præsentierat ægrotans, forte somno profundiori detēta: demum extracta acu, quæ directe, & profunde sævierat, medicus convulsionem timens, de loco aperiendo, dilatandove contendebat. Cæterum hæc etsi renuit, remediis tamen adjuta, sanata est, præcipue hoc uno constante, euphorbio, resina, & pice.

SCHOLIA.

SED quis, precor, latitantem acum, eo in loco diceret, præsertim cum puella eam prægi profundiori somno oppressa, non persentierat, haud dubio, morborum causa sæpe abdita, & difficiles sunt, & habentur.

Curatio 59. de prostrato jacente, ob pedem cum tumore dolentem.

VIR, qui ingenti cū dolore tumentem pedem habebat, ut eum movere non esset possibile, ita querebatur, ut me ad se accersiri curaret, ad quem accitus, noto ad talum stigmata vetera, ex antiquis, sed sanatis ulceribus, infixa habere, simulq. pedem inflatum dolore cum ingēti, adeò ut tertius ageretur mensis, ex quo prostratus jaceret, neque moveretur: pro quo curando, cum multa & varia actitata audio, in mentem subit, hunc brevi sanitatem recepturum, si moda sylvestri

E in cruris parte, sub genu, ignito cauterio, fonticulus aperiretur, quo adaperto, & ichoribus fluentibus, intra quindecim dies, extra domum exivit, & ex toto sanatus est, præfixa autem stigmata erant sylvestri quoque pedis parti: fonticulus tamen, longo tempore, sed ingenti cura adapertus, perseveravit.

Curatio 60 de quodam, cui sanguinis libræ quadraginta, intra sex dies, ex naribus fluxere.

F BErdavid juvenis, cum ex Genica Thessalonicen veniret, in tantum sanguinis profluvim per nares devenit, ut in itinere, & postea domi, intra sex dies, ex eis libræ quadraginta, fluxerint: pro quo sistendo cùm varia, & fere infinita remedia tentata fuerint, nullum tamen contulit, quàm cephalicam tūdere, & sanguinem permittere longa per intervalla fluere, jubente sic Galeno lib. de curandi ratione per sanguinis missionem cap. 11. & 15. Secta G nanq. venā sanguis pauculus extractus cū erat, mox vulneri apposito digito, & clausa vena ipsa ac pauculo interposito tempore, cū rursus fluere parum permittebamus: sic enim per horā, & plus actitātes, pro ægrotātes viribus, sanguinis ex narib. profluviū cōpescuimus. GESNERVS. Quænā remedia primò exercita sunt, pro sanguine hoc cōpescendo. AMATVS. Dicā Gesnere mi, ut qui omnium Doctorū H hodie magister sis, & me, & plures alios docere possis, sed quæ tua est humanitas, in re facili, & tibi obvia, inquiris, & ita dignaris, respondeo. Post frictiones, ac injecta femoribus arcta vincula, & cucurbitulas hypochondriis affixas, præcipue super jocinorem: per dextram nanque narem sanguis maxime fluebat: cucurbitulæ quoque scapulis, secta cute, affixæ sunt, & frons aqua gelida fovebatur irrigabaturve, vel linteolis frōs ipsa, & cervix, aceto

aceto imbutis, aut coronali cōmissuræ, & fronti epithemata ex succo plātaginis, poligoni, equiseti, bursæ pastoralis, & similiū herbarum frigidarum & siccarum constringentiumve, admovebantur, & intra nares linamentum cōtortum, imbutum hoc medicamento tantopere à Gal. lib. 5. metho. med. & alibi non rarò laudato, inditur: habet autē medicamentum sic, Rec. Thuris drac. duas, aloes, drach. unam, in pollinem redigantur, & ovi candido subigantur, quibus adde, pili mollissimi leporis partem alteram, & misce. Gal. tamen quandoq. pro linamento contorto leporis mollissimis pilis intinctis, prædicto medicamēto utitur. Gypsum quoq. exceptum ovi aquato, pauca cū caphura, multum præstare, aliàs dixi: præsertim si vascula per frontē currentia fasciola primò constringantur, sed spongiola imbuta aceto acerrimo, & naribus immissa, multum prodest: filo tamen alligetur: eam narium partem, per quam sanguis fluit, digito cōpressam per horam habere. Sæpe juvisse notavi, gelidā testibus, linteolis exceptā & admotam, non raro prodesse, expertus sum. Pileus paratus ex terra figulina subacta posca, vel succo plātaginis, vel bursæ pastoralis, vel caudæ equinæ, vel lactucæ, vel papaveris, vel alterci, vel mandragoræ, prout urget necessitas, etiā adjectis granis opii paucis, & modico aceto, mirus habetur, præsertim si deraso capiti imponatur. Sāguis qui defluxit ex narib. ægroti, olla figulina exustus, & in pollinem redactus, immixtus gypso, bolo armeniaco, & similibus, ac candido ovi exiguo cum aceto subactus, ut crassitudinē recipiat, inter cætera, multorum doctorum Medicorū judicio, primas obtinet, modò illi parū caphuræ injiciatur, aut opii exiguū, pro urgente necessitate: quo medicamento frons cū sincipite, & tēporibus inungi debent, & per nares etiā intromitti tale medicamentū poterit. Stercus asininū recens, vel exiccatum, & in pulverē redactū, per se, aut reliquis junctum, & intra

A nares missum, sanguinem sistere, omnes fatentur. At rationalis medicus, cum urget necessitas, internorū membrorum curā maximā habere debet, præcipue jocinoris, aut lienis, quū ab iis visceribus non raro sanguinis profluvium per nares ortum habeat, qua de re foris epithemata refrigeratoria astrictoriaque applicanda sunt, & si ex dextra narium parte sanguis profluit, jecinori occurrendum est, si ex læua, lieni, sed per os ea, quæ refrigerant, & astrigunt concedi debent, ut pastilli varii, de succino, de terra lemnia, de ramichio, de spodio, de santalis, de caphura, vel ex gummis varia composita, aut miri illi fluxui dicati, & à Mes.

B descripti pastilli, vel horum vice, conditum ex nymphæa paratum, præcipue ex radicibus cum saccharo, aut sacchārū rosaceū, vel sacchārū violaceum, aut electarium ex prunis paratū, simplex dictum, aut diacydoniten saccharo apparatū, aut rob myrtillorū, vel rob cydoneorum, aut syrupus myrtinus, rosaceus ex rosis siccis, de acetositate limonū, de oxalide, de succo agrestæ, de portulaca, de papavere, & similes, sed ore ægrotus oxycratum teneat, aut aquam quam sæpe immu-

C tet, aut destillatitiam portulacæ: noster vero ægrotus, post multa, & varia actitata, prædicta sanguinis missione sanus evasit.

SCHOLIA.

Fluxere ex naribus huius juvenis, sanguinis libræ 40. intra sex dies, in quib. comedebat, & bibebat, & eius vires instaurabantur, unde mirari non est, si diem suū non obierit: tradit nanq. Avicenna fen quinta libri tertii, cap. 9. si sanguinis fluxus excesserit pō-

D dus 25. librarum, hominem superstitem fieri, non posse, id quod intelligi putarim, si sanguinis quātitas excedens libras 25. continuo & simul emanarit, adhæc non gustatis cibariis, aut rebus sanguinem gignentibus quo vires refici solent: sic autem refectis viribus, plures notavimus, ex ingēti sanguinis profluvio liberatos, cibantur autē tales rebus optimū adgenerātib. succum: frigidis tamen slipticisve, aut lentos crassosq. succos reddentibus.

E

*Curatio 61. de pleuritide affe-
cto, qui malo quodam infor-
tunio Philonis antido
to ingesto, diem
suũ obiit.*

VIRI ex Tribu Levi, pleuritide
cum laboraret, eo tẽpore quo per
sputum purgabatur, nescio quo malo
infortunio, tres vel quatuor Philonis
antidoti drachmas deglutivit, à qui-
bus ingestis, extincto calido innato, &
eductioni contumaci reddito succo, se
quenti die suum diem obiit.

SCHOLIA.

*ADMIRARI licet Galeni divini di-
ligentiam doctrinamve mirificã, ut qui
in pleuritide, lentium in victu usum, ut repro
bum obnoxiumve maxime detestetur, vitu-
peretve, ab eisque fugiamus suadet, quia ma
teriam per os purgandam constringant, den-
sentve: & ita detestetur, ut dicat, si quis eo
tempore, quo per sputum purgatio fit, lentes
pleuritide affecto concesserit, & sequenti die
ægrotus talis obierit, hic qui lentes dedit
medicus, mortis author dicatur, quia mate-
riam per os purgandam lentibus constrinxe-
rit, & densaverit, quod malum hodie non à
lentibus, sed à philonio innatum calidum he-
betante, extinguẽteve, & materiam lentam,
spissamve, & eductioni contumacem redden-
te, evenisse notamus. Proinde, tali in casu,
à lentibus non solum, sed a quibuscunque den-
santibus constringentibusve, & lentos craf-
sosve humores reddentibus, ut opiatis omni
bus, fugiendum esse, liquido evadit, ut ab
eodem Galeno commentario primo, in librum
de ratione victus in morbis acutis enarratio-
ne 27. & alibi docemur, veluti ab Alexan-
dro Tralliano, cum de pleuritide agit. Ca-
veant igitur medici, ne deinceps pleuritide
affectis, res constringendi, & densandi facul-
tatem habentes dent, inter quas etiam Ale-
xandri prædicti authoritate, poma granata
reponenda sunt, re vera tamen nemo men-
tis compos similia simili in casu propi-
nabit, ut fusius meo in
Dioscoride
dixi.*

*Curatio 62. de pleuritide non ve-
ra ab humore pituitoso, membranam
exteriorem costas succingente infe-
stante, quæ postea in abscef-
sum exteriorem de-
generavit.*

IVVENIS, qui ad Aragonensium sy
nagogam habitat, falsa, notha, & nõ
vera dicta pleuritide laborabat, conti-
F nuo febriebat, & tussiebat, sed nihil
memoratu dignum excreabat, cum
quibus thoracis exteriorem partem
dolebat, dolore quidem extensivo, su-
per quam partem difficilis illi erat de-
cubitus: nota pro hac dignoscenda
ægritudine, ut aliàs non raro memo-
riæ commendavi, præcipua. Cæterũ
hic à medico curatus, etiam si melius
habuit, nunquam tamen immunis à
febricula evasit, longo nanque tempo-
re lenta quadam febricula correptus
perseveravit, ex qua in dies aliquali
G cũ tussi sicca, magis, & magis emace-
scebat, adeò ut cum febri hectica la-
borasse, medicus non rarò inculcaret,
pro talique eum tractaret. Elapso por
rò huius afflictionis octavo mense, ec-
ce exteriori costarum parte, ubi pri-
mùm dolor erat, tumor apparere cœ-
pit, pro quo exacte ad exteriora evo
cando, emplastris, & cataplasmatis at-
trahendi, concoquendi, & maturandi
vim habentibus præfatus medicus u-
sus est, quibus intra duos menses, ab-
H scessum ad suppurationem traxit, quo
in tempore vocatus ego contemplor
habitum corporis huius satis extenua
tum, aridumve esse, pulsum verò im-
becillem, quadam cum arteriæ sca-
britie siccitateve, tumorem vero extra
prominentem œdematosum, in quo
pus latitare sensus tactus percipieba-
mus, profunde nanque pus contine-
batur, à pituita ortum habẽs, & ea de
causa, tandiu morbus ad statum retar
datus est. Accito igitur chirurgo, igni-
to

to ferro, decliviori tumoris loco, adapertum est, unde puris albicãtis aquosi sufficiens quantitas effluxit, & ulcus postea ut decet fuit tractatum: nihilominus tamen ægrotus suum diem obiit: ita autem pus multũ & acre, quod per ulcus mittebatur erat, ut interiorem succingentem costas membranã dilaceratam esse multi crederent. Annectenda autem curatio hæc erat curationi 67. tertiæ Centuriæ, in qua de simili agitur morbo, semel tantum ab Avenzoare glorioso, in tam longo vitæ cursu notato, visove, ut citato loco dixi, sed & Alexander Tralianus hoc rarò evenire, cum de pleuritide agit meminit.

SCHOLIA.

ADMONENDI chirurgi à me hoc in loco sunt, ut cũ phlegmonas, & exituras similes aperiunt, latiori apertura adaperiãt, quum inde bona multa sequantur, veluti mala multa ex scissura aperturave parva, viriũ tamen robur ante omnia perpendatur.

Curatio 63. de lumbrico, per oculi angulum magnum circa nasum, extra misso.

PVella trima, quæ in Circulo Almõ slinorum agebat, cum omnium consensu recte valeret, & nihil mali sentiret: ecce illi per oculi interiorem partem, quam angulum magnum appellamus, lumbrici cuiusdam caput apparere cœpit, oculum ipsum non rarò occupans, turbansve, ex qua re, anxiæ puellæ, fortè assistentes mulieres oculum advertentes; vermem viderunt: quem illico manu, admiratione ingẽti, longitudinis semipalmaris, coloris albi, crassitudinis lineæ, prævivum, nulla noxa à puella percepta, aut foramine ullo evidente relicto, extraxerunt: est certe casus hic mirus, & dignus chartis dari, per nares vero lumbricos fluxos, non raro nos, & alii varii viderunt.

Curatio 64. de dracunculo, in tibia nacto, quem Arabes venam medenam appellant.

AETHIOPS maris præfectus servus, juvenis octodecim annorum, cum primum ex Memphi Ægypti celebri civitate, Thessalonicẽ advectus esset, illico de cruris dolore conquestus est, in quo juxta talum primo ulcus excitatum est, in quo venæ modo caput conspiciebatur, quod advertentes Turcæ, morbum cognoverunt, periculosumq. esse in AEgypto, & India, ac reliquis regionibus, quibus innascitur, significarunt, quem Arabes, præcipuè Avicenna, venam medenam, fen tertia libri quarti, appellari tradit, veluti Abinzoar, & ceteri huius doctrinæ homines, quibus morbus hic satis cognitus, & familiaris erat, pro cuius curatione accersitus medicus Parahyas, linguæ Arabicæ doctus, ita orsus est. Primò debita victus ratione proposita, partem extremam venæ, aut verius nervosæ cuiusdam substantiæ, subtili ligno alligavit, quam paulatim ligno trahebat rotabatve, adeò ut ad eius ultimam partem hoc est, ad trium cubitorum longitudinem, post multos dies pervenerit, unde AEthiops à doloribus, & angustiis, morbove ipso, liberatus est nullo suprapositio cataplasmate, concoquendi vim habente, aut calida superfusione aliqua, quæ ex Sorano, & Leonide, Paulus ultimis verbis libri quarti, suæ medicinæ huic morbo auxiliari tradit.

SCHOLIA.

VEna, an nervus, vel lũbricus, morb. hic sit, in dubiũ vertũt authores. Ego vero oculat⁹ testis, multis auritis verior, testor morbũ hũc tanquã lũbricũ conspici, album, subtilẽ, lineæ contortæ modo qui ex se foras prodi-

dit, & pars extra missa cum arescit. eam nervum exiccatum quivis dicet: qui si abrumpi contingat, intensos excitat dolores, & non leves animi angustias concitat. Nascitur autem morbus hic frequenter apud Ægyptios, Indos, & Arabas, sed præcipue apud Mediam juxta Persidem, unde nomen venæ medem traxit, quam Galenus dracunculum appellat, & nunquam vidit, ut memoriæ commendavit, libro sexto de locis affectis. Evenit autẽ morbus hic forte ut in renibus pili, à materia crassa lentaque, quam calor plus justo calfecit, exiccavitve, unde medicamentis & remediis atram bilem respicientibus, purgantibusve, morbus hic curari tractarive debet, prout imperat Avicenna, & ceteri Mauritani illi assentiuntur.

Curatio 65. de felice rabido, ex quo quinq. in eadem domo mortem traxerunt.

XVares Thessalonicẽsis mercator, & alii ei⁹ domestici quatuor, masculi & fœminæ, eodem die à fele dentibus unguibusve sunt commorsi, laniative, qui simul brevi inde sævissimiis symptomatis correpti, suum obiere diem. Erat autem cattus hic, non solum rabiosus, sed veneficus, & tabificus, ex quo interfecto, efficax, mirũ que ad præsens subticendum, parari poterat venenum.

SCHOLIA.

QVVM hæc tracto, memoriæ occurrit, epitaphium à me olim Romæ sepulchro miserandi cuiusdam Hispani affixum, sculptumve visum, qui ex felis morsu obiit, & ita habet.

Hospes disce novum mortis genus, improba felis
Dum trahitur, digitũ mordet, & intereo.

Curatio 66. de clavo pedi infixo, ex quo opisthotonos, & tandem mors subsecuta est.

QVVM Salomon Bayena, vir obesus, annos natus 45. per viam in-

E cederet, incaute eius pedis plantæ clavus infixus est, ob quam puncturam domi septem dies mansit: octavo verò, quum jam rectè se valere putaret, omnia consueta exercuit, & cum uxore coivit, & vinum ebibit, & extra domum exivit: inde enim reversus, puncturam doluit, contemnendo dolorẽ, sed noctu gravissimo symptomate correptus fuit, opisthotono scilicet, claviculatos namque præclusosve dentes habebat, ut cuneolis difficulter chirurgus aperiret, ad hæc, cum egereret, nõ rectè plicabatur, sed fauces dolebat,
F maxilasve, ut alter medicus hunc anginam pati putaret, cum quibus ad posteriora caput retractum erat, & multum angustiabatur, sed non febriebat, neque de crure aut pede quicquã dolebat, hic etiam clausis dentibus rectè loquebatur, & omnia liquida illi oblata expedite bibebat, neque tumor foris aliquis illi erat, ut jure toto cœlo aberrare medicum illum, qui angina laborare ægrotum hunc cõtendebat, dicendum sit, cæterum, cognito morbo, & jussis nonnullis in scholio dicendis, illico clysteres parati sunt, & partes dolentes oleo vulpino, liliaceo, &
G chamæmelino inunctæ, fotæve, & sequenti die à concesso pharmaco, optime egessit, & ex se dentes melius aperiebat, vesperi verò, saltus in corpore per intervalla persentire aiebat, quib. non quiescebat, sed hinc inde errabat, demum sequenti die obiit, veluti homo alter, à clavo quoque pedis plantæ infixo, cui vulnus indiscrete brevi clausum fuit.

SCHOLIA.

H *AD puncturam cauterium indendum jussimus, sed ægrotus cõtempsit, veluti assistentes, cęterum quos saltus persentire aiebat ęgrotus, eos nervorum convulsiones retractionesve esse, nemini dubium puto, consortij nãq. ratione nervi lęsi, maleve affecti fuere, unde Arabes, & eorum assecla morbum hunc spasmum, non de inanitione, non de repletione, sed magis de re non proportionata ad materiam, appellitare consueverunt, ut aliàs prolixius haec commentati sumus.*

Curatio 67. *De tumore ingentis magnitudinis, genu articulo adgnato.*

FIlius Benvenisti pharmacopolæ, infelix iuvenis, annos natus viginti temperatura pituitosus, cum falso subluxatum crus ad genu habere putaret, & in eo doleret, nonnulla topica remedia, veluti ex cumino, & hircino sevo admovere cœpit, à quibus genu magis doluit, & tumefieri cœpit, adeo ut intra paucos menses ad genu crus ingentis gigantei capitis instar creverit: erat autem tumor magnus, lucidus, prædurus, sæpe dolens, præcipue, quando meridionalis ventus expirabat, in quo venæ perspicuæ apparebant: pro quo curando, cum multa & varia applicita essent, sed frustra, remedia, ecce elapso octavo mense, medicorum, & chirurgorum consensu, à præsagio habito, quod breui moriturus esset, quatuor vel quinque prædicto tumori infixa sunt ferramenta candentia: alterũ superiori in parte, alterum vero decliviori, duo vel tria alia, lateribus, & ipsius medio, à quibus nihil quicquam puris, sed sanguinis potius exivit: id quod omnes ita futurum prædixerũt, quia tumor fere in cancrum iam abierat. Si ea tamen cauteria premiserant, id in causa fuit, ut tanta tumoris moles respiraret. Demum octavo die, post inflicta cauteria, fluxu sanguinis molestante, hic diem suum obijt, non sine amicorum dolore. Hoc eodem tempore nepos Raphaelis simili morbo laborabat, qui perinde extenuatus, & diris cruciatibus exolutus, supraveniẽte fluxu ventris, diem suum obijt, erat autem iuvenis hic ætate & temperatura prædicto similis.

Curatio 68. *de cephalalgia.*

QVidam vir cephalalgia afflictabatur, & non febriebat, cæterum ab A exonerata per clysteres alvo, eius capiti sequens applicitum fuit remedium, & recte habuit. R. maioranæ, origani, pulegij, absynthij, thuris, mastichis, seminis melãthij añ. partes æquales: omnia in pulverem redigatur, & triticeæ farinæ misceantur, & multa aqua excipiantur, & fiat pulmentum, quod postea in frixorio referto oleo antiquo, ad ignem frigatur, eo modo, quo bellaria Galenus parare iubet, libris de Alimentorum facult. & Asiatici, ut ipse ait, τεγανίτας ea vocare solent: hoc nanque remedium sic apparatum, & calidum capiti applicitum toto, tanti valoris & iuvamenti fuit, ut vir hic B brevi recte habuerit.

Curatio 69. *de ictero morbo, ab humore melancholico ortum habente.*

ABrahamus Ezra, qui ex Bidinio oppido, quod præterlabitur Danubius fluvius, prope Valachiã Flacciam dictam, ad nos venit, vir temperatura biliosus, & ætatis suæ quadraginta annorum, is ictero atro, raro eve- C nire solito, laborabat, solet autem morbus is evenire, si modo evenit, ob meatus sive canaliculi, qui ex iecinore in lienem derivatur, obstructionem, coarctato, abstrusove meatu illo, impurus ac melãcholicus sanguis in universum distribuitur corpus, unde ater icterus, faciem fœdans, & universum corpus nigrum, & obscurum reddens, subsultat. Solet quoque morbus is accidere nõ solum ob attractricis, quæ est in liene facultatis imbecillitatem, sed etiam D ob eius alteratricis, sive concoctricis virtutis impotentiam: ut enim aliâs dixi, lien atrum & fœculentum humorem, ut eo nutriatur, ad se trahit: cæterum cum viscus hoc rarum & spongiosum sit, raro & subtili sanguine nutriatur oportet, nõ vero crasso & turbido, ac fœculento; beneficio nanque arte-

tiarum

riatum & ipsius lienis vasculorum, ut Galenus libris de usu part. dixit, crassus ille humor, subtilis evadit, adeo ut lien subtiliori sanguine, quam iecur nutriatur, & re vera, lien sanguine subtili, sed nigro ali solet, iecur vero crasso, sed rubro, pulmones vero, subtilissimo, flavo, & recte laborato. Quum igitur lienis alteratrix facultas nõ ita munus suum conficit, crassus & vitiosus humor ille regurgitat, & per universum corpus distribuitur, & fœdationẽ ictericam nigram gignit: in hoc tamẽ ægrotante canaliculus sive meatus, qui ex iecinore in lienem propagatur, & per eum ater succus per meare solet, obstructus erat, id quod attestabatur manifesta ad tactum durities, & ipsius ægrotantis pasio, & eius insuetus mæror, tristitiave, & alui constrictio, & lotium turbatum, quandam præ se ferẽs nigredinem: item quod non recte appetebat, & difficulter spirabat, quæ omnia comitabatur faciei ater color, illi non naturalis: indicium, quod ater ille humor una cum sanguine ad cutem delatus est. Curaturus igitur probum hunc virum & abnegatis omnibus atrum & malum succum gignentibus, veluti cæteris varijs: optimo proposito victu extenuandi facultatem habente, sic exordium cœpi. R. pulpæ casiæ recens extractæ, un. med. electarij lenitivi, hoc est, diasene lenientis drach. vj. pulveris anisi drach. mediam: miscito, & pulvere glycyrrhizæ obvolvito, & bolum parato, & ægroto ante prandium horas duas propinato. Dein verò apozema paratum est, bilem atram respiciens, & meatus deobstruens, & ammoniacum aceto dissolutum visceri applicabatur, cui postea multa & varia mista sunt, ut succus cucumeris asinini, succus ciclaminis, succus lentus radicis althææ seminis lini, fœnugræci, pulvis thamarisci, nucis unguentariæ, iridis illyricæ, asplenij, corticum radicis capparorum, & adiectis oleis capparorum, liliaceo, irino, cera, bdellio, & galbano, ac pinguedinibus, medullis & adipibus varijs unguentum mirum parabatur, quo diu úsus est, & hoc in casu multum valet. At morbi successu, lienaris sive splenetica dicta vena intra anularem & minimum digitum obrepens, secta fuit, & sanguis pro ratione extractus, & in dies melius habebat: hoc uno ante oculos habito, quod hic natura biliosus, & nigelli coloris erat, paratus in febrim, vel defacili labi, qua de causa, medicamẽta lenia illi dabamus, immo per intervalla saccharum borraginaceum illi concedebamus, demum acredine humoris egesti, hæmorrhoides apertæ sunt, ex quibus sanguis paucus fluxit. Cæterum ut ab earum dolore liber maneret, veluti à morbo ipso, hirudines duas illis admovendas curavimus, quæ secta eo à me edocto modo, multum sanguinis suxerunt, & sic à dolore, veluti ab ictero ipso, intra duos menses sanatus est, in quibus non raro, nostro cõsilio, dulcis aquæ balneo utebatur.

E F G H

Curatio 70. De pleuritide, duplici cum tertiana, quam utero gerens mulier, passa est.

VXor nobilis viri Guedelliæ Yahiæ, mulier optima prædita temperatura, annos nata quatuor supra triginta, quum utero gereret, sexto suæ gestationis mense, pleuritide correpta fuit sæva, occupabat nanque superiores costas dolor, qui ad claviculam ascendebat, continuo nanq. serrino pulsu febriebat, qua cum febri continua, tertiana etiam dupla afflictabatur, difficulter respirabat, & valẽter tussiebat, tussi quidem humida; excreabat autem cruentum parum, multo cum albido. Cœpit autem morbus hic die Lunæ mensis Aprilis, vesperi. Ad quam accitus ego, die Mercurij vesperi, & omnia considerans ac iuste perpendẽs, veluti per mulieres actitata (sacculum nanque ex furfuribus, sale admisto, dolenti loco admoverant, & syrupum

violaceum

violaceum per intervalla illi dabant)
illico venam ex axillari dextra respi-
ciente dolorem secare feci, & sangui-
nem ad uncias sex extrahere, qui sane
sanguis ingentem præ se ferebat cor-
ruptionem, præsertim secunda pelvi-
culà collectus: unde ea nocte, ab iniecto
clysteris, fæcibus excretis, iterum ex
eodem foramine, sanguinis missionem
repetere deliberaveram, ceterum cum
assistentes in crastinũ opus reijcerent,
adquievimus. Sequenti igitur die ex-
tractus fuit sanguis, prout decrevera-
mus, pondere septem unciarum, & tũc
rectius habere visa est. At sequẽti no-
cte Luna Soli cum opponeretur, anxie
tulit, & paroxysmorũ ingens fuit con-
fusio, adeo ut die Veneris, & Sabbati,
mannam alvum laxantem, quam illi
bibendam dare decreveramus, nun-
quam potuerimus. Erat nanque tunc
lotium crassum, rubrum, & apprime
turbidum, sed ægrotans liberalius res-
pirabat, & dolor non ita sæve crucia-
bat, indicia sane optima, & maxima;
unde sequenti nocte, ea hora, qua paro
xysmus invadere solebat, non invasit,
immo quieta mansit, & dulces somni
totam noctem eam tenuerunt, ob quæ,
in aurora non ita ut antea angebatur,
sed & paroxysmus, qui quarta diei ho
ras eam affligere solebat, non venit:
cum ijs tamen febris continua insta-
bat, & tunc alvus ut antea clysteri ex
atramento casiæ Aegyptiacæ exone-
rata fuit, & ius pullæ mistum ptisanæ
sorbebat, & syrupum violaceum mistũ
aquæ hordei per intervalla pitissabat,
nam per se solum syrupum in bilem
verti in ventriculo, ipsa non absque
ratione firmabat; demum septimo die,
ea hora, in qua paroxysmus eam inva-
dere solebat, hoc est, quarta diei hora,
sudore copiosissimo universum eius ir
rigari cœpit corpus, quem per quatuor
tulit horas, a quo libera, & immunis
ex dolore & febri evasit.

SCHOLIA.

VEsperi septimi diei, post habitam crisim
exactam, & completam, quum ita iam

A *recte valeret mulier hęc, & propositum illi*
esset ab assistentibus, de cœna, Medicus colle-
ga meus assistens, betam coctam oxelæo, mica
salis adiecta, edendam proposuit, ea nanq. &
alvum laxari, & multa sequi bona quum op-
timi ipsa esset succi, contendebat. Ego vero su
perveniens, betam non perinde mihi arridere,
sed eius loco, ius pullæ dandum esse, libere
pronunciavi, & eo magis, quia Hippocrates,
libris de Ratione victus, in morb. acutis, iu-
bet biduũ post crisim, ut antea cibentur ægro-
tantes, ut latius hac in Centuria explano. At
mulieres cum betam iam coxissent, & ægro-
tans eam petisset, illi prius quam cętera eden
B *dam eam obtulerunt, sed quo successu, audite*
ea nocte illico nobilis hæc mulier in febrim
ventris cum dolore recidit, & bis egessit, &
in aurora iterum illi alvus mota est, & hu-
morem viridem quendam excrevit: quæ om-
nia ex beta evenisse, mihi dubium non erat,
ut cætera quoq. membra esse quisque doctus,
& qui artis praxim exercet, novit. Vnde non
admodum creditu difficile erat, betam in hu
ius ventriculo genitură bilem præcipue pras-
sinam & viridem, ut ex dogmatis Galeni eli-
citur, libro 2. de temp. cum dicat. Quibus in
ventriculo bilis illa gignitur, quæ porri colo-
rem imitatur, debet omnino his cibus fuisse
non panis, nõ suilla caro, similéve aliquid, sed
C *necessario aliquid quod his calidius fuit, neq.*
id boni succi. Sed quid id sit, tametsi Galenus
hoc in libro subticeat, libro tamen 2. prædi-
ctionum, enarratione 39. literis mandavit,
quum prædictæ bilis porraceæ generationem
investiget, & ita inquit. Constat ut hæc sæpe
numero in ventriculo gignatur, propter quo-
rundam cruditatem esculentorum aut olerũ,
qualia, beta, capa, brassica, & similia sunt,
ex quibus verbis satis constat, bilem porri vi
rorem referentem ex beta, siculo olere dicta,
potissimum gigni, præcipue in huius ægrotan-
tis ventriculo imbecilli facto. Iis adde quod
Galenus libro 2. de facul. natur. eo loco, ubi
Erasistratum confutat, credentem considera-
tionem generationis humoris nihil ad medici
D *nam pertinere, ait betam, bilem multam con-*
tinere, ob quę forte, libro Artis curativæ ad
Glauc. in tertianæ exquisitæ curatione, inter
atriplices, blitum, & lapathum, betę non me-
minit, neque eam ausus est admittere. Habet
nanq. beta, ut ipse Gal. tradit libro de facult.
simpl. med. multum facultatis nitrosæ, ob
quam, Simeon Sethi, calidam & siccam tertio
ordine betam esse, astruere non est veritus.
Avicenna vero dissimilium partiũ cum Hip-
pocrate libro 2. de diæta, eam facit. At Ori-
basius, ne tantus error in eius operibus Lati-
nis,

nis, per doctissimum Rasarium medicum factis, deinceps legatur, betam calidam dicit, & eius succum inter acria & bene calida, quæ per nares educunt medicamenta, enumerat, unde satis percipitur, quanta inadvertentia, libro 2. sui compendij, capite octavo, in quo, quæ secundi sint ordinis refrigerantium, recensentur, pro blito, beta legatur, & quod ita sit, patet ex capite 21. libro 14. suorum collectaneorum, ubi idem caput repetit, & res quæ refrigerant 2. ordine describit, inter quas, blitum connumerat, & non betam. Sed ne quis me de mendacio accuset, audi. Oribasius capite octavo, citati voluminis compendij, quum quæ secundi sint ordinis refrigerantium describat, ita progreditur, Acacia lota, plantago, beta, galla immatura, & cætera. Quę verba predicto á nobis 14. libro suorum collectaneorum, ipse describens, ita ait, Acacia lota, plantago, eiusq fructus, blitum, galla immatura, & cætera, ut liquido evadat pro blito descripto in hoc loco, falso beta in compendio annumerata sit, quum beta apud graves hos viros, calida sit. Sed non deerit forte ex ijs qui indiscrete quovis in morbo, cuicunque ęgrotanti betam porrigunt, aliquis qui in me debacchetur dicens, nostra hucusq. dicta, vana & cassa esse, cum Galenus dicat, betam coctam nitrositatem omnē exuere, id quod nos fatemur quoque: corpus nanq. beta in coctura nitrositatem omnē ita amittit, ut super phlegmonas, vel Galeno teste, iuste poni possit. At licet beta in coctura nitrosam facultatē amiserit, non propterea eius ius ab ea spoliatum manet, immo eam retinere omnes fateri debent, quum noscant, ea mediante apprime solvere. Non est igitur, ut rem concludamus, danda beta, ubi febris biliosa viget, veluti neque ubi de facili in bilem prassinam verti possit, ubi tamen iocinoris aut lienis obstructiones vigent, beta summopere conducit, pręcipue eius iusculum, aut succus (ita enim Hip. lib. 2. de diæta ait) betæ succus quidem alvum movet ipsum autem olus comestum sistit, hinc enim Paulus lib. 1. suæ medicinæ, cap. 4. dixit, beta vi abstersoria ventrem subducit, coque stomachum largius comesta erodit, iecoris, lienisque meatus aperit. Nam ubi morbus vario constat humore, hoc est, pituita & bile, ut tertiana non exquisita, hæmitritheus, ac huiusmodi alij, in quibus præcipue meatus sunt obstructi, & ægri forte effrenati multa appetentes, tunc beta libere comedenda est, pauca tamen quantitate, quia ventriculo obest, parum nanque nutrit, & medicea est, ut Avicēna fen. 4. libri primi, ex Galeno lib. 8. Methodi medendi, cap. 2. dixit. Est nanque beta ex

E genere alimenti, quod cum multum quantitate sit, parum tamen nutrit, ut cætera sunt olera, & fructus præcipue sub caniculares dicti, de quibus bonus senex lib. 6 de vulgar. morb. parte quinta, aphor. 21. loquutus est, cum dixit. Cibi imbecilliores brevem vitam habent. Id quod eius diligētissimus fidissimusve enarrator Gal. interpretatur, subdens. Imbecillis cibus non alius intelligi potest, nisi parum alimenti corpori tribuat. Istius modi sunt olera, & fructus plurimi, hi nanque (ait ipse) brevem vitam habent, hoc est, ea natura sunt, ut ipsis vescentes brevis vitæ reddant, quum celerrime vacuentur è corpore. Cæterum Galenus citato à nobis libro. Metho. med. octavo, F cum cibaria convenientia picrocholis describat, & ijs forte ephemera correptis, olera omnia abdicat, quia exiguum quod optimi sit succi in se contineant, multum vero quod inutile: & ut hæc ipsis interdicit, ita ea quoque quæ multum nutrire solent, ut panem purum, ova recentia, carnes, & alicam, & medium quoddam inter hæc, concedit, hoc est, ptisanam, quam farris cremori lib. 4. de sanitate tuenda, similem facere videtur, & meritò sanè, cum Græciæ etiam hodie farra ex hordeo parantur. Vt receptui igitur canamus, beta non ita passim, & sæpe ut multi faciunt, ægrotis elargienda est, quum multum bilis in se contineat, & prassinam bilem in ventriculo gignat, cui etiam largius ac liberalius comesta aversatur. Thadeus Florentinus inauratus G vir ille, tantum betæ tribuebat, & tam frequenter eam ægrotis suis dabat, & in usu frequenti habebat, ut non veritus sit betam, sive (ut ille) siclam, à Galeni enarratione 39 supra à nobis citata, è lib. 2. præsagiorum eliminare. Sed quam condate, verecundor mugire, præsertim contra hominem, qui non solum quinquagenos nummos aureos pro merce de singulis diebus accipiebat, sed centenos à Pontifice Romano, aliquando extorsit. Cætera verò de beta, varia & multa consultò prætereo, predictis contentus, ut quæ instituto nostro tantum deserviant. Dicitur tamen beta, ut supra memini, Siculum olus, quia prospere in Sicilia nascatur. Mea tamen sententia, nul-
H libi hodie beta procerius crescit, quam
apud Memphim Aegyptiorum po
pulosissimam civitatem, ut
eam orbis compedium
multi non veriti
sint appel-
lare.

Curatio

Curatio 71. de ingesta carica venenata, & symptomatis inde obortis.

IUvenis Germanus, secunda mensa caricas cum comederet, forte in earũ una intensissimum amarorem, aut ut ipse aiebat, mortem ipsam, persensit, qua de causa, ex ore illico eam reiecit. Cæterum hic paulo post, à cholera morbo correptus fuit: supra nanque & infra, omnia tam tunc comesta, quam varia alia evomuit, & egesit, sed quo angore, quave corporis turbatione, & animi angustijs, vos ipsi putate. At ille cum illico ei multa & varia remedia fuissent exhibita, rectius habuit: unde contempto morbo, balneum intravit, ex quo primò male sensit, & universum eius os ulceribus fœdissimis coinquinatum fuit. Ad quẽ accersitus ego, veneno male affectum hunc comperio, sed quonam, anceps eram: testabãtur nanque mulieres, caricæ illius alteram partem, quam è manu reiecerat, nigerrimam videri, & ut ego puto, ab aliquo animalculo venenoso infectam fieri nanque poterat, intra caricam, viperam venenum suum ex ore eiaculasse, aut araneam, aut phalangium, aut animalculum aliquod, huiuscemodi in eadem nidificasse. Sed utcunque res habeat, ex venenata carica Germanus hic infectus fuit, sed qua sævitie, quove lancinnatu, audistis: præsertim, quod adnotandum duximus, à prandio, qua in hora, raro infici solet veneno corpus, & nõ nisi ingenti de causa corripitur, & superatur. Nostis enim circulatores, & nugivendulos, theriacas suas in foris, & plateis publice venditãtes, præmunitis eorum stomachis oleo, rebus lubricãtibus, & pinguibus ac oleosis, coram omnibus, arsenicum & alia toxica ingerere, devorareve, quæ postea clam evocato vomitu facili, remittunt, & absque noxa ulla incolumes manent. Hic igitur, ut paucis rem concludam, eius recollectis viribus, iure malvæ, & lacte ex decocto caricarum, ac butyro sæpe ebibito, sanus evasit: porrò oris ulcerationes ex unguento ægyptiaco, & alumine vulgari, prout solent tractari per difficiles aphthæ curatæ sunt. Nam & clysteres huic iniecti sunt, ex lacte & rebus unctuosis, veluti ex cassia Aegyptiaca, quibus omnibus, intra viginti dies sanatus est.

SCHOLIA.

NON igitur deinceps integras in buccam mittito caricas, sed eas per medium primò secato, ut maiores nostri, hos & similes eventus timentes, non insulse commendarunt: appellamus autem caricas, ficus aridas.

Curatio 72. De febre interficiente.

VIR 60. annos natus febri laborabat continua, ad quam vocatus ego, eum male habere deprehendi. Nã pulsum intermittentem hic habebat, singulis nanque quinq. pulsationibus, arteria stabat: sed hoc forte non ita ingens malum erat, præsertim in homine sene, ut aliàs diximus, nisi secundũ hoc cõiunctum haberet: à longinquo nanque hic multum fœtebat, corporis ingentem corruptionem putrefactionemve præ se ferens nota. Unde non diu vixit, sed à præsagio habito, intra biduum diem suum obijt.

SCHOLIA.

AEgrotantis fœtor, sive teter & horrendus odor, non contemnenda nota est pro præsagio habendo de ipsius propinquo obitu, præsertim scintillantę peste, ut cum hęc evenere, Thessalonicę vagabatur. Per contagium autem fera hæc bestia intravit, cælo temperato stante: contigere autem hæc paucos dies, post Vergiliarum, sive Pleiadum ortum, anni 1559.

Curatio 73. de Vitiligine leuce dicta, quæ Arabis, Alboras vocatur.

CHiocler iuvenis natus annos tres supra viginti, quum recte valeat, & corporis sui functiones omnes exacte exerceat, eius tamen thoracem albidis quibusdam maculis vitiatum habet, id quod ægre fert, præsertim cum ab alijs acceperit, cutis hoc vitium, si contingat veterascere, in peius labi, & nullam postea recipere curationẽ. Cuius curam suscipiens ego, noto cutis hoc vitium, alteram vitiliginis speciẽ esse, quam λευκην Græci appellitare solent, quæ etsi coloris ad albidius mutatio sit, non tamen cutis tantum, sed etiam carnis subsistentis affectio est, unde in ijs albidis notis, pili cani, & lanugini cuidam similes oriri solent, prout in iuvene isto cernuntur, solet nanque mala hæc affectio oriri ob facultatis assimilatricis errorẽ, ut latius in scholio dicemus: quæ an curationem admittat, nec ne, ita primò experior: digitis compressa leuce, ac acu puncta leviter cute, si sanguis fluit, salutis spes est, si verò lactea humiditas, medicinæ locus non est. In hoc verò iuvene, sanguis comparuit, unde sanum futurum prædixi: id quod paucis medicamentis remedijsve exiguis, intra breve tempus obtinuimus. Proposita nanque victus ratione extenuandi & incidendi facultatem habente, pharmacum leve pituitam respiciens, primo illi obtulimus, postea vero apozemata ex hyssopo, origano, pulegio, stœchade, calamẽtho, & semine fœniculi, apij, anisi, & similibus glutinosos & crassos humores attenuantibus & incidentibus, composita bibenda dedimus, quibus postea elapsis octo diebus, ac repurgato corpore, per catapotia prædictos humores purgantia, polypodium, & cnicum sive carthamum, & chamædrim, & chamæpithim, & valentiora

E medicamenta apozematis adiecimus. Tunc vero corpore exacte mundo facto, ad topica remedia nos divertimus, quæ etsi varia & potentissima, ut pote cutem exulcerantia authores describant: ego tamen ijs paucis opus cõfeci, & ægrotus intra mensem firmata valetudine usus est. Primò viridi ficus folio locus male affectus optime fricatus, ex aceto acerrimo in quo capparum, & dragontij recentes radices inferbuerant, fovebatur, qui rubicundus admodum evadebat, ut ægrotus ipse non raro cõtorqueretur, nec unquam F tamẽ particula aliqua exulcerata fuit, sed ut vesicationes fugeremus, aliquando uno vel altero die, remediorum applicationem interponebamus, quibus facillimis voti compotes fuimus, neq. calce, aut cantharidibus, aut ex eis confecto unguento, veluti neq. alijs varijs exulcerandi vim habẽtibus, usi sumus, quibus medici vitium hoc cutaneum curare promittunt, non advertentes hominem curare, non vero excoriatũ bubulum tergus.

G

SCHOLIA.

Vitiligo cutis est vitium, cuius duæ habentur species, quarum altera leuce, idest, alba vitiligo dicitur, & re vera, aliud nihil est, quã quędam coloris in candidiorem mutatio, quæ non solum cutem sed carnem etiã vitiat, unde in ea capilli albi & lanugini similes enascuntur. Dicitur autem morbus hic Arabice Alboras. Secunda autem species Alphos appellatur, Arabis vero Morphea, quæ & duplex habetur, alba & nigra, cutis H *scilicet vitium, carnem non inficiens: unde in hac neq. pili albi lanugini similes, neq. lactea humiditas unquam cernitur, & ut in universum dixerimus, hæc facilior curatu leuce est. Adverte tamẽ, quod in alphis, sive morphea, squamulæ quędam cutis infixæ apparent, quæ ipsam subasperam cutem reddunt, non continuam, sed quasi guttis quibusdam dispersis, affectam, alba, à pituita, nigra vero, ab atra bile, ortum habet. Cæterum leuce, ut Galeno placet libro tertio de symp. causis, cap. 5. à viscido, glutinosoq. sanguine fit, à quo generationis modo, alphi non decedunt, levius tamen alphi afficiunt, & causam quia leviorem*

habent,

habent, cutis superficiem tantum occupant, in quibus veluti & leuce facultas assimilatrix errat, quemadmodum in anasarca hydropis quadam specie, agglutinatrix quoq. adhærens dicta, ut huius rei testis est Gal. lib. 1. de facul. nat. ut autem nutritio fiat vera, primo apponatur nutrimentum particulæ oportet, dein agglutinetur. Sive adhærescat, tertio tandem & ultimo, assimiletur opus est.

Curatio 74. de erysipelate phlegmonoso nares occupante, & de alio puro digitum infestante.

HVius frater iuvenis natus annos vigintiquinque, temperatura sanguineus, erysipelate phlegmonoso nasum occupante laborabat, parum febriebat, sed ingenti rubore, nares, oculi, & genæ ipsæ tumebát, ut inflammatio erysipelati cõiuncta potius dici mereatur, quam erysipelas phlegmonosum: pro qua curanda, parca proposita victus ratione, refrigerãdi vim habente, illico ab excretis per clysterem ex alvo fæcibus, sanguinis libram integrã ex brachij humeraria vena demendam curavimus, & loco affecto succos plantaginis, solani, & sempervivi exiguo rosaceo aceto expressos, ac linteolis exceptos, admovere: admonendo tamen, ne linteola exsiccari permittantur, sed sæpe imbuta succis, ac intincta applicentur; vesperi vero cum perinde haberet, & tumescẽdo lævam partem potius occupare videretur, ex sinistra humeraria æqua sanguinis portio extracta est, tunc vero eodem perseverante topico remedio, & ebibitis syrupis, rosaceo, violaceo, mixtis intybi & portulacæ destillaticijs, per catapotia bilem educentia purgatus est, & recte valuit. Nec enim opus fuit, refrigerantibus postea discutientia miscere remedia. Isaachus vero Ezra, huius cognatus, natione Germanus, eodem erysipelate phlegmonide nares occupante correptus fuit, qui simili modo

A curatus fuit, & postea clausa fuit curatio, aqua furfurum, qua locus læsus fovebatur, & pauculo unguento rosaceo inungebatur: simili modo sanatus est iuvenis Calaber, qui & ipse in naribus erysipelas inflammationis particeps passus tunc est, ut verum Avicennam dixisse noscamus cum dixerit, erysipelas sæpe nares infestare. Porrò Cadaneta vir biliosus natura, in digito manus medio, purum erysipelas (ipinam vocat Avicenna) habebat, qui cum iam elapso vigesimo die ad me veniret, illico scarificato digito, duæ sanguisu-
B gæ applicitæ sunt, multum sanguinis extrahentes, inferiori autem parte sectæ erant; postea vero emplastro ex duabus farinæ hordei partibus, & altera chamæmeli composito, supra addito brevi fuit sanus.

SCHOLIA.

ERysipelas phlegmonosum, sive phlegmon particeps erysipelatis, si contigerit laxas partes, hoc est, adenas infestare, Galeno authore, libro 2. artis curat. ad Glauc. phygethon
C *particulari nomine appellabitur; ita enim ille cap. primo prædicti libri ait. Sunt enim bubõ, phyma; atque phygethon, partium laxarum (quas adenas vocãt) passiones, bubon quidem inflammatio, phyma autem quod statim augetur, atque ad suppurationem festinat, phygethon autem est id, quod erysipelas particeps inflammationis, aut inflammatio erysipelatis nominatur. Cæterum purum erysipelas ita curavimus tractavimusve, quia vigesimus agebatur iam ab eius ortu dies, item quia in digito, hoc est, extrema manus parte, quibus adde, membri nonnullam lividitatem.*

D

Curatio 75. de febre octavana, longum tempus perdurante.

ATHIAS adolescens temperatura sanguineus, inchoante hyeme, febri correptus est octavana, quæ ad mediam veris usque perduravit, non quidem obscuris, aut absconditis paroxysmis, sed evidentibus, & satis mani-

feſtis circuitibus; ſingulis nanque octo diebus adoleſcens hic horret, horrore quidem horam perdurante unam, exinde ſubſequitur febris quindecim fere horas eum affligens, ſed poſt ita recte valet, ac ſi nihil mali paſſus eſſet, immo munia ſua omnia illico exacte conficit; artem autem textricem exercet. Cæterum incipiebat paroxyſmus ante lucem ſabbati, perdurabatque totum fere diem qua de re, hæſitare cœpi, an ob errorem aliquē commiſſum ab adoleſcente, in ea nocte, præcipue in cibo, & potu, febris hæc veniret: ſed cum experior, nihil tale eſſe deprehendo. Solent nanque Hebræi, præcipue artifices nocte ſabbato dicata, maiori otio vacantes, liberalius cibari, ſed ut dixi adoleſcens hic, in hoc non delinquebat, immo certus fui, eum noctem hanc continuo abſq. cibo & potu tranſigere. Eveniebat igitur febris, ut huius generis aliæ ab humore melancholico, pauco, ſed bene craſſo, ut in ſcholio apparebit, pro quo abigendo, & ſanitate huius iuvenis recuperanda, cum multa cōcinne, & ornate data ſint medicamenta, ſanatus eſt.

SCHOLIA.

QVintanæ, ſextanę, ſeptimanæ octavanæ, & nonanæ, Hippocrates bonus ſenex ille libris epid. & prorrheticis, veluti ſexcētis alijs locis meminit: Gal. vero nullum horum circuituum ſe vidiſſe, ultra quatriduanum, libro primo de diff. febrium cap. 5. teſtatur, nos vero non ſolum hos, ſed annuos circuitus obſervatos hucuſque habemus. Virum quendam novimus, qui ſingulis annis, eo die, quo in lucē exivit paroxyſmo evidente ſatis, corripiebatur, reliquo vero in tempore recte valebat: immo adoleſcens, de quo curatio noſtra agit, non ſolum præſenti hoc anno, hæc dicta paſſus eſt, ſed elapſo anno, etiam eodem tempore omnia ſimilia habuit. Cæterum ſextana, ſeptena, octavana, longe natura ſua ſunt, ſed nonana cęteris longior: omnes tamen ſalubres, & minime lethales; Quintana vero cæteris periculoſior eſt, & magis mortifera. Nam ante phthiſim, & iam phthiſicis ſuperveniens, interficit, ut meminit Hippo. libro primo Epid. harum vero cauſam, melancholicum ſuccum eſſe diximus, & ut Avicennæ placet, quantitate E *exiguum, ſed ſubſtantia craſsiorem eo, ex quo quartana fieri ſoleat, unde præter quatuor communes humores, novos excogitare opus non eſt, ut fen prima, libri quarti, capite rei huic faciente, ſapienter dixit.*

Curatio 76. de abſceſſu iecur inficiente.

PRædurum abſceſſum ſuper iecur extra prominentem patiebatur Calaber, vir boni habitus, annos natus ſexaginta, quem medicamentorum va- F riorum emollietium uſu & beneficio, chirurgus ad ſuppurationem trahere totis viribus conabatur. Cæterum ad hunc cum vocor, eum lectulo graviter decumbentem invenio, febriebat tūc, & vix ad latus movebatur, conſpecto tandem abſceſſu, & digitis tacto puris non exiguam quantitatem, cum longo artis uſu exercitioque, tum gratia, beneficioque, à natura ad id mihi conceſsis, ſubtus latitare deprehēdo, unde ſubito accerſito chirurgo, candente ferramēto decliviori in loco, eum ape- G rire feci, ex quo puris non adeo albi, ingens quantitas confeſtim exivit, habito à nobis virium tenore, & reliquis ad id facientibus. Intromiſſa itaque turunda, toto confuſo ovo intincta, & exercita poſtea curatione, hoc eſt, digeſta ut aiunt materia, & abſterſa plaga, etiam ſyringe, ſive ſyphone iniectis lavacris, & ſuprapoſito unguento baſilico minori, vel albo, aut ex tutia confecto, prout tēpus, & ratio poſtulabant, H ita res ſubſequuta eſt: cum nāque abſceſſus diſciſſus fuit, paucas poſt horas homo hic in ſingultum venit: indiciū prout aſsiſtentes putabant, peſsimum, & lethale, & re vera, ſingultus hic læſionem in concava iecinoris parte præcipue atteſtatur, ut doctè Avicenna proſequitur fen 14. libri tertij, capite de notis apoſtematum hepatis in genere, & nos ex Galeno ſæpe ijs in Centurijs meminimus: non inde tamen argumentum præſagiendi de huius obitu ſumpſimus, tametſi nonnullos dies

singultus hic eum infestaverit. Sed no tam hanc alia peior comitabatur, ventris scilicet fluxus, pro quibus domandis symptomatis cataplasma iecur roborans superponi iussi, ex palmulis, rosis, chamæmelo, & absynthij coma, & tunc ulcus ter in die curabatur, & rectius habebat: ex eo nanque puris multum effluebat. Sed præter cataplasma iecori appositum, stomachus, sive os ventriculi nardino fovebatur oleo, & victus huic, tenuis satis ut ptisana admista pulli decocto, veluti ex oryzæ polline pulticula offerebatur. Meministis enim ex Galeno, me non semel dixisse, correptos oris ventriculi, & iocinoris inflammatione, parcius cibari debere, quam qui pectoris inflammationibus afflicti sunt: hoc etenim ordine ægrotus hic optime habuit: ulceris tamen emissarium orificiumve apertũ illi semper mansit. Fieri etenim nunquam potuit, ut consolidationem reciperet. Sed hæc forte parui momenti res est, cum hic omnia munia sua exacte & concinne conficiat, & nihil doleat, sed valide & prospere valeat, & melius forte quam prius, cum in morbum incideret.

SCHOLIA.

ABSCESSUS hic ad latus dextrum supra iecoris membranam iacebat, qui eius præcipue cavas partes obsidebat, ut singultus, & egestiones attestabantur, ad hæc saniès ab ulcere aliquando exiens, sanguinolenta, cruentave, iecur ipsum referens, ut tumorem ingentem extra prominentem, & hepar ipsum comprimentem, & lancinantem præteream: leviori igitur manu, candente ferramento ustio illa facta fuit, de qua re Hippocrates libro septimo aphor. 45. dixit, quorum hepar suppuratum aduritur, si pus purum fluxerit, & album, evadunt: in tunica enim his pus continetur, si verò qualis amurca fluat, pereunt: tunc enim ut Gal. in enarratione ait, iecoris substantia maculata est.

(*)

Curatio 77. de laborante in iecore abscessu, & exanimato, mortuove, quia extra cubile egestium surgeret.

FIlius illius qui ex Malacha Indiæ ultima quadam provincia ad nos redierit, iuvenis triginta annorum, tẽperaturæ satis exustæ, iecinoris inflammationem patiebatur, ad hæc febrim continuam, singultum, bilis prasinæ vomitum, fastidium, & bilis flavæ per universum corpus effusionem: quibus omnibus alui fluxus supervenit, indicium lethale & mortiferum, qua de causa imbecillis factus, consultum fuit ne extra lectum egestum surgeret, ille vero non obediens supra scaphiũ sedens, exanimatus obijt, forte autẽ evaleret, ni infortunium hoc illi supervenisset, ut nonnullis iam quoq. evenisse Galenus memoriæ commẽdavit: porro hic in tãtum malum devenit, forte ob medici qui eius curam habebat, segnitiẽ: sanguinis nanq. missionem in totum præterivit.

Curatio 78. de unico remedio contra nephritim, & renum lapillos.

VIr qui nephritim patiebatur, & de renibus non raro lapillos rubentes per virgam mittebat, multum querebatur: lumborum nanq. & iliorum, immo totius ventris dolores, & rugitus sæpe sentiebat: pro quibus abigendis, profligandisve symptomatis varijs & pessimis, multis est usus remedijs, frustra tamen. At quum præter spem, ex cuiusdam commendatione avellanis in victu uteretur, liber, & sanus à tantis affectionibus evasit: consulerat autem illi vir quidam, si morbum profligatum vellet, avellanas in-

ternis ſuis membranulis, initio prandij, & cœnæ comederet, cæterum ille remedium conſiderans familiare, & optimum, non ſolum initio menſæ eas comedebat, ut medicus ille impetraverat, ſed medio & fine, quarum aſsiduo uſu, ita valuit, ut nunquam poſtea morbum perſenſerit.

SCHOLIA.

NON ſolum vir hic, de quo agimus, per avellanarum eſum, ſanus ex hac mala affectione fuit, ſed plures alij: ſunt autem avellanæ hæ vulgares, ponticæ dictæ & nuces, quas Avicenna inter eas medicinas, quæ lapidis renum materiam abſumunt, reponit: ſed qua facultate operentur, dubium eſt, an forte ſua ſiccitate, & facultate in membranula interiori comperta. Sed non deſunt alij qui hoc operari ſuæ nuclei parte oleoſa contendant.

Curatio 79. de peripneumonia à capitis deſtillatione contracta.

MVlier Calabra, triginta annos nata, & quæ iamdiu de hemicrania, capitiſve dolore conquerebatur, repente peripneumonia à deſtillatione capitis pendente correpta fuit: dignoſcebatur autem quod mulier hæc hoc laborabat morbo ijs indicijs, ardente & acuta febre detenta ſpiritus difficultatem patiebatur: ad hæc, diſtentionē, pectoriſque profundam gravitatem latus dextrum præcipue occupantem, & genarum ruborem, & in ore ulcuſcula, ac in faucibus deglutiendi ingentem difficultatem, & linguæ ſcabritiem ingenti rubedine, & inexplebili ſiti habebat, cum quibus, ſi quid guſtabat, quod liquidum eſſe propter deglutienti difficultatem, neceſſum erat, illico vomebat: quæ omnia mihi ſatis atteſtabantur, hanc in pulmonibus inflammationem pati, & eam quidem eryſipelatis naturam reſipientem, pulſus tunc utcunque conſtabant, & lotium rubrum E ſubſtantia mediocre erat. Quibus omnibus æquè libratis, illico illi ex interna cubiti vena dextra ſanguinem ad uncias quinque demere iuſsi, à qua ſanguinis miſsione illi alvus citata eſt, & ſæpe & multa, variaque egerebat. Sed cum nihil guſtaret, & ſi guſtaret, ſtomachus non retinebat, cruciabat, & quibus remedijs curari deberet inquirebam: ridiculoſum autem erat vētriculo occurrere, tametſi ipſe non recte haberet. Cum igitur ſic anxius eſſem, in mētem venit, hanc evaſuram, ſi modo gelu in ore aſsiduo teneat, F quod ex continuo & paulatim excolet, diſtilletve, quo remedio, tantus focus, igniſve urens intra paucos dies extinctus fuit, paucis topicis ſive localibus applicitis remedijs, ita ut nunc baſilicè valeat.

Curatio 80. de lippitudine ophthalmia dicta, epidemiali.

G VIgente divite autumno, ſatis temperato 1560. magna pars populi ophthalmia lippitudine dicta, oppreſſa fuit, pro qua curanda, tato medici accerſebantur, etiam ſi difficilis eſſet: ita enim hominibus communis iam & familiaris morbus evaſerat; & re vera morbus hic paucis curatur abigiturve: perduravit autem lues hæc unum vel alterum menſem. Sed hæc ſcriptis damus, ut noſcatis morbum hunc populariter vagari, veluti alios, alijs in H temporibus. Cæterum ſi qui remedijs ſubijciebantur, habitis forte primo vacuationibus univerſalibus, ijs topicis utebantur. Ovi aquato roſarum ſtillatitia mixto, & ſæpe linteo applicito, vel temporis ſucceſſu, decocto fœnugræci, tantopere à Galeno laudato, vel hoc alio potentiori. Rec. ſacchari candi, partes tres, ſarcocolæ, partes duas, viridis æris, partem ſextam, omnia in tenuiſsimum pollinem redigantur, & ovi aquato excipiantur, & roſacea paretur

retur collyrium,& utatur. Porrò Iosephus Chrispinus, nigelli coloris vir, post sanguinem ex brachio extractũ, veluti per cucurbitulas scapulis admotas, collyrium album Rasis, suo exiguo opio concinnatum oculis admovit, & peius habuit, forte quia collyrium acu tas & ignis modo urenteis lachrimas retinuit, concarceravitve, sed illico deposito collyrio, carnis vaccinæ frustulis utebatur, quibus oculos multum refrigerari aiebat, sed re vera, purgato corpore, brevi sanitatem obtinuit, quẽ admodum Abrahamus Almulius Andrinopolitanus, & alij plures, ex hoc eodem morbo.

SCHOLIA.

IN mittendo sanguine ex venis, talis servari debet ordo. In morbis capitis, & cervicis, humeraria incidenda est vena, à qua oculorum dolores vehementes mirum in modum sedatur, si modo in cubito edirecto secetur, ut memoria commendavit Gal. lib. 4. de anatom. administr. & Oribasius lib. 1. sui compendij, cap. 10. & Paul. libr. suæ med. 6. cap. 40. inferior autem vena basilica dicta, secta utilis est ijs, quorum partes, quæ infra collum sunt, patiuntur: media autem vena, hoc est, composita ex cephalica & basilica, in paucis reperta, ad superiores, & inferiores est accommodata. Quæ vero in pedibus sunt venæ, morbis opitulantur ijs, qui a renibus & umbilico imas partes obsident: sed hæc plenius ex libris huic negotio dicatis condiscet.

Curatio 81. de vertigine, hoc rigido hyberno, multos affligente, simulque de sphacelismo.

HAc rigida, nivosa, & sæva hyeme, anni 1560. plures de vertigine conqueruntur, quia nonnulli eam noctu, cum in cubili volvuntur, persentiũt, ut Aratinus pharmacopola, Ezra Vicinius, & alij plures: sed multi alij, quum lecto surgunt, in aurora magis in eam incidunt, ex quibus nonnulli

A cadunt, & tanquam apopletici manet, ut Mordohai Moschus, qui cum è lecto surgeret, omnia circumrotari illi videbantur & apopletico paroxysmo apprehensus fuit, sed cum robustus esset, restitit, & adiutus recte habuit. Ad eum autem veniens sensu & motu privatum, dentibus cõstrictis invenio, sed exercitis frictionibus, & vinculis admotis, & aceto ex origano naribus applicito, veluti castoreo, & cuneolis apertis dẽtibus, naphæ aquam tepidam

B per os injiciendam curavimus, quibus ad se redijt, & de capitis dolore tunc maxime querebatur, pro quo iuvando tunc, glãde una vel altera melle, & speciebus trochiscorum alaandal composita, eius irritata fuit alvus, & ius pullæ pro victu concessum, sequenti vero die cum etiam de capitis dolore conquereretur, & anxie haberet, purgans medicamẽtũ, boli forma illi dedimus, quo recte purgatus est, & tunc pileus ex aromatis, & capiti deservientibus medicinis consitus, insertus est: ut melanthio, nuce moschata, caryophyllis,

C cardamomo utroque, stœchade, maiorana, origano, pulegio, & similibus, & scapulis cucurbitulæ quatuor sunt affixæ; per quarum duas, cute secta, sanguis extractus fuit, & tunc per nares decoctum maioranæ adiecto pauculo succo cucumeris asinini, inspirabat, trahebatve, quo remedio nõ raro sternutavit, & ut ille aiebat, oculorum lumen clarius evasit, ultimo vero, conditum est stœchade, singulis auroris gustabat, & cinnamomi decoctũ superbibebat, & intra sex dies sanatus est. Cæterum Iacobus Lævita cum simili ac-

D cessione correptus esset, illico obijt. At ancilla Isacchi Erguij, Sarmata, iuvenis temperatura sanguinea, obesa, & quæ nunquam forte menses suos viderat, post annuam quartanam, à quã forte iam libera erat, repente capitis intensissimo dolore ingẽti cum febre cruciari cœpit, & inde gemendo, & stertendo, quasi mortua ad 24. horas mansit, in fine quarum suũ diem obijt, & ut ego coniecto, sphacelismo appre-

hensa, per nares autem & os multa sanioſa, & virulenta reiecit.

Curatio 82. In qua proponitur caſus, non contemnendus in pleuritide.

VIrgo annos nata ſexdecim, hoc nivoſo, & rigido tempore ſæva pleuritide coſtas dextras ſuperiores cum ipſa clavicula corripiente cruciabatur: ad quam accitus, tertio fortè ægritudinis die, eam graviter de dolore conqueri, ut dextrum brachium nõ moveret, inveni, quo cum agone & infortunio, illi ſui ſoliti & copioſi menſes tunc fluebãt. Cum igitur morbum gravem & periculo plenum dignoſco, pro eo abigendo, vincendove, ſanguinis miſsione indigere ſtatuo, ſed ex quanam parte hoc opus, hic labor eſt. Phlegmone nanque ſuccingentem coſtas membranam male afficiens, ex interna brachij vena exercendam vacuationem quam ociſsime poſtulat, menſes vero fluentes, ex ſaphena potius celebrandam clamant, quia ut Hip. ait, per eãdem viam vacuationem facere debemus, per quam natura indicat, itẽ quia hoc in caſu, aliter faciendo, ſurſum ſanguinem evocaremus, & phlegmonem augeremus, & conſequẽter ad obitum ægrotantẽ traheremus. Longe enim hic alius eſt caſus, ab eo, quem ijs in centurijs propoſuimus: ſcilicet, ubi ſuppreſsi ſunt menſes cũ plethora, quo in caſu aliquando Paulus, & poſt eum Avicenna ex brachio primo ſanguinẽ demendum conſtituunt, in hoc autem præſenti caſu, menſes fluunt, proinde cum morbus, ut audiſtis, periculoſus eſſet, fixo animo ex ſaphena pedis dextri reſpicientis dolorem, ſanguinis uncias octo demere feci, à quo extracto, menſes copioſiores erant, & dolor non ita ſævè cruciabat, ſed tanquam ſtipata manebat, pro qua iuvanda topica remedia applicabantur, & cætera neceſſaria exercebãtur: porro duobus interiectis diebus, cum forte menſes ceſſarent, & dolor adhuc ſæviret, ex interna cubiti vena eiuſdem lateris, ubi erat dolor, ſanguis ad uncias ſex extractus eſt: à qua ſanguinis miſsione rectius habuit, adeo, ut ſequenti die ab epoto atramento caſsiæ Aegyptiacæ decocto pectorali excepto, ſana evaſerit, quo in tempore plures, & varij ex pleuritide ſanati ſunt, ut nepos Azariæ provincialis, & Sadic lanij uxor, utero gerẽs, quæ poſt ſanguinem ex brachio extractum, in renum & iliorum, ac vẽtris dolores incidit, & ſequenti die puellam quinque menſium deturbavit, abortivitve, unde illico recte habuit, & ſanata eſt: ſic ſacerdos textor, & illi vicinus Ioſephus Oef, vir ex mea propagine ſtirpeve: ſic etiam filius Trapezitæ iuvenis ſexdecim annorum, & uxor Sabatai, qui pileos conficit, & Nathan Salaphatinus, & Calabra mulier utero gerens, & piſcator: omnes ij, & alij intra decem dies ægrotarunt, & ſanati ſunt, neque unquam aliquis pleuritide affectus, moritur, ſi modò brevi noſtro utatur conſilio. Siculus homo, & alij incurati, aut per nos non tractati, tunc pleuritide affecti diem ſuum obiere.

Curatio 83. de ſynocho febre, duplici tertianæ complicata.

HOC eodem tempore Sadich Lanio, iuvenis robuſtus, ut athletam ipſum dixeris, cum eius uxor pleuritide laboraret, ſynocho duplici tertianæ complicato, male afficiebatur: continuo autem febriebat, & ſingulis diebus, ſingulam acceſsionem patiebatur: ex accenſo autem ſanguine, ſynochus ortum trahit: cæterum ex ſubtili ipſius ſanguinis parte, bilem dixerim, duplex tertiana quoque facta eſt, unde hic & continuam febrim, & duplicem tertianam patiebatur. Cæterum

terum hos variis in corporis locis fieri morbos, ut plura alia, consulto prætereo: erant autem huic pulsus omnibus dimensionibus validi, lotium rubrum crassum, & fere turbatum, sitis ingens, & capitis dolor, cum quibus sanguinem profluentem ex naribus passus erat: quibus omnibus consideratis, illico accersito chirurgo, ex jecoraria vena brachii sanguinis libras duas demere feci, qui quidem sanguis admodum corruptus erat, ut vesperi repetita sanguinis missione, aliæ duæ libræ extractæ sint, & illico absque febri manserit, & tota nocte recte habuerit. Sequēti vero die de more altera tertianarum eum invasit brevis, tamen quum per copiosissimum sudorem exoluta fuerit, adeo ut die proximo, cum Ægypciacæ cassiæ atramentum ebibit, ab omni morbo sanus evaserit: solent autē hic Thessalonicæ maiori ex parte, ex hac morborum complicatione ægrotantes mori: ut latius dicemus.

Curatio 84. in qua diluitur dubium à Thessalonicensibus propositum.

EFFLAGITASTIS à me, qua ratione omnes fere qui in pavicuło, pro paviendis pannis aliquot dies commorantur, cum domum se recipiunt, ægrotant, & moriuntur. Ego vero, ut qui nō paucos præ manibus huc usque habui, & tractavi, hanc præcipuam causam stare, qua ii ægrotant & commoriuntur, putarem: agūt autem ii in pavino, quinquaginta milliarib., ab hac Thessalonicensi civitate in rupibus sito, saluberrimo aere circundato, & aquis multis frigidis & optimis abundante, ob quas recte ii illic valere deberent. Cæterū cùm ij sint homines optimo pani, recte pinso, & valenter subacto, fermentatove, & juste salito assueti; subcineritiis pani bus, male

A subactis, & non fermentatis illic vescuntur, quos difficulter concoquunt, conficiuntve, & eo magis, cum vini vice, quo uti solent, aquam frigidam bibant, unde in diarrhœam omnes fere veniunt, quam in bonam partem miseri ii rejiciunt, credentes aquæ beneficio, panem illum in stomachis cōcoqui, & distribui, sed res non ita se habet, quum ob panem illum concoctu difficilem, & aquam frigidam, ac præ ceteris, quia insomnes agunt, hæc illis eveniant: parum autem ii dormiunt, ob negotium conficiendum: si nanque somnus longus & profundus illis esset, sufficiens esset panis & aquæ errorem

B compensare. Tradit nanque Polybus libro de diœta salubri privatorū somnum altum & profundum emendare rusticorum errores, unde cum imbecilles sic ad aliquot dies maneant, ægrotant, sed præcipue domum cum se recipiunt, quia cum uxoribus coeunt, & variis eduliis se ingurgitant: sic enim imbecilliores fiunt, & succi in eorum corporibus putrefiunt, ex quibus sævissimi morbi gignuntur, & per consequens mors ingreditur. Vt igitur tātum malum effugiant, duo agāt oportet: primum ut bituminosum panem

C illum prætermittant, & panem fermētatum comedant, vel saltem nauticum dictum: secundum, ut dormiant, aut nō ita ut solent vigilent.

Curatio 85. de bile viridi, & vermibus, ingenti cum febre interficiente.

D IN Circulo Basæ, magnæ spei puer annos natus decem, ut qui ingenio acri, & memoria tenacissima pollebat, & multa, & magna legū citabat, morbo laboraverat venenoso, ex quo ut parentes referebāt, optime recteq. jam valebat: cæterum paucis interjectis diebus, ecce puer hic poma prædura, & varia alia pessimi succi edulia ingessit,

geſſit, à quibus illi ſuborta ardens febris eſt, vomitu bilis porri, & iſatidis virorem referentis, multo, & frequenti, ex quibus anguſtiabatur, triſtabatur venimis, & gelidã clamabat cõtinuo. Ad quem accitus ego, omnia ex bile venenum referente, & à pomis genita, eveniſſe conjecto, qua de re ad irritandum vomitum, bilemque viridem evocandam illam, vomitorio agarico albo, & ſimilibus conſtante, accingor, quo ſcopum obtinuimus: multa nanq. viridia per os vomebat: alvus tamen adeo conſtricta erat, ut non niſi infuſis reſponderet. Sequenti vero die, cum jam ea, quæ per vomitum mittebat viridia non eſſent, bolum conſtantem rhabarbaro, electario à dactilis, ſemine ſanctonico, cum nonnullis myrobalanorũ corticibus citrinis illi dedimus quo multa per inferiora egeſſit, bilem prædictam referentia, nonnullis cum vermibus prævivis, & oblongis ſatis, per ſuperiora vero etiam tunc nonnulla, non admodum tamen ut prima viridia, ſed æruginoſa, & Zinaria ab Avicenna dicta, vomebat, in quibus viriditas obnimiam uſtionem amittitur, & albedo, ſive cineritius color introduci incipit, cum quibus & nõnullos vermes evomuit, quo in tempore nihil præter gelidam guſtabat, quam avidiſsime appetebat. Tertio tandem die, ab ejecto per os oblongo & craſſo verme informi, diem ſuum obiit.

SCHOLIA.

A BILE viridi ex pomis genita, alios mori aliàs obſervavi. Cæterum filia Samuelis Aſayæ juvenis, quæ nõ diu primo peperat, & recte gubernata erat, ex ſimili morbo febrive, à bile praſsina originem trahente, multis cum vermibus obijt. Vocatus autẽ ipſe octavo ægritudinis die, illico deploratam eam reliqui, tametſi optime, & expedite loqueretur, ut nihil mali pati aſſiſtentes crederent: obiit autem ſequenti nocte, ingenti cum dolore ventris, & inexplebili ſit. Evadunt tamen aliquando ij, ſi ab initio venenoſa hæc materia purgatur, vacuaturve. LANDVS. Si verum eſt quod bilis praſſina veneni naturam ſapit, quomodo cum ea vermes tam ſae-

E *pe complicantur, reperiunturve. AMATVS. Recte ô Lande proponis, ut qui à pituita, & corruptis putidiſve ſuccis, vermes gigni, cum medicis obſervatum habes: cæterum contingit non raro prædictis cum ſuccis, à quibus vermes gignuntur, bilem praſſinam venenoſam reperiri, vel ſaltem miſceri, unde & vermes, & bilis praſſina non raro ſimul foras prodeunt, aut per medicamenta detruduntur. LANDVS. Ob variam igitur humorum miſcellã hoc evenire, ſi recte teneo, ais. AMATVS. Ita vulgares aiunt medici, ſed ego tibi longe pulchrius, & magis veridicum ad præſens reſponſum dabo, & forte ex Dioſcoridis, & Galeni decerptum decretis. LANDVS.*
F *Hoc audire pergratum mihi erit, ut cum dabitur occaſio, de ijs diſſerere noſcam. AMATVS. Altius hæc repetenda erant, ſed pro ſumma hic habeto: a pomis peponibus, cucumeribus, beta, & huiuſmodi aliis fructibus, & oleribus, in ventriculo non coctis, bilis praſsina gigni ſolet, quæ pituitæ naturam ſapit & imitatur. Porrò ſi fructus ij aut olera in totum ipſo in ventriculo contingat corrumpi, tunc tantum abeſt, ut pituitæ naturam ſubeant, ut potius bilis calidiſſimae, & venenoſae temperaturam ſortiantur, ex qua ardentiſſimae, & lethales gigni ſolent febres: id quod lucide ex Dioſcoride lib. 2. ſuae medicae materiae, capit 129. de peponibus elicitur, veluti ex Galeno libro de Euchymia, & cacochymia. Cum igitur ingeſti fructus pars*
G *non admodum corrumpi contingat, & pituitæ naturam ſervet, inde lumbrici facile in inteſtinis, & ut dixi, ventriculo ipſo gigni ſolent, ex reliqua vero in totum corrupta vitiatave, bilis, praſſina, acris, & pruriens evadit, ex qua vermes forte gigni non ſolent, quanquam, & ex ea gigni poſſe abſurdum non videbitur aſſerere, quando quis noverit viperinum venenum dentium veſiculis contentum, dulce admodum eſſe, ut revera eſt. Habes igitur mi Lande cauſam, ob quam lũbrici praſſina cum bile fere ſemper complicantur, ut aliàs, ita hoc anno in trecentis fere pueris obſervavimus. Nam filiolus Saragua chirurgi annos natus decem, medio autumno cum*
H *intemperanter fructus varios comederet, febre dolore cum ventris corripi cœpit ſaevo, & omnia faſtidiebat, & illi vix pulſus percipiebantur, quæ omnia à bile praſsina calida & pruriente ſive turgente, ortum trahebant; id quod bilis ipſa per vomitum ejecta, ſymptomataq. alia atteſtabantur, quæ cum bile praſsina multos vermes etiam per os emittebat. Caeterum cum humor hic turgeret, illico omni data opera de eo purgando vacuan-*

dove,

A *dove, Hippocratis consilio, soliciti eramus, qua de re pharmacum constans rhabarbaro, electario à dactylis & semine sanctonico, illi dedimus, quo nihil quicquam egessit, rectum nanque intestinum humor petivit, sed foras non exivit, forte medicamenti purgatorii impotentia ignaviave, unde illico totus venter tumefieri cœpit, & ad inguem dextrum puer ipse sequenti die doluit, quę omnia ab humore illo acri prurienteve, evenisse, notius quam à me multis dici possit: turgens nanque hic humor, & jecur imbecille reddit, & abscessum interiore in parte intestini recti versum inguem genuit. Vt tamen hic puer egere, glandes ex discocto melle, stercore muris & scammonio apparatas, pater chirurgus*

B *mittebat, quibus alvus optime respondebat: non autem ita recte clysmis alvus irritabatur, ut balanis prædictis quemadmodum multis evenisse observatum habemus, quibus glande una vel altera facile & abūde alvus respondet, clysteri verò nequaquam, veluti & cōtrario multis aliis. Vt tamen tanto malo obviā iremus, multa machinati sumus, quorum beneficio abscessus disruptus est, & ex eo pus multum sanguini mixtum, per anum non semel exivit, & tunc stercora cineritii coloris multa mediocri consistentia erant, & puer ipse extenuatus satis. Post disruptum vero abscessum infusis ex aqua hordei, saccharo, & ovi luteo plaga fovebatur, quibus po-*

C *stea rhodomel miscebatur, aut aqua mellis syphone ejaculabatur, quibus alvus detumuit, sed puer gracilior in dies evadebat, & vires imbecilliores percipiebantur, adeo ut elapso quarto mense ægritudinis, vigente frigore intensissimo, suum diem obierit, ut plures alii tunc longis morbis detenti. Puer tamen qui apud Calabros, non procul à Melimen qui apud Calabros, non procul à Meliten si circuitu agebat, octo natus annos, febre lenta & errante laborabat, quam ab obstructionibus evenisse, medicus contendebat, cęterum cum in dies puer hic peius haberet, & gracilior evaderet, ad eum vocatus, noto per*

D *indicia tam sæpe repetita, puerum hunc multis vermium myriadibus laborare, ex quibus febre nullum ordinem servantes dependentiam habebant, qua de re cum bolum hunc deglutiret, multos magnos prævivos, & alios non paucos linearum modo dejecit, & brevi sanatus est: habet autem bolus sic. Re. rhabarbari optimi drach unam, & alterius mediam, agarici electi scriptulos duos, diaphœniconis drach. duas, pulveris nostri contra vermes drach. unam saccharo excipiatur omnia, & fiat bolus, quem jejuno stomacho comedat, aut deglutiat, & supra dormiat per*

A *boram: eo enim ut dixi, post ejectos multos, & varios varmes sanatus est, ut jure diximus, omnes fere ægrotantes vermibus absumptos hac ætate excarnificatos decedere.*

Curatio 86. de nonnullis ob ingens frigus, congelatis, emortuisve, aliisve restitutis.

MVLTI ob ingens frigus, rigidum, & nivosum, nunc congelati mortui sunt, alii vero pedes, alii ma-

B nus, alii digitos, alii alia membra, tanquam nigra cornua facta perdiderunt. Vir vero nobilis cum iter ageret, & tanquam mortuus rigidus & gelatus ad pagum veniret, dissecto bove, intus se mitti jussit, & evasit, remedium iis qui venenum hauserunt unicum, præsertim in dissectis mulis. Porro Rhodius homo, qui per sex hebdomadas in naui remoratus est, alterum pedem tumentem nonnulla cum lividitate, sed ingenti dolore patiebatur, quem in pristinum nitorem, & exactam traximus sanitatem, hoc applicito empla-

C stro, Rec. farinæ hordei, fabarum, orobi, oxymellite excipiantur, & fiat emplastrum, alii vero fortè peius habebant, ut qui in particulis nigritiem patiebantur, sed ita tractati, rectè habebant, scarificatis nanque particulis ipsis, & salita aqua lavatis, ac suprapposito dicto emplastro rectè ut dixi, ęgrotantes habebant: si quæ tamen emortua, ac grangræna affecta particula erat, tota illa emortua præcidebatur, ut

D vero emortua pars à sana separaretur, aliqñ fervente picē supra injiciebam⁹, cætera & varia cōsulto pretermittim⁹.

Curatio 87. in qua docetur, quomodo mithridatica antidotus vere parari debeat.

VT per tuas accepi literas Ammoni sapientissime, cruciaris, quod cum

cum apud curia Solimani Turcarum Imperatoris Constantinopoli freques & assiduis mithridaticæ antidoti usus, ex qua tamen descriptione, eam para re debeas, nondum satis si conscius: tuæ dubitationis, ut ego auguror, Galenus author est, ut qui libro de antidotis 2. mithridaticæ antidoti varias descriptiones scriptas reliquerit, & ex eis tres præcipuas constituerit, primam per Andromachum citatam, secundã, per Antipatrum & Cleophantum, tertiam vero per Damocritum, numeris insignitam, quam ut paucis tibi dicã, medici ut efficacem magis, & usui cõmuni habitam, recipiũt, & in praxim trahunt. Ex ijs Paulus Aegineta inter Græcos, unus est, qui hanc tertiam descriptionem, ut communem, & Mithridati Ponti Regi familiarem accepit, & suo medico compendio affixit: mea tamen sententia, diminutam & acephalam, ab eo diascincu appellatam. Nam præter quod in primis agarici, & croci oblitus est, in reliquorum simplicium ponderibus longe variat. Sic ex Arabis, Avicenna, qui se Galeni interpretem profitetur, libro 5. sui canonis, hanc eandem huius antidoti descriptionem, ut communem & veri dicam imitatur, & eidem subscribit, sed quanto errore, aut potius inconstantia, vel ex hoc constans lector dijudicare poterit, ut qui noverit Avicennam ipsum gloriari in sua descriptione tredecim simplicia reperiri, quę in Galeni habita descriptione non habentur, inter quæ, primo agaricum nũ gatur, & hermodactylos addit, & varia alia, quæ robustissimo stomacho homo concoquere, & digerere, sive distribuere nõ valebit. Qua de re postpositis iis, & Nicolao, ac non paucis aliis, quia artem medicam evertere, & turbare solent, Galeno unico medicinæ lumini, fidem præstemus decet, & in hac re veluti in cæteris, illi subscribamus, & ex carminibus numerisque, antidotum hanc, quæ in universum theriaca erat, si modo ei pastilli ex viperæ carnibus confecti, miscerentur,

E prout Andromachus senior, Neronis primarius medicus, non sine divino lumine primò ei miscuit, in pedestrem sive fluxam orationem reddiderimus. Et ne jam lectorem remoremur, antidotus mithridatica in officinis paranda, ex Damocrito ita habet, Rec. myrrhæ, croci, agarici, zingiberis, cinnamomi, spicæ nardi, thuris, thlaspis ana drach. decem, seselis, opobalsami, junci rotundi, stœchados, terebinthinæ, chalbani, oppopanacis, malobatri foliorum novi. an. drac. octo, casiæ, polii, piperis albi, scordii, seminis dauci

F cretici, carpobalsami, cypheos, bdelii an. drac. vii. nardi celticæ, gummi arabici, petroselini, opii, cardamomi, seminis fœniculi, gentianæ, rosarum, dictamni cretici añ. drach. quinq. anisi, ari, acori, phu, sagapeni an. drach. tres, meu, acaciæ, scinci ventris, seminis hyperici ana drach. duas, & alterius mediam, vino & melle quantum sufficit, secundum artis ministerium fiat antidotus mithridatica. Cæterum, quia hanc exopticam & miram antidotum mithridaticam, cypheos compositio ingreditur, exornatæ, dignum duximus, eam quoque hic appendere, quæ

G ex Galeno, ita quoque habet. Rec. pulpæ passarum uvarum albarum, terebinthinæ crematæ an. drach. vigintiquatuor, myrrhæ, junci rotundi an. drach. duodecim, cinnamomi drac. quatuor, croci drach. unam, bdelii pinguis, spicæ nardi, casiæ bonæ, cyperi, baccarum juniperi an. drac. tres, aspalathi drach. duas, & alterius mediam, calami odorati drach. novem, modi-

H co melle, & vino pauxillo, para exiguos orbiculos mithridaticam antidotum insignem, veluti theriacem exornantes. Hæc enim ex fonte suo decerpta sunt, prout similia decerpi debent. Suadet nanque Avicenna libro quinto sui canonis, theriaces compositionem non aliunde petendam esse, quã ab Andromachi descriptione, habitã simplicium eadem mensura, & pondere, id quod Galenus primo suasit, quamquam Imperatores eam non ra-

ro pervertebāt, ut Antoninus, qui Antidoto primo authoritatem dedit, & eo quotidie utebatur, ex quo opium, sopore cum præmeretur, adimebat, vel uti non raro, ipsi vetusto Antidoto, vel absque opio composito, opium, aut Antidotum opium habens, cum in vigilias incideret, pro somno conciliando, miscebat. Porrò quantum efficax, insigneve Antidotum hoc mithridaticum sit, norunt ii, qui apud Historiographos, Mithridatis regis obitum legunt, & percurrunt, ut qui cum venenum exitiale, pro se interficiendo ebibérit: antidoti tamē beneficio præmunitus, nihil læsionis accepit, qua de re, ferro occidi voluit, ut quoq. breviter, sed eleganter Galenus noster enarrat. Porrò ne quis impingat, aut in errorē labatur, sciat hanc à nobis descriptam antidotum veram illam Mithridatis esse, non vero illam aliam, quam apud Galenum libro secundo de antidotis legimus sub sequenti lemmate, Mithridatis theriaca, hac rex Mithridates semper utebatur, ut se à lethali veneno assereret, & subditur. Quum itaque à Romanis captus esset, nec bis epoto veneno mori posset, gladio sibi ipsi necem intulit, & cætera, quum in descriptione ista, theriaca describatur, non verò antidotus mithridatica: non enim in mithridatica, antidoto theriaci pastilli ingrediebantur, ut testatur Galenus initio libri primi de antidotis, dicēs: post Mirtridatem Andromachus Neronis primarius medicus, quibusdam adjectis, quibusdam vero ademptis, theriacem dictam antidotum præparavit, haud exigua viperarum carne, quam mithridatica non habebat, aliis admista: non erit igitur legitima Mithridatis antidoti descriptio hæc. AMMONIVS. Quid igitur Galeno, ô Amate, respondendum arbitraris? AMATVS. Id quod Lucensis, aut sapiens Trincavellius doctè admodum marginali quadam annotatiuncula inibi scriptum reliquit, scilicet, descriptionem illam mire depravatam esse, quam utcunque restituit, sed ut nunc ego conjecto, tota integra descriptio in lemmate præmissa deest, & non solum hæc, sed initium ibi habitæ descriptionis desideratur, ubi incipit, hac utebatur Andromachus & cætera. Consonum etenim est credere, primo Mithridatis antidotum descriptum esse, postea vero Andromachi additamentum: utcunque tamen res habeat, vera Mithridatis antidotus, & qua ipse utebatur, hæc à nobis descripta est: non est ergo, quod Manardus, aut Silvius, aliive docti viri in novis componendis Mithridatis antidoti descriptionibus laborent, fatigenturve, quum hæc una unica sit, & quam myropolæ ubique parare debent.

Curatio 88. de gibberoso ingenti capitis dolore affecto, & inde melancholico facto, & brevi mortuo.

MOSES Brudus, gibberosus, pumilis, anhelosus, natura melancholicus, annos natus triginta, gravi capitis dolore ab humore melancholico pendente correptus fuit, contra quem, cùm multa machinata absque fruge essent, elapsis tribus diebus, eius cephalica in brachii curvatura secta fuit, & ex ea sanguis ad uncias quinque extractus, à qua sanguinis missione dolor brevi evanuit. Cæterùm ægrotus ipse fere insanus evasit, & non recte videbat, sed ut primó, nō dormiebat, febriebat parum, & indies vires eius prostratiores fiebant, ut intra paucos dies mortem cum vita cōmutaverit. Cæterum sciatis velim, hūc non vi morbi, sed sua pessima temperatura positioneve, quæ ad triginta protrahi poterat annos, & non amplius, occubuisse.

Curatio

Curatio 89. de muliere quinquagenaria, cui suppreßi menses sunt ultimò, & inde symptomata varia oborta.

VXOR Iacobi Ezræ Aragonensis, annos nata quinquaginta, cum illi jam ultimò menses supprimerentur, elevarenturve, ecce tempore menstruo determinato, & consueto, eorum vice forte, in fluxum ventris incidit, deficiente nanque ad eos materia, conata est natura per fluxum ventris paratam in intestinis materiam expellere, quem ipsa recte, facileque toleravit, quo restricto, repente noctu ingenti metu apprehensa est, & catalepsi sive congelatione fere detenta, non loquebatur, nec quicquam gustabat. At injecto per os pauculo castoreo immixto vino, verbulum unum vel alterum effutivit, sed postea ut primò erat, & claviculatos dentes fortiter habebat. Tūc vero de extrahēdo sanguine inter medicos quæstio erat: nam alter ex saphena contendebat, alter vero ex communi in brachii curvatura potius extrahendum astruebat, nec deerant utriq. rationes. Ego vero supervocatus non multum virium robori fidens, ab excretis per clysterem fæcibus, cucurbitulas femoribus affigi, cute secta, jussi, & ut chirurgus referebat, ita gelata mulier erat, ut primis cucurbitulis nullus avocaretur sanguis, adjuta tandem calidis fomentis, sanguinis unciæ tres sunt extractæ, & inde melius habere visa est. Tunc verò ea nocte glande ex melle ex colocynthide parata immissa, alvus respōdit, & quatuor ingentes vermes prævivos cum excrementis dejecit, adeo ut eos huius morbi causam esse, non nullus dubitaret. Sed in aurora pharmaco purgatorio ebibito, constante agarico, confectione Amech, & semine sancto, exceptis jure pulli, in quo incoctum erat poly-

E podium & sena, pauco cum semine fœniculi, optime purgata est, & tunc rectius valuit, sed postea immisso pessulo ex succo cyclaminis, menses erupere, quibus firmata est valetudo: fuere autem omnes dies sex, in quibus huic mulieri optimi habitus, gallinaceorum jus pro victu erat, pro potu vero aqua fœniculi semine incocta. Cæterum cum non desint ubique dæmoniaci homines, ita hic non defuit, qui mulierem hanc noctu tactam, aut

F punctam, forte à dæmone, contenderet, quem ego illico, in suos malos dæmones, & peiores nocturnas aues rejeci, fugavive.

Curatio 90. de angina, intra duodecim horas interficiente.

PROXENETA ille, qui circa oleum versabatur, cum advesperasceret, quòd de gutture strangulabatur, conqueri cœpit, pro qua abigenda mala affectione, remedia varia sūt facta, vomitus nanque evocatus fuit, & oxymellitis portiunculam per in-

G tervalla lambebat: ex stomacho nanq. malum hoc evenire credebatur, sed postea scapulis, & cervici cucurbitulæ secta cute sunt adfixæ, demum morbo graviori facto, intra duodecim horas miser hic è vivis stertendo decessit: intromissa autem cerea candela per œsophagum sive gulam, nihil impedimenti perceptum est. Fuit igitur sævus hic morbus, angina asperam arteriam occludens, & respirationem impediens, cæterum, hoc in casu, sanguinis per venæ sectionem missio, & cætera reme-

H dia prætermissa sunt, quia volucris occasio. Porrò vir ille, ad quem vocati diligenter venimus, angina strangulabatur, per signa nanque, & notas loquebatur, qua de re, illico nulla interposita mora, aut vacuatione alia præ habita, sub lingua venas secare fecim⁹, & sanguinem ex eis cōvenienter fluere, quo constricto, pauculo interposito

tempore

tempore,& ut ita dixerim, refectis viribus, repente brachii cephalica vena secta fuit,& ex ea per intervalla sanguis missus, unde brevi vir hic melius habuit, & postea nonnullis aliis celebratis remediis, sanitatem pristinam adeptus est.

SCHOLIA.

NISI ita repente, & diligenter subventum esset huic ægroto, dubio procul diē suū objisset: non igitur semper canones & Methodi medicinales servari debent, cæterum per intervalla, hoc in casu, scilicet angina, sanguis demendus est, quia si confestim magna in quantitate vacuaretur, animi deliquiū fortè ægroto superveniret, ex quo suffocatio oritur, & tandem mors.

Curatio 91. de synocho, quinto die per copiosum sanguinis fluxū è narib. terminato.

VIgente hoc tempore frigido, juvenis, qui in foro panario agebat, carnosus, temperatura sanguineus, synocho correptus est gravi, continuò febriebat,& partem interiorem capitis valde dolebat,& non dormiebat,& quæ comedebat, illico vomebat: ad quem accitus ego, ex basilica dextri brachii illico (alvi fœcibus primo excretis) sanguinis libras duas demere feci. Cæterum cum ita, ut antea laboraret,& graviter haberet, sequenti die ex brachio sinistro sanguinis similis quantitas extracta est, & vesperi scapulis secta cute, cucurbitulæ sunt affixæ, quibus remediis perinde ut antea habebat, tertio die atramentum cassiæ ebibit, quò multa liquida, & humorosa excrevit: quarto vero die, lotiū valde crassum, turbatum & rubrum erat, & ægrotus ipse pessime habebat: quinto sudare cœpit, sed in fine huius diei ita sanguis multa quantitate per narem sinistrā huic effluxit, ut ægrotus ipse,& assistentes de obitu tunc timerent, sed ego etiam si conscius etiam

A data opera, ipsum fluere permittebam, neq. remedium aliquod pro eo sistēdo moliebar. Cæterum cum virium robur jam labi conjectassem, effluxerant nanq. fere sanguinis octo libræ, tunc pro eo compescendo restringendove, multa machinati sumus, inter quæ primatum obtinuit, terra figulina aceto subacta,& capiti raso admota, sed bis innovata, tunc vero ea nocte recte dormivit,& sanatus est. Victus huic ptisana in hoc universo tempore erat, potus verò hordeacea.

B

Curatio 92. de nephritide, & auris dolore.

LAnio cognomento Fattus, senior, nephritin pati cum soleat, & arenulas per urinam mittere, nunc eas non remittit, sed decimus agitur dies, quòd de illo multum dolet: pro quo juvando, eum lapillum intus habere deprehēdo; pro quo detrudendo, Hippocratis consilio usus, internam pedis venam (saphenam dixerim) illico secare jussi,& sanguinem abunde extrahere, à qua sanguinis missione, illico nulla

C interjecta mora, illi drach. ii, eius confectionis, quam lithō tripon dicimus, pauculo cum vino dedimus (per clysteres nanque satis purgatus hic erat) qua in nocte multū doluit, sed postea absq. dolore perseveravit, ut fomentū vesica bovina exceptum prætermitteret, neque super locū poneret. Tertio verò die lapillum, fortè remedii beneficio, excavatum, absque dolore ullo, meiit,& sanatus est. Ne tamen in morbum recideret, consulvi, ut auellanas

D in victu continuo haberet, eo à nobis dicto modo, in hac Centuria. Huius filius, quum de auris dolore repente torqueretur; à capite aliorum subcineribus cocto,& bene calido contusō,& intra aurem misso, illico disruptū fo,& intra aurem misso, illico disruptū apostema est, ex quo multum puris fluxit: cæterum, & si pus quantitate flueret, gravamen nō parvum persentire

aiebat, veluti per universum corpus caliditatem extraneam, pruritumve, quibus de causis, ex communi brachii vena sanguinem demendum curavi, à qua sanguinis missione, puris fluxio cessavit, & locus doloris expers ex toto mansit. Firmandæ tamen sanitatis gratia, catapotia aurea dicta, veluti cocchia simul deglutivit, & purgatus est, & tandem basilice habet.

Curatio 93. de intestinorum affectionibus, publice grassantib.

MAIO mense, sicco, & calido, plures intestinorum morbis correpti sunt, scilicet, colico, cholera, ileo, dysenteria, & similibus: vagabantur autem morbi ii, & epidemiales erãt. Mulier tamen, in circulo Appulii hominis, ileo oppressa, misere ut solet, per os stercus ingenti vermium colluvie vomebat, ad hæc alvus prætumida illi facta est, & demum intra septem dies, rigida, & algida facta, suum diem obiit. Cæteri vero omnes, colico morbo affecti, sanati sunt, præsertim adjuti clysteribus anetho, cumino, & similibus, quæ flatum discutiunt, compositis; per os vero, antidotum ex quatuor rebus diatesaron dictum, & mithridatium accipiebant, primo evocato vomitu, vino dulci, in quo cuminum, anethũ, semen raphani, & ultimo agaricum, incocta erant.

Curatio 94. de obstructionib. membra nutritoria infestantibus.

MVlier vidua, & cui menses consueti nunquam defecerant, & colorem in facie talem habebat, qualem Hippocr. lib. de Reg. aquis, & aere, phasianos homines habere tradit, circa mẽbra nutritoria obstructiones E patiebatur. Pro quibus extirpãdis, medici plures plura machinati sunt, & ita variis aperiendi facultatẽ habentibus medicamentis usi sunt, ut in fluxũ mẽsium copiosissimũ eam traxerint, unde faciei color, pallidior illi est redditus, & similis illi, quem regio morbo obnoxii pati solent, & symptomata omnia graviora facta: corporis autem totius gravedinem, & ingens pondus sentiebat, ad hæc pigra, & segnior ad obeunda & cõficiunda negotia erat, & circa hypochondriũ dextrum, non parvum gravamen persentiebat. Pro quib. abi- F gendis affectionibus inveteratis, post octennium, ad eam vocatus, in mentẽ revoco, obstructiones fieri, aut humorum quantitate, aut eorum agglutinatione, viscositateve, aut eorum potius lentore crassitieq. item non esse aperiendum, quin prius humores purgentur, vacuenturve, aliter obstructiones augentur, & graviores & periculosiores evadunt, quibus propositis habitisve, leniori pharmaco, purgata materia, ad apozemata deobstruendi facultatem habentia devenimus, quibus veluti decocto senæ assiduo usi sumus, & G per intervalla, pharmaco uno vel altero, agarico præcipue constante, humores purgabamus, immo ad sectionem venæ, quę inter digitum minimum, & anularem dextrum repit, pervenim⁹: ex qua sanguis copiose fluxit, sed per exteriora non pauca fomenta, & unguenta sunt applicita, quæ emolliendi, & aperiendi vim habebant. Cæterum quũ hæc parum juvarent, ad radicis synarum decocti potum cõfugimus, quo H mane, & sero copiosissime mulier hæc sudabat, mirũ dictu, quum tamen nunquam antea etiam remediis juvata sudorẽ vidit aut sensit. Perseveravit autẽ quinq. supra viginti dies in huius decocti potu, in quorum fine, recte se habere dixit. Advertendum tamen duximus, quod decimoquinto die, à potu decocti huius radicis, menses sui soliti copiosi illi supervenere, qua de causa jusseram, ut à potu decocti radicis abstineret; cæterum illa, salutis avida parere

rere noluit, sed fluentibus mensibus, etiã multum & copiose potu decocti, sudabat, & re vera, menses nihil discri minis aut impedimenti, toto suo assueto tẽpore contraxere. Completa tamẽ curatione, hoc est, exacto vigesimo quinto die huius decocti potus, cũ recte valere diceret, eccesub brachio dextro ingens tumor, & prædurus, illi repente apparuit, quem nonnulli scirrum, alii vero cancrum esse opinabantur, sed emplastro maturandi vires habente super eum posito, brevi delituit, unde tussis ingens eam detinuit, & thoracis granedo eã affligtabat, & capitis intensus dolor eam contorquebat, quę omnia ex humore à tumore exhalato, & resperso evenisse, mihi cõpertũ erat, tunc vero deglutitis pilulis arabicis dictis, ei alvus recte respondit, & se sanã ab omni pessima affectione jactã vit, ad multos tamẽ postea dies, saccharum borraginaceũ sibi familiare fecit, quod jejuno stomacho comedebat.

SCHOLIA.

IN secanda vena, inter digitum minimum & anularem, secuti sumus priscos omnes medicos, veluti omnes ætate nostra superiores, quanquam non ignoremus ex hoaterna hominis sectione, venam hanc propagari, ex axillari & humeraria vena, utcunque tamen res habet, experientia ipsa quotidiana attestatur sectam hanc venulam dextram, jecinoris affectionibus opitulari, & sinistram lienis morbis, ut Ægineta clarius præ cateris memoriæ commendavit, & ante eum Galenus libro 3. de Anatomicis administrationibus, veluti sexcentis alijs locis.

Curatio 95. de homine canina temperatura prædito, laborante duplici tertiana.

SAlomon Sacerdos, juvenis temperatura canina, & sicca, quum corriperetur duplici tertiana, miras circa præcordia anxietudines patiebatur, & præcipue quando paroxysmo tentari incipiebat, adeo ut in lecto non quie-

A sceret, sed hinc inde milies volveretur: vomebat nanque, & cibum non retinebat: huic igitur, ut fugeret tantum malum, accessionis initio cibum elargiebamur, & rectius habebat, accipiebat autem panem infusum granatorum acetosorum succo, aut ptisanam, acinis mali punici ei mistis, aut panatellam, aut jusculum pulli limonis aut acerbæ uvæ succo alteratum, cuius pulli alas & pectusculum apparente concoctione, ei dare cœpimus, veluti buglossum, aut mulum piscem, inauratamve albo jure decoctum: à re

B bus autem dulcibus, & sacchareis, utpote in bilem facile verti paratis, abstinebat: demum syruporum vice, cõcesso tamarindorum decocto, aut potius infuso, & post succorum concoctionem purgatus intra decimũquartum diem sanitatem adeptus est, primis tamen diebus, quia de costarum dolore valde conquerebatur, cucurbitulis secta cute, sanguis ex scapulis extractus fuit.

SCHOLIA.

C *QVVM hunc canina præditum temperatura curarem, memoriæ occurrebant historiæ præclarę Galeni, è decimo libro Meth. med. veluti ex sexcentis aliis locis sua doctrina, quas ante oculos medicus doctus habere debet. Caterum suadet Gal. lib. 1. Metho. med. cum de febre syncopali minuta Arabibus dicta, agit, carnes, apparente cõcoctione, elargiantur, id quod Alexander Trallianus assentitur lib. 12. suæ rei medicæ, capit. 6. in quo de tertiana agit, neq. enim hæc Hippocrati contradicunt, qui post crisim duos dies, ita vt antea ægrotos cibemus jubet.*

D

Curatio 96. de utero gerente muliere, synocho laborante, doceturq. in febribus continuis, & ardentibus, maximã habendam esse curam gutturis, & linguæ, faciũve.

MVlier juvenis, boni habitus, temperatura sanguinea, & juris peri-

 tissi-

tissimi doctoris Habrahami franci, olim in Lusitania apud Illustrissimum, & Sapientissimum Ducem Averii, auditoris disertissimi filia, cum uterum gestaret, & septimum mensem ingressa esset febri sanguinea, synocho dicta, affligi cœpit, pro qua juvãda, vocatus ipse, eam summe, & continuo febrientem, ingenti cum capitis dolore, facie tumente, urina crassa, & rubra inveni: quin octavum diẽ septimi mensis suæ gestationis, non supergressam noto, quib. de causis, cubiti venam cõmunẽ secare jubeo, sanguinisque uncias sex demere, qui sane sanguis admodũ corruptione affectus erat, ut vesperi ex eo dem foramine totidem sanguinis uncias flui juberem, & tunc melius habuit: minabatur autem sanguis fauces ascendere, & anginam gignere, ut ex dolore ab ea, circa cũ locũ percepto vẽnabamur. Dein vero pullum acresta, & cucurbita incoctum pro victu habebat, aliquando verò ptisanam, vel cucurbitam ipsam acresta apparatã, vel potius saccharo concinnatam: oblætamẽti verò causa, ut sitim extingueret, juleb violaceum affusa hordeacea, nõ solum in aurora syrupi vice, sed inter diu bibebat: à clysmis vero & balanis, omnino abstinuimus, sed ut bilẽ præcipuè à sanguine separaremus, ipsumque sanguinem purgatum, mũdumq. relinqueremus, Ægyptiacæ cassiæ attamentum parum, hordacea exceptũ semel illi ebibendum dedimus, & tũc recte habere cœpit. Syruporum tamẽ vice, sæpe violaceam sacchari rosacei in aurora gustabat, & post eam hordeaceam aquã, aut endiviæ bibebat: quibus leniter tractata, intra decẽ dies sanata est: veluti eodem tempore adolescens circa Circulum exustum agẽs, qui causone cum laboraret, alvus illi lubrica erat, & multa liquida citrina, biliosa, & lutea egerebat, & sanatus est. Sequenti modo hic cum prædicta pateretur, & non quiesceret, nec dormisset, sed vires utcunque constantes haberet, post extractum ex jecoraria vena sanguinem vocatus ego, sequẽti

E die rhabarbatum, cum citriorũ & myrobalanorum citrinorum corticibus, adjecta portiuncula catholici electarii, exceptis omnibus stillatitia intybi, illi dedimus, quo pharmaco, recte purgatus est, & tunc jus pullæ ptisanę mistum ebibit, & fluxus ventris solitus cohibitus est, semel tantum, vel bis sequenti nocte egessit. Sequenti vero die rigore non antea persentito gravi apprehensus est, ad quem tunc accitus, ut qui eum brevi moriturum assistentes putarent, prædixi, bono esse

F sent animo, ut qui ægrotum ipsum, intra paucas horas sanum visuri erant. Nam post rigorem futuram febriculam, & sudorem coppiosissimũ, ipsum totum irrigaturum, expositi, id quod ita evenisse, non sine ingenti artis laude, observarunt. Restat dicendum, quo magis senesco, eo audacior evado, in tribuendo rhabarbaro, & myrobalanis, pro regulando ventris fluxu, febres consequenter, proinde qui artem exercẽt medicam divinam, advertant, neque Galenum hac in re, ita pessime intellectum, cum Glauconem suum alloquitur, mordicus teneant,

G ut pro veris falsa exerceant, ut alias non raro ijs in Centuriis dixi. Quum hæc exercebamus, Aaron Naamias, juvenis quinque supra viginti annos natus, temperatura biliosus, tertiana continua correptus est, ex qua curatus, recte habere videbatur, cæterum elapso duodecimo curationis die, cum melius haberet, & parum febriret, vinum quod maxime appetebat, forte ebibit, unde intensius febrire cœpit, & delirare, ad quem vocatus ego, eum intense febrire, & delirare, ut ad proposita respondere nesciret, compe-

H rio, ad hæc lotium album paucum meiebat, indicium sane lethale, sed tunc vires huic pro morbi sevitie, constare videbantur, qua de re vesperi cucurbitulæ quatuor scapulis, secta cute, sunt affixæ, & sanguinis unciæ tres extractæ, à quibus, clyster refrigerandi, & subducendi vim habens, injectus fuit: tunc noctem insomnis transegit totam,

tam,& nunquã quievit. In aurora vero pulsus arteriarũ imbeciliores erãt, & rerum anteactarum recordatio nulla,& facies à naturali differens, à quibus habito præsagio, & assistentibus exposito, quod hic brevi moriturus esset,etiam illi atramentũ Ægyptiacæ siliquæ pauco cum rhabarbaro, primi medici dederunt,quo multa stercoraria,pauca vero humorosa egessit, & eo die ex suavi musica magnum solatium,ut fassus est,persensit, sed sequẽti,vitam cum morte, non sine amicorum dolore,mutavit.Sed tunc adolescens filius Iacobi Pardi, albidi coloris,studio deditus,frigore,capitis cum dolore corripi cœpit, ad quem, inter B positis nonnullis horis, ipse accitus, cum lenta febri tentari comperio,qua continuo corripi postea notavi, nullo persentito frigore refrigeratione ve,in qua postea lotium subalbidum erat,& tenue,pulsus vero rarus,laxus,sed sitis nulla,somnus multus cum corpusculi totius gravitate:nũquam hic vomuit, sed alvus ex se pituitosa respondebat, quæ omnia febrem pituitosam vigere attestabantur, cum qua & lumbricos implicitos esse augurabar, id quod ita evenisse, domestici servarunt. Primis C nanque diebus, à concesso electario ex Mixariis,Sebesten officinæ seplasiariorum appellãt, immixto semini sanctonico oxymelite primo macerato; decẽ oblongos, prævivos, per intervalla egessit, dein vero oxymelite sæpe exhibito,& pullo gallinaceo pro victu concesso,pharmacum ex rhabarbaro cum agarici exiguo diluto, illi dedimus, quo multa excrevit, absque vermibus tamen:hinc enim, elapsis jam diebus decem, adolescentulum hunc, blande leniterque tractabamus, ea illi dando, D quæ lotium proliciunt,ut oxymel cõpositum, jus pulli, in quo apii, & petroselini radices,ipsa cum coma incoctæ erant, aut cicera, & similia, cum quibus, clysteres raro injiciebantur, quia sua sponte alvus respondebat,sed de ventriculo solliciti admodum eramus,adeo ut iis, & tota ratione victus

A incidendi, & attenuandi vim habẽte, intra mẽsem sanatus fuerit. Cæterum cum hos,& non paucos alios febribus continuis laborantes curarem: ecce Menahen Amarilius,mercator Thessalonicensis, tertiana cõtinua afflictabatur,& ex venarũ interna parte multus illi confluebat humor acutus biliosus, quem per secessum remittebat, ut quinquies & sexies quotidie egereret biliosa,liquida,& acria, ad hæc singultum patiebatur, non propter plenitudinem, non propter inanitionem,sed verius ob acredinem ipsius humoris ventriculum infestantis, quem forte vir hic facilis sensus habet cum quibus siti cum intensa,linguam crassam &aridam habebat,& difficulter deglutiebat, & in gutture impedimentum quoddam persentiebat,& caput valenter dolebat. Cæterum cum nonus huius morbi ageretur dies, & à medico is purgatus satis esset,veluti à natura ipsa,vocatus ego, huic jecur* unguento santalino refrigerari, & ad os ventris apponi unguentum roborans & refrigerans jubeo,& clysterem refrigerandi vim habentem injiciendum curavi,quibus sequenti die recte habuit. Febris fere nulla erat, sitis parva, singultus in totum abolitus, & bis tãtum egessit.Sed jã audi,eam partẽ,pro qua curationem hanc moliti sumus: cum vir hic difficulter deglutiret, eius illico aperto ore fauces cõspeximus, quas summe inflammatas cum gutture cõperio: qua de re inter cætera remedia, & gargarismum describo, & ad guttur,sive ad trachææ arteriæ caput, & ad eius vicinas partes unguentum foris imponendum mandavi, videlicet,rosaceum,vel huius vice, oleũ omphacinum rosaceum, vel violaceum, vel Galeni ceratum,refrigerans dictũ, aut succum aliquem ex refrigerandi, & humectandi facultatem habentibus herbis. Cuius rei, duo assistentes medici admirati sunt, ut qui nusquam apud quenquam id legerant,nec à quoquam in praxim adductum viderant, optimum tamen esse remedium col-

laudarũt. Ego vero eorum magis ſum admiratus, ut qui remedium tam præſtans, & ſingulare ignorarent, à Galeno primò commendatum, & poſtea ab eius enarratore Avicenna receptũ, & à doctiſsimis Italiæ medicis, in continuam praxim tractum. Galenus nanque libro quinto Metho. meden. cap. 12. cum aſperæ arteriæ ulcera curat, nõ tam medicamentis intus receptis, difficulterque diffluentibus, quàm topicis remediis utitur, ut alibi quoque non raro. Ergo non ab re erit, in faucium, & gutturis, ſine aſperæ arteriæ capitis, inflammationibus, localibus remedijs, quæ refrigerandi, & humectandi vim habeant, medici utamur, ſed etiam partibus ipſis non inflammatis, remediis utamur, quibus eas ab inflammatione liberemus arceamuſve. Sed hæc forte Avicenna Galenum ſequutus, lucidius exponit, ignorantibus iis, qui Avicennam ipſum mordicus tenere putant. Avicenna nanque cap. de Cauſonis, ſive ardentis febris cura, ut noſcatis, ait, & oportet, ut ſervetur anhelitus eorum, & non permittantur thoracis partes ſpaſmo affici, quæ verba non raro Galen. inculcat, ut in ardentibus febribus, thoracis tanquam caliditatis fornacis, diligentem curam medicus habeat, fomentis, & irrigationibus continuo utendo, & ut Trallianus ait, raro frigidis, ut quæ intus calidum remittunt, nunquam tepidis, quia laxant, ſæpe vero calidis actu, potentia vero frigidis: ſed mea ſententia, cum calor ingens eſt, nõ raro, actu frigidis uti cõſentaneum eſt, ut ex Avicenna & Galeno ipſo docemur. Cæterum ex pectoris particulis nulla facilius convulſione tentatur, quàm trachææ arteriæ caput, primus bronchus dictus, ad quem, tanquam ad ſupremã arcem, & caminum, peſsimi, & acres fumi aſcendunt, & inde conſortii lege ad cerebrum, in quo eryſipelas, aut phlegmone non difficulter gignitur: non ab re Avicenna capite de nigredine linguæ exortæ à febribus, fen. prima libri quarti ait: oportet, ut non dimittatur ſuper linguam nigredo, immo ſi icetur cum eo quod ſcis, aliter elevabuntur ad caput vapores maligni, & facient cadere in ſirſen, hoc eſt, capitis phlegmonem. Sed hæc forte meliùs, & propoſito noſtro convenientius tradit Avicenna ipſe, ſequenti cap. 31. in quo agitur de conſtrictione anhelitus febrientibus veniente, ad hunc modum. Conſtrictio anhelitus accedit eis, aut propter ſpaſmum & ſiccitatem, quæ accidit eis in lacertis anhelitus, aut propter materiam præfocativam, deſcendentem ad guttur eorum, aut propter debilitatem, quæ dominatur nervis venientibus ad membra anhelitus: & prima quidem curatur cum unguentis, vel emplaſtris humectantibus, & ſecunda cum eis, quæ prohibent ſtrangulationem, & tertia, cum æquatione complexionis in cerebro, & inunctione colli, cum eis, quæ infrigidant, & humectant: & ſupra pectus etiam ex eis, quæ ſunt ſicut raſura cucurbitæ, & portulacæ, & ſantali, cum oleo roſaceo, & ſimilibus, quæ omnia convincunt, opus noſtrum à præclaris medicis frequens uſitatum, & in quotidianam praxim eſſe habitum, quod ſi hæc illis non placerent, ſed ut puto placent, ad eorum Rutgerium eos relegandos ſtatui, qui, ut audio, in cura cauſonis, hæc à nobis actitata, agenda ſuadet.

Curatio 97. de vomitorio medicamento, quo quidam à coli affectione ſanatus eſt.

VIR robuſtus, inſtante canicula, coli dolore infeſtiſsime cruciabatur, contra quem variis clyſmis, & aliis non paucis topicis remediis, uſi ſumus, ſed abſque profectu ullo: qua de cauſa, cum ægrotus maximo in periculo eſſet, ad vomitorium medicamẽtum hoc confugi, & ita contulit, ut illico ſe ſanum ægrotus dixerit, habet

autem

autem remedium sic. Rec. ellebori nigri, seminis anethi, cumini, raphani, an. unc. mediam, excipiantur tribus libris aquæ & fiat debita coctio, & coletur, cui postea adde rhodomelis unc. ij. & fiat vomitorium, ex quo tepente, libras fere duas ebibit, & quievit, sed non multum postea ita multa vomuit, ut à dolore internecante liber & sanus illico evaserit.

Curatio 98. de tertiana multo cum humore crudo os ventriculi infestante, quæ plerunque interficit, & Avicenna febrem syncopalem humorosam appellat.

IEHVDA Abarbanelius, magni illius Iehudę, sive Leonis Abarbanelij Platonici Philosophi, qui nobis divinos de amore dialogos scriptos reliquit, nepos, quum ob pestem Thessalonicæ grassantem, ad muros iuxta Calabros cum eius familia se diverteret, & ibi per mensem maneret, atq. postea in domum se reciperet, non tam ipse, quam cæteri cum eo agentes tertiana epidemica sunt correpti, is vero ætate viginti septem annorum, temperatura pituitosus, obesus, nullo fere exercitio corporeo deditus, inchoante canicula, tertiana ut dixi, corripi cœpit, magna eius crudorum succorum copia, os ventriculi infestante, offendenteve: singulo nanque tertio die accessione affligebatur syncopali gravissima, à qua nec die quietis mundus evadebat, immo eo ipso quietis die vesperi absque rigore febris invalescebat, quæ cum paroxysmo sequentis diei mutuò se confundebat, miscebatve, ut tertia accessione evidentius à nobis perceptum fuit, noctu nanque animi defectus, & symptomata gravia illi evenere, ut tunc de obitu timor esset, ut ab assistente medico, quem practicum hodie Neapolitani præcipuè, appellant, accepimus. Cæterum huic primis quietis diebus, cassiæ Aegyptiacæ atramentum ad drachmas duodecim, saccharo tantum obvolutas dederamus, quibus multa & varia egessit. Porrò elapso quarto paroxysmo, cum pulsus varius esset, & non rectè constaret, ut in hoc cōtingit morbo, & Gal. rectè notat, immo caprizans videbatur, & aliquando vermicularis, & formicans, ab omni vacuationis genere vacaremus consulimus. At quum pectora veneni, & contradictionis plena ubique habeantur, quidam se hunc curaturum, si modo ex rhabarbaro, & alijs similimis medicinis confectum pharmacum ægrotus biberet, pollicitus est, ignorans alioqui, magnam crudorum succorum molem os ventriculi infestare, pro quo curando morbo, ab omni vacuationis genere manifesto abstinere, summum erat remediū: annuit tandem cōtradicenti ægrotus, & pharmacum ebibit, me alta voce clamante, demum sequenti die post multa egesta gelidus factus, suū diem obijt, non sine doctorum hominum dolore. Philosophiæ nanque, ut obiter hoc dicam, apud se librum iustæ magnitudinis, quem avus suus composuerat, reservatum habebat, cui de cœli harmonia titulus erat, non nisi Longobardicis literis inscriptus, & quem bonus ille Leo, divini Mirandulensis Pici precibus cōposuerat, ut ex eius proœmio elicitur, quem librum ego non semel percurri, & legi, & ni mors immatura nepoti huic ita prævenisset, eum brevi in lucem mittere decreveramus, est sane opus hoc doctissimum, in quo, bonus ille Leo, quantum in philosophia valebat, satis indicaverat, scholastico tamen stilo inscriptum. Cæterum ut finem huic curationi imponamus, huius uxor, & filiolus annos natus decem, & sororius, omnes eodem morbo correpti, sani evaserunt, ex ancillis tamen cum hero, tunc quædam occubuit: porrò Moyses Pardus tunc tertiana correptus fuit. Qui & ipse syncopali accessione affligebatur, non quidem ob

crudorum

crudorum succorũ præsentiam in ventriculo, sed potius ob biliosorum humorum ad ipsum ventriculum defluxum, à qua sanatus est, eo modo tractatus à Gal. edocto, 12. libro Meth. med. postquam primum hunc prædictũ carnificem morbum, curare docuit.

SCHOLIA.

EX tertiana ubique omnes fere evadunt, referente sic Hippocrate, libro primo de morbis vulg. tertiana exquisita, cito iudicatur, nec est lethalis: sed Thessalonicæ, ex ea pleriq. mori contigit, unde Thessalonicenses admirantur, conqueruntúrque quod illis eveniat id, quod alijs raro evenire soleat. Sed nunc mortales ij admirari desinant, quum ipsis illis eveniat, id quod alijs raro evenire contingit, multis de causis. Prima, quia raro hodie tertiana, quæ non pestilentis seminij aliquid habeat, comperiatur, prçcipue post pestem immanem quandam, quæ ab hinc paucos annos, non solum Macedoniam hanc, & in ea contentam Thessaliam, sed universam Grçciã, & Thraciam, vastavit, depopulavitve: quæ lues pestica fere continuo grassatur. Raro autem pestis turcas, & cum eis habitantes invadere non solet, unde omnes morbi epidemici, & pestilentes dici merentur. Sed hoc missum facio ut communem, & publicam causam habens, & privatam sive secundam inquiramus causam. Raro autem Thessalonicę tertiana sive exquisita sive non exquisita, simplex habetur, multis & varijs de causis, quia populus multum laborat fatigaturve in obeundis negotijs, prçcipuè in concinnandis pannis, pro quibus inficiendis, lotium putidum tractant, item quia multum ij ingerunt, & varijs, & multis crassum & pessimum adgenerantibus succum cibarijs nutriantur; aluntur autem continuo fere bubula brassica, aut ciceribus, aut olivis viridibus, aut oryza, aut farre, aut tritico aut melongenis, aut huiuscemodi alijs edulijs pessimis: condita item, artocreis, id est, carne massa incrustata, veluti piscibus massa coopertis, immo eadem mensa, & piscibus, & carnibus melle conditis vescuntur, veluti caseo, lacticinijs, vel melius lacteis, lentibus, & omni genere bellariorum massa, & caseo confectorum, ut varia alia pessimos & crassos succos gignentia, praeteream. Unicam tamen causam tanquam ceterarum omnium alpham, adjiciam, quia ij gelu fere toto anno pro potu habent, à medio autem Aprili, ad Octobris finem, omnes qui fere centum millia

E *animarum Thessalonicę habentur, gelu propotu familiare habent, ut non ab re, publice prostent vigintiquinque officinæ gelu tantum venditantes, quæ hoc dicto tempore, duo millia ducatorum, & plura corradunt, unde mirari non est, si horum stomachis succi crudi & frigidi aggerentur, & congesti stant, qui cum præsentes in ore sint ventriculi, non ab re est, si qualibet cum febri, vim & molestiam ventriculo ipsi inferant, unde syncopis stomachica oritur, morbus sane carnifex, & periculosus, prout Galenus testatur libro 12. Methodi med. cui Avicenna subscribit fen prima libri quarti, capite sexagesimo, tractatus secundi, in quo agit, de cura febris cum syncopi humorosa.*

F *Fit autem, ut rem hanc exacte tractemus, syncopis stomachica hęc, aut syncopalis accessio hæc stomachica, quia humorum crudorum quantitas, & crassities, os ventriculi premit gravatve, item propter ipsius ventriculi exactiorem sensum, syncopis similis oritur: quibus adde, quod crudorum hæc moles succorum, poros, & vias, per quas transpiratio fit, obstruit, ex qua obstructione nativi caloris suffocatio consequitur, & syncopis exitialis, & consequens humorum confusio & miscella, & tandem obitus. Non est igitur mirari, si quis tertiana laboret, & syncopim hanc simul patiatur, è vivis decedat, ut sępe Thessalonicę contingit, & non raro alibi.*

G *Cæterum per indicia cognitio morbo exitiali hoc, qui quavis cum febri complicari potest, ut ex Avicenna depromitur, dignum duximus inquirere, quo modo curari debeat, quia in hoc ingens opus, & labor est, variant nanque gravissimi medici. Galenus nanque libro 12. Metho. med. iubet morbum hunc curari, non pharmaco, non sanguinis missione, sed potius frictionibus, & inedia, ac mediocri somno. Sic enim ille citato loco, ne investigando fatigeris, pro compendio ait. Qui ex copia crudorum humorum una cum oris ventriculi offensione febricitant, ij neque missionem sanguinis,*

H *neque purgationem tolerant, cum tamen vacuationem desiderent. Quare eis vacuatio per frictionem solam administratur, ergo linteis mediocriter asperis, statim in ipsis auspicijs morbi fricandi sunt, à cruribus superne deorsum: debet enim radi ab his cutis, cum simul & calefieri per eam & digeri corpus postulet, dein tota brachia, simili modo, ab humeris superne deorsum: ubi vero artus omnes abunde iam calere videbuntur, & metus fuerit, ne quis ex multitudine frictionis, contusa iam carne, superveniat lassitudinis sensus, oleo relaxãte uteris quod genus est sabinum: ab adstringente vero abstinebis, cuiusmodi*

Hispanum

*Hispanum existit. Hyems verò si fuerit, nihilo
deterius sit, si ad digerentium aliquod transie-
ris, quale sicyonium est, aut etiam chamæme-
linum : ubi igitur oleo membra ipsa abunde
fricueris, oleum est detergendum, atque ad spi-
nam dorsi transeundum, quam totam pariter
fricare, primum quidem sicca frictione, post
oleo, expedit. Ab hac rursus ad crura te con-
feres, & ab his ad brachia, dennoque dein ad
spinam, sic totum diem agens, in domo lucida,
& temperata. Sanè mulsa, in qua coctum hys-
sopum fuerit, his est aptissima, qua sola primis
tribus diebus utentur : ipse verò eo tantum
tempore, dictam intermittes frictionem, quo
somnus hominem occupaverit, ad quem etiam
alliciendum, & frictio uberior facit. Cete-
rum somnus uberior his minime est salutaris,
cum nec crudos succos digeri sinat, & visce-
ra reddat graviora. Sed si quis alius affectus
est, qui somnum & vigilias modicas postulet,
hic profecto in his est : quippe somnus conco-
quit, vigiliæ digerunt, quorum utroque est
opus ijs, qui ex multitudine crudorum succo-
rum ægrotant, ac si pulsus his parvus admo-
dum infirmusque sit, aut etiam supra hæc ve-
hementer inæqualis extremum periculum in-
dicat, nec quicquam præter iam dicta, molien-
dum est: sin vero mediocriter sit robustus, ni-
hilque intercisus videatur, si sua quidem spon-
te alvus commode non deijciat, solvenda est,
mulsa iniecta est. Quod si maior iusto super-
fluorum impetus ad alvum citetur, principio
quidem percoquere mulsam amplius oportet.
Ea nanque sicut alvum minus subducit, ita
magis nutrit. Post hæc si supervacua largius
descendant, nec sic quidem sistenda, sed exhi-
bendus proaqua mulsa ptisanę cremor est : si
vero fluere pergant, alicæ sorbitione ægrum
nutries, si pulsus interim ad imbecillitatem,
vel inequalitatem, vel parvitatem mutentur :
panem imbutum deluto vino porrigere conve-
nit, utique si nec ventriculus, nec iecur labo-
rarent phlegmone, quando si hæc infestentur,
corpore crudis succis referto, s lus deplorata
est, pulsibus sic immutatis: minime autem utē-
dum cataplasmatis, aut perfusionibus est, prius
quam supervacua magna ex parte partim vā-
cuata sint, partim concocta, interimque sola
mulsa, in qua coctum hyssopum sit, usque ad
septimum diem utantur: siquidem longissimā
sic affecti cibi abstinentiam ferunt, corpore sci-
licet ex crudis ipsi, quos continet, succis con-
coquendis alito. Verum si alvus impense fluat,
vel æger mulsam fastidiat, ad ptisanæ cremo-
rem est transeundum: sin hunc quoquo aver-
setur, alica ad eundem, quo ptisana modum ei
præparabitur: neque enim eis, qui sic sint af-*

A *fecti acetum incōmodum est, immo sicubi cru-
dos affatim succos esse animadverteris, oxy-
meli assidue pro mulsa dabis, si quidem æstas
sit, & æger frigidæ assuetus, frigidum : sin
hyems autem, omnibus calidum, maxime ve-
ro pulsus parvus, tardus & rarus, frigidos
subesse succos ostendit. Sane propositis adver-
sissima sunt, tum balneum, tum aer ambiens,
quoties vel nimium calidus est, vel frigidus:
itaque ut lavandi hi non sunt, sic & reclinan-
di in domo sunt, æstate quidem, quæ frigeat,
hyeme, quæ caleat; læduntur nanque non pa-
rum ab utroque excessu, atque hæc quidem
agenda sunt tibi, ubi a primo die curationem*
B *susceperis. Si autem ad eos quos iam premit
syncope accitus fueris, si ea quæ retuli loca
phlegmone vacent, panem exhibebis non mul-
tum, eumque ex vino aliquo, quod celerem in
corpus digestionem adiuvet, statimque ad fri-
ctiones venies, quas, ut diximus administra-
bis, ac si quidem cœli status sit vehementer
calidus: cum frigida vinum dabis, cum calida
autem mediocriter si temperatus. Quæ tamen
secundo & tertio dabitur potio, omnino cali-
dam exhibendam curabis, utq; succorum cru-
dorum concoctionem adiuvet. Cæterum ijs, qui-
bus ex crudis humoribus syncopes periculum
imminet, sane falernum tanto iam vinis me-
moratis præstat, quanto tum melioris est suc-*
C *ci, tum etiam calidus, utpote quod & velo-
cius illi digeritur per corpus, & crudis succis
concoquendis auxilio erit. In summa verò,
quibus ex abundantia crudorum humorum
syncope incidit, ijs crassa vina, ceu noxia, a-
quosa, seu parum efficacia fugienda sunt, deli-
genda autem eorum sunt media, quę flava exi-
stant, & calida. Hac Galenus, citato à nobis
loco, & libro primo Artis curativæ ad Glau.
à quo Paulus Aegineta, libro 2. suæ medici-
næ cap. 37. nec transversum unguem discedit,
in quibus, ut audistis, ait, morbum hunc non
curari, nec purgatione, nec sanguinis missione,
sed potius inedia, & frictionibus, mediocriq.
somno, & potu vini generosi, ut cętera ta-
ceam. Porrò in hæc Galeni dogmata, sive de-*
D *creta, Alexander Trallianus, Stephani filius
invehitur, & ea falsa esse alta mente conten-
dit: sic enim ille libro duodecimo suæ medici-
næ Andernaci versione, ait. Curandi sunt, qui
ex crudorum humorum copia in syncopem in-
cidunt, tenui victu, atque omnibus, quæ exte-
nuare possunt. Salubre igitur est, quantum ad
copiam attinet, vacuationem per sectam venā
morbi, eamque rursus iterare, immo non per-
mittere, ut humores crudi rursus in corpore
redundent: metus enim est, ne vires prostratæ
humorem crudum nequeant concoquere, &
distribuere.*

distribuere. Satius igitur arbitror, ut vacuationem potius vitemus: sin autem humor usq. adeo superaverit, ut periculum sit ne vires suffocentur, non absurdum est tunc ex copia modicum subtrahere, & gravamen levare: videmus enim plerunq. id etiam in igne evenire: quippe cum is propemodum à viridibus lignis extingueretur, subinde paucis ademptis rursus illuxit, & ijs, quæ ipsum suffocabant superior evasit. Quapropter si vires robustæ, & copia quæ offendit, admodum ampla fuerit, in eum modum est agendum: sin autem imbecillæ fuerint, & cruditas multa subsit, frictionibus incumbendum, atque ijs, quę sensim extenuare, ac discutere crudosque humores & incoctos possunt concoquere: tale vero est chamęmelum, ut quod rarefaciat, dissipet, & causas morbi concoquat. At frictionem incipere convenit, à cruribus deorsum, deinde ad totam spinam, & brachia transeundum est: postea rursus à brachijs ad inferiores partes, & pedes, idque frequentius faciundum est, ita ut virium ratio habeatur. Cum enim nonnulli sępe immoderatam magis frictionem adhibuissent, vires subito digestę, dissolutęq. fuerunt. Ego ita quendam & inscitia fricantium in syncopem prolapsum conspexi: iusserat enim ille continue integrum diem & noctem ipsum perfricari, & à cibo omni ad quintum usque diem abstinere: deinde cum impie hoc ipse faceret, ęger qui non potuit utrunq. tum defatigationem, tum inediam in alios quinq. dies tolerare, syncope interijt: conveniebat enim meo iudicio, eum qui tam immoderata frictione, & acribus oleis in usum adhibitis, tantam cruditatem discutiendam putabat, nō prorsus à cibo ęgrum continere adeo, neq. rursus nimium eum gravare, sed ab immoderata frictione desinere. Nam ubi fames, laborandū non est, sicut inter omnia, hoc quoq. prudens ille senex pronūciavit, haud novi quid etiam divinissimo Galeno in mentem venerit, quod ita faciundum esse pręcipiat: frictionibus autem immoderatis utendum, oleumq sicyonium inducendum, ac inediam imperet. Nam hyssopum ipsis una cum modico melle bibere præcipit, nihilque aliud ad septimum usque diem assumere. Quis, Deus bone, vires adeo validas esse cogitare poterit, qui simul omnia & inediam, & frictionē pariter ferre queat? Mihi sane melius videtur & moderatius perfricare, & rursus nutrire ad vires respiciēdo, cremore ptisanæ, aut alicæ cum oxymellite, & pane in vinum tincto, ubi vires admodum imbecillę appareant. Nam utrunq. faciendo, ut interim sane ex copia humorum non nihil per fricationem dissipemus, deinde rursus

E commodum alimentum quod concoqui facilè, & in partes corporis distribui possit substituamus, tum vires conservari, tum crudi humores probe concoqui poterunt. Hactenus Alexander, qui in cęteris, hoc est, vino, & balneo, hoc in morbo convenientibus, cum Galeno est, ut legenti manifestum evadit. Suggillat igitur, atque irridet Alexāder Galenum, ut qui non exacte noverit affectionem hanc curare. Cui Alexandro postea adstipulati sunt Razes libro 16. sui Continentis, & Averrois, libro sui Collectorij, veluti nonnulli Neoterici: Nos vero quid sentiamus, pro tanto, & tam difficili morbo curando, dicere non grauabimur, & eo magis, quia ex eo mortales plures vita decedunt, quia forte pauci medici difficulter F morbum ipsum & eius curationem norunt. Scire igitur liceat, febrem hanc ex crudorum humorum copia, cum stomachi offensione fieri, proinde febris hæc aut pituitosa est, aut spuria tertiana, aut composita, vel complicata, ut hemitritæum referat: interpellata tamen semper fere est, unde in accessione stomachica, syncope evenit, quia humores moventur, & eo maior, quo maior contingit putredo, & stomachi ipsius maior sensibilitas, unde pulsuum varius fit motus, parvus, tardus, & rarus: si continua tamen febris hac cum syncopi stomachica evenerit, brevi ægrotus mori contingit, & eo brevius, si visceris alicuius particula G inflammatione offenditur. Plerunque tamen febris hęc, ut dixi, interpellata est, cuius paroxysmus, ut Galeno placet, plerunque ad vesperam affligit, veluti & noctu, raro vero in aurora, usque ad meridiem. Ego vero nonnullos ex hac immani febre correptos notavi, qui non simplici febre corripiebantur, sed potius tertiana spuria, alia pituitosa febre quietis die affligente, ut in hoc contigit Abarbanelię & Solomone Seneore. Erant autem homines ij obesi, & quibus aqualiculus prominebat, pleni multo succo crudo. Horum primo sanguis ex vena brachij extractus fuit, & obijt; H huic vero de quo agimus, venæ sectio celebrata non fuit, sed bis per pharmacum purgatus fuit, & quoque obijt. Proinde hic commendatum, immo testatum relinquo, ut cum primum medicus ad hanc carnificem, & exitialem vocatus fuerit febrem, ab omni vacuationis genere se abstineat, & se totum Galeno concredat. Sic enim medici cum Galeno exercendo, ęgrotantes ab orci faucibus liberabunt, & populi calumniam effugient. Hāc vero febris curandæ methodum, ut veram, paucis quoque cum Glauconem philosophum alloquitur, absoluit, inquiens. Qui vero humorum multitudine animo deficiunt, haud ita curantur: verū

illorum

illorum artus plurimum fricandi sunt, calfaciendi, ac ligandi. Cæterum à vino, & cibis temperare debent, atque etiam à balneis, si febris adsit: contenti mulsæ potu, in qua thymum, origanum, pulegium, vel hyssopum con coctum sit, confert autem & acetum mulsum. Hactenus Gale. brevi, quę libro Metho. med. perample tractat, dixit pro quibus intelligendis etiam pauca hęc audire ne gravemini. Ii qui crudorum humorum multitudine laborāt, vacuari desiderant: cæterum cum sanguinis missionem, & pharmacum non ferant, alia vacuatione indigent: non enim sanguinis missio illis convenit, quia ea humorum cruditas augebitur: neque pharmacum purgans, quia ei humores crudi, & multi non parent, sed resistunt, & eo magis, quo humores crudiores & magis rebelles sunt, & purgans medicamentum in attrahendis eis generosius & potentius habebitur: hac enim mutua altercatione, syncopes & exolutiones, ac vertigines, ut multa alia id genus incommoda eveniunt, quare, cum purgatio, & sanguinis missio pro hoc curando morbo exerceri non possunt, alia vacuatione utamur opus est, ut ea quæ frictione, calefactione, & ligatione partium extremarum, absolui solet, ut abunde ex Galeno dictū est. At Alexander, & cęteri eum sequentes, qui sanguinis missionem pro hoc curando morbo exercendam iubent, ut ego credo, ingens virium robur pręsupponunt, quo prędente, forte nec Galenus eam abnegaret, aut saltem per pharmacum purgans, magnam humorum peccantium vacuationem, modo syncopis adventum non timeat, & ut verum dicam, ita Galenus ait. Qui multitudine crudi succi gravatur, hunc si modo iustam semel vacuationem ferre posset, nec metus aliquis syncopes impenderet, semel arbitror vacuatum, à morbo explicaremus. Ex ijs igitur Alexandrum unanimem, & concordem cum Galeno iudicate. At quia raro, vel nunquam febri hac syncopali humorosa laborantes, viribus constent: ea de causa hortor, ne à Galeno transversum unguem discedamus, sed inedia, & frictionibus, clysmis, oxymellite, & similibus curationem absolvamus, in qua & vomitus ciēdus est, quanquam raro ob succorum tenacitatem est, quanquam raro ob succorum tenacitatem gravedinemque vomitus evocetur fiatve; indicium non parvum, neq. contemnendum pro hoc dignoscendo morbo: sunt nanq. ij nauseabundi, & stomachis gravati, sed non vomūt, ructus tamen sępe edunt. quod si vomerent, ut etiam aliquando illis ventris fluxus contingit, haud parva salutis spes esset. Cęterum etsi Alexandrum conciliatum cum Galeno à nobis audistis, nunc vero ut Alexandri sequaces

A *satisfacti à nobis discedant, & illustrioris doctrinæ gratia, paucula hęc subiungam. Iis qui hoc exitiali morbo laborant, frictionem simul & inediam iniungere, inconveniens maximū non est: quia cum ij crudorum succorum copia abundent, facile inediam tolerant longam, nec inde eorum vires dissolvuntur, corpore scilicet, ex crudis ipsis, quos continet succis concoquendis nutrito, id quod alijs affectionibus non evenit. Manet igitur Galeni recta, vera & indubitata curandi via, quam omnes insequi debemus, quia eam ægrotantes ij facile ferre possunt, & ea sani evadent. Et non immeritò Avicenna hanc Galeni doctrinam, ut*

B *veridicam recipit, & ei subscribit citato à nobis loco, ut legenti notum evadet. Receptui igitur canentes, non est mirari, si ex tertianis spurijs, quibus syncopis stomachica familiaris est, multis de causis Thessalonicæ multi moriantur ut alibi quoq. evenire poterit, si modo tertianis stomachica syncopis, aut syncopalis oris ventriculi affectio dicta, complicata, coniunctave fuerit: speramus tamen deinceps, modo medici Galeno additi sint, similes ęgrotantes superstites evadant, neque ex multis unus periclitetur, quod Deus Opt. Max. annuat.*

C

Curatio 99. De febre cum syncope, ob tenues succos ocyssime exhalantes, veniente, quam febrem syncopalem minutam recentes vocant.

OPportunè hic, ut evidens & clara prædicta curatio evadat, occurrit Bayazetus Rhais, Constantinopolitanæ navis navarchus, homo Turca temperatura biliosus, compositione gracilis, ingeniosus siquis alter, & dives sa-

D tis, ac liberalis: qui post varios casus, labores, & vigilias, ac navigationes non raras, in febrim lapsus est biliosam exacte peracutam, cū syncopi, quam neoterici medici, minutam syncopalem appellitare solent. Vexabatur autem hic febre ardentissima, prædicto cum symptomate, quod comitabantur pulsus varij, inæquales, & ad summum, malum indicantes, lotium nanque igneum, sed lucidum erat, demum, brevi huic

huic facies talis fuit, qualis ab Hip. similis mortui faciei describitur, & quã Gal. libro 10. & 12. Methodi med. cum de hac agit febre, silentio non præterivit. Cæterum huius universum corpus madores quidam, & spirituum exhalationem attestantes occupabãt, & inde anxietudines, exolutiones, inquietudines, insomnia tumultuaria, & id genus alia, sinistra omnia erant: pro quibus omnibus profligandis, abigendisve, & ægrotante ipso restituendo, sic Galeni doctrina muniti, orsi sumus, omni ratione curantes, ut succorum materiam crassiorem reddamus, & cutim densemus, & exhalationem inhibeamus, idque tam ijs quæ foris admoventur, quã ijs quæ intro sumuntur. Aer igitur frigidissimus est factus cum aquæ puteal is frigidissimæ irrigationibus, cui admixtum erat acetum rosaceum & stillatitia rosacea, tum fonticulis ex eadẽ frigidissima aqua paratis, obsitis ac circumsitis cannis, vitibus, & folijs cucurbitæ, platani, in hac Macedonia abundantissimi, & castanearum arboris, veluti unedonis, arbuti dicti, & ruborũ, & lentisci, & salicis, & similium arborum, & fruticum ramulis, veluti humi fusis rosis varijs, & violis aut nymphęæ utriusque floribus, aut vitium capreolis, aut huius generis alijs frigidis, sed ex fonticulis ipsis, aqua ex alto supra pelvim cadebat. Nam & hoc, Galeno authore, somniferum est: demum aer ita arte frigidus paratus fuit, ut non solum respirãdo interiora refrigerabat, sed exteriora dẽsabat, cogebat, & coarctabat. Cæterum cum aer sufficiens nõ erat per exteriora omnia absolvere, huius corpus unguentis illinebamus quæ refrigerandi, & condensandi, & astringendi vim habebant, qualia sunt, rosaceum, & Gal. illud omnium quæ humectant & refrigerãt simplicissimum medicamen, refrigerans ceratum dictum, & ab ipso Galeno descriptum cum alibi, tum libro 10. Metho. med. cui quandoq. admixtum erat unguentum santalinum, & populeon, veluti rubearum rosatum pulvis: sed & tho-

E raci & cordi epithemata facultatem refrigerandi habentia sæpe admovebamus, immo subucula, sive camisia irrorata stillatitia rosacea santalis mixta, sæpe vestiebatur, quæ omnia machinabantur pro sudore compescendo, & succorum, & spirituum sistenda fluxione continua, exhalationeve. Cætera vero, quæ extrinsecus occurrunt silentio præterimus, & ad victum accedimus. Qui igitur ita se habent, paulatim & assidue nutriendi sunt, proinde hic cum imbecillis erat, paulatim nutrièbatur: dabamus autem illi panem vi-

F no granatorum acetosorum imbutũ, veluti ius pulli, margaritatũ, & corallorum præparatorum pulvere apparatum, in quo etiam sorbitio, Italis panatella dicta, ex pane albissimo, similagineo dicto, & qui difficulter diffluit, multo coriando recenti misto concinnabatur: desiderantur autem in hoc morbo, cibaria, quæ non facile diffluant, ut putredini resistant, ut suadet Gal. qui & vitellos ovorum, veluti fructus austeros, putredini nimiæ obnoxios concedit, & hac de re nos huic pomum granatum lubenter dabamus, veluti conditum trium santalorum, &

G diamargariton, non minus, ac pro potu frigidam, aut gelidam iulepo violaceo mistam: ex medicinis vero, tãtum mollibus refrigerantibusque clysteribus usi sumus, præcipue hordeacea, oleo violaceo, saccharo, & succo cucurbitæ compositis. Quibus omnibus leniter tractatus ægrotus, intra quartum diem melius habuit, & morbus sævitiem suam exuit. Profuit autem tunc succorum concoctio, post quam Galenus in hac curatione carniũ esum admittit conceditve. Qua de re nos pul-

H lorũ carnes limonis acredine, aut succo acerbæ uvæ conditos, liberalius concessimus, exemplum summum à medicis sumendum, ut in scholio apparebit. Tunc vero vinum album optimũ, aut vermiculum austeritatis, non nihil habens, aqua dilutum, huic, Galeni consilio, propinavimus: quibus omnibus intra decem dies ægrotans hic sanitatem

nitatem consequutus est. Sapiens Catalaunensium, iuvenis natura biliosus, huiuscemodi febre corripiebatur: nam quum affligebatur accessione, os ventriculi multum dolebat, & syncopim patiebatur, & bilem vomebat, & alvus dura illi erat, & non egerebat: erant autem huic renes, & iecur calidi: ad quem accitus ego, bilis fluxum cum à iecore ad os ventris venire, & inde ex eo symptomata orta, noto: quæ etiam purgatione habita & remedijs propitijs adhibitis, ad septimumdecimum diem perseverarunt, qua de re, iussi iecur, & eius os ventris, santalino unguento illini, & renes cum universa dorsi spina ex rosaceo inungi, simul ut ante horã paroxysmi ægrotus cibaretur, & optimum, sed dilutum vinum biberet: quibus paucis, sequenti nocte ægrotus melius habuit, nullum nanq. dolorem passus est, sed sua sponte alvus respondit: indicium quod bilis solita os ventris offendere, in intestina delapsa est; desijt autem oris vẽtriculi dolor, & intestina bile citata suo fungebantur officio, & tunc quoque ciborum fuit appetentia. Cæterum propulsato, extinctove ventriculi dolore, de renum intenso dolore cõqueri cœpit, fortè derivato humore obstructio in renibus facta est, à quibus arenam non paucam tunc in lotio mittebat; sed postea, ad os sacrũ dolor pervenit, in quo sedem non paucos dies habuit, ut de phlegmone dubium esset, sed varijs clysmis, & remedijs alijs adiutus, evasit, & in quartanam lapsus est, quam paucos menses passus est.

SCHOLIA.

Febris hæc, quia ob pretenues humores cito exhalabiles evenit, præcipue cum syncopi, ab Avicenna, & eum sequentibus, minuta syncopalis appellitatur: contraria nanque febris hæc humorosæ syncopali habetur, præter quam in syncopi: in hac vero sicut in alia, syncopis reperitur, qua de causa cum contrariæ sint, contrario modo curantur, ut autem syncopali humorosa laborantes, paulatim & assiduo vacuari debent, adhæc inedia crucia-

A *ri: ita minuta hac laborantes paulatim & assiduo cibari debent: item syncopalis humorosa, ut corpora plena succis, & obesa amat, ita minuta febris hæc, biliosa, sicca, & gracilia. Cæterum ut febris hęc natura biliosa est, ita aliquando continuo affligit, aliquando vero interpellatim, unde recte Avicenna scriptum reliquit, huius paroxysmos plerunq. tertianos esse, in qua facies illa ab Hippocrate descripta, morti similis, non raro conspicitur, id quod Galenus non siluit: magnam igitur communionem febris hæc cum pestilentibus habet, quæ cordis substantiam, aut eius ventriculorum humores obsident, lancinantve,*
B *& hominem ad perniciem trahunt. Et quemadmodum minuta syncopalis hæc ob succos præpaucos & facile perspirabiles, evenire solet, ita quandoque (notante id Avicenna) non raro accidit, ob putrilaginem, aut venenosam & malignam humoribus insitam qualitatem, veluti ob acredinem humorum, ut iuveni exercitationi dedito, contigit, de quo elegans extat Historia Galeni, libro decimo, Metho. med. cui arridet sapientis Catalaunensium casus, à nobis citatus. Cæterum referente Galeno, & Avicenna consentiente, proprio de hac febre capite, affectio hæc, intra quartum plerunque opus suum complet. At, si ab ea ægrotus evadere contingat, suadet Galenus;*
C *id quod medici artem exercentes advertant velim, videlicet, quod elapso die quarto, & humoribus ad concoctionem venientibus, huic tali, aliquid carnei edulij concedamus, quasi, ante cõcoctionis in humoribus apparitionem, febre in continua, caro, ab eo abnegetur, & dari non debeat.*

Curatio ICO. in qua docetur, quod in tertiana continua, tertio quoque die rigor evenire poterit, simulque
D quomodo circuitus in febribus interpellatis contingant, tam secundam Galeni, quam Avicennæ dogmata.

Magnifica, & generosa gratia ab Yahijs, mulier procera, obesa, carnosa, temperatura sanguinea, quum ætatis suę annum quinquagesimũ age-

ret, vigente autumno, continua febri corripiebatur, cum qua tertio quoque die horrebat, & male habebat: pro qua curanda, pro pulsandave febre, accersiti quatuor sunt medici, qui conspecto lotio rubro, & crasso, aliquali cum coctione, cęterisque excrementis, ac morbo, & eius modo, exacte notatis, iudicarunt, sanguinem reliquis cum humoribus vitiatum esse, qua de causa cum vires recte constarent, & morbus postularet, & reliqua assentirent, sanguinis missionem admodum proficuam fore omnes uno firmarunt ore, a qua exercita vacuatione ita mulier hæc valuit, ut non amplius febrem, aut malum aliud persenserit: tam enim sanguinis illa missio contulit. Cæterum cum ex iecoraria, aut communi brachij vena, sanguis mitti deberet, & inventa à chirurgo utroque in brachio non esset, iussimus venam illam, inter digitum anularem & auricularem ob repentem, primo calēte aqua frictam, aperire, ex qua sanguis ad uncias octo fluxit, & recte habuit.

SCHOLIA.

Qvum nobilis hæc mulier continuo febriret, & tertio quoq. die horreret, propositum à medicis fuit, quæ nam febris hæc esset, ex quibus, alter febrem tertianam simplicem, sed notham esse dixit. Alter vero tertianam continuam sed horrificam eam astruxit: contra quem non defuit alter, qui hoc falsum esse, contestatus est, quia tertiana continua continuo affligit, & nullum horrorem, aut rigorem sed insultus quosdam leves, vix perceptibiles, quos exacerbationes forte dixerimus, tantum habet, nisi quando natura potens bilem una cum sanguine intra vasa contentam foras pellit, & riger non raro verum salutis indicium sequitur, & febris solvitur: id quod Bonus senex in aphor. nos docuit, cum dicat; A causone habito, rigore superveniente solutio fit morbi. At qui tertianam continuam, & horrificam febrem illam esse dixerat suam sic fulciebat assertionem. Intra totius corporis vasa magna bilis putrens, tertianam continuam gignens, asservatur, quæ parū à causone abest, in qua tertiana continua exacerbationes sive leves insultus bilis, ut dixi, singulo tertio die

E *fiunt, in quibus rigores vel horrores cōtingere solent, quia eisdem diebus, crises eveniunt, in quibus paroxysmi affligūt, fieri igitur poterit, ait hic, ut tempore exacerbationis, bilis vena in cava contenta, adeo sit multa, naturam stimulans, aut pauca, sed natura ita obediens, ut extra pellatur, vel intra ad iecoris portas, ad pancreon, ad intestina, ad stomachū, vel ad horum aliquod, vel aliud membrum, & rigorē, vel horrorem faciat, & sic ab eadem materia uno particulari in loco contenta: eadem tamē hora mota, duæ oriuntur febres, altera à bile intra venas contenta, continuo affligens, tertiana continua dicta; altera vero ex bile à venis foras delatas, ex qua febris interpellata consurgit: quam sententiā omnes approbarūt,* F *& ut veram receperunt. Cæterum quia Galenus libris de diff. febr. ait, ut facillimum est reddere causas febrium continuo affligentiū, ita non admodum facile earum quæ per circuitus veniunt: dignum duximus hic appendere modum, quo circuitus paroxysmorum fiant, secundum Galeni dogma, simulque investigare an Avicenna cum Galeno conveniat, & cum recte hac in parte interpretatus sit. ALAMANVS. Hoc à te audire pergratum mihi erit ò Amate, ut qui ex Neotericis tam multis scriptitantibus, nemo quod sciam enodavit. AMATVS. Difficillimum sane dubium hoc est, & in quo Avicennam sequen-* G *tes, non paucas cacatas chartas in lucem mittentes, desudarunt, quos omnes etiam brevi nunc perstringam, præcipue cum Galenum enarraverimus, qui haud dubio sapientissimè, ut solet, in eo absolvendo loquitur. Primo igitur scias velim, in unaquaque animantis parte quatuor reperiri potentias, sive naturales facultates dictas, aliam attractricem, aliam retentricem, tertiam concoctricem, alteratricem dictam, quartam expultricem, retentrice (ut obiter hoc dicam) Galeno consentiente: fortiorem, quia expultrix breviori tempore actiones suas efficere nata est, ut quæ* H *unico impetu, ea quæ molesta sunt, expellere, abigereque statim est potens. Retentrix vero, non nisi temporis spatio opus suum conficit, ac inde longiori tempore indigens est. Hæ cæterum facultates, cum recte habent, & suo debite funguntur officio, homo bene, valenterque habet, quia in eo omnia nutritioni deservientia exacte conficiuntur, & excrementa solita suis constitutis, & debitis temporibus excernuntur: ut in mulieribus menses ab utero, lotium à vesica urinaria, stercus ab intestinis, & similia tam sensibilia, quam quæ sensum effugiunt, & per difflationem evadunt, & discutiuntur. Quum vero*

facultates

INDEX RERVM ET VERBORVM.

A

Al-

filius tamen quidam & Gentilis, magnus ille
Avicennę enarrator, cum locum hunc inter-
pretantur, duas insignes & præcipuas causas
pro circuitu accessionum signant. Alteram
caliditatem putredinalem in ipso paroxysmo
vigentem, quę causam antecedentem in venis
contentam inficit, & parat ad sequentem ac-
cessionem. Alteram vero, caliditatem mitem,
absque putredine in cineritio relictam, qua &
ipsa, causam antecedentem inficit, & ad cir-
cuitum movet, non adeo tamen valenter &
intense. Vgo Senensis, vir sua ætate doctus,
& ingeniosus, cum horum doctorum homi-
num causas duas tantum, ut non sufficientes
ad circuitum accessionum consideret, tertiam
iniungit, absque qua accessionum circuitum,
ut ille quidem putat, fieri impossibile est, &
ita habet. In causa antecedente, hoc est, ma-
teria intra venas contenta, dispositio quędam
habetur, qua mediante materię pars post par
tē extrapellitur, ut ex exemplo à Galeno tra
dito, libro 1. de diffe. febrium cap. quinto,
decerpitur, de stercore scilicet iumentorum,
& columbarum, à Sole ignito, cuius pars
inflammationi, & ebullitioni magis apta,
citius sequenti die à Solis radijs ignitur, &
inflammatur, quam similitudinem Avicen
na, ut optimus & veridicus interpres ut an-
dictis, non præterivit. Ait igitur Vgo, hanc
dispositionem in materia antecedente, hoc est,
intra vasa contenta, per necessariam esse, quia
aliter, si duæ tantum causę prædictæ concur-
rerent, ad circuitum accessionum, in infini-
tum protraherentur accessionum circuitus, &
nunquam cessarent, quia semper maneret ea-
dem causa: item, quod alterantibus potius-
quam purgantibus medicamentis febrium in-
terpellatarum curatio confici deberet, quia
caliditas tantum ut sufficiens pro circuitu ac
cessionum signatur, quod falsum esse, omnes
medici artem exercentes, norunt, qui pro abi-
gendis, propulsandisve, interpellatis ijs febri-
bus, ad causam antecedentem purgandam,
evacuandamve, attendunt, ut quæ male affe-
cta sit, & dispositionem contineat, qua me-
diante inflammatur, & ebullit, & in putredi
nem vertitur, & tandem in cineritium. Pro
summa, Avicenna & eum enarrantes, fe-
brium interpellatarum, putredinis sedem, vel
ut ipsi aiunt mineram, ut quoque Galenus
docuit, extra venas signant, ad quam materia
retenta intra vasa, dicta causa antecedens,
male affecta nondum tamen putrida confluit,
sed in suo motu, & propulsione, ebullit, & vi-
tio, & putredine afficitur, & eo magis, cum
putredinis sedem, & locum attingit, & hoc
iam ob putrificam ipsius paroxysmi intensam

A caliditatem, quam ob ipsam in cineritio reli-
ctam, sed mitem, & remissam. Vtraq. nanque
caliditas dicta, causam antecedentem, intra
vasa contentam, hoc est, humorem paratum
foras venire, & paroxysmum gignere inficit,
& ut Gentilis sapienter admodum adnotat,
determinatum, & proprium, quia determina-
ta & propria caliditas eum inficit, & vitiat.
Nam si aliter esset, quivis alius humor in una
quaque accessione inficeretur. Hęc ex Avi-
cenna, & eius enarratoribus dicta sint, quæ
ut dixi, Galeni dogmatis in universum con-
veniunt, respondentve, & eo magis si quando
Galenus ait, post excrementa varia, ad locum
B putredinis confluxa sanguis quoque fluit, qui
simul excrementis mistus putret, intellexeri-
mus, per hunc sanguinem, id quod Avicennæ
sectatores aiunt, causam scilicet antecedentē,
quę humor intra venas contentus est, pro cu-
ius motu, & ebullitione, non solum concurrūt
utraque caliditas exposita, sed etiam membri
imbecillitas, & nidor putrificus, hoc est, pro-
prietas, & natura, ac determinata putredo,
humori insita, qua mediante, infici similis so-
let humor, & non alius, & per consequens nu
trimenti pars, & excrementa varia alia, in
eundem vitiatum, & putidum, vertuntur hu-
morem, & non alium, & tandiu perdurant,
quod causæ putredinis permanent, determi-
C natæ, quæ pro coronide sunt membri affectiim
becillitas, tam recipientis, quam mandātis, ac
intermedij, per quod transitus fit, coarctatio,
vel laxitas, vel membrorum sensus acuties,
vel obtusio, veluti utraque caliditas, tam ac-
cessionis putrifica intensa, & urens, quam post
accessionem in cineritio relicta, mitis & re-
missa quibus addimus nidorem insitum putre
dini, hoc est, proprietatem specificam, insitam,
& hærentem humori putrido, ut Gentilis ex
Galeno docte admodum suis in extravagan-
tibus quæstionibus interpretatus est, ignoran-
te Vgone Senensi. Quæ quidem proprietas
causam antecedentem movet, tam intra ve-
nas contentam, quam de foris venientem, ali-
ter humorum putrescentium continuo ingens
D fieret confusio, & nunquam certus, & consti-
tutus circuituum servaretur accessionum or-
do: ad hęc excrementorum debita quantitas,
& qualitas accedunt, ut si multa, pauca, vis-
cida, crassa, tenacia, hęrentia, tenuia, subtilia
fluidave sint, unde accessiones quotidianæ, ter
tianæ, quartanæ, quintanæ, septenæ, octava-
næ, nonanæ, continuę, & varię aliæ contin-
gunt: bilis nanque tertianam parit: pituita,
quotidianam: atra bilis quartanam: sanguis
vero continentem, synochum dictam. Quod si
humores dicti vario modo haberi contingat,

& acceſsiones variant, antecedendo, vel poſt
ponendo: acceſsionum nanque anteceſſus, mor
bi indicat incrementum, veluti earum poſtpo-
ſitio, declinationem: modo tamen ipſis cum ac
ceſsionibus cętera conſentiant, vidilicet in an
ticipatione febris ingens caliditas maior cor
poris turbatio, & ſymptomata graviora om-
nia: in poſtpoſitione vero, omnia mitiora, &
faciliora evadant, & ægrotus ipſe rectius ſen
tiat, & valeat. Quod ſi ingens erratum in ijs,
quæ ingeruntur, excernuntur, inijciuntur, ad-
moventur, ſubtrahuntur, & ſimilia, contin-
gat, tunc acceſsiones varię fiunt, aliquãdo ex
eadem particula, ſive ſede, prodeuntes, ut in
hoc de quo agimus caſu, contigit, in quo, &
tertiana continua, & interpollata, ſimul af-
fligebant, aliquando ex varijs partibus, &
diſtantibus locis, ex quibus acceſsiones quan-
doque eadem hora ſimul coincidunt: quandoq.
vero unam alteram ſequitur, bis, ter, & qua-
ter, & ſępe multa & varia alia paroxyſmorũ
cõplicatio copulatiove fit, ut hic Theſſalonicę,
pluſquam reliquis alijs civitatibus à me huc
uſq. luſtratis, fieri obſervo: id quod & Hip. ſuo
ævo ſervabat, diu nanq. Hippocrates in hac
Macedoniæ, & Theſſaliæ provincia, in qua &
nos nunc hæc literis mandamus, artem Peo-
niam exercuit, ut ex ſuis depromimus ſcrip-
tis, & eius filio Theſſalo ad Athenienſes per-
orante. ALAM. Quum hucuſque dicta recte
teneam, placeat tibi ò Amate, dubium diluere
ſequens, an humor qui ad producendum rigo-
rem, vel horrorem, vel frigus movetur, ſit pu
tridus, vel poſtquam opus confecit, putreſcat.
AMA. Audi. Avicenna capite ſexto citati li
bri in hoc colloquio, ait, humorem effuſum ad
rigorem, vel horrorem, vel frigus gignẽdum,
crudum eſſe, & non putridum, ſequenti modo,
& rigor & frigus antecedunt febrem, quo-
niam humor crudus effunditur ad lacertos in
primis, & nocet frigore ſuo, per comparationẽ
ad lacertos, deinde cum incipit putrefieri, inci
pit caleſieri. Hæc Avicenna: per quæ clare
tradit humorem citatum ad rigorem, vel hor
rorem, vel frigus inducendum, crudum eſſe, &
non putridum: cui favere videtur Galeni ſe-
quens problema, libri ſecundi, de ſymp. cauſis
cap. quinto. Cur eſt, quod in incrementis &
vigoribus acceſsionum febrium, horrores, ri-
goreſque non permanent, ſed in initio tantum
conſiſtunt? an fortè quia à potentia caliditatis
ſuperatur frigus: cũ enim humores caleſcunt,
& putreſiunt, rigor deficit. Hæc etenim Gale-
ni eadem eſt reſponſio, cum ea, quam Avi-
cenna forte dedit, ſcilicet quod humor crudus
ad rigorem movendum effunditur, qui poſtea
cum putruit, & caluit, ſua caliditate rigorem

E ſive frigus, ſuperavit, unde initio acceſsionũ,
rigores, vel horrores tantum apparent. Hinc
eſt, quod in epiala febri ſimul febris, & rigor
ſemper in quavis corporis parte permanent,
quia rigor non poteſt ſuperari à caliditate pu-
tredinali: fit nanque epiala febris à vitrea, ac
acida pituita, omnium frigidiſsima, cuius pars
cruda frigus inducit, reliqua verò putredine
affecta, febrem accendit: ſed cũ caliditas hæc
febrilis, & putrifica non valeat, nec potens ſit
ſuperare frigiditatem crudæ partis, fit inde
quod ſimul frigus, & calor in eodem membro
ſemper percipiantur, & conſequenter, humo-
rem crudum, frigus vel rigorem, aut horrorẽ
parere, non vero putridum, dicendum reſtat.
F ALAM. Mea ſententia, qui hæc aſtruunt, ò
Amate, duras admodum partes habent, ut
quæ contrarium rationibus & authoritatibus
probant, & primo ſic In cauſone, febre dicta
ardente, bilis putrida intra vaſa continetur,
quæ critice per carnes ad cutem expulſa, rigo
rem facit, iuxta Hippocratis oraculum. A
cauſone habito, rigore ſupraveniẽte ſolutio fit
morbi. Ergo humor putridus, rigorem facit,
& non crudus: item in ordine acceſsionum,
tam ſecundum Galeni, quam Avicennæ do-
ctrinam, excrementorum putredo proponitur.
Ergo humor putridus ad rigorem pariendum,
movetur, & non crudus: faciunt ijs ea, quæ
non raro evenire videntur, videlicet, humor
G putridus intra venas cõtentus febrem gignit,
qui poſtea ad cutem expulſus, rigorem facit,
& brevi ſudore abſolvitur, igitur humor pu-
tridus rigorem facit, & non crudus, aut inco
ctus. Miſſas facio varias rationes alias, & au
thoritates, quæ partem hanc tuentur, & robo
rant: tu vero Amate, quid hac in re præfixum
habes, aperi rogo. AMATVS. Brevi inter has
diſsidentes acies hæc ſit conciliatio, & concor
dia. Humor antequam moveatur ad rigorem,
vel horrorem, aut frigus inducẽdum, putridus
eſt: non adeo tamen intenſe, ut poſtea diſper-
ſus, diſſeminatuſve: qui poſtquam rigorem in-
H duxit, magis calſit, & intenſius putret. Præ-
ter hæc tamen quandoque humor frigidus, &
horrorem parit, nulla poſtea ſubſequente
febre, quia non putret, ut merito aphoriſ-
mus ille ſexageſimus tertius libri quarti, tan-
quam non verus, à Galeno ſuggilletur, qui
ait. Quibus in febribus quotidie rigores fiunt,
quotidie febre ſolvuntur. Sed hic cæteras ri-
goris cauſas conſulto prętermittimus, quas ſtu
dioſus lector ex Gale. lib. de ſymp. cauſis, &
alibi ſæpe, petere poterit, & eas ipſe ex Hip.
totius artis medicę fundamẽto, lib. de morbis
primo, decerpſit. ALAMANVS. Placent
dicta, ſed dubius adhuc in alio ſum problema-
te,

te, quod tu Amate pro tua humanitate interpretari dignaberis, & est: an postquam bilis rigorem confecit, retrocedat ad ventriculum, & intestina, veluti ad urinariam vesicam, & membra similia, vel potius ante rigorem, quando propulsatur à natura, in ea agitatione, & ebullitione, pars quædam ruit ad stomachum, unde vomitus proiicitur: alia vero, ad intestina, ex qua secessus fiunt, alia ad urinariam vesicam cadere contingit, & per urinam excernitur. AMATVS. Huic tuo quæsito, Gale. ita brevi respondet, mota bile ipsa, per corpora sentientia, rigor ipse fit, post quem, vel per sudorem, vel (quum contingat ipsam ad internas partes fieri) per vomitum, vel alvi solutionem, vel quum quandoque etiam intrò, & foras simul deferatur: utroque modo simul ipsa expurgata, solvitur febris. Vtitur nanque Gal. ijs verbis, pro responsione ad quæsitum: cur febris ardens, superveniēte rigore, solvatur. ALAMANVS. Et hæc summe placent, & arrident, ut quæ cum Galen. sint dicta, sed haud præter institutum nostrum aliud mihi proponendum problema venit, ex Gal. lib. 2. de crisibus, & lib. de differen. febr. decerptū, quod forte totius huius nostri colloquij caput est, & ita habet. Cur est, quòd tertiana febris ad infebricitationem devenit ardens verò, causon dicta, minimè: quum tamen utraque, eandem efficientem causam, hoc est, bilem habeant. AMATVS. An quòd in tertiana bilis extra venas sit, quæ per singulas expurgatur accessiones; in causone vero, non item, quia intra vasa, unà cum ipso sanguine continetur, unde per singulas accessiones non expurgatur, nec ad infebricitationem devenit, nisi forte quando à natura invalescente, bilis ipsa à venis foras detruditur, unde rigor supervenit, & febris soluit. Sed jam ijs finem facimus, quæ si quis accuratius insequi vellet, justum proculdubio compilaret volumen: quæ omnia ex Hippocrate, tam philosophorum, quàm medicorum omnium parente primo emanarunt, ut apud ipsum legere tu ipse poteris libro de flatibus, quem rogo magno tuo otio percurras. Ego vero in hac septima Centuria finem huic dicendi generi imponam. Tu vero ô Alamane pro tua singulari humanitate brevi ad nos venire curabis. ALAMANVS. Veniam, modo Deus Opt. Max. superstites, & sanos nos in hac Maredonia terrarum Imperio quondam potita sinat.

FINIS.

AMATI jusjurandum.

IVRO Deum Opt. Max. & immortalem, me nihil prius, vel antiquius, in ijs meis curationibus mēte agitasse, quā, ut illibata rerum fides posteris traderetur: nihil finxisse, nihil addidisse, aut commutasse ornamenti gratia: id tamen unum semper studuisse, ut utilitas ad mortales promanaret: neminem laudasse, aut vituperio affecisse ut privatis affectibus indulgerem, nisi id veritatis studium exposceret. Si fallo, Deum & Raphaelem eius ministrum iratos semper habeam, nec quicquam in arte medica mihi ad votum succedat. De mercede præterea, quæ medicis exhiberi solet, non admodum sollicitum fuisse, multos non tantùm studiosè, sed gratis etiā curavisse: mercedes etiam nonnullas à permultis oblatas magno & invicto animo rejecisse: magisque id tentasse, ut ægrotantes mea opera aut diligentia, amissam consequerentur valetudinem, quàm, ut eorum liberalitate vel teruntio ipse ditior evaderem. De dignitate verò non admodum sollicitum fuisse, eandemque diligentiam pauperibus, quā illustrissimo loco natis præstitisse: morbum nunquam produxisse, in præsagiis ea, quæ sentiebam semper dixisse: pharmacopolarum nemini plus justo favisse, nisi ei fortasse, quem & peritia artis, & bonitate animi cæteris præstare intelligerem, in medicamentis describendis, prout facultates ægrotantis patiebantur, temperamentum semper adhibuisse: commissum mihi arcanū nemini detexisse: nulli mortiferum poculum propinasse: nullam mea opera matronam abortum fecisse, nihil à me in ea ubi curarem domo turpitudinis per-

perpetratum: in summa, nihil à me E commissum quòd à præclaro & egregio medico alienum haberi posset. Hippocratem & Galenum artis medicæ parentes semper mihi imitandos proposuisse, non spretis nonnullorum in arte medica excellentium monumentis: in studiorum verò ratione adeò frequentem fuisse, ut nullum quantumvis arduum negotium, me à bonorum authorum lectione avocare potuerit: non rei familiaris jactura, non navigatio, non crebræ peregrinationes, non denique exilium, quod, ut virum philosophum decet, magna & invicto animo hactenus spōte substinui: discipulos quos ad hunc usque diem permultos habui filiorum loco semper duxisse, eos candidissime docuisse, hortatum ut bonorum similes evadere studerent: libros in re medica meos nulla animi ambitione edidisse, sed id unum spectasse, ut quoquo modo mortalium valetudini prospicerem. Quod an assecutus sim, aliorum judicio relinquo. Certè semper id præ me tuli atq. in votis maximè habui.

(?)

A facultates hæ male habent, & earum inter se
ordo pervertitur debitus, ut quę adinvicem
non recte famulantur, tunc excrementa varia
gigni solent, quæ quantitate, aut qualitate,
aut utraque, membrum in quod ruere con-
tingit, afficiunt, obstructionem pariendo: ob-
structis nanque & constipatis canaliculis,
meatibusve talis affectę particulę humores
retenti, & supra calfacti, ob probibitam
transpirationem putrefiunt, ad quos vitiatos,
& putredine affectos, alia excrementa con-
fluunt, quę & ipsa cum prioribus putrefiunt,
iuxta proverbium. Vva livorem ducit ab
B uva. Ex qua putrefactione ingens accenditur
caliditas, & viget, ob quam sanguis ab alijs
membris confluere solet. Certum est enim, ubi
cunque accenditur, & augetur caliditas, istuc
ab alijs partibus sanguis fluere solet; qui sti-
patus, loco prutredinis, putrefit quoque, &
membra, à quibus fluxit, frigida manent,
quia sanguinis vacua, privataque manent.
Porrò pars ipsa affecta putredine gravatur,
& extenditur, decumbensque sanguis altera-
tur propter duas causas: prima quia putres-
centibus iam humoribus permiscetur; secun-
da, quia stipatus, & obstructus, minime dif-
flatur. Quo fit, ut instar lignorum humido-
rum, quæ paucam super flammam univer-
sim projiciuntur succendantur: unde lęsionem
C inferentes vitiati succi ij, & vehementius in-
citantur; & á sensibili ipso corpore, confer-
tim impelluntur, quandoque extra per carnes
ad cutim; quandoque intra ad iecoris corpus,
ad pancreas, ad intestina, ad renes, ad sto-
machum ad caput, & reliqua id genus mem-
bra. Quod si bilis absolute fuerit, rigorem pa
rit: si bilis mixta pituitę, aut atrę bili, hor-
rorem & frigus: si verò pituita, frigus indu-
cit, ut postea latius docebitur. Ponimus igitur
febrium interpellatarum sedem, aut si magis
appellare placet, fontem, aut originem, lo-
cumve putredinis, extra venas, ex qua sede,
sive, ut Galenus ait, loco, qui est quodam-
modo putredinis causa, primo accessione: sit
D verbi gratia, tertianæ, bilis delata extra ad
cutem, vel intra ad partes dictas, rigorem
parit. Est enim rigor, Galen. authore, libro
3. de sanitate tuenda, concussio, commotio-
que totius corporis, inæqualis, & ut ego ad-
do, subito, repenteque veniens, cuius defe-
ctu ij, qui regio morbo laborat, rigorem non
sentiunt, passim enim in eis bilis ad cutem
defertur: in tertiana vero bilis acris & mor-
dax supra musculos, & carnes repentè, &
confestim irruens, ab eisdem tanquam no-
xam inferens, concutitur, expellitur, & abi-
gitur: ut feruens aqua supra cutem affusa, sal-

A sa præcipue excutitur, in qua motione san-
guis, & spiritus intro magis secedunt, unde
fit, quod cum rigore frigus semper sentitur,
& totum hoc tempus, initium paroxysmi ap-
pellamus, in quo & sitis viget, & ægri ea
cruciari solent, quia animalis facultas una
cum sanguine, & calore, ad interiora retracta
est, & ea de causa somnus eo tempore ægro-
tis interdicitur, & vigilia evocatur, ut ad
membra algida, & caloris privata, sanguis
& calor revocentur. Quum vero calor supe-
rat materiam, appellatur incrementum &
ascensus, sive augmentum: tale tempus, in
quo usque adeo calor augetur, ut non mo-
B do locum exurat, qui est quodammodo putre-
dinis causa, sed etiam continuatim per totum
corpus dispergatur. Cæterum cum iam ad
summũ fervoris, sive ebullitionis devenerint
incensi, & inflammati humores, tunc appel-
latur vigor, sive consistentia, aut status, talis
accessionis pars, in qua tunc universum labo-
rantis corpus ignitum esse videtur, extensa
per totum animalis corpus. ęqualiter calidita
te, hinc si contingat, quod humores tenues sint,
& facultas valida, & corpus rarum, pars
plurima ebullientis humoris fusa in sudorem
ducetur: quod si crassi fuerint, & facultas ex
pultrix debilis, & viæ angustę, tunc nihil
sensibile effluet, sed materia ita extenuabitur,
C ut in flatus, & vaporis naturam vertetur,
quod tempus, paroxysmi inclinatio appella-
tur; ab aliquibus vero ferventium humorum
difflatus. Et hæc de primæ accessionis origi-
ne, generationeve sint dicta, quæ an Alama-
no arrideant, ipse dixerit. ALAMANVS.
Arrident sane, & quę cum difficillima sint,
á te abunde, & ad Galeni mentem exposi-
ta sunt. Sed an ipse ea recte teneam, audire
ne graveris rogo Amate. AMATVS. Di-
cas, sed brevi, ne auditoribus fastidium pa-
rias, eorum quę dicta sunt saltem primam par
tem, quæ ut nosti huius negotij summa habe-
tur. ALAMANVS. Prima accessio se-
cundum Galeni doctrinam ita fit: facta nan-
que in membro extra venas obstructione,
D succi inibi retenti putrent, ad quos alia excre
menta confluunt, quę quoque cum eis pu-
trescunt, unde ingens oritur caliditas, ob
quam sanguis intra venas contentus ad lo-
cum quodammodo putredinis causam (nos
putredinis sedem vocamus) fluit, & sic mem
bra frigefieri incipiunt, quia sanguinis vacua:
sed tunc humores hos sic confusos, natura ir-
ritata, extra pellit, vel ad carnes, & cutem,
vel intus ad iecoris corpus, ad pancreon, ad
stomachum, ad intestina, vel simile aliud
membrum, vel ad utranque partem simul, &

rigor, vel horror, vel frigus pro ratione humoris fit qui cum summe putret, rigor evanescit, & caliditas pollet, ut postea uberius hoc in colloquio dicetur. AMATVS. Hæc, ut prima & præcipua, per te recte citata à me in hac materia sunt dicta, sed iam nunc, quomodo secundæ accessionis circuitus fiat, investigemus: Galenus nanque, quem pro posse interpretari laboramus, postquam prædicta à nobis docuit, prope calcem libri secundi, de differ. febr. ita circuitum accessionum fieri tradit: sed cum in parte dispositio permaneat, necesse est, alterum in ea gigni excrementum, attracto rursus in eam alimento, non in plenum toto confecto, quod rursus (ut antea docuimus) ab ipsius excrementis putridis in parte ipsa relictis, & ab ipsa propria pravitate initium putredinis suscipit, & ubi satis incaluerit decumbit in ipsam, ut prius diximus, ex alijs animalis partibus sanguis, rursusque eodem modo initium, incrementum vigor, & inclinatio accessionis existit, idque repetere minime desinit, quoad dispositio in parte generante excrementa, servetur. Est vero duplex talis dispositio. Altera quidem partis debilitas, per quam gignuntur excrementa; altera vero ex ipsis subinde genitis collecta, & orta, quæ ita in ipsis putridis excrementis servatur, quemadmodum nidor quidam in vasis, quibus cibaria elixantur asservari solet, & hæc sane dispositio impossibile est ut solvatur, quando præcipuè universum corpus multis, & vitiatis humoribus, fuerit oppletum, ac multo etiam amplius, si ijs adiungatur, omnium per quos membri superfluitates excernuntur, meatuum astrictio: sicuti etiam sanitas subsequeretur, si & meatus essent aperti, ita ut in membro liberi transitus fierent, ac potentia vegetior redderetur, emendaretur affectus, atque universum corpus: neque multis, neque vitiosis humoribus gravaretur: donec vero hæc perduraverint prædicta, circuitum quoque accessionum servari est necessarium, prout in mulieribus accidit. Nam & in ijs donec æquales ac similes menstruorum causæ fuerint, idem servatur circuitus. ALAM. Repetam & ista quoq. modò audire dignaberis, de secundi & aliorum paroxysmorum circuitu. AMATVS. Perge, dicas. ALAM. De circuitu vero secundi & aliorum paroxysmorum, ita ut puto, dixisti: Galenus duplicem dispositionem, ut circuitus accessionum eveniant, describit, alteram partis affectæ imbecillitatem, per quam gignuntur excrementa, alteram vero ex ipsis subinde genitis excremẽtis ortam, quę quidem dispositio putrifica, ita in ipsis excrementis servatur, quemadmodum nidor quidam in vasis, quibus cibaria elixantur, asservari solet, qui alia cibaria inficere non raró solet iuxta carmen Horatianum,

Quo semel est imbuta recens servabit odorem
Testa diu.

Per nidorem autem hunc, Galenus determinatam, ac insitam peccantis humoris naturam, & proprietatem intelligit; quam aliquando propriam pravitatem extrementorum putridorum vocat, qua mediante singulis accessionibus humor vitiatus similem inficit humorem, & non alium ut bilis bilem pituita pituitam, atra bilis atram bilem, aliter non servaretur periodicationis sive circuitus certus ordo. AMATVS. Et hæc recte percepisti, quæ nunc cum Avicennam, & eorum qui eum insequuntur interpretationes attigerimus uberius exponemus: audi igitur. Avicenna fen prima libri quarti, postquam docte admodum varias putredinis causas recensuit, & humorum intra venas putrescentium modum, concinne explicuit, ita causa circuitum accessionum in febribus interpellatis non inféliciter prosequitur, inquiens. Et febris putredinis quidem extrinsecæ, non eradicatur, & redit, nisi quia materiei, quæ putrefit, supervenit putredo in tempore paroxysmi, & finiuntur eius humiditates, ex quibus pendebat caliditas, & resolvuntur, & egrediuntur ex corpore. Non enim sunt retentæ in venis, ut inhibeantur à complemento resolutionis, immo remanet earum ciner itium, & terrestris pars, quæ non sunt vehiculum febris, & caliditatis intensæ sicut videtur de dispositione cumulorum stercorum paulatim putrescentium, donec fiat cinis in totum, deinde non remanet caliditas. Quod si non remanet in humore adusto per putredinem caliditas, destruitur febris quousque aggregetur vice alia ad locum putredinis, & iam remanserunt in ea reliquiæ caliditatis, ex putredine prima, quamvis non remaneat materia, aut propter inventionem causæ primæ putredinis, in materia prima, & inflammatur in materia secunda, secundum semitam putrefactionis. Res ergo putredinis periodicæ procedit secundum inventionem caliditatis deficientis, putrefacientis, & resolventis, & facientis cinerẽ, & pervenientis ad vicinum aliud, donec abscindat terminum, & finiat materiam, & non inveniat vicinum aliud, & remaneant reliquiæ febris expectantes materiam aliam, quę effundatur ad locum eius. Hæc Avicenna, utcunque pessime & perverse versa, quæ si quis recte teneat, inveniet ex Galeno docte admodum & fideliter deprompta esse. Marsilius

B.

C

D

E.

F.

Frigi-

G

H

L

M.

Melan-

Naturæ

N.

O.

P.

Pituitæ

Q.

R.

S

Senectutis

T.

V.

Ver-

FINIS.